











# THEOLOGIA MORALIS

VOLUMEN I



# THEOLOGIA MORALIS

AUCTORE  
AUGUSTINO LEHMKUHL  
SOCIETATIS IESU SACERDOTE

VOLUMEN I  
CONTINENS  
THEOLOGIAM MORALEM GENERALEM  
ET EX SPECIALI THEOLOGIA MORALI  
TRACTATUS  
DE VIRTUTIBUS ET OFFICIIS VITAE CHRISTIANAE

EDITIO DUODECIMA  
DENUO RECOGNITA ET CORRECTA

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS



FRIBURGI BRISGOVIAE  
B. HERDER  
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS  
MCMXIV  
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE  
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

THEOLOGIA MORALIS  
AUGUSTINO LEMMIGHI  
VOLUME I  
THEOLOGIA MORALIS GENERALIS  
Imprimi potest

Paulus de Chastonay S. J., Vice Provincialis

---

Imprimatur

*Friburgi Brisgoviae*, die 17 Martii 1914

‡ Thomas, Archiep̄ps

Omnia iura reservantur

ADMODUM REVERENDO

IN CHRISTO SUMME VENERANDO DILECTISSIMO PATRI

**P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI**  
PRAEPOSITO GENERALI

SOCIETATIS IESU

IN SIGNUM VENERATIONIS ET FILIALIS OBSEQUII

NOVAM HUIUS OPERIS EDITIONEM  
DEVOTUS OFFERT AC DEDICAT

AUCTOR

ARMONIA REVENDIDO

IN UNO DE LOS VENTOS DEL NOROCCIDENTE  
P. WLODYMIR LEDOCZOWSKI  
PRATOSITO GENERAL

ACTOS



## Ex Praefatione ad editionem primam.

In hac Theologia morali utrumque studii coniungere, ut et principia in qualibet re ponerem atque rationes eorum redderem, brevius aut longius pro rerum gravitate et difficultate, et ex principiis singularia — ut spero, pro practico usu non pauca —, deducerem atque ad principia referrem. Quo successu, alii iudicaverint. Labori utique non peperci, ut et uberem doctrinam pro usu confessoriorum traderem, et quae plana non erant, theoretice explanarem.

Hinc factum est, ut ex illis rebus, quae in practico sacerdotali officio et in confessarii munere scitu necessaria sunt, nihil omittere statuerim, quamquam complura etiam ad ius canonicum aut ad theologiam pastorem alii relegaverint. Neque enim pro sola schola scripsi, sed etiam pro usu sacerdotum privato: quare me multorum expectationem fefelisse crederem, nisi istas quaestiones, ut: practicum in confessionali agendi modum, censuras ecclesiasticas, matrimonii impedimenta etc., tradidissem.

In ipsa doctrina secutus sum praecipue *S. Thomam Aquinatem* et *S. Alphonsum de Ligorio*, illustres Ecclesiae Doctores, non ita tamen, ut non etiam aliorum rationibus, si quae mihi probabantur, aliquid darem. Neque sane licuit, illorum auctoritate plane restringi, cum complura ab iis non tractata pro exurgente rerum exigentia fuerint tractanda. Quo magis autem in quibusdam quaestionibus me tantorum Doctorum auctoritate destitutum videbam, eo magis studii tum rationibus tum aliorum scriptorum numero et pondere rem comprobare.

Neque tamen ille sum, qui inter infinitas fere quaestiones in nulla re me defecisse vel errasse confidam. Quod igitur erratum est, benignus lector meae infirmitati adscribat; si quid bonum repererit, id Deo, bonorum omnium auctori et datori, tribuat: ad cuius honorem, qui in salvandis hominibus eorumque moribus perficiendis maxime consistit, si aliquid contulisse mihi concessum est, id pro summo praemio habeo. A sana doctrina et catholica norma sciens non recessi; atque ex nunc me et omnia, quae scripsi, Ecclesiae eiusque Magisterio ex toto animo plane submitto.

Scribebam in castello Blijenbeck in festo S. Michaelis Archang. die 29 Septembris 1883.

---

## Praefatio ad editionem duodecimam.

Cum, quinque lustris a prima editione elapsis, editionem undecimam ex integro refecerim: in hac duodecima editione nihil fere aliud spectavi, nisi ut eas, quae interim noviter latae vel explicatae fuerint, leges ecclesiasticas suis locis fideliter notarem, atque, prout opus erat, doctrinas ab iis depen-

dentes corrigerem et mutarem. In reliquis paucissima sunt, quae accuratius studuerim exprimere ac definire. Addidi tamen — quae hucusque deerat et quae a compluribus desiderabatur — theologiae moralis historiae brevis- simam quandam delineationem.

Praecipua, quae in ipso textu correctae vel auctae sunt, invenies in vol. I: de professione fidei cum iuramento Pii X adiuncto; de statu religioso complura statuta nova; de festorum celebratione; praeterea quaedam accuratius notata in decalogi praeceptis quinto, sexto, septimo (nn. 666 702 735 956 962 1036 1349 1359 1484); in vol. II: de sacramentorum administratione; de Communione puerorum; de ritualibus praeceptis novis; de confessione monialium, et virorum religiosorum; de obligatione clericorum; quaedam de matrimonio et de censuris (imprimis nn. 94 181 188 200 sq 511 sqq 680 698 768 785 816 892 913 1196 1245).

Faxit igitur Deus, ut exigua quae praestiti, ad Eius maiorem gloriam aeternamque hominum salutem promovendam suo modulo contribuant.

Valkenburgi Hollandiae in collegio S<sup>i</sup> Ignatii die festo Sancti Ioseph 19 Martii 1914.

Auctor.

#### NB. Explicatio modi, quo varii auctores laudantur seu indicantur.

Si qui auctores laudantur qui universam theologiam moralem tractaverunt, titulus operis solet omitti, sive inscribitur «Theologia moralis», sive «Compendium theologiae moralis», sive «Institutiones» etc. sive quocumque alio titulo.

Aliorum auctorum operum tituli post nomen auctoris solent nominari; sicuti etiam tituli eorum operum, quae forte praeter opus principale de universa theologia ab aliquo auctore conscripta indicantur.

Quare exempli gratia:

«S. Alph. II 33» intelligitur S. Alphonsi Theologiae moralis libri II num. 33. «Ballerini-Palmieri III, n. 117» = Opus theologiae moralis vol. III, num. 117. «S. Alph. H. A. tr. 1, n. 21» = S. Alphonsi opus «Homo apostolicus» eiusque tractatus primi numerus 21.

Similiter si S. Thomas Aquinas laudatur:

«S. Thom. S. th. 1, 2, q. 25, a. 4; 2, 2, q. 19, a. 7; 3, q. 7, a. 9» intelligitur: Summa theologica in Prima Secundae Partis quaestio 25, articulus 4; in Secunda Secundae Partis quaestio 19, articulus 7; in Tertia Parte quaestio 7, articulus 9 et ita porro.

«In 3 dist. q. 4, a. 3, quaest. 2» intelliguntur: S. Thomae Commentarii in Distinctiones Magistri Petri Lombardi, atque ex iis liber 3, quaestio 4, articulus 3, quaestiuncula 2 — et similiter in aliis.



## THEOLOGIAE MORALIS BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS.

**A**ntequam ipsi theologiam moralem tractare incipiamus, praestat cursim videre, quomodo diversis temporibus illa sit tractata: quod aliis verbis est brevissimam theologiae moralis historiam texere. Quae pro objecto habet et scripta, quibus principia atque sententiae morales expositae sint, et methodum, qua fuerint expositae.

Hinc historia theologiae moralis differt ab historia morum, quae docere debet, quomodo pro diversis temporibus hominum vita cum principiis moralibus concordaverit vel discrepaverit. Differt etiam ab historia principiorum moralium, utpote quae pars tantum sit scientiae moralis generatim sumptae; historia vero theologiae moralis pro objecto habeat non huius partis tractationem, sed tractationem totius moralis scientiae. Neque tamen eam utcumque spectat, sed prout fide et revelatione divina nitatur. Objectum igitur theologiae moralis presse dictae scripta sunt de doctrina morum, sicut haec nobis ex fide et revelatione vel ex ratione fide et revelatione illustrata innotescit.

In qua duas magnas periodos, quae in modo tractandi multum discriminis prae se ferunt, licebit distinguere, periodum patristicam et periodum theologicam vel scholasticam.

In periodo patristica primo occurrunt Patres apostolici, qui, cum ad vitam christianam adhortantur, certe non poterant non tangere objectum theologiae moralis. Tractant vero officia christiana, virtutes exercendas, vitia fugienda non systematice et scientificè, sed modo paraenetico vel etiam catechetico. Exhortationibus igitur moralibus abundant prima post Scripturas Sacras scripta christiana quae in lucem prodierunt, ut epistolae *S. Clementis*, *S. Ignatii* martyris, *S. Polycarpi*, magis etiam liber *Hermae* qui inscribitur «Pastor». Hic imprimis de poenitentia tractat et de criminibus, quae canonicae poenitentiae erant obnoxia.

Subsequentibus temporibus non pauci prodierunt libri, qui de christiana vita atque de diversis christianorum virtutibus singillatim agunt. Huc revoca complura *Tertulliani*, cum adhuc esset catholicus, praeclare scripta, dein scripta *Origenis*, *S. Cypriani* etc. Inter quos praetereundus plane non est *Clemens Alexandrinus*, qui in opere, quod inscripsit «Paedagogus», omnimodam vitam christianam ad normam fidei

describit, atque ad singula officia, singulas actiones (imprimis in libro secundo) ita descendit, ut vix non *casuisticam* praeludat. In ampliore opere octo librorum «Stromatum» fusiore calamo morum christianorum pulchritudinem eorumque ab ethnicorum moribus discrepantiam ante oculos ponit, atque luculentam christianae fidei contextit apologiam.

Post finitas sanguinolentas christianismi persecutiones mox egregii Ecclesiae Doctores exstiterunt, qui catholicam fidem atque catholicam vitam scriptis suis illustrarunt. Maximam quidem partem in refellendis haereticis et in dogmatibus stabiliendis versantur, sed etiam quoad moralem vitam non magis in adhortandis fidelibus, quam etiam in docendis et definiendis officiis, in scrutandis virtutibus naturaque honestatis investiganda incumbunt. Nam praeter orationes seu sermones *SS. Gregorii et Nazianzeni et Nysseni, S. Ioannis Chrysostomi*, habentur a *S. Basilio*, eive adscripta: *Moralia, Regulae fusiores et Regulae breviores*; a *S. Gregorio Nysseno*: *De perfectione christiana*; a *S. Ioanne Chrys.*: opuscula de sacerdotio, ad Theodorum lapsum, de compunctione; a *S. Ambrosio*: libri de officiis, de virginibus, de virginitate, de viduis; de aliis alia.

Excellit prae ceteris *S. Augustinus*. Imprimis in scriptis suis «Enchiridion de fide, spe et caritate», et «de moribus Ecclesiae catholicae contra Manichaeos» cohaerenter et acute de doctrina christiana morali disputat; compluraque opuscula conscripsit, quibus *singulares* quaestiones morales pro suo ingenio doctissime versat (sume opuscula, praeter laudata: de oratione et eleemosyna; de patientia; de mendacio; de sancta virginitate; de bono coniugali; de bono viduitatis etc.). Insuper in tractanda gratia divina eiusque cum libero arbitrio concordia auctor classicus erat, ad quem et ad cuius dicta in rebus dubiis dirimendis ipsi Romani Pontifices remittere solebant.

Ex subsequenti saeculo, eoque ad finem vergente, reticendus non est *S. Gregorius Magnus*, qui in elegantia quidem sermonis atque tractandi methodo Augustino est inferior, in abundantia autem rerum quae moralem spectant tractandarum adeo superior, ut opus, quod inscribitur «Expositio in B. Job, seu Moralium libri 35», merito «repositorium theologiae moralis» dicatur (v. A. Koch, Lehrbuch der Moraltheologie, ed. 3, § 10), eiusque liber «Regulae pastoralis» norma evaserit plurimarum instructionum pastoralium.

Illa ipsa aetate alii uberes fontes theologiae moralis aperti sunt tum epistolis et responsis Rom. Pontificum, tum Conciliorum decretis, quibus pastores Ecclesiae disciplinam christianam tuebantur, restaurabant, expoliebant. Canones autem contra vitia et peccata lati, poenae ac poenitendi modi definiti initium quoddam sunt sive librorum poenitentialium, sive confessionalium quorum postera aetate complures edebantur in utilitatem tum sacerdotum ad confessiones rite excipiendas, tum fidelium quorumcumque ad recte praeparandas confessiones et instituendas.

Sequentibus saeculis VIII<sup>o</sup> usque ad X<sup>m</sup>, si ea cum aetate magnorum Patrum contuleris, scientias universim declinasse et iacuisse dixeris.

Ex tumultibus bellicis et ex gentium eversionibus atque transmigrationibus paullatim quidem emersit status pacatior. Hinc etiam inter novos populos christianos christiana scientia germinare coepit. Praecipuum tamen studium virorum etiam doctorum in eo erat, ut thesauros effoderent, qui in scriptis Patrum aliisque ecclesiasticis documentis repositi erant, atque ut eorum sententias et doctrinas in certum ordinem secundum materias diversas redigerent. Neque desunt hac ipsa aetate, qui inter cetera scripta etiam moralia studiose elaboraverint et in lucem ederint. Inter quos nominari meretur *S. Isidorus Hispalensis* († 636), quorum «*libri tres sententiarum*», imprimis lib. 2<sup>us</sup> et 3<sup>us</sup>, moralem doctrinam exhibent; praeterea similis argumenti sunt «*synonymorum libri duo*» et «*regula monachorum*», quae ad usum tum privatum asceticum tum ad pastorem usum diriguntur; demum huc aliquatenus pertinet apocrypha illa Isidoriana «*collectio canonum*», quae, utut mendosa, suo tamen modo disciplinam casuisticam moralem pro confessariis illustrat. — Post Isidorum nominare licet *S. Bedam Venerabilem*, *Alcuinum*, *B. Rhabanum Maurum*, qui omnes quidem praeprimis in exponendis libris sacris utriusque Testamenti operam suam collocarunt, at complura etiam opuscula moralia conscripserunt: huc pertinent Alcuini scripta de *virtutibus et vitiis*, de *animae ratione*, de *confessione peccatorum*; B. Rhabanus pro pastorali sua cura scripsit de *clericorum institutione*, de *Sacramentis* etc. (*Poenitentiale*).

In Ecclesia etiam orientali exstiterunt, qui, licet maxime in defendendo dogmate insudaverint, nihilominus etiam moralia et ascetica scripta reliquerint. Ita v. g. exstant ab heroico illo fidei catholicae defensore, *S. Ioannem Damascenum* dico (circa medium saec. VIII<sup>m</sup>), praeclara opuscula «*de octo spiritibus nequitiae*» et «*de virtute et vitiis*».

Ad hanc aetatem pertinent etiam non pauci «*libri poenitentiales*», quorum supra memini, quibus colligebantur tum ex statutis Conciliorum et praeceptis antiquorum SS. Patrum, tum ex proprio collectorum iudicio certae normae temporis et modi poenitendi, secundum quas pro diversitate criminum et peccatorum diversa poenitentia canonica sive publice sive privatim persolvenda definiebatur. Qui quidem libri non tam scientiam moralem illustrant — neque ad eam colendam conscripti sunt —, sed monumenta exstant ecclesiasticae praxis atque illustrant egregie zelum, quo Ecclesia studuerit vitia quaelibet reprimere et in reconciliandis peccatoribus cum misericordia iustitiam coniungere; simul etiam testes sunt vegetae fidei populi christiani, quae non plebeios tantum, sed etiam nobiles viros, si quando ex animi impetu in crimina irruerint, ad severam poenam sponte subeundam impellebat.

Nihilominus in libris illis poenentialibus non raro desideratur sobrietas et prudens moderamen in enumerandis explicandisque peccatis. Ceteroquin causam tamen dederunt ad acuendum rerum moralium studium. Primitus enim libri illi ea solum crimina notabant, quibus canonica et sollemnis poenitentia antiquitus iniungebatur. Verum publica et sollemnis poenitentia lapsu temporis ubique cessabat cedebatque poenitentiae



privatae, quae non solis illis criminibus canonicis, sed quibuslibet peccatis mortalibus iudicio sacramentali subiectis semper fuerat et etiam nunc erat iniungenda. Auctores igitur librorum poenitentialium in peccata contra quaelibet praecepta patratu facilia vel possibilia indagare coeperunt iisque poenitentiam convenientem ad normam antiquorum canonum adaptatam statuere conati sunt. Quae sine diligenti studio in vitia et in officia atque virtutes non poterant fieri. Hinc fundamentum et initium quoddam evaserunt tractationis profundioris, quam exhibent libri, qui *Summae morales* vocabantur, breviter in unum colligentes, quae de rebus moralibus et practicis docti viri disputaverant.

Immo ab hoc tempore, saltem a saeculo XI<sup>o</sup> (alii numerant a XII<sup>o</sup> saeculo), numerare possumus periodum scholasticam, in qua etiam tractantes res morales ex causis suis eas intelligere studebant, etsi methodus tractandi aliquando fuerit humilior.

In *Summis* igitur quae vocabantur non raro quidem etiam canones poenitentiales enumerabantur, ut sacerdos confessarius et ipse sciret et poenitentes posset monere, quanta satisfactio pro peccatis commissis secundum pristinum rigorem esset praestanda, etsi iniungi amplius non posset, cum antiqua praxis desuetudine vim legis paulatim amisisset: verum praecipua cura erat, ut pro confessorum adiumento accurate describerentur officia tum communia christianae vitae, tum particularia et specialia diversorum hominum ordinum, quo facilius instruerentur Christifideles in vita recta ducenda et iuvarentur in neglectis officiis peccatisque commissis rite et integre accusandis.

Inter eas, quae in dictis rebus exponendis egregie versatae sunt, numerari merentur: *Summa de casibus poenitentialibus S. Raymundi* († 1275), *Summa Astesana* (c. 1317), *Summa Pisana* auctore *Reinero a Pisis*, et *Pisanella* auctore *Bartholomaeo a S. Concordia* († 1347), *Summa Monaldi* seu *aurea*, *Summa Rosella* auctore *I. B. Trovamala* († 1484), *Summa Angelica* auctore *Angelo de Clavasio* († 1495), *Summa Armilla* auctore *Barthol. Fumo*; maxime *Summa Tabiena* auctore *Ioanne Tabiensi* (c. 1525) et *Summa Silvestrina* auctore *Silvestro Prierate* († 1523). Adiungere licet: *Manuale confessoriorum* auctore *Martino Aspilcueta* (doctore Navarro), et *Summam casuum conscientiae* a *Franc. Tolet.* Qua enumeratione iam perducti sumus usque ad aetatem neo-scholasticorum.

Quarum Summarum tractandi quidem modus erat casuisticus, atque tota materia saepe erat alphabetico ordine digesta; res tamen ipsae non raro tam acuto ingenio et profunda scientia exponuntur, ut nostri etiam temporis libris non sint inferiores.

A saeculo autem XII<sup>o</sup> non casuistica sola methodus, sed etiam fusior eaque et expositiva et speculativa rerum moralium tractatio resumpta est atque brevi splendidius reffloruit. Scientificum et scholasticum tractandi modum incepterunt *Hugo* et *Richardus a S. Victore* (prior † 1141, posterior † 1173); circa illud tempus *Guillelmus Alvernensis* Episcopus Parisiensis, et postea *Ioan. Gerson* complures monographias de re morali

conscripserunt. Praeterea circa res iustitiam spectantes prodierunt opuscula a *Ioan. Nider* († 1438), *S. Ioan. Capistrano* († 1456), *S. Bernardino Senensi* († 1444), *Gabr. Biel* († 1495), *S. Antonino* († 1459), qui tamen melius adnumeratur iis, qui theologiam universam illustrarunt, ut videre est in eius «Summa theologica» quae quatuor voluminibus grandis molis constans pluries in lucem prodiit.

In explicanda universa theologia, idque modo scholastico, praeierat *Petrus Lombardus* († 1164) quatuor suis «*libris sententiarum*», quorum libri duo ex magna parte morales quaestiones tractant. Longe autem excelluit *S. Thomas Aquinas* († 1274), qui primo quidem in «Commentariis in libros sententiarum», dein tum in variis opusculis, tum maxime in «Summa theologica» egregio modo moralem theologiae partem tractavit in bipartita illa «parte secunda», quae 1<sup>ma</sup> 2<sup>da</sup> 2<sup>da</sup> vocari solet: est autem eximia quaedam psychologia christiana, indagans in omnes inclinationes et affectiones animi humani, passiones et vitia depingens, clare et nitide describens virtutes easque singulas atque earum adiumentum et splendorem per gratiam Christi impertitam.

Quae tractatio, imprimis quae moralem spectat, ita perfecta evasit, ut usque ad nostra tempora tamquam exemplar possit considerari, quod universim nemo superavit. Scriptores posterioris aetatis, qui ex schola Ordinis Praedicatorum erant vel ei favebant, cum res theologicas sive dogmaticas sive morales suis scriptis tractarent, fere in commentanda Summa S. Thomae haeserunt, non tamen steriliter repetentes, sed cum magno scientiae progressu ea quae a Doctore angelico breviter dicta erant, magis minusve feliciter interpretantes et illustrantes. Huic tamen scholae Thomisticae aemulus exstitit e familia S. Francisci Assinatensis *Duns Scotus* († 1308), Doctor subtilis vocatus, qui in opinionibus non paucis angelico Doctori adversabatur et scholae scotisticae originem dedit. Qui quamquam S. Thomae laudibus par non erat, erat tamen ingenii perspicacissimi atque totam theologiam scientiam, etiam moralem, egregie auxit.

Ex utraque schola, tum thomistica tum scotistica, magni omnino exstiterunt theologi. Ex posteriore nominari merentur praesertim *Henricus Gandavensis*, *Petrus Aureolus* († 1345); ex priore *Aegidius de Colonna* († 1316), *Petrus de Palude* († 1342). Ex iis qui ascetica et paraenetica scripta reliquerunt, sileri non debent XIV<sup>i</sup> et XV<sup>i</sup> saeculi scriptores *Thomas Hemerken* (a Kempis, † 1471), *S. Laurentius Iustiniani* († 1455), Ven. *Dionys. Carthusianus* († 1471), *Bernardinus a Bustis* (c. 1500), *Pelbartus Temesvariensis* († 1490).

Declinaverat autem saeculo XIV<sup>o</sup> et XV<sup>o</sup> theologia scholastica generatim sumpta, neque raro in subtilitates inutiles atque futiles res degeneravit: quum XVI<sup>o</sup> saeculo neo-scholastica atque etiam positiva theologia de novo effloruit. Initium illius saeculi atque finem saeculi praecedentis illustrarunt magni illi theologi: *Thomas de Vio* († 1534), *Caietanus* dictus, praeclarus S. Thomae Aquinatis commentator, *Franiscus de Victoria* O. M. († 1546), *Melchior Canus* O. Pr. (1509—1560).

Quos secutus est *Dominicus Soto* († 1560), celeberrime ille theologus Concilii Tridentini, qui praeter alia opera etiam de re morali scripsit, imprimis de iustitia et iure.

Mox magnus numerus doctorum virorum secutus est, qui in tota theologia excelluerunt atque etiam partes morales egregie tractarunt. Sufficit afferre nomina *Francisci Toleti* († 1596), *Fr. Sylvii* († 1649), *Bartholomaei Medina* († 1581), *Dominici Bañez* (1604), *Petri de Ledesma* († 1616), *Ludovici Molina* († 1600), *Gregorii de Valentia* († 1603), *Gabrielis Vasquez* († 1604), *Francisci Suarez* († 1617), *Leonardi Lessii* († 1623), *Thomae Sanchez* († 1610), *Adami Tanner* († 1632), *Martini Becani* († 1624), posteriore saeculo *Car. Billuart* († 1757) etc. etc. Ex iis qui ad moralem disciplinam se restrinxerunt, habes: *Ioannem Azor* († 1603), *Valer. Reginaldi* († 1623), *Vinc. Filliucci* († 1622), *Ferd. Castropalao* († 1633), *Paul. Laymann* († 1635), *Herm. Busenbaum* († 1668), *Patr. Sporer* († 1683), *Nic. Mazzotta* († 1737), *Claud. Lacroix* († 1714), *Const. Roncaglia* († 1737), *Benjamin Elbel* († 1756), *Ioan. Reuter* († 1762) etc. — Vix non inter omnes eminent medio saeculo XVII<sup>mo</sup> *Ioannes de Lugo* († 1660), quem S. Alphonsus (lib. 3, n. 552) «post S. Thomam non temere inter alios theologos facile principem dici posse» affirmat. Et re quidem vera, acumine et subtilitate ingenii nulli videtur esse secundus; plane classicus est eius tractatus de sacramento poenitentiae, imprimis illius disput. 16 de distinctione peccatorum: abundantia tamen doctrinae in re theologica, etiam morali, universim sumpta *Franc. Suarez* eminent; sufficit nominasse tria vasta volumina de religione, quibus res ad hanc virtutem spectantes funditus tractat et vix non exhaurit; taceo alia eius egregia opera: de legibus, de sacramentis, de gratia eiusque cum libero arbitrio concordia.

— Cum Bartholomaeo Medina O. Pr., cuius memini, coniungitur celeberrima quaestio de probabilismo, cuius ipse quodammodo pater esse dicitur: quod tamen caute accipiendum est. Verum est illud, Medina primum id verbis expressisse — necdum satis accurate vel feliciter —, quod communi praxi semper fere erat regula. Neque per dimidium saeculum haec Medina thesis turbas vel admirationem excitaverat, cum demum circa medium saeculum 17<sup>m</sup> coeperint illam thesism accuratius definire, distinguere, limitare, in diversos sensus trahere et impugnare. Ita ab eo tempore factum est, ut theologo moralistae fere dividerentur in probabilistas et probabilioristas: de quorum notione et argumentis vide, quae in volumine I n. 149 sqq dicuntur.

Aliud etiam observare licet, nimirum tunc temporis in theologia morali praevaluisse methodum casuisticam, quae in definiendis et distinguendis peccatis potissimum versaretur, ita ut positiva morum christianorum descriptio oratoriis fere et asceticis scriptis relinqueretur. Neque tamen haec casuistica tractatio in se vitiosa est, quippe quae praecipuum finem habeat dirigendi confessarios in arduo munere iudiciali fori sacramentalis; neque vitio verti potest, si qui in tractanda re morali hunc casuisticum modum a reliqua doctrinae morum tractatione



separent. Defectus aliquis tum demum apparet, si alia morum doctrinae tractatio omnino negligatur seu si nulli sint qui uberiores et systematicum tractandi modum excolant.

Fatendum igitur est, a saeculo XVII<sup>o</sup> usque ad medium saeculum XVIII<sup>m</sup> praevaluisse omnino casuisticam, eamque inter benigniores et rigidiores scriptores polemicam. Longum est eorum catalogum texere. Ex utrisque castris efferam paucos:

E numero probabilioristarum: *Comitolo S. J., Vinc. Baron, Andr. Bianchi S. J., Iul. Mercorum, Pontas, Vinc. Contenson, I. B. Gonet, Thyrsus Gonzalez S. J., Taberna S. J., Mich. de Elizalde S. J., Aeg. Estrix S. J., Ign. de Comargo S. J., Billuart, Antoine S. J., Concina, Patuzzi* etc.

E numero probabilistarum: *Thom. Sanchez, Paul. Laymann, G. Hurtado, F. Castropalao, Ledesma O. Pr., Dom. Gravina O. Pr., de Graffeis O. M., Herinckx O. M., Marchant O. M., Gobat, Thomam Tamburini, Martinez, Esparza, Viva, Terillus, Segneri, Mazzotta, Reiffenstuel O. M., Sporer O. M., Elbel O. M., Salmanticenses, Roncaglia, Lacroix, Reuter* etc. etc.

Dissidiae illae inter theologos circa benigniores et severiores sententias in casibus dubiis aptae erant ad perturbandas conscientias, idque cum tristi illo eventu, ut non magis nimia indulgentia quam rigore nimio mores laxarentur. Verum ipso illo tempore divina providentia excitavit virum, qui non minus sanctitate quam doctrina excellens caligines disiecit, mores reformavit, «inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam stravit viam». (Cf. decr. quo titulus Doctoris Ecclesiae Sancto conceditur d. d. 11/23 Mart. 1871.) *Alphonsus Maria de Ligorio* (1696—1787) liberalibus disciplinis et iurisprudentia eruditus, saeculo renuntiavit, atque severa ascési formatus, missionarii munus subibat, sodalesque in novam religiosam Congregationem adunabat, continuo studio id conabatur efficere, ut certam normam conscriberet, qua missionarii, maxime sui sodales, in dirigendis conscientiis iuvarentur. Quod perfecit commentariis in Medullam ab *Herm. Busenbaum S. J.* conscriptam, quaslibet quaestiones controversas ad trutinam revocans, et quid admitti posset, quid deberet reici, sobrio iudicio nec severo statuere conatus. Posterioribus editionibus idem opus *Theologiam moralem* inscriptum semper magis perficiendum perpoliendumque curavit. Acerrime quidem et ipse scriptor et eius scripta impugnabantur atque incusabantur laxismi; vicit tamen sobria eius indulgentia, quae et nimiam benignitatem et nimiam severitatem abhorruit; immo non multo post, cum viri sanctitas, post mortem miraculis multis illustrata, apostolico iudicio confirmaretur, eius scripta, imprimis eius Theologia moralis, evaserunt quasi norma confessoriorum, eaque positivam Ecclesiae approbationem eo sensu reportarunt, ut eius sententias, quamdiu Ecclesia in certis rebus contrarium non statuerit, tuto sequi liceat.

Interea autem tempora calamitosissima in christianum orbem irruerunt, atque inter bella non Musae tantum siluerunt, sed tristius

etiam silentium diuturnum theologicas disciplinas tenuit, siquidem exilia quaedam opera, suco supernaturali fere carentia, imprimis quatenus moralem spectant, hinc inde pullulantia attentionem excitare non meruerunt. Opera sicut ea quae scripserunt *Iac. Danzer* († 1796), *Lauber* († 1810), immo etiam quae *Reyberger* († 1818), *Geishüttner* († 1805) de re morali ediderunt, disciplinae moralis non tam vigorem quam cladem et marcorem manifestabant.

Ita usque ad priora saeculi XIX<sup>i</sup> decennia theologia moralis iacuit. Mox vero pace et Ecclesiae et totius Europae regnis reddita, inter alias scientias etiam theologia moralis reforescere coepit. Postquam autem Alphonso de Ligorio honores altaris decreti fuerint, ii qui in theologiam moralem tractandam incumbabant, fere omnes novi Sancti vestigiis insistere tentabant, atque ita non pauca orta sunt theologiae moralis compendia, quae S. Alphonsi doctrinam breviter contraxerint, hunc sibi finem praecipuum statuentes, ut sacerdotes sine multo negotio in scientia pro munere pastoralis necessaria instruerent. Cui fini methodus casuistica apprime conveniebat, neque diuturniorem vel profundiorum instructionem sacerdotum penuria permisit. Nonnulli tamen scriptores conati sunt istam disciplinam ad altiorum methodum evehere et continenti dictione materiam sibi propositam evolvere; alii utramque methodum coniungere studuerunt, ita ut pro re occurrente modo casuistica, modo scientifica et scholastica methodus praevaleret. Inter prima opera nominari merentur *Compendium theologiae moralis Ioannis Gury* († 1866), quod tum eo vivente tum post eius mortem quam plurimas nactum est editiones, adnotationes, reformationes, ex quibus refero editiones a *Seitz*, *Ballerini*, *Dumat*, *Bulot*, *Sabetti*, *Ferreres* etc. etc. usque ad nostra tempora reformatas et completas. Alia opera profecta sunt a *Scavini*, *D'Annibale*, *Ern. Müller*, *Nizzatti*, *Del Vecchio*, *de Varceno*, *Hilar. a Sexten*, *Ballerini-Palmieri* (7 voll.), *Marc*, *Aertnijs*, *Lehmkuhl*, *Génicot-Salsmans*, *Noldin*, *Bucceroni*, *Bouquillon*, *Haine-Bund*, *Tanqueray*, *Vives y Tuto*, *Zaninetti* etc.; germanice conscripta habes a *Simar*, *Pruner*, *Linsenmann*, *Göpfert*, *Ant. Koch*, *Schindler*. — De rebus particularibus ex theologia morali quam plurima opera prodierunt notatu digna; nominare non possum nisi perpauca: *Van Gestel*, De iustitia; *Vermeersch*, Quaestiones morales, de religiosis, de iustitia; *V. Frins*, De actibus humanis (3 voll.); *Mausbach* polemicè et apologeticè disserentem de principiis catholicae moralis, eiusdem Ethicam S. Augustini; *Wirthmüller*, de virtute religionis; *Göpfert*, de iuramento; *Guerigk*, de moralis disciplinae officiis antiquis et novis, item de peccato mortali.

Ulterius laudandi sunt libelli periodici de re pastoralis et morali, data opera, tractantes in Anglia, Gallia, Germania, Hispania, Italia, ut taceam Americam et Australiam; quos longum est enumerare. Omnia haec profectum denotant, quem ab ultimis elapsi saeculi decenniis cum aliis scientiis etiam theologiam oralis sumpsit. Quem ad suam maiorem gloriam augeat Deus!

# **Index synopticus vol. I. theologiae moralis.**

	Pag.
Praefatio auctoris ad lectorem . . . . .	VII
Theologiae moralis brevis conspectus historicus . . . . .	IX

## **Prolegomena.**

§ 1. Definitio theologiae moralis . . . . .	1
§ 2. Utilitas theologiae moralis . . . . .	3
§ 3. Modus materiam tractandi . . . . .	3
§ 4. Divisio totius tractationis . . . . .	4

# **THEOLOGIA MORALIS GENERALIS.**

## **LIBER UNICUS.**

Caput praeeambulum. De fine . . . . .	9
§ 1. De fine ultimo creationis ex parte Dei creantis . . . . .	10
§ 2. De ultimo fine creationis obiectivo seu operis etc. . . . .	11
§ 3. De fine ultimo hominis interno . . . . .	14
§ 4. De beatitudinis perennitate et supernaturalitate . . . . .	18
§ 5. De beatitudinis natura et essentia . . . . .	20
§ 6. De perfectione intellectuali beatorum . . . . .	26
§ 7. De perfectione voluntatis beatorum . . . . .	28
§ 8. De beatitudine accidentali . . . . .	32

## **TRACTATUS I.**

### **De actibus humanis eorumque moralitate.**

Caput I. Notio et divisio actuum humanorum . . . . .	37
Caput II. De actibus humanis secundum interna principia.	
Art. I. De voluntario eiusque conditione	
§ 1. Voluntarii generalis explicatio et divisio . . . . .	39
§ 2. De interna voluntarii affectione, seu de libero . . . . .	43
§ 3. De variis voluntatis actibus . . . . .	45
§ 4. De voluntario indirecto et in causa speciatim considerato . . . . .	48
Art. II. De voluntarii obstaculis.	
§ 1. De ignorantia et inadvertentia, ut voluntarii et liberi impedimentum est . . . . .	51
§ 2. De concupiscentia . . . . .	53
§ 3. De metu et violentia . . . . .	57
§ 4. De iis quae remote vel dispositive in liberum arbitrium eiusque diminutionem influunt . . . . .	58
Caput III. De moralitate actuum humanorum generatim	
§ 1. Notio et conceptus moralitatis . . . . .	61
§ 2. De fontibus moralitatis . . . . .	63
§ 3. De indifferentia actuum humanorum . . . . .	68

TRACTATUS II.  
De regula actuum humanorum.

SECTIO I.

De Regula proxima seu de Conscientia.

	Pag.
Caput I. Notio et divisio conscientiae . . . . .	73
Caput II. De conscientiae qualitatibus et vitiis . . . . .	
Art. I. De conscientia recta et erronea . . . . .	75
Art. II. De conscientia certa et dubia . . . . .	76
Art. III. De conscientia scrupulosa.	
§ 1. Eius notio . . . . .	80
§ 2. De origine scrupulorum . . . . .	81
§ 3. De signis hominis scrupulosi . . . . .	82
§ 4. De remediis scrupulorum . . . . .	83
Art. IV. De conscientia laxa . . . . .	87

SECTIO II.

De Regula actuum humanorum remota seu de Lege.

Caput I. De notione et essentia legis . . . . .	89
Caput II. De necessaria legis certitudine eiusque ad conscientiam relatione, atque de variis theologiae moralis systematis . . . . .	92
Art. I. Expositio diversorum systematum . . . . .	93
Art. II. Probabilismus exponitur, et probatur eius veritas.	
§ 1. Notiones praeviae et status quaestionis . . . . .	98
§ 2. Argumentum externum, historico theologicum . . . . .	101
§ 3. Argumenta interna directa . . . . .	111
§ 4. Argumentum internum indirectum . . . . .	114
Art. III. Vindicatur probabilismus ab obiectionibus . . . . .	115
Art. IV. De regulis subsidiariis, quae usum probabilismi magis determinant . . . . .	122
Art. V. Quaedam de practico usu probabilismi monita.	
§ 1. De practica distinctione inter probabilitatem iuris et facti . . . . .	126
§ 2. De efformando dictamine in dubio practico . . . . .	127
§ 3. De usu duarum opinionum sibi contrariarum . . . . .	128
§ 4. De eligendis opinionibus ex parte confessarii . . . . .	129
Caput III. De elementis legis singillatim consideratis . . . . .	130
Art. I. De auctore legis eiusque legislatione . . . . .	131
Art. II. De obiecto legis . . . . .	135
Art. III. De legis subiecto.	
§ 1. De legis subiecto generalia principia . . . . .	138
§ 2. De clericis eorumque sub civili lege subiectione . . . . .	141
§ 3. De peregrinorum et vagorum sub lege subiectione . . . . .	142
§ 4. De ipso legislatore, ut legis subiecto . . . . .	144
Art. IV. De effectu legis seu obligatione.	
§ 1. De legis obligatione in se eiusque interpretatione . . . . .	145
§ 2. De legis obligatione implenda . . . . .	147
Caput IV. De legis eiusque obligationis cessatione.	
Art. I. De excusatione a lege . . . . .	149
Art. II. De dispensatione . . . . .	152
§ 1. Quis in quibus dispensare possit . . . . .	153
§ 2. Quae sint causae dispensationis . . . . .	157

	Pag.
§ 3. De dispensationis interpretatione . . . . .	157
§ 4. De cessatione dispensationis . . . . .	158
Art. III. De legis abrogatione et derogatione . . . . .	160
§ 1. De abrogatione, quae ab ipso superiore oritur . . . . .	160
§ 2. De abrogatione, quae a populo incipit, seu de desuetudine . . . . .	161
Art. IV. De cessatione legis propter finem cessantem . . . . .	163
Caput V. De praecipuis legum speciebus generalis tractatio . . . . .	164
§ 1. De lege aeterna et naturali . . . . .	164
§ 2. De legibus, quae ius gentium dicuntur . . . . .	168
§ 3. De lege positiva divina . . . . .	170
§ 4. De lege (positiva) humana, speciatim de ecclesiastica . . . . .	173
§ 5. De lege directiva, poenali, mixta . . . . .	179
§ 6. De lege irritante . . . . .	181
§ 7. De privilegio . . . . .	183

## TRACTATUS III.

De Discordia et Concordia cum regula actuum humanorum,  
seu de peccati reatu et bonorum operum merito.

## SECTIO I.

## De Peccato.

Caput I. De notione et malitia peccati.	
§ 1. Explicatur peccatum eiusque malitia generatim . . . . .	186
§ 2. De distinctione inter peccatum mortale et veniale . . . . .	193
Caput II. De distinctione peccatorum quoad species et numerum . . . . .	199
Art. I. Generales regulae huius distinctionis . . . . .	199
§ 1. Specificae distinctionis generales regulae . . . . .	200
§ 2. Numerica distinctio . . . . .	201
Art. II. De peccatorum internorum specifica distinctione . . . . .	203

## SECTIO II.

## De Merito actuum humanorum.

Caput I. Summa capita ex theologia dogmatica collecta . . . . .	210
Caput II. Practica documenta circa meritum . . . . .	214

## THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS.

## PARS I.

## De Virtutibus et Officiis vitae christianae eorumque laesione.

## LIBER I.

## De Virtutibus et Officiis circa Deum et divina bona.

## TRACTATUS I.

## De Virtutibus Theologicis.

Caput I. De fide . . . . .	221
§ 1. De fidei notione . . . . .	221

	Pag.
§ 2. De excellentia et necessitate fidei . . . . .	225
§ 3. Necessitas fidei quoad obiecta credenda . . . . .	225
§ 4. Necessitas fidei quoad actus fidei eliciendos . . . . .	230
§ 5. De obligatione fidem externe confitendi . . . . .	232
§ 6. Obligatio ecclesiastica lege inducta professionis fidei publice emittendae . . . . .	235
§ 7. De peccatis contra fidem . . . . .	236
Caput II. De Spe . . . . .	240
§ 1. Quid sit spes . . . . .	240
§ 2. De spei necessitate . . . . .	245
§ 3. De peccatis contra spem . . . . .	247
Caput III. De caritate . . . . .	251
§ 1. Notio et obiectum caritatis . . . . .	251
§ 2. De caritatis excellentia et necessitate . . . . .	255
§ 3. Peccata contra caritatem . . . . .	258
<i>Appendix</i> seu recapitulatio praecipuorum peccatorum contra virtutes theo- logicas (primum decalogi praeceptum) . . . . .	259

## TRACTATUS II.

## De virtute Religionis.

Caput I. De natura religionis atque de actibus, qui <i>intrinsicus</i> ad eam spec- tant . . . . .	261
Caput II. De actibus, qui principaliter religionis <i>exercitium</i> continent . . . . .	266
Art. I. De actibus positivis, quibus religionem exercere iubemur . . . . .	266
§ 1. De adoratione et sacrificio . . . . .	266
§ 2. De oratione . . . . .	268
§ 3. De reverentia rebus sacris sive Deo dicatis exhibenda . . . . .	273
Art. II. De actibus per religionem prohibitis . . . . .	275
§ 1. De peccatis superstitionis. Punctum I. Notio et divisio . . . . .	275
Punctum II. De superstitionis malitia . . . . .	276
Punctum III. De magnetismo et spiritismo . . . . .	280
§ 2. De peccatis irreligiositatis . . . . .	285
Punctum I. De blasphemia . . . . .	286
Punctum II. De tentatione Dei . . . . .	291
Punctum III. De sacrilegio . . . . .	293
Punctum IV. De simonia . . . . .	297
<i>Appendix</i> praecipuorum peccatorum, quae restant, contra I. praec. decalogi . . . . .	307
Caput III. De actibus, qui secundarie ad exercitium religionis pertinent . . . . .	308
Art. I. De iuramento . . . . .	308
§ 1. De natura iuramenti . . . . .	308
§ 2. De obligatione iuramenti promissorii . . . . .	314
§ 3. De obligationis iuratoriae dissolutione . . . . .	318
§ 4. Appendix de adiuratione . . . . .	319
Art. II. De voto . . . . .	321
§ 1. De actu votendi . . . . .	321
§ 2. De re, quae promittitur in voto . . . . .	324
§ 3. De voti obligatione . . . . .	328
§ 4. De voti seu eius obligationis cessatione . . . . .	335
Punctum I. De irritatione directa et indirecta . . . . .	335
Punctum II. De dispensatione et commutatione votorum . . . . .	340
<i>Appendix</i> praecipuorum peccatorum contra secundum decalogi praeceptum . . . . .	347



	Pag
Caput IV. De exercitio religionis hominis, ut socialis est . . . . .	348
Art. I. De religionis exercitio per statum religiosum . . . . .	349
§ 1. Praeambula de statu perfectionis in genere . . . . .	349
§ 2. De essentia status religiosi . . . . .	352
§ 3. De vocatione ad statum religiosum, et de obstaculis . . . . .	362
§ 4. De obligatione religiosi generatim sumpta . . . . .	369
§ 5. De obligatione singulorum votorum.	
Punctum I. De voto religiosae paupertatis . . . . .	370
Punctum II. De voto castitatis religiosae . . . . .	377
Punctum III. De oboedientia religiosa . . . . .	378
<i>Appendix</i> peccatorum praecipuorum circa vitam religiosam . . . . .	383
§ 6. De favoribus religiosorum . . . . .	383
Art. II. De sociali religionis exercitio communi ab Ecclesia praecepto . . . . .	384
§ 1. De requie festiva . . . . .	385
§ 2. De participatione Ss. Missae sacrificii . . . . .	391
<i>Appendix</i> peccatorum praecipuorum contra tertium decalogi praeceptum . . . . .	397

## LIBER II.

De Virtutibus et Officiis circa homines  
humanaque bona.

## DIVISIO I.

*De Extensione Theologicarum Virtutum ad hominem ut obiectum  
secundarium.*

Caput I. De caritate et amore, quam homo sibi ipse debet.	
Art. I. De notione et officio caritatis erga nosmetipsos in genere . . . . .	400
Art. II. De cura nobismetipsis ex caritate debita in specie . . . . .	400
§ 1. De cura circa corpus vitamque propriam . . . . .	401
§ 2. De cura hominis circa vitam suam supernaturalem . . . . .	408
§ 3. De cura illorum bonorum, quibus homo in hac vita, ut mediis indiget . . . . .	409
Caput II. De caritate erga proximum positive exercenda . . . . .	411
Art. I. De interno actu caritatis erga proximum . . . . .	412
Art. II. De externis actibus caritatis erga proximum.	
§ 1. De obligatione proximis opem ferendi generatim spectata . . . . .	415
§ 2. De eleemosyna corporali in specie . . . . .	419
§ 3. De spiritali quasi-eleemosyna seu de correctione fraterna . . . . .	422
Caput III. De caritate negative servanda seu contrariis actibus non violanda . . . . .	426
Art. I. De odii inimicitiaeque peccato atque de caritate inimicis debita.	
§ 1. De notione odii et peccatorum similium . . . . .	426
§ 2. De caritate inimicis debita . . . . .	429
Art. II. De scandalo et cooperatione . . . . .	431
§ 1. De scandalo . . . . .	433
Punctum I. Principia de scandalo explicantur et illu- strantur . . . . .	433
Punctum II. Peculiares actiones cum scandalo conexae discutiuntur . . . . .	439

	Pag.
§ 2. De cooperatione presse sumpta.	
Punctum I. Tractantur principia de cooperatione generatim . . . . .	443
Punctum II. Singulares actiones seu cooperationes discutuntur . . . . .	446
Art. III. De reliquis peccatis caritati oppositis . . . . .	464
<i>Appendix</i> praecipuorum peccatorum contra caritatem erga hominem . . . . .	465

## DIVISIO II.

*De Virtutum Moralium, quae curam humanarum rerum ordinant, deque vitiorum contrariorum conceptu et notione.*

### SECTIO I.

Caput unic. De virtutibus moralibus in genere, earum relatione ad diversos habitus supernaturales . . . . .	466
---	-----

### SECTIO II.

Caput unic. De virtute <b>Prudentiae</b> eiusque partibus . . . . .	470
---	-----

### SECTIO III.

#### De Fortitudine et virtutibus annexis.

Caput I. De fortitudine . . . . .	475
Caput II. De prioribus virtutibus fortitudini annexis, magnanimitate et magnificentia . . . . .	478
Caput III. De aliis virtutibus fortitudini annexis, scil. de patientia et perseverantia, et quae cum illis cohaerent . . . . .	480

### SECTIO IV.

#### De Temperantia et virtutibus annexis.

Caput I. De temperantia eiusque speciebus . . . . .	482
Caput II. De virtutibus temperantiae annexis iis, quae versantur circa iram et vindictam . . . . .	484
Caput III. De modestia et studiositate . . . . .	485
Caput IV. De humilitate . . . . .	487
Caput V. <i>Appendix</i> de vitiis seu peccatis capitalibus . . . . .	491

### SECTIO V.

#### De Iustitia et virtutibus annexis in genere.

Caput I. De iustitia . . . . .	497
§ 1. Notiones iustitiae et iuris . . . . .	497
§ 2. De subiecto domini et iuris in genere . . . . .	501
§ 3. De obiecto iuris in genere . . . . .	502
§ 4. De obligatione iustitiae eiusque laesione, seu de iniustitia et eam reparandi necessitate in genere . . . . .	504
Caput II. De virtutibus iustitiae annexis, speciatim iis, quae morale tantum debitum continent . . . . .	507
Caput III. De iis virtutibus iustitiae annexis, quae debitum legale respiciunt: pietate, observantia, oboedientia . . . . .	512



## DIVISIO III.

*De singulis Obiectis, circa quae virtutes morales et officia humanarum rerum exercentur.*

## TRACTATUS I.

**De officiis humanis atque peccatis, quae Bonum Ordinis Socialis spectant.**

	Pag.
Caput I. De societate coniugali . . . . .	517
Caput II. De mutua obligatione in societate domestica.	
§ 1. De obligatione parentum . . . . .	519
§ 2. De obligatione filiorum . . . . .	528
<i>Appendix</i> peccatorum praecipuorum contra quartum praeceptum inter parentes et filios . . . . .	531
Caput III. De mutua obligatione in societate publica . . . . .	532
Art. I. De relatione inter principes et subditos . . . . .	532
§ 1. De obligatione principum seu eorum, qui gerunt summam auctoritatem politicam sive civilem . . . . .	532
§ 2. De obligatione subditorum . . . . .	532
§ 3. De obligatione populi ad gubernandum concurrenti . . . . .	533
Art. II. De publicis iustitiae administris et eorum civiumque mutua obligatione . . . . .	536
§ 1. De iudice . . . . .	536
§ 2. De actore, vel de accusatione et denuntiatione . . . . .	542
§ 3. De reo . . . . .	545
Punctum I. Circa confessionem criminis . . . . .	545
Punctum II. Circa probationis contra reum prolatae vim frangendam . . . . .	546
Punctum III. Circa poenam declinandam . . . . .	547
§ 4. De teste in iudicio . . . . .	549
§ 5. De avvocato . . . . .	551
§ 6. De publicis scribis et notariis . . . . .	552
§ 7. De apparitore, custode publico aliisque inferioribus ministris . . . . .	553
Caput IV. De obligatione inferiores inter et superiores in subiectione accidentali . . . . .	554

## TRACTATUS II.

**De officiis atque peccatis circa Bonum hominis Individuale, vitam et personam.**

Caput I. De cruenta defensione . . . . .	556
Caput II. De cruenta punitione . . . . .	559
Caput III. De caede hominis innocentis . . . . .	560
Caput IV. De duello . . . . .	569
Caput V. De bello . . . . .	571
<i>Appendix</i> peccatorum praecipuorum contra quintum decalogi praeceptum . . . . .	575

## TRACTATUS III.

**De officiis circa Bonum Coniugale ac de luxuriae peccatis.**

Caput I. Generalis luxuriae conceptus eiusque malitia . . . . .	576
Caput II. Discussio singularum actionum, quae ad luxuriam imperfectam pertinent . . . . .	579

	Pag.
Caput III. De luxuria perfecta seu consummata . . . . .	583
§ 1. De peccato luxuriae consummatae naturali . . . . .	583
§ 2. De peccato luxuriae innaturali solitario seu de pollutione . . . . .	583
§ 3. De sodomia . . . . .	588
§ 4. De bestialitate . . . . .	589
Caput IV. De peccatis luxuriae, quae cum circumstantia malitiam addente coniuncta sunt . . . . .	590

## TRACTATUS IV.

De Bonis externis seu Fortunae atque humanis erga  
illa officiis.

## SECTIO I.

## De Iure hominis in bona fortunae.

Caput I. De variis iuris speciebus . . . . .	593
Caput II. De temporalium bonorum dominii subiecto in particulari . . . . .	595
§ 1. De dominio filiorum-familias . . . . .	595
§ 2. De bonis coniugum . . . . .	599
§ 3. De dominio clericorum . . . . .	603
§ 4. De dominio scriptorum . . . . .	609
Caput III. De modo acquirendi dominium et iura . . . . .	611
Art. I. De modo acquirendi dominium originario . . . . .	
§ 1. Notiones generales . . . . .	611
§ 2. Occupatio animalium . . . . .	613
§ 3. De thesauro eiusque occupatione . . . . .	616
§ 4. De inventione rerum amissarum . . . . .	618
§ 5. De diversarum rerum coniunctione atque de iuribus inde orituris . . . . .	620
Art. II. De modo acquirendi legali, publico iure inducto, seu de prae- scriptione . . . . .	621
§ 1. Summaria notio praescriptionis et variarum legum de ea latarum . . . . .	621
§ 2. Quaedam pro confessario circa praescriptionem . . . . .	628

## SECTIO II.

## Laesio iuris alieni in bonis externis seu fortunae.

Caput I. De gravitate illius peccati eiusque materiae . . . . .	630
Caput II. Ablatio rei alienae, quae a furti peccato immunitis sit . . . . .	637
§ 1. De necessitate, propter quam aliena bona auferre liceat . . . . .	637
§ 2. De occulta compensatione . . . . .	639

## SECTIO III.

## De Reparatione iuris laesi, seu de Restitutione in bonis fortunae.

Caput I. Praeviae notiones . . . . .	641
Caput II. De radicibus restitutionis principalibus ex sese restitutionem in- ducentibus . . . . .	
Art. I. De prima radice seu detentione rei alienae . . . . .	643
§ 1. Generales notiones de rei alienae detentione . . . . .	643

	Pag.
§ 2. De possessore bonae fidei . . . . .	644
§ 3. De possessore malae fidei . . . . .	648
§ 4. De possessore dubiae fidei . . . . .	652
Art. II. De secunda radice et mensura restitutionis, seu de actione damnificante.	
§ 1. Generalia principia . . . . .	654
§ 2. Discussio primae conditionis: actionis damnificantis, sc. <i>for-</i> <i>maliter iniustae</i> . . . . .	657
§ 3. Discussio secundae conditionis: « <i>contra iustitiam commu-</i> <i>tativam</i> » . . . . .	660
§ 4. Discussio tertiae conditionis: « <i>realiter iniustae</i> » . . . . .	666
§ 5. Discussio quartae conditionis: « <i>damni efficax causa</i> » . . . . .	668
Caput III. De restitutione bonorum fortunae oriunda ex actione damnificante per connexionem cum alio damno seu peccato . . . . .	669
§ 1. De tributis eorumque defraudatione . . . . .	670
§ 2. De militia atque conscriptione, et de iniustitiis, quarum illa ansam dare possit . . . . .	672
§ 3. De restitutione in bonis fortunae, quae ex homicidio vel vulneratione sequitur . . . . .	675
<i>Appendix</i> de medico eiusque obligationibus . . . . .	678
§ 4. De restitutione in bonis fortunae debita propter fornicationem aut stuprum . . . . .	680
§ 5. De restitutione in bonis fortunae debita propter adulterium . . . . .	682
Caput IV. De restitutione propter actiones secundarie seu <i>per cooperationem</i> damnificantes . . . . .	684
§ 1. Iussio et mandatum . . . . .	685
§ 2. Consilium . . . . .	686
§ 3. Consensus . . . . .	689
§ 4. Palpo . . . . .	690
§ 5. Recursus, sive de receptante seu recursum praebente . . . . .	691
§ 6. Participatio . . . . .	691
§ 7. Cooperatio negativa . . . . .	693
Caput V. De variis restitutionis circumstantiis . . . . .	694
§ 1. De quantitate debiti atque de ordine inter debitores . . . . .	694
§ 2. Cuinam restitutio facienda sit . . . . .	697
§ 3. Quo ordine restituendum sit, seu potius quo ordine diversa debita sint solvenda . . . . .	700
§ 4. De modo restitutionis peragendae . . . . .	702
§ 5. De causis a restitutione sive omnino sive ad tempus ex- cusantibus . . . . .	705

## SECTIO IV.

## De bonis externis iuribusque transferendis.

## PARTITIO I.

## De Contractibus.

## Caput I. De contractibus in genere.

Art. I. Notio et divisio contractuum . . . . .	713
Art. II. De causis contractuum seu de contractibus « <i>in fieri</i> ».	
§ 1. De obiecto seu materia, circa quam contractus versatur . . . . .	715
§ 2. De personis contrahentibus seu de subiecto contractuum . . . . .	720
Punctum I. De filiis minoribus . . . . .	720

	Pag.
Punctum II. De uxoribus . . . . .	721
Punctum III. De interdictis . . . . .	722
§ 3. De consensu seu causa formali . . . . .	722
§ 4. De vitiis consensus . . . . .	725
Punctum I. De errore et dolo . . . . .	725
Punctum II. De metu in contractibus . . . . .	727
Art. III. De obligatione contractuum seu de contractibus «in facto esse» . . . . .	729
§ 1. De contractus obligatione substantiali . . . . .	729
§ 2. De obligationibus accidentalibus seu iis modificationibus, quae per se ad ipsam iustitiam pertinent . . . . .	734
§ 3. De obligatione iuramenti contractui adiecti eiusque influxu . . . . .	736
Caput II. De contractibus gratuitis.	
Art. I. De contractibus gratuitis unilateralibus . . . . .	738
§ 1. De promissione . . . . .	738
§ 2. De donatione . . . . .	740
Art. II. De contractibus gratuitis bilateralibus . . . . .	742
§ 1. De commodato et precario . . . . .	742
§ 2. De deposito et sequestro . . . . .	743
§ 3. De mandato et negotiorum gestione . . . . .	743
Caput III. De contractu mutui qui ex se gratuitis, per accidens onerosis contractibus adnumeratur, et de usura . . . . .	744
Art. I. De notione contractus mutui et usurae . . . . .	745
Art. II. Leges et iudicia Ecclesiae circa usuras et quodlibet fenus ex pecunia mutuo data.	
§ 1. Prohibitiones usurarum . . . . .	750
§ 2. Tituli, ex quibus Ecclesia et theologi fenus admiserunt . . . . .	753
Art. III. Ubertior declaratio iusti tituli fenus et diversae agendi rationis Ecclesiae ex hodierna pecuniae quasi-fertilitate et quasi-locatione. . . . .	757
Caput IV. De reliquis contractibus onerosis . . . . .	760
Art. I. De contractibus onerosis principalibus.	
§ 1. De emptione et venditione . . . . .	761
Punctum I. De natura contractus venditionis . . . . .	761
Punctum II. De re emptioni et venditioni subiecta . . . . .	763
Punctum III. De pretio in emptione et venditione . . . . .	766
§ 2. De contractu aestimatorio . . . . .	773
§ 3. De locatione et conductione, et de contr. operariorum . . . . .	773
Art. II. De contractibus onerosis subsidiariis . . . . .	780
§ 1. De fideiussione . . . . .	780
§ 2. De pignore . . . . .	780
§ 3. De hypotheca . . . . .	781
Art. III. De contractibus aleatoriis et lusoriis . . . . .	781
§ 1. De assecuratione generatim, spec. de assecur. contra incend., de assecuratione vitae, operariorum . . . . .	782
§ 2. De chirographorum aliarumque rerum, quae quoad valorem mutationi subiacent, mercatura apud bursam . . . . .	790
§ 3. De loteria . . . . .	791
§ 4. De sponsione . . . . .	791
§ 5. De ludo . . . . .	792

## PARTITIO II.

## De Successione Haereditaria.

Caput I. De notione et origine successionis . . . . .	794
Caput II. De haeredibus eorumque portione . . . . .	800

	Pag.
§ 1. De notione haeredum bonorumque inter eos divisione . . . . .	800
§ 2. De aliis haeredum iuribus et oneribus . . . . .	807
Caput III. De testamento . . . . .	809
§ 1. De testatore . . . . .	809
§ 2. De forma testamenti . . . . .	810
§ 3. De ipsius testamenti dispositionibus et clausulis . . . . .	812
§ 4. De causis et modis, quibus testamentum valore vel efficacia privatur . . . . .	814
§ 5. De testamenti executione . . . . .	815
<i>Appendix</i> praecipuorum peccatorum contra septimum decalogi praeceptum . . . . .	817

## TRACTATUS V.

## De officiis circa Bonum Famae et Honoris.

Caput I. De fama et honore proprio . . . . .	818
Caput II. De honore et fama aliena.	
Art. I. De obligatione circa honorem et famam alienam eiusque laesione.	
§ 1. De diffamatione . . . . .	820
§ 2. De iudicio temerario et suspicione . . . . .	827
§ 3. De contumelia . . . . .	829
Art. II. De restitutione ex fama et honoris laesione oriunda . . . . .	830
Caput III. De secreto generatim sumpto eiusque laesione . . . . .	833
<i>Appendix</i> praecipuorum peccatorum contra octavum decalogi praeceptum . . . . .	836

## TRACTATUS VI.

## De praeceptis Ecclesiae communibus.

Caput I. De diebus festivis sanctificandis . . . . .	837
Caput II. De annua Confessione et Communione . . . . .	838
Caput III. De lege abstinendae extra ieiunium . . . . .	841
Caput IV. De ieiunio ecclesiastico . . . . .	843
§ 1. Ad quid lex ieiunii obliget . . . . .	844
§ 2. Qui teneantur, qui non teneantur ad servandum ieiunium . . . . .	850
<i>Appendix</i> praecipuorum peccatorum contra praecepta Ecclesiae . . . . .	854
Dispensationes extraordinariae a S. Sede certis regionibus concessae . . . . .	854
Coronidis instar de diversa diversorum peccatorum gravitate principia quaedam statuuntur . . . . .	860
Index rerum huius voluminis . . . . .	869





# PROLEGOMENA.

## § I.

### *Definitio theologiae moralis.*

Omnis scientiae tractatio a definitione incipiat oportet. Cui praecepto ut satisfaciamus, theologiam moralem eam dicimus esse disciplinam, quae agit de actibus humanis, prout ordinem dicunt ad ultimum finem secundum revelationis christianae principia.

I. Explicatione ipsa rationem huius definitionis daturi sumus. Agit nimirum theologia moralis I. de moribus seu moralitate, unde *moralis* theologiae nomen traxit. Moralitas autem de iis tantum actibus enuntiari potest, ex quibus humanae vitae rectitudo pendet, qui videlicet aut cum rectitudinis norma congruunt sive congruere possunt, aut ab ea possunt deflectere. Norma autem omnis rectitudinis simpliciter dictae ab ultimo fine desumenda est. Quo fit, ut agi debeat de actibus humanis, *prout referuntur ad ultimum finem*, quatenus cum eo aut proportionem, aut disproportionem habent.

2. Secundo disciplina nostra de iis actibus non mere philosophice, sed theologice tractat; unde *theologia* moralis dicitur, scil. secundum principia Dei revelatione seu fide hominibus communicata aut confirmata.

«*Theologia, theologice*» sumitur hic sensu stricto, quatenus, quae tractantur, non tantum *res divinae* sunt, sed etiam *divinitus cognitae*; lato sensu etiam naturalis scientia de Deo et divinis rebus theologia (i. e. theologia naturalis) dicitur.

II. Definitio data magis explanatur, si theologiam moralem cum cognatis disciplinis conferimus.

I. Cum ethica naturali. A qua differt 1) *obiecto*. Utriusque scientiae obiectum, si in abstracto sumitur, sunt actus quidem humani comparati ad ultimum finem: verum finis ultimus ab utraque scientia consideratus non est idem. Ethica enim solum naturalem finem considerare potest. Theologia vero moralis *supernaturalem* finem considerat, qui unicus finis ultimus homini *re ipsa* praestitutus est atque naturalem finem includit quidem, at etiam excedit. Unde necesse est, relationem ad finem ultimum, prout a theologia morali aut ab ethica consideratur, in humanis actibus diversam esse.



Nihilominus in multis ambae disciplinae conveniunt. Obiectum sc. moralitatis bifariam dividitur, in bonum moraliter et malum. Quamquam igitur non ex eo, quod aliquid naturaliter bonum est, etiam supernaturalem bonitatem habet: tamen quod malum est ex discrepantia cum naturali fine et ex rationalis naturae principiis, id etiam secundum fidei principia et ex discrepantia cum fine supernaturali malum dici prorsus necesse est. Similiter, quae bona sunt naturaliter, etiam secundum fidei principia bona sunt, utut *sufficientem* bonitatem ad ultimum finem *comparandum non habent*.

2) Differt theologia moralis ab ethica — ut iam inuimus — principio seu *medio cognitionis*. Medium enim cognitionis ethicae est sola ratio seu natura rationalis. Theologia autem moralis altius medium et supremum principium habet fidem divinam, quae et novam cognitionem de moribus homini attulit, et ea, quae naturaliter cognoscuntur vel cognosci possunt, summa certitudine confirmavit.

Si autem fontes speciales quaeras, unde, quae in fide obiectiva continentur circa mores, hauriri possint et debeant, habes Sacram Scripturam, et Ecclesiae traditiones sub eius magisterio custoditas, adeoque Patrum testimonia et communem scholae catholicae sensum, atque imprimis, si editur, vivum oraculum supremi in Ecclesia magistri, qui, quando suprema auctoritate quaestionem definit, etiam in rebus morum infallibilis est.

At multa sunt in moralibus, quae definita non sint neque ita clare in revelationis fontibus contineantur. Quare plurima offeruntur, quae ratio, fide duce, inquirat, definiat, concludat, maxime particularia ex principiis inconcussis deducat.

2. Cum theologia dogmatica moralis theologia eatenus cohaeret, quod *ex eodem revelationis fonte* utraque et principalem doctrinam et certiore cognitionem haurit. In obiecto autem ita discrepat, ut theologia dogmatica veritates potius *speculativas* et altissimas tractet, aut si practicas, eas ipsas modo speculativo et remote practico, atque in perficiendo intellectu sistat; theologia vero moralis in speculativis non sistat, sed si eas quoque pertractat, mox tamen ad veritates *practicas*, seu quae agenda sunt, descendat, ac rationem ita perficit, ut proxime est directrix voluntatis et executionis.

Hinc sequitur, theologiam dogmaticam quodammodo fundamentum et *in se nobiliorem* esse eamque principaliter circa Deum versari, moralem circa hominem etsi ut comparatum et subiectum Deo; theologiam vero moralem, postquam necessarium fundamentum ex dogmate sumpsit, solum relative et *secundum quid dogmaticae praestare*, cum pro quotidiana huius vitae praxi, cuius perfectio in *agendo* consistat, magis sit necessaria, et propius ad finis ultimi consecutionem viam muniat.

Hinc est, quod haec disciplina a theologo multum colenda est et quod *Ben. XIV*, De syn. l. 13, cap. 9, n. 17, sensum Ecclesiae explicans, dicit, canonicum theologum, de quo Trid. sess. 5, cap. 1 sta-



tuerit, laudabiliter constitui eum, qui saltem etiam theologiam moralem tradat; lectionem vero Sacrae Scripturae, de qua ibi sermo est, posse intelligi tum exegesim tum scholasticae theologiae tractationem.

## § 2.

### *Utilitas moralis theologiae.*

Nobilitate obiecti appropriationis moralis theologia, ut dixi, a dogmatica vincitur; at post dogmaticam tractat obiectum nobilissimum, immo obiectum, quo nullum magis homini est proprium et accommodatum. Quare si solam rerum tractandarum cognitionem et scientiam spectamus, certe vix quidquam homine dignius est, nisi ut humanas actiones perscrutetur atque earum cum fine suo necessitudinem apprime intelligat: quod ipsi antiqui illi philosophi cognoverunt, summam humanae scientiae brevissima illa sententia complectentes: «Γνωθι σεαυτόν».

Verum hominem christianum etiam longe alia ratio ad hanc morum scientiam impellere debet, cum ipsi persuasum sit, a recta morum compositione ad normam divinitus datam aeternam suam felicitatem eamque abundantiorē dependere, adeoque totam hanc terrestrem vitam eiusque finem situm plane esse in expoliendis perficiendisque moribus christianis, quo copiosius in altera vita supernaturali beatitudine et ipse perfruat et Deum glorificet.

Accedit autem summa plane necessitas huius disciplinae in iis, quibus cura animarum demandata est. Nam eorum imprimis est, accurate singularum actionum humanarum necessitudinem cum ultimo fine inquisivisse, quo alios dirigere, monere, promovere possint. Atque eo melius in hac scientia versati esse debent, quo periculosius in directione animarum erratur, sive ad nimium rigorem, sive ad nimiam benignitatem deflexeris, et quo expeditius plerumque responsum dari debet, eo quod totum negotium in confessionis tribunali fere absolvitur, ita ut retractari, obstante sigillo, vix possit, neque sit, qui errantem possit corrigere.

Contra autem nulla alia scientia subsidium tam immediatum et aptum est ad colligendos fructus divinae gloriae et animarum salutis, quam scientia theologiae moralis, quo confessarii aliique in curam animarum incumbentes tamquam necessario instrumento utuntur ad munus suum rite obeundum: neque ulla in re Deo tam intime cooperantur, quam cum gratiae divinae recipiendae, conservandae, augendae perite disponunt mortalium animos ipsaque munera coelestia recte dispensant.

## § 3.

### *Modus materiam tractandi.*

Theologia moralis, quoniam principaliter in formandos atque instituendos confessarios dirigitur, ita scientificè et speculative tractanda est, ut non desinat esse practica.

A longa igitur et uberiore rerum theoreticarum explanatione generatim abstinemus: at brevi saltem ratione omnia illustrare conabimur, nisi quae aut ex se clara sunt aut ex aliis disciplinis comprobatis sumi debent.

Quo facilius et expeditius sit infinitarum fere rerum singularum explanatio, ita procedemus, ut primo in quolibet capite vel paragrapho principia statuamus, deinde fere singulorum principiorum vel assertionum maiorem explicationem et ad singula applicationem addamus. Ita fiet, ut omnia ad sua principia revocentur et ratio singulorum perspiciatur. Quam nisi intellexeris, solutionem multarum difficultatum quaestionum ut indigestam molem sive in libris sive memoria tenere possis, intellectu perspicere vix possis.

Ad practicam quidem utilitatem conferre mihi visum est, post singula maiora capita notari praecipua peccata, quae in materia explicata committi possint: haec enim brevissima summa quaedam est, qua collecta habeantur, quae usu venire frequentius soleant.

Utile fuerat ad usum rerum magis demonstrandum post explanata et applicata principia casibus additis applicationem augeri: verum volumen huius operis nimis excrevisset; quapropter distinctis voluminibus, quae inscribuntur «*Casus conscientiae*», eo tractandi modo hoc opus complevi.

#### § 4.

##### *Divisio totius tractationis.*

Definitio theologiae moralis supra data tria suppeditat, quibus nostrae disciplinae materia absolvitur: *finem hominis, actus humanos, horum actuum ad finem relationem*: quorum duo priora sunt obiecta quaedam praeambula, posterius praecipuum ac proprium.

*Finis* qui sit, sive naturali conditione creaturarum, sive Dei gratiâ homini praestitutus, necesse prorsus est, ut ante omnia attendatur. Sufficit tamen ex dogmatica theologia sumpsisse: Deum naturalem creaturae rationalis exigentiam, qua dirigatur ad beatam aliquam Dei cognitionem et possessionem, infinite supergressum esse, cum ab initio constitueret supernaturalem homini finem in intuitiva ipsius Dei visione, quam nulla creatura iure suo sibi exigere potest; eundem Deum rursus hominem, immo totum hominum genus in protoparente misere lapsum, misericordia immensa per proprium Filium suum in humana natura assumpta redemisse atque in supernaturalem ordinem abundantius restituisse. De cetero summa capita eorum quae fides circa finem nos docet, in capite praeambulo colligentur.

Alterum elementum, quod considerari debet, sunt *actus humani*. Quidquid autem de iis in se spectatis, de eorum natura atque causa efficiente considerandum occurrit, etsi fuse in ethica, et ex parte in dogmatica theologia docetur, ubi de virtutibus infusis agitur, tamen, quoniam relationis actuum humanorum ad finem ultimum recta cognitio non habetur, nisi menti alte impressa est ipsorum actuum et physice

et psychologicae consideratorum notitia: supervacaneum non est, ea, quae ethica et dogmatica exponit, breviter hîc tamquam in uno conspectu poni, idque eo magis, quia in hac nostra tractatione complura notanda occurrent, quae summi ad vitam moresque momenti sint, at in dogmate praetermitti fere soleant.

Quae quando breviter expedita fuerint, ad *praecipuum* disciplinae nostrae *obiectum*, *relationem dico actuum ad ultimum finem*, transeundum erit, idque tum generatim, tum singulatim diligenter exponendum. Primum autem consideranti occurrunt generales notiones huius relationis, seu *notio moralitatis*, adeoque tum convenientiae, tum discrepantiae cum ultimo fine, tum etiam indifferentiae. Qua notione habita, *regula* sive norma spectanda est, unde pendeat et unde cognoscatur moralis illa harmonia aut disharmonia cum ultimo fine, aliis verbis, unde sit et unde cognoscatur, cur et quomodo et quaenam sint moraliter bona, quaenam moraliter mala: quod praestabunt regulae duae, *subiectiva* una, altera *obiectiva*, vel una proxima, remota altera, scilicet *conscientia* et *lex*.

Cum duarum illarum regularum notione intime cohaeret generalium principiorum circa harum regularum observantiam et laesionem, scil. *virtutum et peccatorum generalis* cognitio et tractatio.

Reliqua, eaque longe maxima et ad usum vitae potissima pars in inquirendis *singulis legibus*, *singulis virtutibus* et *peccatis* consistit, et in considerandis *adiumentis*, quae Deo dante homini praesto sunt ad praecpta legis moralis implenda. Hanc nimirum *theologia moralis specialis* sibi tractationem assumit; priora omnia pars generalis complectitur.

Igitur parte *generali* agendum est post *caput praeambulum* de *fine hominis*:

1. de *actibus humanis* et *moralitatis natura* et *conditionibus*;
  2. de *regulis actuum humanorum*, scil. de *conscientia* et de *legibus*;
  3. de *virtutum* et *peccatorum generibus*.
-



Capitulum primum

De Deo.

# THEOLOGIA MORALIS GENERALIS.

---

## LIBER UNICUS.



## Caput praeambulum.

### De fine.

Omnis actus tendit in aliquod bonum ut finem obtinendum, aut in eo quiescit ut obtento. Idque in ipsis actionibus naturalibus et necessariis verum est. Attamen in actibus naturalibus et necessariis ipsa agentia potius aguntur quam agunt, a natura seu naturae auctore potius in finem diriguntur atque determinantur; sola entia rationalia, his in terris homines, libere se dirigunt atque ipsi vero et perfecto sensu in bonum seu in finem *tendant*. Verum ut recte seu bene agant, in *rectum* finem tendere debent. Quapropter in tractandis moribus atque in theologia morali tractanda summi momenti est atque res quae pro fundamento omnis tractationis esse debeat, ut cognoscatur qui sit finis actionum humanarum, imprimis qui sit hominis finis ultimus, ad quem ipse omnesque eius actus ultimatim sint dirigendi.

Qui sane alius finis non est nisi is, ad quem homo a Deo est conditus. Id enim tum ex ratione, tum ex ipsis primis Sacrae Scripturae paginis pro explorato sumi debet, Deum esse, cui omnia quae extra Deum sunt, etiam homines, essentialiter subiecta sunt, cum omnimoda in τῷ esse, conservari, agere dependentia.

Quo plenius igitur ultimus finis hominis cognoscatur, convenit eum considerare I ex parte Dei, II ex parte ipsius hominis.

**Notiones praeviae.** *Finis* in genere dicitur id, in quod agens<sup>2</sup> vel actio tendit. Hinc *f. proximus* id, in quod immediate tenditur; *f. ultimus* id, quod ultimatim intenditur et ad quod alii fines (proximus et *intermedii*) referuntur; quodsi ulterior ad aliud quidquam tendentia excluditur, habetur *f. positive ultimus*; si vero ulterior tendentia deest quidem nunc re ipsa, at non excluditur, immo pro data occasione adfuerit vel futura esse possit, *f. negative ultimus* est.

Distinguitur etiam *f. operis* et *f. operantis* — hic *subiectivus*, prior *obiectivus*. *F. operis* is est, in quem res natura sua destinata est et tendit; isque est *internus*, quatenus in ipso opere seu re absolvitur, in eius evolutione et perfectione; *externus*, si ad aliud quid extra opus refertur. *F. operantis* illud est, quod agens in condendo opere, exercenda actione intendit: qui ex conceptu suo pro opere est finis *externus*, potest quidem idem esse atque finis operis, immo in sapienter agente finis operis saltem etiam est finis operantis, attamen non semper finis operantis ultimus, cum operans possit actionem suam et opus ad ulteriora referre.



Praeterea distinguitur: *finis qui*, i. e. illud obiectum quod intenditur; *finis cui*, i. e. subiectum in cuius commodum vel cuius gratia obiectum illud intenditur; *finis quo* seu *formalis*, i. e. ea actio, qua obiectum intentum obtinetur seu possidetur.

### § 1.

#### *De fine ultimo creationis ex parte Dei creatantis seu operantis.*

3 Si quaeritur de ultimo fine, quem habuerit vel habeat Deus in creando homine, vel ad quem finem homo creatus sit: quaeritur re ipsa de ultimo fine creationis et creaturae universim, si quidem *ultimus* totius creaturae finis unus idemque est atque per solas creaturas rationales utpote aliis omnibus superiores attingitur.

Generatim quidem distinguitur finis subiectivus et obiectivus, seu operantis et operis. Subiectivum autem *finem* proprie dictum seu bonum, quod assequi nitatur, Deus in suis actionibus habere non potest, cum omnia bona plenissime possideat seu potius omnis boni plenitudo sit. Sermo tamen potest esse de *ratione motiva* per modum finis operantis, videlicet quae sit illa ratio motiva in Deo, cur creaverit. Haec enim dicitur secundum nostrum loquendi modum finis Dei operantis. De quo ut breviter dicam, statuam hoc assertum:

Dico I. Ultimus finis Dei operantis in creatione seu ultimus finis creatoris est ipsa Dei gloria intrinseca.

Quod constat 1° ex S. Scriptura. Prv 16, 4 dicitur: «Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.» Illud «propter semetipsum» aut dicit utilitatem Dei, aut externam gloriam, aut bonum Dei intrinsecum seu gloriam internam. Verum prior et alter sensus sumi nequit. Nam verba illa 1) certe intelligi nequeunt, quasi Deus propter suam utilitatem creasset quam quaereret; nam sibi ipse, ut antea dixi, est fons omnis boni et omnis Esse, alioquin non esset Deus: quare dicitur Ps 15, 2: «Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.» 2) Neque verba supra allata intelliguntur recte de gloria externa. Quamquam enim etiam, si ita sumerentur, aliquo sensu vero Deus propter semetipsum operatus esse diceretur, eo quod gloria externa sit eatenus aliquid Dei, quatenus haec gloria Deo essentialiter debita est: tamen non sensu absoluto et perfecto diceretur operatus esse propter seipsum, eo quod gloria Dei externa demum non sit ipse Deus, sed formaliter extra Deum, neque Deus ea perfici possit.

4 2° ratione. Ratio movens in Deo, cur sit agens ad extra vel non agens, non potest quidquam extra Deum esse; alioquin dependeret ab aliquo extra se — quod repugnat. Sed in ipsa Dei essentia situm esse debet, cur possit sine ulla sui mutatione pro liberrima voluntate creare vel non creare. Aliis verbis: ratio movens ad creandum debet in se ipsa seu in Deo illud idem esse, quae esset ratio movens, si Deus non creasset; alioquin Deus aut non potuisset non creare seu



creasset non libere, aut Deus per creationem aliquid acquireret: quorum neutrum dici potest. Verum illud, quod idem tam ratio motiva creandi quam ratio motiva non-creandi esse potest, non est nisi interna Dei gloria in exercitio libertatis seu agnitio et complacentia ipsius Dei in sua infinita perfectione. Videlicet sive Deus creat sive non creat, ratio, cur creet aut non creet, quaerenda est in ipso inexhausto fonte τοῦ ἔσσε Dei seu in infinita eius bonitate, sed, prout creat aut non creat, *sub diverso respectu*.

Inexhausta illa bonitas seu essendi plenitudo est *summe communicabilis* seu imitabilis ad extra, cum Deus sese communicare possit *indefinite* per creationem entium dependentium. At ipsa illa bonitas infinita seu essendi plenitudo est etiam *summe sibi sufficiens*. Haec summa sui sufficientia bonitatis Dei ratio est, cur Deus *possit* omnino non creare, et esset ratio, cur re ipsa non crearet, si ab omni creatione re vera abstinisset. Ergo eadem Dei bonitas, quae est ratio creandi propter suam summam communicabilitatem, esset ratio non-creandi, si Deus re ipsa non creasset, propter summam sui sufficientiam.

*Catech. Romanus* P. I, c. 2, n. 15 dicit: «Deus . . . mundum . . . ex nihilo creavit, idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit. Neque vero ulla alia fuit causa, quae illum ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam impertiretur.»

## § 2.

*De ultimo fine creationis obiectivo, qui recte dicitur finis operis vel finis, ad quem Deus hominem omnemque creaturam condiderit.*

Aliter loquendum est de fine ultimo creationis obiectivo. Qui proprio sensu finis Dei dici potest, scilicet, ut verbis S. Thomae Aquinatis utar, non illud propter quod Deus creaturam vult, sed illud propter quod creaturam esse Deus vult. De quo:

Dico II. Ultimus finis obiectivus creationis, adeoque etiam hominis, est gloria Dei externa, eaque per beatitudinem hominis formaliter attingenda.

Praevie notanda. Gloria Dei *materialiter* habetur eo quod ad extra prodatur Dei magnitudo, potentia, sapientia etc., quod fit qualibet creatione vel operatione Dei ad extra. Omnia enim quae facit eum monstrant ut potentem, sapientem, bonum, ita ut S. Paulus scribat Rom 1, 20: «Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas.» — *Formaliter* autem habetur gloria Dei, quando haec Dei potentia, sapientia, maiestas cognoscitur et agnoscitur cum subiectione et laude. Quod fieri nequit nisi per creaturas racionales. Hae igitur naturaliter et per se eodem modo ut creaturae irrationales ad Dei gloriam materialiter spectatam conferunt, sive Dei maiestatem agnoscant eique se subiciant, sive pessima voluntate eam nolint agnoscere, immo aeternam damnationem sustineant — ita enim manifestant Dei

infinitam iustitiam eamque inviti glorificant; formaliter autem Deum glorificant, qui Dei maiestatem, his in terris quidem imperfecte, libera subiectione agnoscunt, reverentur, amant, in altera vita seu in termino ultimo constituti indefectibiliter et ineluctabiliter perfecte eum cognoscunt et amant eiusque perpetua possessione fruuntur. Unde patet ultimum hunc finem, in quem Deus omnia condidit, immo, si creare voluerit, condere debuit, ab homine etiam subiective intendendum et prosequendum libere esse, ne summo officio desit.

Assertio constat plane tum ex ratione tum ex revelatione.

6 1. Ille certe est finis ultimus creationis, in quem Deus sapientissime agens opera sua ordinavit. Atqui persaepe Deus testatur hanc ordinationem esse in suam gloriam. Ita Is 43, 7: «Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum»; ib. v. 20 21: «Glorificabit me bestia agri, dacrones et struthiones . . . Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.» Similiter Ps 18, 2: «Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius enuntiat firmamentum.» Idem de singulis Dei operibus passim praedicatur, v. g. Ps 105, 8: «Et salvavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam»; Ex 14, 17 sq: «Glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu eius, et in curribus et in equitibus illius. Et scient Aegyptii quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus atque in equitibus illius.» Is 48, 9 sqq: «Propter nomen meum longe faciam furorem meum: et laude mea infrenabo te, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem: et gloriam meam alteri non dabo», et 49, 3: «Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.» Similiter ipse Christus de nativitate caeci nati eiusque causa interrogatus, respondit Io 9, 3: «Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.»

7 2. Ille dicendus est finis ultimus, qui revera est exitus omnium rerum. Ad hunc enim certe Deus sapientissimus ordinator et gubernator omnium omnia re ipsa *ordinavit*; secus careret — quod impium est cogitare — aut sapientia aut potentia. Verum finis omnium rerum in eo est, ut Deo omnia sint subiecta, Deusque regnet in omnibus et supra omnia et in omnibus glorificetur. Praeclare id describit S. Paulus 1 Cor 15, 24 sqq: «Deinde *fnis*: cum tradiderit [Christus] regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors: 'Omnia enim subiecit sub pedibus eius'. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei: sine dubio praeter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.»

3. Aliis verbis: Ille sine dubio est finis ultimus creationis, qui est finis ultimae consummationis rerum, scil. praedestinationis et consummationis iustorum atque etiam malorum finalis reprobationis. At hanc

ipsam finalem bonorum et malorum consummationem S. Scriptura docet fieri in laudem et gloriam Dei. Quod relate ad iustos vivide describit Apostolus Eph 1, 5—14: «Qui [Deus] praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem omnium peccatorum, secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt, in ipso: in quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae: *ut simus in laudem gloriae eius nos*, qui ante speravimus in Christo: in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestrae), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est *pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.*» En suprema Dei opera, teste Scriptura, diriguntur seu fiunt *in laudem gloriae ipsius.*

Ipsorum quoque malorum reprobatio, seu permissio interitus eorum finalis ad gloriam Dei dirigitur: «Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa irae, apta ad interitum.» (Rom 9, 22.)

4. Ille certe rectus finis ultimus est, in quem Christus Dominus sua opera in terris dirigebat et in quem nos omnia opera dirigere S. Scriptura docet: at ille est Dei glorificatio.

Io 17, 4 hanc Dei glorificationem ita exhibet tamquam finem operum Christi, ut per eam opus suum quod ei Pater mandaverat expleret; vel potius Christus ipse id opus suum esse declarat, cum in oratione illa sollempni pontificali dicat: «Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.» — S. Paulus vero I Cor 10, 31 adhortatur fideles: «Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.»

Gloriam autem Dei finaliter attingendam consistere in ipsa beatitudine hominis breviter exprimit S. Paulus Rom 6, 22, cum dicat: «habetis fructum vestrum in sanctificationem, *finem vero vitam aeternam*»; 'vitam aeternam' autem dicere cumulum omnium bonorum seu plenam beatitudinem, res est notissima.

5. Ultimus finis auctoris naturae ille esse debet, qui naturaliter resultat ex eo, ad quod nobilissima creatura natura sua ultimatim tendit. Id vero est Dei gloria.

Videlicet ad quod creatura natura ultimatim tendit, is est creaturae finis ab auctore inditus adeoque volitus: alias auctor naturae sibi ipse contradiceret. Verum ultima tendentia seu ultimus finis habetur ex naturali tendentia eius creaturae, propter quam aliae conditae sunt, i. e. ex naturali tendentia ultima hominis. Naturaliter autem quod-

libet ens tendit ad sui perfectionem; ergo homo, ut ens rationale, ad perfectum statum entis rationalis seu ad perfectam cognitionem perfectumque boni amorem. Perfectus autem status rationalis non habetur nisi perfecta, in quantum homini possibilis est, causae primae seu Dei cognitione respondentique amore. In qua cognitione et amore formaliter consistit Dei gloria.

- 10 Notanda. 1. Perfectio seu beatitudo hominis recte dicitur finis ultimus creationis secundarius. Nam a) haec re vera a Deo Creatore intenditur, idque non materialiter tantum, sed etiam formaliter. Repugnat enim Dei bonitati, non velle ipsum bonum creaturae, seu eodem modo velle reprobationem extremumque malum hominum pravorum ad ostendendam suam iustitiam, atque iustorum beatificationem ad ostendendam bonitatem. Ultimum vult per se, prius non vult nisi per accidens et consequenter ad praevisam obstinationem finalem hominum in malo. b) Felicitatem hominum vult Deus *secundario*; nam hanc ipsam debet, utpote ens supremum cui omnia subiecta sint essentialiter, ad se referre; se suamque gloriam debet intendere *primario* ut *a* et *ω* omnium rerum.

2. In hoc erraverunt Hermes et Günther, quod hanc primariam propriae gloriae voluntatem in Deo putaverunt esse ambitionem moraliter vitiosam atque propterea a Deo relegandam; Deum propter moralem perfectionem non posse nisi gratuito aliis bene velle. Omnino enim perperam haec propriae gloriae volitio ambitio vocatur, atque perperam gratuita benevolentia Dei ergo creaturas negatur vel in dubium vocatur. Ambitio enim est indebita et inordinata proprii honoris gloriaeque appetentia: verum Deo *omnis honor et gloria* est maxime debitus; eiusque gloriae amor in Deo, qui essentialiter ordo est, est ordinatissimus, immo maxima esset inordinatio Dei gloriam non praeferre creaturarum felicitati.

Amor autem Dei vel benevolentia erga creaturas est plane gratuitus. Nihil enim utilitatis seu boni ipsi Deo ex creaturis earumque laudibus accrescere potest. Gloriam autem suam externam Deus vult et velle debet, non quod haec sibi aliquid boni proprie dicti afferat, sed quia rectus ordo eam omnino postulat: eo ipso quod sit *externa gloria*, Deum proprie non tangit, sed verissime bonum summum eorum, qui eam Deo deferunt, constituit.

Verum expedit, ut iam ultimus finis hominis, qua formaliter finis hominis est, intimius inspiciatur.

### § 3.

#### *De fine ultimo hominis interno.*

- 11 Dico III. Ex parte hominis eius ultimus finis internus est perfecta beatitudo in possessione Dei obtinenda.

*Prima pars assertionis*, videlicet esse ultimum finem hominis internum in eius plena beatitudine collocandum, facillima demonstratione



patet. Finis enim intrinsecus rei ipsa eius naturali et necessaria tendentia manifestatur. Omne autem ens quod non *est* perfectum, tendit ad sui perfectionem; neque ens rationale ab ulteriore tendentia, quam sciens et volens exercet, sistit, quamdiu cognovit superesse ulteriora bona quae assequi possit. Ergo natura duce homo tendit ad statum perfectum, in quo, consecutus omnia bona sibi convenientia, possit conquiescere. Quod nihil aliud est, nisi tendere in beatitudinem ut ultimum finem.

Haec est enim *beatitudinis* secundum Boëthium definitio: «status omnium bonorum aggregatione perfectus». Aliis verbis eadem significantibus secundum *S. Greg. Nyssenum* (De beatit. orat.; MG 44, 1195) definitur «comprehensio quaedam omnium earum rerum quae nomine boni intelliguntur, a qua nihil abest eorum, quae pertinent ad bonorum desiderium atque cupiditatem»; vel cum *S. Thom.* I, 2, q. 5, a. 3 4 «perfectum ac sufficiens bonum, omne malum excludens et omne desiderium implens».

Nisus autem ille atque naturalis tendentia ineluctabilis simul demonstratio est, eiusmodi statum beatum et ex omni parte felicem re vera obtineri posse, neque ab illo consequendo eum excludi, qui mores suos constanter recte composuerit seu ordini recti actionibus suis non contradixerit. Quare si naturales vires hominis, sicuti nunc sunt, ad eum statum assequendum non sufficiant, Deus auctor naturae certe supplebit, ne quis sine sua culpa a finali sua beatudine excludatur. Repugnat enim Dei sapientiae et veritati, nisum inexstinguibilem desideriumque innatum frustra in rationalem naturam inserere, atque mendacem tendentiam in eo infigere.

*Altera pars assertionis* assignat obiectum cuius adeptioe homo<sup>12</sup> beatus sit et sine cuius adeptioe non possit esse beatus. Per ipsam Dei visionem et fruitionem hominem vere beari, de fide definita est: de quo infra. Abstrahitur autem interim a *modo* quo homo Deum adipisci atque per eum beari possit et re vera beetur. Si vero statuitur, beatitudinem non haberi nisi Dei adeptioe, eo ipso dicitur, eam non esse in hac vita, sed solummodo post mortem in altera vita attingendam.

Si dicitur Deus obiectum beatitudinis, non negatur, de facto simul cum Deo etiam alia esse quibus gaudeamus et fruamur in altera vita, quae non sunt obiectum necessarium. Immo non negatur necessaria etiam esse quaedam creata, quibus indigeamus ut Deum possimus possidere eoque frui; sed haec, etsi necessaria sunt, non sunt necessaria ut obiecta.

Probatur 1° ex *S. Scriptura*, quae, ut notum est, beatitudinem finalem voce «vitae aeternae» nominare solet. Iam vero hanc non in bonis quibuscumque huius mundi, scil. neque in mundanis deliciis neque in divitiis neque in honoribus vel super alios elatione, sed in Deo haberi saepissime dicit:

I Io 2, 15 sqq: «Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam

omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum . . . (v. 25): Et haec est repositio quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam»; similiter 5, 11 sqq: «Vitam aeternam dedit nobis Deus. Et haec vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.»

Apud Mt 5, 3 sqq beatitudines quas Christus praedicat eae vocantur, quod per illas praemium comparetur beatitudinis aeternae. Sed hoc praemium diversis nominibus ut possessio Dei vel intima cum eo coniunctio exhibetur: «Deum videbunt», «filii Dei vocabuntur» («si autem filii, et heredes», Rom 8, 17): atque ita quidquid desiderari potest, obtinetur; nam: «saturabuntur, consolabuntur, misericordiam consequentur», seu ab omni malo liberabuntur atque omni bono fruentur.

Nihil frequentius est in S. Scriptura, quam finalem beatitudinem vocare «regnum coelorum» (Mt 5, 10 20; 7, 21; 8, 11), ubi homines beati erunt sicut angeli Dei (Mc 12, 25): sed angelorum finalis beatitudo est visio Dei; «Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est» (Mt 18, 10).

S. Paulus brevissime comprehendit ultimam suam tendentiam hoc verbo «desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo» (Phil 1, 23), atque in ea cum Christo et Deo coniunctionem esse finalem beatitudinem, «et sic semper cum Domino erimus» (1 Thess 4, 16).

13 2° Traditio PP. id planissime exprimit.

S. Aug., Confess. l. 1, c. 1: Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te», et De moribus Eccl. l. 1, c. 6, n. 10 (ML 32, 661 et 1315): «Deus igitur restat, quem si sequimur, bene, si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus.» S. Greg. M. in Evang. hom. 37, n. 1 (ML 76, 1275) alteram vitam in qua finem nostrum attingimus ita describit: «Quae autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae civitatis quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae Conditoris assistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptionem lumen videre?»

3° Definitio Ecclesiae habetur ex Const. «Benedictus Deus» d. 29 Ian. 1336: «Auctoritate Apostolica definimus: quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium . . . divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam, et etiam illorum, qui postea decedent, eandem divinam videbunt essentiam etc.»

14 4° Ratio huius assertionis plana est. Nam ex una parte quamdiu non ipse Deus cognoscitur, homini qui ad ultimas causas cognoscendas progredi desiderat, semper superest, quod ultra inquiret et desideret; ergo sine Dei ipsius cognitione perfecte satiatus et quietus esse non potest: quae autem Dei cognitio requiratur et sufficiat, non est huius

loci magis inquirere; certe non sufficit obscura illa, quae in hac vita possibilis est, cognitio, sed debet esse quaedam Dei *possessio* et *fruitio*.

Ex altera parte dici debet, Dei cognitionem et possessionem ita perfectam esse posse, ut hominis facultates plene satiet. Cum enim Deus revera *sit* omne bonum et fons bonorum inexhaustus, qui Deum possidet, nullo bono amplius indiget. Quod imprimis clarum est circa satietatem facultatum spiritualium, quas cognitione et amore Dei penitus expleri et beari facillime intelligitur; ac proinde de beatitudine animae a corpore separatae per solius Dei cognitionem et amorem difficultas seria moveri nequit. Si qua vero difficultas oriri posse videatur ex sensitiva parte hominis, dicendum est, sensibilitatem et corporeitatem subordinari ut medium spiritualitati seu rationalitati: quare mirum non fuerit, si medium hoc plane cessaverit, cum pars rationalis hominis plene fuerit satiatus et beatus. Alioquin, si statuas fore resurrectionem corporum, debes fateri: cum Deus bona sensibilia eminenter in se contineat, ex Dei possessione plenam sensuum satisfactionem sequi, adeoque eo ipso quod Deus possideatur totius hominis beatitudinem adfuturam esse.

Scholion I. Hanc autem suam perfectionem seu beatitudinem <sup>15</sup> homo, ut ordinate agat, ad ipsius Dei gloriam referre debet.

Nimirum omnis creatura, adeoque maxime supremi gradus creatura eaque in statu perfectionis, ad Deum Deique gloriam referri debet, cum essentialiter *Ipsius* sit.

Servus in iis, in quibus servus est, potius ad dominum pertinet quam ad seipsum, potius obsequio domini sui servire debet quam rebus suis. Atqui homo, etiam beatus, essentialiter est servus Dei, idque secundum totum suum Esse. Ergo se et omnia sua in obsequium Dei dirigere debet, quod aliud esse nequit nisi Dei laus et glorificatio.

Paucis: Iisdem actibus — ut modo clarius patebit — habebitur et formalis hominis beatitudo et formalis Dei glorificatio. Sed si quaeritur, quinam in illis actibus hominem beatibus et Deum glorificantibus respectus potior sit, qui secundum rectum ordinem intendi vel approbari debeat: dicendum est, Dei glorificationem esse rationem primariam et supremam, secundariam et subordinatam ipsius hominis beatificationem. Idque praeclare exhibet S. Paulus de ipsa Christi humanitate 1 Cor 15, 28: «Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus».

Scholion II. Formalis beatitudo hominis consistit in vitali eius <sup>16</sup> operatione.

Non defuerunt quidem theologi, qui putarent, formalem beatitudinem non fieri per aliquid creatum, sed per ipsum Deum sine effectu aliquo creato homini coniunctum: quam opinionem aliqui attribuunt Henrico Gandav., sed perperam (cf. *Suarez* 1. c. disp. 6, sect. 1, n. 1).

Quae assertio facile probatur per exclusionem aliorum modorum qui cogitari possint.



Nam haec unio cum Deo beans fit aut sola inexistencia Dei, aut unione personali vel substantiali, aut creato aliquo dono habituali animae communicatae, aut actuali operatione. Verum

a) sola inexistencia Dei sine aliqua mutatione animae seu dono ei collato non sufficit ad beandam animam; siquidem etiamnunc Deus essentialiter intime inexistit, neque tamen beati sumus; immo intime inexistit ipsis damnatis;

b) unio hypostatica singularis est in Christo, neque alii ad eam unionem assumuntur; substantialis autem unio inter Dei essentiam et essentiam animae cogitari nequit, quin in contradictoria et absurda incidat;

c) creata dona habitualia, quae sane non aberunt in statu beatitudinis, per se non sufficiunt, ut anima sit beata: summum enim haec sunt ad instar facultatum vel eas exornant; verum beatitudo non est nisi in ultima animae perfectione, ultima autem perfectio non est nisi in *operatione* facultatum, facultates enim sunt *ad operandum*.

Ergo nihil relinquitur, nisi ut beatitudo formalis constituatur in nobilissima animae operatione: utut alia dona habitualiter animae inhaerentia praerequiruntur.

#### § 4.

##### *De beatitudinis perennitate et supernaturalitate.*

17 Beatitudo finalis iustorum quae perpetua esse, debet re ipsa non naturalis tantum, sed supernaturalis est.

I pars de perpetuitate est plane de fide. Nam status beatorum non solum vocatur «*vita aeterna*» (Mt 19, 16; 25 46; Io 6, 40 etc.), sed etiam «*incorruptibilis hereditas et immarcessibilis*» (cf. I Petr 1, 4); «*gaudium quod nemo tollet*» (cf. Io 16, 22); quod *semper* erit (cf. I Thess 4, 16) et «*qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius*» (Apc 3, 12) etc.

Tota Ecclesiae traditio hanc doctrinam apertissime docet, ita ut nihil doceat clarius. (Cf. S. Aug., De Trin. l. 13, c. 8 [ML 42, 1022]: «*Cum ergo beati esse omnes homines velint, si vere volunt, profecto et immortales esse volunt: alias enim beati esse non possunt. . . . Nullo modo igitur esse potest vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna*»; S. Greg. M. in Ev. hom. 37: «*incorruptionis perpetuae munere laetari*»; Catechism. Rom. P. I, c. 13, n. 3.)

Ratio ipsa id postulat. Nam 1) conceptus beatitudinis includit absentiam omnis mali eiusque timoris, atque securam possessionem omnis boni convenientis. Sed nisi beati conscii sibi sint perpetuae durationis sui status, maximo malo eiusque timore cruciarentur. 2) Visionem Dei intuitivam beati necessario retinent, neque eam deponere neque ullum peccatum committere possunt, ut postea fusius dicitur; ergo neque physice neque demeritorie amittere umquam possunt actum beatificantem.

18 Etiam II pars de supernaturalitate plane est de fide.

Praenotanda. Supernaturale quid est? Vi vocis est id quod superat naturam entis de quo agitur, vid. et eius vires quas habet, et eius exigentiam i. e. id quod secundum Dei sapientiam aliave divina attributa ei debetur. Si non res ipsa, modus tamen quo res illa efficitur vires et exigentiam entis superat, habetur supernaturale quoad modum tantum; aliter supernaturale quoad substantiam.

Stricte sumptum supernaturale illud est, quod vires et exigentiam cuiusvis creaturae superat. Et hoc sensu beatitudo finalis iustorum revera est supernaturalis quoad substantiam. Contraria Baii doctrina compluribus thesibus damnata est a S. Pio V, Gregor. XIII, Urbano VIII (cf. *Denz.*, Enchir. n. 883 884 885 891 897 901 903 — *D.-B.* n. 1003—1005 1011 1017 1021 1023), imprimis damnatione thesis 21<sup>ae</sup> Baianae (*Denz.* n. 901 — *D.-B.* n. 1021): »Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.»

Idem ex historia Pelagianismi et Semipelagianismi atque ex harum doctrinarum impugnatione (imprimis per Concil. Arausic. II anni 529 a Bonifacio II confirmatum) patet. Patres enim Ecclesiae Romanae Pontifices nihil antiquius habuerunt, nisi ut insisterent in omnimoda impossibilitate hominis asserenda quidquam faciendi vel immo cogitandi, sicut expedit ad salutem, solis viribus naturae sine illuminatione et inspiratione *gratiae* Spiritus Sancti: quod absurdum esset, si salus aeterna seu finalis beatitudo esset naturalis tantum; naturaliter enim bona saltem complura vel aliqua ab homine fieri posse sine Spiritus Sancti gratia in confesso est.

Et revera Sacra Scriptura beatitudinem nostram finalem ita delineare<sup>19</sup> consuevit, ut ea descriptio superet omne id quod creatura quaecumque ex natura sua praetendere possit. Creatura enim quaecumque natura sua est Dei serva, Deo infinite inferior. Quodsi igitur conditio hominis finalis exhibetur ut Deo quasi aequalis, ut translatio hominis in familiam Dei tamquam filii et heredis, similiter: haec et vires hominis eiusque debitum plane superare, ideoque supernaturalem conditionem designare, dicere necesse est.

Ita 1 Io 3, 1 sq: «Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus . . . Carissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est», et v. 9: «Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet» (quid vero aliud illud «semen Dei» in nobis efficiet nisi in finali statu nos transformet, ut quodammodo dii simus!).

Quod idem exprimitur 2 Petr 1, 4: «per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini *divinae consortes naturae*».

Neque aliter Rom 8, 15 sq: «Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes:

heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.» — Quae conditio filiorum Dei hoc sensu perfecto, ut heredes Dei atque coheredes Christi, unigeniti et aeterni Filii Dei, vocari et esse possimus, sane non est conditio ullius creaturae naturalis, sed omnem facultatem et exigentiam excedit.

Quare etiam constanter S. Scriptura beatitudinem vitae aeternae quamquam ut mercedem operum iustorum exhibet, tamen imprimis et radicatus gratiae Dei et Christi adscribit. Quod proxime quidem fit sub hoc respectu, quod Christus nos a peccatis redemerit atque a morte animae in quam lapsus originarius nos induxerat ereptos in pristinam cum Deo amicitiam restituerit. Verum haec ipsa restitutio fit in eam quam homo naturaliter expectare nequit conditionem; neque ipse lapsus generis humani originarius, quo totum humanum genus a fine suo avulsum iacuerit, facile explicabitur, nisi finem illum *per Adamum amissum*, per Christum restitutum, supernaturalem atque naturae humanae plane *indebitum* statuamus. Quod enucleatius probari solet in doctrina de peccato originali.

### § 5.

#### *De beatitudinis natura et essentia.*

20 Assertio I. Formalis beatitudo supernaturalis consistit in intuitiva Dei visione cum summo erga Deum amore et gaudio seu fruitione.

Videlicet omnes et singuli illi actus constituent ipsam beatitudinis essentiam an sint aliqui necessariae conditiones, hic non inquiritur. Quod hic asseritur est, omnes illos actus adesse re ipsa, neque abesse posse quempiam a perfecto beatitudinis statu.

Quod I attinet ad *intuitivam Dei visionem*, quae est radix amoris et gaudii, nemo est qui neget eam ad essentiam beatitudinis pertinere.

Rationem habemus 1<sup>o</sup> ex S. Scriptura, quae dicit I Io 3, 2: «Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.» Videre Deum, sicuti est, est sane visio Dei intuitiva: haec autem *visio ratio est, cur* simus Dei similes, similes non habituali tantum aliquo dono (nam hanc similitudinem habemus iam in hac vita, eo quod per gratiam sanctificantem adoptivi «filii Dei simus»), sed similes actibus nostris vitalibus nosque beantibus, sicut Deus suo actu est beatissimus. Ergo visio Dei intuitiva evidenter pertinet ad beatitudinem nostram neque sine illa haec habetur.

Quamvis enim vox illa «cum apparuerit» proxime denotet apparitionem Christi in fine huius saeculi, tamen similitudo cum Christo et eius visio non intelligitur de humanitate Christi tantum, sed potissimum de eius divinitate, ut contextus vers. 1 et 2 manifestat.

Similiter loquitur S. Paulus I Cor 13, 12: «Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem a facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.» Qua Dei

visione Apostolus id designare vult, in quo praecipue conditio vitae futurae sita sit, quam alibi tamquam summam beatitudinem describit: «Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum» (1 Cor 2, 9).

Iam Psalmista (Ps 35, 10) dicit: «In lumine tuo videbimus lumen», et Ioannes (Apc 22, 4 et 5): «Et videbunt faciem eius: et nomen eius in frontibus eorum. Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in saecula saeculorum.»

2° ex PP. testimoniis difficile est pauca tantum colligere. Sit prae<sup>21</sup> omnibus testimonium S. Aug., De civ. Dei l. 22, c. 29 (ML 41, 799): «ipsis autem [oculis cordis] videri Deum, cum videbitur, christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille magister: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt». Et Retract. l. I, c. 14 (ML 32, 606): «Illud enim beatissimos facit, quod ait: 'Tunc autem a facie ad faciem', et: 'Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum'. Qui hoc invenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit vita fidei quam tenemus, et quo credendo cupimus pervenire.» — Dein testimonium S. Greg. M., Hom. in Evang. 37, in quo inter praecipua quae coelestem beatitudinem constituent haec enumerat: «Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus *gloriae Conditoris assistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre.*» — Similiter S. Greg. Nyss., De beatitud. orat. 6 (MG 44, 1266): «Quoniam ipsi Deum videbunt. Promissio quidem certe tanta est, ut superet extremum terminum beatitudinis; quid enim aliquis post bonum eiusmodi adhuc desideraverit, cum omnia habeat in eo quem viderit? Nam *videre* in usu Scripturae idem significat quod *habere*: quemadmodum illud: *Videas bona Ierusalem* (Ps 127) idem quod *invenias* significat. Ergo qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur, per hoc quod vidit adeptus est, vitam sine fine, aeternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine, laetitiam continentem, verum lumen, spiritualem et dulcem vocem, gloriam inaccessam, perpetuam exultationem, omne denique bonum.»

3° ratio in aperto est. Ut vidimus, formalis beatitudo debet consistere<sup>22</sup> in vitali nostra operatione, sane rationali seu spirituali, eo quod pars nostra superior et nobilior rationalis et spiritualis est, neque Deus purus spiritus, qui est obiectum beatitudinis, aliter quam operatione spirituali attingi potest. Verum nulla est operatio spiritualis nisi aut rationis aut voluntatis, voluntatis autem actus sine actu intellectus vel rationis impossibilis est. Ergo impossibile est nos attingere posse Deum obiectum beatitudinis nostrae sine eius cognitione: quae cognitio, cum debeat esse perfecta, supernaturalis, sicut «filiis Dei» competit, non potest esse nisi visio intuitiva. Ergo in hac visione aut beatitudo nostra finalis simpliciter consistit, aut haec visio saltem ad beatitudinem nostram necessario requiritur.

Aliter: Beatitudo formalis consistit in ultima nostra perfectione: ea igitur requirit summam intellectualis nostrae facultatis perfectionem;



quae non adest nisi in viso Deo summe perfecto. Seu: Ut adsit beatitudo, facultates nostrae rationales debent plene satiari; verum id non fit sine Dei cognitione et *visione*, qua satiatur intellectus.

23 II. *Requiri etiam summum Dei amorem*, ostendit a) ipsa ratio: Alioquin non adesset perfectio seu satietas omnium nostrarum facultatum spiritualium — quae tamen ex conceptu beatitudinis requiritur. — Praeterea: ex intuitiva Dei visione, qui ut bonum summum, omni perfectione possibili perfectissimum, atque omni carens imperfectione omnem nisum voluntatis explet, necessario oritur amor. Ergo ille amor necessario requiritur ad statum nostrae beatitudinis.

Immo ille amor ex Deo clare cognito necessario oriendus non solum est amor Dei ut nobis boni nosque summe delectantis, sed etiam amor Dei, ut est ipse in se et propter se atque sibi summum bonum; nam sub ipsa hac ratione Deus summe amabilis est amorque illi est debitus. Quod ostendit, amorem status beatitudinis esse amorem caritatis.

PP. testimonia accipe ex *S. Aug.*, De mor. Eccl. l. I, c. 14 (ML 32, 1321): «Nam quid erit illud optimum hominis, nisi cui inhaerere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui haerere certe non valeamus nisi dilectione, amore, caritate.»

Dein etiam S. Scriptura testatur expresse, in patria seu in coelesti beatitudine etsi cognitio fidei aboleatur et in visionem intuitivam convertatur, caritatem *manere*, I Cor 13, 8: «caritas numquam excidit»; ergo illa *pertinet* ad statum beatitudinis.

Praeterea coelestis beatitudo exhibetur ut relatio intima inter sponsum et sponsam, et ut nuptiae inter Deum et animam beatam: quae sane denotant intimum amorem et *mutuam caritatem*. Apc 19, 7 sqq: «Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.»

24 III. *Gaudium* et delectationem seu fruitionem ad beatitudinem formalem pertinere, ex hac iam ratione patet, quod sit saltem necessaria consecutio amoris circa Deum ut praesentem et clare cognitum et possessum. Vel si gaudium et delectationem vis distinguere, gaudium nihil aliud erit quam ipse amor caritatis in Deum praesentem et intime possessum, atque delectatio id quod necessario ex hoc gaudio amoris consequatur.

*S. Scriptura* in describenda finali beatitudine in patria frequentissime meminit summi gaudii quo fruamur. V. g. Christus apud Mt 25, 21: «Euge, serve bone et fidelis . . . intra in *gaudium* Domini tui»; item ad Apostolos Io 16, 20: «sed tristitia vestra vertetur in *gaudium*». Neque aliter facit, quando coelestem beatitudinem exhibet sub figura «coenae magnae», «coenae nuptialis» (Lc 14, 16; Mt 22, 2 sqq); opponitur loco tormentorum tamquam locus *consolationis* ipse limbus PP., multo magis coelestis patria (Lc 16, 23 25); immo sub diversis figuris, quibus gaudium, deliciae designantur, coelestis consummatio exhibetur, scil.: conso-

lationis, satietatis, pacis, regni, visionis Dei etc. (Mt 5, 3 sqq). Apostolus manifeste summum gaudium indicat, quando dicit: «Quod oculus non vidit . . . nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum» (I Cor 2, 9). Similiter S. Ioannes in Apc 21 totus est in describendis omnis generis gaudiis et deliciis, quibus coelestis Ierusalem abundet.

Neque necesse est ad SS. PP. appellare, cum persuasio christiana per omnem aetatem evidens sit. Evidentissimum est testimonium innumerabilium martyrum, qui prae gaudiis et deliciis coelestibus constanti fidei professione promerendis omnia tormenta tyrannorum despexerunt atque cum gaudio perpessi sunt. Neque frequentius quid occurrit, quo omni tempore confessarii usi sint et utantur ad retrahendos peccatores a peccato, nisi ut ostendatur magnitudo tum poenarum quae peccatum manent, tum gaudiorum quae poenitentia et vitae emendatione obtineantur.

**Assertio II.** Quamquam cum visione Dei amor et fruitio requiritur ad naturam formalis beatitudinis constituendam, eius tamen essentia recte in visione collocatur.

Sunt quidem, qui beatitudinis essentiam potius in amore quam in visione constituent, immo in fruitione, alii in visione et amore. Primum docent Scotus cum sua schola, Hugo Victorinus, Albertus Magnus, S. Bonaventura (v. *Suarez*, Disp. 7, sect. 1, n. 1); alterum adscribunt Aureolo (qui tamen sent. 4, disp. 49, a. 3—5 loquitur de *delectatione atque complacentia amicitiae*, ideoque potius primam tenet sententiam, immo verbis magis quam re a S. Thomae sententia discrepat); tertium tenent Suarez (l. c. n. 30 sqq), Bellarminus, multi alii, atque ita sumere licet ipsius S. Bonaventurae et Alberti Magni opinionem. — Rationes ex his petunt: a) actum voluntatis seu caritatis esse nobiliorem quam actum visionis; b) actum caritatis esse qui demum intime nos iungat cum ultimo fine, in coniunctione autem cum ultimo fine collocandam esse beatitudinem; c) beatitudinem formalem essentialiter consistere in satietate et quiete omnium facultatum rationalium, ergo *saltem etiam* voluntatis; hanc vero non satiari vel impleri nisi caritate in Deum; d) pro ipsa fruitione ratio afferri potest, quod quies fruitionis sit ultimum complementum voluntatis; at beatitudinis formalis essentiam in eo quod ultimo compleat hominis facultates videri collocandam esse.

Omnia haec probant quidem, ad formalem beatitudinem haec omnino requiri, atque ita, si vis hoc nomine uti, ea ad physicam essentiam beatitudinis pertinere; non tamen in iis collocandam esse essentiam metaphysicam. Quae in eo collocanda est, quod sit radix et fons aliorum, et quo habito reliqua necessario sequantur seu simul habeantur. Id autem de visione obtinet, non de amore vel fruitione. Propterea recte statuitur cum S. Thom. I, 2, q. 3, a. 4, «quantum ad id quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est quod consistat in actu voluntatis».

26 Nimirum beatitudo essentialiter consistit in possessione summi boni seu Dei. Verum assequemur seu possidebimus Deum per actum intellectus seu visionem: nam rei cognitio est intellectualis rei possessio, intuitiva igitur Dei visio est intima eius possessio; aliter enim atque intellectualiter possideri Deus nequit. Ergo in hac visione beatitudo essentialiter consistit. *Sequitur* autem voluntatis actus seu amor Dei possessi ut necessarium beatitudinis complementum.

Praeterea: Amor caritatis abstrahit a praesentia obiecti, seu fertur tum in Deum absentem ut desiderium, tum in Deum quando nobis per visionem intime praesens et unitus erit, per fruitionem. Ergo in amore caritatis beatitudo essentialiter consistere nequit; haec enim non potest a praesentia Dei abstrahere, sed intimam praesentiam postulat. — Et revera si in amore caritatis beatitudinis essentia consisteret, cum caritas, quae habetur in terris, essentialiter eadem sit cum caritate in patria, etiam his in terris caritas nos reddere deberet beatos.

27 Verum quidem est, caritatem nos intime unire cum Deo secundum affectum; attamen supponit iam eam unionem intimam, qua Deum teneamus et possideamus. Quod vero ad praecminentiam seu maiorem nobilitatem attinet, amor caritatis seu affectus voluntatis, ut S. Thomas dicit, praeceminet cognitioni *in movendo ad Deum*, ac propterea in hac vita certe affectus voluntatis seu amor Dei cognitione est excellentior. Verum quando non iam movemur ad Deum, sed eum attingimus et possidemus, actus voluntatis non simpliciter excellentior est visione. Potiores quidem partes habet, quatenus agitur de fine ultimo creationis vel de fine hominis obiectivo seu externo, scil. de gloria Dei; formalis enim in amore erga Deum quam in Dei cognitione Deus glorificatur: at quatenus agitur de ultimo fine hominis *interno* eiusve interna perfectione, potiores partes habet actus intellectus seu Dei intuitiva visio, siquidem per hanc homo simpliciter perficitur et deificatur in suo Esse et Operari; amor vero caritatis, qui necessario resultat, iam supponit illam perfectionem. Paucis: amor caritatis transfert nos ipsos in Deum, et Dei bona affectu facit nostra: — quae quidem est summa perfectio nostra *moralis*, praecipue quando de libero amore agitur. Verum perfectio nostra in suo Esse physico oritur quidem ab amore non nostro in Deum, sed Dei in nos, atque formaliter efficitur, saltem quoad essentiam suam et radicem, perfectione illa intellectuali qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Subiectiva autem beatitudo formaliter in physica perfectione potius quam in morali collocanda est. Etiam *Suarez* (l. c. disp. 7, sect. 1, n. 51) dicit, visionem esse «*operationem altiore*m et quodammodo fontem aliarum perfectionum».

28 Unde etiam patet, quid iudicandum sit de ea sententia, quae in *fruitione* Dei beatitudinis essentiam consistere censet. De ea enim valet idem quod dictum est de amore, siquidem fruitio illa cum amore confunditur; immo valet a fortiore, si fruitionem sumis pro affectu amorem patriae necessario comitante.



Neque eximii illi theologi, qui beatitudinem in visione et amore collocant, ut S. Bonaventura, Bellarminus, Suarez, alii, re ipsa videntur a S. Thoma dissentire. Intelligunt enim completum statum beatorum in suo Esse physico, adeoque essentiam physicam beatitudinis, ad quam sane pertinet perfectio tum intellectus per Dei visionem, tum voluntatis per Dei amorem; S. Thomas vero non negat ad hunc statum completum pertinere amorem caritatis, qui deesse nequeat, sed huius status essentiam metaphysicam atque radicem, ex qua omne complementum effluat, in intuitiva Dei visione reponit.

Cf. S. Thom. 2, 2, q. 27, a. 6: «Finis omnium actionum humanarum<sup>29</sup> et affectionum est dilectio Dei, per quam maxime attingimus ultimum finem.»

Ib. q. 23, a. 6 S. Doctor explicat, quomodo et cur ratione *morum* amor Dei sit Dei cognitione nobilior: «Operatio intellectus completur secundum quod intellectum est in intelligente; et ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur secundum mensuram intellectus. Operatio autem voluntatis et cuiuslibet virtutis appetitivae perficitur in inclinatione appetentis ad rem sicut ad terminum; et ideo dignitas operationis appetitivae attenditur secundum rem, quae est obiectum operationis.» Unde deducit, quoad res quae sunt *infra nos*, cognitionem earum esse nobiliorem quam appetitionem seu dilectionem; eas enim nobiliore modo existere in nobis i. e. nostro intellectu quam in se ipsis: e contra quod Deum spectat, qui est infinite supra nos, dilectionem Dei eius cognitioni praeferri, «et ideo caritas est excellentior fide».

At ex hac ipsa ratiocinatione patet: 1. «hanc comparisonem inter Dei cognitionem et dilectionem applicari non posse, si conferre volumus cognitionem et dilectionem quam Deus habeat in se ipsum; sed potius sequi in Deo secundum nostrum concipiendi modum, Esse intellectuale qua tale esse rationem superiorem et radicem aliarum perfectionum. 2. Neque comparatio illa plane subsistit, si loquimur de ea quam nos habemus Dei cognitione per visionem beatam; de visione scilicet intuitiva non esse plane idem iudicandum atque de fide. Nam intuitiva visio a nobis non fit secundum nostrum intellectum, sed secundum lumen gloriae, quod donum quidem creatum est, at necessario secum trahit Deum ipsum eiusque in intellectualem facultatem nostram illapsum. Et si nihilominus quaedam praeeminentia actus caritatis prae visione pronuntianda sit, eo non efficitur ut potius per caritatem quam per visionem Deum *possideamus* Deique similitudinem exprimamus.

Demum notandum est: Ex eo quod actus caritatis sit nobilior actu visionis Dei nullatenus sequitur, in priore potius collocandam esse essentiam nostrae beatitudinis. Nam in ipsis illis actibus, quibus beamur et quas beati exercebimus, non nostra beatitudo est altissimum et nobilissimum momentum quod spectari potest et debet; ergo ex maiore nobilitate nihil potest concludi pro essentia *nostrae beatitudinis*. Nam iisdem illis actibus quibus beatificamur etiam Deus formaliter glorificatur; sed Dei glorificatio respectus altior est quam nostra beatificatio,

prae hac illa a Deo volitur atque a nobis volenda est, et in coelesti patria re ipsa amore caritatis et amicitiae erga Deum diligitur.

Ergo Deum ut nostram beatitudinem adipiscemur per visionem, in eo quiescemus amore et fruitione, atque hanc ipsam adeptionem et fruitionem in Deum eiusque gloriam referemus purissimo amore caritatis et amicitiae, ut etiam hac ratione sit Deus omnia in omnibus.

### § 6.

#### *De perfectione intellectuali beatorum.*

80 Circa visionem beatificam, quo intimius cognoscatur, plures institui possunt quaestiones, videlicet num Deum solus sit obiectum beatitudinis, et quousque Dei visio et cognitio sese extendat vel extendere debeat. De quibus haec breviter noto:

1. Beati vident divinam essentiam «divina essentia immediate se nude, clare et aperte iis ostendente» et «sic videntes eadem divina essentia perfruuntur», ut *definit* Bened. XII Const. *Benedictus Deus* d. d. 29 Ian. 1336 (*Denz.*, Enchir. n. 456 — *D.-B.* n. 530). Verum divinam essentiam non *comprehendunt*: quod solus Deus ipse potest, neque Christus ut homo, seu quatenus eius anima humana Dei visione fruatur. Nam Deum infinitum plene comprehendere non potest nisi intellectus simpliciter infinitus, qui est solus intellectus divinus.

2. Beati vident Personas divinas. Nam Deus, ut in se est, seu eius essentia revera est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Qui igitur Deum clare videt, sicut est in se, non potest non videre tres divinas Personas. Idque innuitur Io 14, 3—20. Verum non tres Personae qua tales, sed divina essentia qua talis est quae beatos beatificet; essentia enim qua talis est plenitudo omnis boni et Esse, cuius possessione intellectuali creatura rationalis satiatur et beatificatur.

81 3. Non omnia ea a beatis videntur quae in divina essentia virtualiter atque eminenter continentur. Nam si ita esset, beati Deum comprehenderent, neque intelligeretur quomodo unus altero magis beatus esse, altiolem visionem intuitivam habere posset: quod tamen fide certum est. Nam: «In domo Patris mei mansiones multae sunt» (Io 14, 2), utique diversae pro diversitate meritorum, ut *S. August.*, In Ioan. tract. 67, n. 2 (ML 35, 1812) exponit. Et «alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum» (1 Cor 15, 41 sq); sed haec diversitas est non in sola claritate corporum, immo potissimum in claritate et beatifica visione animarum, quae est fons et mensura corporum claritatis. Quod autem Dei visio intuitiva sit apud unum clarior quam apud alterum, ex eo explicatur, quod unus altero clarius seu profundius inspexerit ea quae virtualiter in divina essentia continentur, ut res possibles, decreta Dei libera, futura, maxime libera et conditionata.

4. Quamquam praeter Dei cognitionem cognitio complurium rerum aliarum necessaria in beatis est *ut conditio: obiectum* tamen sufficiens est sola Dei essentia.

Videlicet tamquam conditio necessarium est, ut beatus cognoscat se ipsum, suos actus, suam erga Deum relationem. Verum *obiectum*, quod sufficiat ad beatificandum, est solus Deus: nam cognito seu possesso *omni bono* seu plenitudine omnis Esse, necessario satietas plena consequitur. Ergo etsi beatus nullam praeter se creaturam videret, etsi omnium meritorum suorum oblivione afficeretur, visa Dei essentia plene satiaretur.

5. Nihilominus re ipsa praeter Dei *visionem* vel cum illa multae<sup>32</sup> aliae res a beatis cognoscuntur. Nam *status* beatorum non solum ut beatitudo simpliciter exhibetur, sed etiam ut intima unio cum Christo *Deo-homine* et participatio eius regiae potestatis. De quo cf. infra n. 45—47.

Et cum a Deo et Christo Domino revera volita et instituta sit communicatio inter Ecclesiam triumphantem, militantem, patientem, beati seu membra triumphantis Ecclesiae cognoscere debent ea quae ipsos spectant in hac relatione adeoque statum et conditionem membrorum patientium et militantium, eorum saltem quae in speciali vel personali relatione cum ipsis sunt: alioqui non cognoscerent omnia quae cognoscere naturaliter desiderant, ac proin non omne eorum desiderium esset impletum neque plena satisfactione ac satietate fruerentur. — Nihilominus id totum per accidens est, siquidem ipsa haec adunatio Ecclesiae triumphantis, militantis, patientis in unum corpus mysticum deesse potest sine dispendio plenae beatitudinis ex visione Dei oriundae: quodsi haec adunatio abesset, cognitio earum rerum accidentalium quae nunc beatis debetur, non deberetur earumque ignorantia nullum denotaret defectum.

Hinc beati vident et fruuntur gloria humanitatis Christi, Beatae Mariae Virginis, omnium electorum, quibuscum unum formant corpus mysticum sub capite Christo; immo similiter fruuntur consortio sanctorum angelorum, quorum quoque caput Christus est, et qui cum beatis in coelo in unam hierarchiam coelestem coalescunt (cf. Apc 3, 21; 5, 10 sqq).

Praeterea vident beati Dei et Christi providentiam circa se ipsos. quomodo singulari Dei amore propter merita Christi electi fuerint, protecti et defensi a malis, reducti si forte fuerint lapsi, confirmati, tentationibus probati, meritis aucti atque finali perseverantia donati. Immo haec adoranda Dei providentia circa omnes tum electos tum reprobos in ultimo iudicio toti mundo manifestabitur, eritque laus et glorificatio Dei in aeternum.

Sane etiam ante ultimum iudicium beati regnantes cum Christo cognoscunt multa eorum, quae geruntur in terra, maxime si quae a fidelibus in hac terra in eorum honorem fiant eorumque intercessio imploretur: ut S. Gregor. M. notat Dial. l. 4, 33: «Quid est quod nesciant qui scientem omnia sciunt?» (ML 77, 376.)

33 6. Quoniam vero re ipsa beati complura cognoscunt, quae non necessario cum visione essentiae divinae coniunguntur vel ex ea fluunt, immo rerum transitoriarum cognitionem sibi frequenter communicatam habent: theologi probabili opinione tenere solent, beatos habere praeter visionem intuitivam et lumen gloriae scientiam supernaturalem infusam, videlicet habitum quo conaturaliter illarum rerum accessoriarum cognitionem percipiant (vide *Suarez* l. c. disp. 8, sect. 1, n. 7 sqq). Quo modo maior etiam similitudo cum Christo iis vindicatur, cum eiusmodi scientia infusa in Christo sane affirmanda sit, quae eius beatissimam animam in vita terrestri exornavit, quae in coelesti vita cur ablata sit reddi non potest ratio.

Praeterea beatorum intellectus retinet omnia dona supernaturalia, omnem illam scientiam sive supernaturalem sive naturalem quam in terra degentes habuerunt sive acquisiverunt, modo ne aliquid statui visionis repugnet.

Exstinguitur igitur fides, cuius obscuritas pugnat cum clara luce intuitivae visionis (1 Cor 13, 8 sqq), sed non pereunt eae scientiae, quae positivum defectum non involvunt. Quare etiam dona Spiritus Sancti, inter quae sunt complura intellectualia, in patria manere *S. Thomas* 1, 2, q. 68, a. 6 iudicat.

34 7. Quandam ignorantiam coniungi posse cum visione Dei intuitiva ex eo patet, quod divinam essentiam beati non comprehendant, ideoque non omnia intelligant et videant, quae intelligi absolute ab altiore vel magis beato spiritu cognosci possunt. Sic de die et hora ultimi iudicii Christus Dominus dixit, neminem scire, neque angelos coelorum, nisi solum Patrem (Mt 24, 36). Non tamen datur in beatis ignorantia privativa, i. e. circa illas res, quae quomodocumque eos spectant, et quas quomodolibet cognoscere desiderant. Multo minus exsistere potest in iis aliquis positivus error. Nam cum error intellectui, ad verum essentialiter directo, adversetur, quilibet error quoddam malum esset intellectui beatorum; verum quodlibet malum a beatitudinis statu debet excludi.

### § 7.

#### *De perfectione voluntatis beatorum.*

35 Praeter perfectionem intellectualem beatorum indagare convenit penitus in perfectionem voluntatis eorum.

1. Beatus, Deo clare viso, necessario amat hanc visionem et Deum clare visum ut suum beatificatorem. Est igitur necessitas quoad specificationem et quoad exercitium actus.

Nam voluntas sicut non potest esse indifferens ad bonum in genere, ita neque indifferens esse potest quoad obiectum quod nihil nisi bonum atque omnem rationem boni exhibet. Sed tale obiectum est Deus clare visus et hac visione beatificans.

Et revera physica et psychologica necessitate homo amat suum bonum, suamque beatitudinem: quod cum in visione Dei clare



comprehendat, non potest non Deum clare visum amare ut suum bonum.

Potest quidem hunc actum amoris Dei ut *sui* boni altius referre ad ipsius Dei gloriam et bonum Dei, et re ipsa — ut statim dicam — id facit ex actu caritatis in Deum; sed propterea non desistit ab ipso actu amandi Deum ut suum bonum.

Qui actus amandi Deum omnino ordinatus est et in beatis sine dubio supernaturalis est, cum supernaturale sit eius obiectum et supernaturalis habitus infusus per mortem non destructus, cui ille actus respondet (*Suarez* l. c. disp. 9, sect. 2, n. 7 et 8).

2. Praeterea necessario feruntur beati in amorem caritatis et amicitiae<sup>36</sup> in Deum, quo Deo ipsi omne bonum volunt, se suaque omnia in Deum eiusque voluntatem referunt (ib. disp. 9, sect. 1).

Nam beati Deum clare videntes apprehendunt ex una parte Deum sub ipsa hac ratione summe amabilem, immo hunc caritatis actum ad intimam cum Deo unionem necessarium; ex altera parte nihil sub ratione boni apprehendere possunt, quod eos ab hoc actu retrahat et retardet. Ergo non videtur fieri posse ut eorum voluntas ab illo amore caritatis absteineat vel actum illum suspendat, cum ad hanc ipsam suspensionem vel ad repulsam vehementissimae sollicitationis, qua sollicitantur ad eum actum, nullum habeant motivum. — Atque sane in hunc amorem caritatis et amicitiae Dei *necessario ferri* non est imperfectio voluntatis, sed summa perfectio, quod patet ex voluntate Dei ipsius, quae non obstante infinita perfectione, immo propter hanc perfectionem necessario fertur ad amandam divinam suam Essendi plenitudinem. Cum igitur amare divinam essentiam propter se ipsam voluntatis perfectio sit, beatitudo autem in adeptione omnis perfectionis convenientis consistat, ille amor caritatis a beatis abesse nequit, atque prodit necessario.

Ita habitus caritatis, qua induta tamquam veste nuptiali anima iusti ex vita terrestri ad vitam aeternitatis transit, non exstinguitur, sed actuatur atque in perennem flammam ardentissimi actus amoris et amicitiae erga Deum erumpit secundum eam intensitatem, qua habitus sanctificantis gratiae et caritatis in ultimo momento terrestris vitae in anima radicans inhaesit.

3. Ex utroque erga Deum amore, tum ut nobis tum ut sibi ipsi<sup>37</sup> summe bonum, seu ex duplici illo respectu quo beati Deum amant, sequitur summa beatorum delectatio. Hauriunt igitur summam voluptatem ex eo quod ipsi Deum intuantur et possideant, et summam voluptatem ex eo quod Deus ipse sit perfectissimus atque per omnia glorificatus. De hac ultima voluptate facile intelligas Apc 19, 6 sq, ubi describitur beatorum exsultatio: «Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se», de priore verba Christi Domini Mt 5, 12: «Gaudete, et exsultate: quoniam merces vestra copiosa est in coelis.»

38 4. Sequitur voluntatis impeccabilitas. Et revera S. Scriptura a coelesti patria excludit omne peccatum omnemque maculam. Apc 20, 6 dicitur: «Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem»; «mors secunda» autem designat ib. 21, 8 damnationem quae manet peccantes. — Clarius etiam et expressis verbis omnis macula excluditur ib. 21, 27: «Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium.» Si vero peccatum fieri posset, eo ipso quod fieret, intraret aliquod coinquinatum.

Neque aliter SS. Patres loquuntur, v. g. S. Ioan. Chrys. in Orat. de S. Philog. de coelesti gloria loquens ait: «eo navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium . . . cum haec omnia sublata fuerint, adversa valetudo . . . peccandi materia» (MG 48, 749),

S. Bernardus, Serm. 2 de S. Victore n. 3: «Sedet veteranus miles debita iam suavitate et securitate quietus, securus quidem sui, sed nostri sollicitus» (ML 183, 374).

Quam impeccabilitatem ad beatitudinem necessariam esse patet, quia beatitudo excludere debet omne malum atque omnis mali timorem; peccatum autem summum malum est et summa miseria.

Idque etiam magis patet ex peccati sequela. Nam non solum in se summum malum est, sed natura sua destruit amicitiam intimamque cum Deo unionem, atque si possibile esset, exstingueret eo ipso quod committeretur caritatem Dei que visionem. Quare nisi physice repugnaret peccatum cum beatitudine, deberet Deus, ut servaretur natura beatitudinis pro praemio animabus iustis concessae, providentia sua peccatum excludere, seu impeccabilitas saltem extrinsecus esset necessaria.

At cum visione et amore Dei in patria etiam intrinseca et physica necessitate coniungitur impeccabilitas. Nam peccatum est aversio a Deo saltem per conversionem ad creaturam contra divinum beneplacitum. Verum ut eiusmodi conversio esset possibilis, deberet beatus in tali conversione apprehendere aliquod bonum saltem apparens: quod non potest apprehendere. Nam in Deo clare videt omnem rationem boni, in quacumque creatura rationem boni non apprehendit nisi cum dependentia a Deo et cum relatione ad eum. Ergo ex parte intellectus visione intuitiva Dei informati excluditur peccatum in beatis. — Idem dicendum est ex parte voluntatis immediate et in se spectatae. — Nam ipsa voluntas in se spectata rapitur necessario ad actum caritatis in Deum; sed impossibile est exercere actum caritatis in Deum et simul Deo eiusve voluntati contradicere.

39 Quae imprimis valent ad excludendum quodvis peccatum mortale, quod est peccatum simpliciter dictum. At eodem modo excluditur interna necessitate peccatum quodvis veniale. Nam qui in nullis creaturis ullam rationem boni velle potest, neque percipere, nisi quatenus a Deo derivetur et ad Deum referatur, ne in minimo quidem contra Dei voluntatem agere potest; cf. Suarez l. c. disp. 10, sect. 1; S. Thom. 1, 2, q. 4, a. 4, qui quaestionem hanc breviter explicans

dicit: «Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem et antecedenter et concomitanter. Antecedenter quidem . . . et ideo nullus potest ad beatitudinem pervenire, nisi habeat rectitudinem voluntatis. Concomitanter autem, quia, sicut dictum est (q. 3, a. 8), beatitudo ultima consistit in visione divinae essentiae, quae est ipsa essentia bonitatis; et ita voluntas videntis Dei essentiam ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deum; sicut voluntas non videntis Dei essentiam ex necessitate amat, quidquid amat sub communi ratione boni quam novit; — et hoc ipsum facit voluntatem rectam. Unde manifestum est, quod beatitudo non potest esse sine recta voluntate»; aliis verbis: omnis inordinatio voluntatis seu omne peccatum necessitate interna excluditur.

Quae quidem sunt contra Scotum eiusque scholam. Qui 4, dist. 49, 40 q. 6, n. 10 intrinsecam impeccabilitatem negat dicens: «Dico ergo, quod causa huius perpetuitatis nec est forma beatitudinis, quasi per ipsam beatitudo formaliter sit necessaria, nec natura potentiarum illarum, quasi circa obiectum necessario perpetuo operentur; nec habitus in potentiis, quasi necessario determinans potentias ad perpetuo operandum; sed est sola voluntas divina, quae, sicut perficit naturam intensive, ita conservat eam in tali perfectione perpetuo», et n. 11: «Dico, quod nulla est causa intrinseca in voluntate Michaelis nunc beati, per quam excludatur potentia ad peccandum pro alias, in sensu divisionis; non est autem causa intrinseca prohibens istam potentiam omnino reduci ad actum. Sed per causam extrinsecam est impossibilis potentia illa propinqua ad peccandum, videlicet per voluntatem Dei praevenientem illam voluntatem, ut semper continuat actum fruendi, et ita numquam possit potentiam suam remotam non fruendi vel peccandi reducere ad actum».

Verum standum est sententiae et rationi S. Thomae. Beati enim videntes essentiam Dei in obiecto utcumque peccaminoso nullam rationem boni apprehendere possunt; ergo nequeunt illam voluntate amplecti.

Difficilior est quaestio, num beati necessario semper agant *perfectiora* 41 seu ea quae Deo magis placeant. Quod si negatur, difficultas oritur circa argumenta intrinsecae impeccabilitatis, siquidem haec non solum peccatum proprie dictum, sed etiam quamlibet imperfectionem moralem videantur excludere. At si affirmatur, videtur voluntas beatorum vix *libera* manere.

Nihilominus posterior haec difficultas iam hac consideratione removeri potest, quod in quam plurimis circa res creatas actionibus beati sane libere agere valeant, eo quod haec relate ad divinum beneplacitum indifferentia sint. Ceterum haec quaestio tractari solet a theologis in doctrina de Incarnatione, quando agunt de libertate Christi, cuius anima humana a primo instante Incarnationis habuit semperque retinuit intuitivam et beatificam Dei visionem.

Scholion. Quaerunt etiam, num essentiali beatitudine, quae con- 42 sistit in visione Dei, omnia desideria impleantur: de quo agit *Suarez* l. c. disp. 10, sect. 3, n. 5 sqq. Cum quo dicendum est, visionem Dei non formaliter implere omne desiderium. Potest enim beatus desiderium



habere circa res creatas, etiam circa sensibiles, atque re vera habet circa corpus eiusque resurrectionem. Eiusmodi desideria sane non formaliter implentur visione Dei. Implebuntur tamen radicaliter et fundamentaliter, eo quod status beatitudinis id secum ferat, ut nullum desiderium — quod non potest esse deordinatum — maneat non impletum, sed ut impleatur saltem suo tempore secundum divinam ordinationem.

Nota tamen ex supra dictis, haec desideria circa alias res praeter Deum eorumque impletionem non pertinere ad beatitudinem *absolute*, sed tantum quodammodo conditionate, vid. si divina ordinatio eiusmodi bona externa beato destinaverit; aliter neque eorum desiderium aderit neque eius impletio.

Ex eadem ratione etiam fit, ut, quamquam beati desiderant resurrectionem corporum, nullo tamen modo ex eius dilatione affliguntur. Nam animae beatitudo completa est, neque ex corporum resurrectione essentialiter augetur; sed potius eius gloria et beatitudo in corpus resuscitatum redundabit.

### § 8.

#### *De beatitudine accidentali.*

48 Beatitudinem praeter essentialem revera esse vel fore accidentalem multiplicem, certum est. Accidentalis autem vocatur, quae est extra obiectum beatifici gaudii essentialia, Deum visum, seu quae hauritur ex obiectis *creatis* (*Suarez* l. c. disp. 11, sect. 2, n. 4 sqq). In hac re 1. occurrit ea, de qua modo dictum est, resurrectio corporum; 2. occurrit gaudium ex aliis bonis externis, e loco, ex aspectu mundi visibilis, e societate tot beatorum; 3. occurrunt speciales pro certo virtutum exercitio mercedes, seu aureolae, quarum tres enumerantur, scil. martyrum, virginum, doctorum. De singulis pauca.

I. Resurrectio mortuorum est unum ex praecipuis Ecclesiae catholicae dogmatibus, in omnibus fere symbolis fidei proclamatum, a Christo Domino aperte annuntiatum (Mt 22, 30; atque aperte supponitur Mt 24, 31 sqq; Mc 13, 27), ab Apostolo contra negantes vindicatum 1 Cor 15, 12 sqq.

Eam autem esse obiectum desiderii iustorum graphice describit idem Apostolus Rom 8, 19, cum exhibet omnem creaturam ut ingemiscentem et exspectantem tempus, quo in resurrectione generali omnia transformentur et clarificentur. Similiter Apc 6, 11, ubi «animae interfectorum propter verbum Dei» exhibentur magno clamore expostulare vindicationem et restitutionem corporum suorum, «et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum».

Gloriosa corporum conditio certe postulat, ut etiam illa suas habeant delectationes easque longe maiores et puriores, quam sunt quae in hac vita haberi possunt. Haec spes iam in V. T. animavit Machabaeos Martyres 2 Mach 7, 11 sqq, ad eamque S. Paulus appellat 1 Cor 15, 19 sqq. Esse autem delectationes nostris longe superiores, ex

immutatione corporis sequitur, quod secundum eundem Apostolum (ib. v. 42 sqq) erit *incorruptibile, gloriosum, impassibile*, quodammodo *spirituale*, idque eo gloriosius, quo maior erit animae gloria essentialis seu praemium essentialis visionis Dei intuitivae: nam «alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum» (1 Cor 15, 41 sq).

II. Esse certum locum, ubi corpora glorificata beatorum gaudio<sup>44</sup> fruuntur, et ubi etiamnunc Christus Dominus in corpore suo glorificato regnat cum iis qui resurrectionem iam consecuti sint, si qui praeter Beatam Mariam Virginem fuerint, salva fide negari nequit. Qui locus nomine coeli vel coelorum vocatur. Nam «ascensio ad coelos» quae nominatur in symbolo fidei, certe intelligitur de corporali ascensione. Ita etiam ascensio descripta Act 1, 1—11 et ab aliis evangelistis.

Similiter descriptio coelorum in Apocalypsi facta, etsi sub figuris et imaginibus fiat, tamen ea est, quae certum locum eumque amoenissimum et ornatissimum postulet. Cf. imprimis 21, 10 sqq.

Mundum autem universum, quatenus hominum causa conditus est, renovatum iri, S. Scriptura compluribus locis testatur. Is 65, 17: «Ecce enim ego creo coelos novos, et terram novam»; 2 Petr 3, 12 sq: «Expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero coelos, et novam terram secundum promissa eius expectamus, in quibus iustitia habitat». Apc 21, 1: «Et vidi coelum novum et terram novam. Primum enim coelum, et prima terra abiit, et mare iam non est». Rom 8, 21 sq: «Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc».

Quae renovatio et transmutatio in statum gloriosorem certe fit propter electos; neque fieret, nisi accidentale gaudium ex hac immutatione et ex aspectu mundi perciperent. Qui autem sit ille status, quae novorum coelorum et novae terrae conditio, in particulari nescimus. Sintne plantae et animalia, quibus nova terra ornetur, nescimus: sunt theologo qui affirmant, sunt qui negent; id unum teneri debet, abesse *corruptionem*, ideoque eas saltem abesse functiones vitae vegetativae et sensitivae, quae sine corruptione esse non possint. «Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem» (1 Cor 15, 53).

Imprimis vero ex consortio aliorum beatorum et angelorum acci<sup>45</sup> dentale gaudium hauriri ex natura huius consortii eiusque veritate consequitur.

Esse tale gaudiosum consortium S. Scriptura, traditio Ecclesiae, ratio ipsa docet.

S. Scriptura iam in V. T. hoc consortium indicat, cum mortem iustorum ante ipsam redemptionem et introductionem in coelum «colligi ad patres» vocet; quae coadunatio sane non auferetur per assumptionem ad coelestem beatitudinem. — Christus post mortem suam descendens et animas iustorum educens e limbo eos eduxit ut societatem, ut

membra unius corporis mystici cuius ipse sit caput, senatum patrum liberans, «captivam duxit captivitatem». Immo Christus, etsi singulos redemerit et glorificaturus sit, tamen primarie eos redemit ut membra totius corporis humanae naturae, sicut Adam singulos peccato infecit non qua singulos sed qua membra generis humani sibi ut capiti morali unita. Si vero iusti ut membra societatis redempti et glorificati (vel glorificandi) sunt, certe singuli cum reliquis consortium eiusdem familiae habent. Quod consortium ad ipsos angelos beatos extenditur, ita ut iudicium ultimum et transmissio iustorum resuscitatorum in coelum ut ministerio angelorum efficienda describantur (cf. Mt 24, 30 sq; 25, 31 sqq). — Demum ipsa curia coelestis Apc 7, 9 sqq exhibetur ut constans ex omnibus hominibus electis et ex omnibus angelis thronum Dei circumstantibus: «Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis: stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum: et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni.» Hanc societatem S. Apostolus «civitatem futuram» quam inquirimus (Hebr 13, 14) vocat, ita ut iam iusti his in terris degentes sint «cives sanctorum (*συμπολίται τῶν ἁγίων*) et domestici Dei» (Eph 2, 19); quam vocat «civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, et multorum milium angelorum frequentiam» (Hebr 12, 22).

<sup>46</sup> *Ecclesiae traditio.* SS. Patres uno ore exprimunt coelestem felicitatem tamquam communem cum angelis et sanctis laetitiam. Ita v. g. S. *Ioannes Chrys.* l. c. supra n. 38 (MG 48, 749 sq): «Quapropter maximopere gratulor huius sancti felicitati, quod, quamquam translatus est atque civitatem nostram reliquit, tamen in alteram transiit civitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quae est primogenitorum in coelis, ac relictis hisce festis, transit ad celebritatem angelorum. . . . Hic sunt angelorum infinita milia, illic multa milia archangelorum, alibi sodalitia prophetarum, alibi martyrum chori, apostolorum ordines, cunei doctorum omniumque qui Deo placuerunt coetus».

Similiter S. *Cyprianus*, De mortalitate (circa fin.; ML 7, 601 sq): «Patriam nostram paradisum computamus: parentes patriarchas habere iam cupimus. Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus. Magnus illic nos carorum numerus exspectat parentum, fratrum, filiorum; frequens nos et copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate segura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune laetitia? Qualis illic coelestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum aeternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas! Hic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus. . . . Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus».

*Ratio ipsa* hanc consociationem inter homines iustos suadet ex<sup>47</sup> ipsa hominum natura sociabili et ex ortu totius generis ab uno protoparente. Ex hac autem consociatione accedere novum gaudium singulorum ex multiplici capite patet:

a) Si mundum materiale, maxime postquam transformatus fuerit, cum tanta iucunditate beati adspicient: quanto maiore iucunditate afficientur ex aspectu tot concivium, quorum pulchritudo pulchritudinem rerum materialium immense superat.

b) Cum causa moralis beatitudinis obtentae singulis fuerit Christus et cum ipso beatissima eius mater omnesque sancti et angeli qui titulo communionis sanctorum contulerunt ad concivium militantium salutem: desiderium videndi et conversandi cum tot tantisque benefactoribus et amicis non potest non esse in electis, huiusque desiderii impletio iucundissima erit, cum cominus aspicere liceat ineffabilem gloriam Christi ut hominis, B. Mariae V., omniumque aliorum sanctorum et angelorum a supremo usque ad minimum.

c) Quoniam vero caritas non in solum Deum feratur, sed in omnes domesticos eius, de felicitate aliorum singuli gaudent sicut de propria felicitate: hinc dubium non est, quin hoc mutuuum gaudium in accessorium beatitudinis augmentum redundet. Et revera si iam gaudium erit in coelo et coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente (Lc 15, 7 10), quanto maius gaudium erit super tot peccatoribus in poenitentia perseverantibus et in aeternum salvatis, super innumerabili turba iustorum et electorum cum Christo regnantium?

Atque ita fit, ut gloria eorum qui maiore beatitudine fruuntur, nullo modo inferiores contristet. Praeterquam enim quod ipsi voluntati divinae plene subiecti sunt atque secundum totam suam capacitatem beatitudine saturentur: aliorum beatitudinem ut *suam* considerant de eaque non tristantur sed laetantur.

III. *Speciale* aliquod praemium in coelesti beatitudine dari propter<sup>48</sup> quaedam virtutum opera praeter essentielle praemium, ex verbis S. Scripturae aperte elicitur. Ita dicitur de virginibus *ratione virginitatis servatae* Apc 14, 3: «Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit». Quae de maiore praemio essentiali intelligi nequeunt. Nam essentielle praemium datur ad normam iustitiae secundum minorem maioremve mensuram meritorum et sanctificantis gratiae quacum singuli defuncti fuerint; verum sunt sine dubio ex iis qui virgines non manserant (cogita sanctos coniuges) maioribus cum meritis defuncti, quam aliqui ex virginibus, sume v. g. non solum eos qui cum gratia baptismali ante usum rationis ac proin sine meritis personalibus defuncti sunt, sed etiam alios qui virginitatis defectum aliis virtutibus heroicis plus quam compensarunt, ut SS. apostoli, S. Maria Magdalena, alios. Ergo illud quod describitur tamquam



canticum novum, quod soli virgines cantare possint, designare debet singulare aliquod praemium seu gaudium praeter essentielle. — Hinc theologi loquuntur de *aureola virginum*.

Similiter, immo gloriosius loquuntur SS. Patres de speciali praemio Martyrum. Ita *S. August.*, De sancta virginitate c. 46 (ML 40, 424): «Nemo tamen, quantum puto, ausus fuerit virginitatem praeferre martyrio.» Insuper notum est, primitus solos martyres cultum specificum in Ecclesiae liturgia habuisse, eosque etiam nunc specialem cultum ex eo habere quod *martyrum* reliquiae requirantur ad quodlibet *altare rite consecrandum*: quod signum est, eos etiam in coelis manere praemium *speciale*. Et revera *specialiter* inter electos regni coelestis nominantur Apc 6, 9 et fortasse ib. 7, 14 sqq: unde probabiliter concluditur ad speciale praemium, quod vocatur *aureola martyrum*.

Demum speciali modo sermo est in S. Scriptura de praemio eorum qui alios *docent* iustitiam. Ita Dan 12, 3: «Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates»; et Mt 5, 19: «Qui autem fecerit et *docuerit*, hic *magnus vocabitur* in regno coelorum.» Atque ita theologi tertio statuunt *aureolam doctorum*.

<sup>49</sup> Quid vero sit hoc speciale gaudium et praemium, quo his aureolis beati afficiantur, accurate definiri nequit. Videtur collocandum esse in speciali gaudio *de excellentia victoriae*, quae per martyrium, virginitatem, praedicationem seu aliorum eruditionem de hostibus Christi reportatur. Cf. *S. Thom.* 4, dist. 49, q. 5, videlicet: de mundo perfectissime triumphant martyres, virgines de carne, doctores de diabolo eo quod «non solum diabolo impugnanti non cedunt, sed etiam eum expellunt non solum a se sed etiam ab aliis: hoc autem fit per praedicationem et doctrinam» (*S. Thom.* l. c. ad quaestiunc. 3).

<sup>50</sup> Loquuntur etiam theologi de *dotibus* beatorum. Nimirum gloriificatio iustorum, quae non fit nisi ex meritis Christi, exhibetur in ipsis libris sacris tamquam spirituale matrimonium inter Christum et animam beatam, cum iustificatio, quae his in terris fit, sit quaedam praevia animae cum Christo desponsatio (cf. 2 Cor 11, 2; Eph 5, 25 sqq; Apc 19, 7; 21, 2 9). Convenit autem, ut divinus sponsus nuptialem dotem sponsae afferat qua se ipso dignum possit repraesentari; idque eo magis, quod, quando eam sibi desponsat in terris, supernaturalem ornatum gratiae sanctificantis cum virtutibus fidei, spei, caritatis donat.

Et revera animam coelum ingressuram longe splendidiore et gloriose ornata donari certum est, cum gratia quidem sanctificans et virtus caritatis essentialiter eadem maneant, verum splendore infinite maiore quam antea effulgeant, loco autem fidei et spei visio Dei cum habituali lumine gloriae et comprehensio perpetua animae donetur. Haec igitur ultima et perpetuo duratura dispositio ad essentielle praemium quocum hoc ipsum coniungitur vel quo illud tenetur, dos vocatur vel dotes, quatenus considerantur hae dispositiones ut ornatus nuptialis per Christum iustis communicandus. Quae est probabilis interpretatio, quamquam

in modo loquendi et explicandi theologorum est diversitas. Cf. *S. Thom.* 4, dist. 49, q. 4; *S. Bonav.* 4, dist. 49, art. 1, q. 5; *Suarez* l. c. disp. 11, sect. 1.

Haec de fine hominis ultimo eiusque consecutione dicta hoc loco sufficient. Homines eum non posse consequi nisi per Christum, per Christum vero eiusque gratias omnes eum posse consequi credentes in Christum, Ecclesiae Christi se adiungentes mediisque salutis in ea depositis utentes atque mandata Christi observantes, dogma catholicum docet. Sed haec alibi explicanda sunt.

Superest hoc loco, ut singulos actus consideremus et perscrutemur, quibus homo ex sua parte ad finem modo descriptum tendere, a quibus cavere et abstinere debeat, ne ab illo assequendo deiciatur. Quod in tota *Theologiae moralis* tractatione praestare conamur.

## TRACTATUS I.

### DE ACTIBUS HUMANIS EORUMQUE MORALITATE.

Scriptores, qui optime de hac re scripserunt, inter alios habes: *S. Thom.* 1 2, q. 6—21; *Vasquez* in 1 2 disp.; *Suarez* in 1 2 tract. 2; *Billuart* (Summa *S. Thom.* 4), De actib. hum. diss. 1—4; *Reuter*, Theol. mor. p. 1, n. 1—98; Theol. *Wirceb.* IIIa; *Sporer* in decal. p. 1, c. 2 et 3; *Bouquillon*, Theol. fundament. 5 n. 318 sqq; *G. J. Walsh*, Tract. de actib. hum. (Dublinii 1880); *Frins*, De actib. hum. I et II (Frib. 1897, 1904); *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor. I 3, n. 1—129.

#### Caput I.

##### Notio et divisio actuum humanorum.

I. *Actus humani* ii sunt, qui ab homine, ut homo est, procedunt.<sup>51</sup> Homo autem est animal rationale. *Animalitas* in omni actu inest, cum a sensibus et phantasia quilibet actus pendeat in eumque illa influant. Specifica igitur proprietas, qua homo ut homo distinguitur, est rationalitas, qua fit, ut ipse se possit regere ac determinare. Quapropter ii tantum actus humani vocantur, qui aut in rationali cognitione et appetentia consistunt, aut a tali cognitione et appetentia dependent; sunt autem illi omnes ac soli, qui a deliberata voluntate procedunt.

Non solam igitur cognitionem, sed simul rationalem appetendi facultatem nominavimus, quia hoc appetendi seu volendi motu nisus rationalis naturae completur, et quia sola deliberata actio, i. e. quae fiat a sciente et volente, secundum illum modum, qui homini ut homini proprius est, exercetur.

II. Alii vero actus, qui a deliberata voluntate non procedunt, sunt *actus hominis* quidem, sed non humani<sup>1</sup>, ut:

actus hominis somniantis, delirantis, ebrii: — qui fiunt ab homine deliberati actus tunc incapaci; — similiter etiam actus hominis plene distracti, actus quilibet indeliberati, qui etiam actus seu motus primoprimum vocantur, sive in sensitiva facultate, sive in voluntatis nisu naturali advertentiam rationis praeviente, sive in necessaria obiecti intellectualis perceptione et cognitione consistunt: — fiunt igitur ab homine, utut deliberati actus non impote, tamen hic et nunc per accidens ab usu suae potestatis impedito —; attamen illi actus primoprimum, quando post rationis advertentiam libere sustinentur vel continuantur, humani esse incipiunt.

52 III. Plenioris notitiae causa expedit varias *actuum humanorum divisiones* subnectere.

A. Secundum se, et ratione proximi principii distinguuntur:

1. Actus *interni* et *externi*: priores sunt, qui internis facultatibus consummantur et plane intra hominis animum manent; posteriores, qui usque ad exercitium externae alicuius facultatis progrediuntur, adeoque percipi per se ab aliis possunt.

2. Actus *eliciti* et *imperati*: *elicitus* dicitur actus relate ad illam *facultatem*, a qua immediate exercetur, vel relate ad motivum proximum et intrinsecum; *imperatus* vero relate ad aliam facultatem vel aliud motivum, quibus facultas immediata impellitur ad actum eliciendum. Omnis actus est *elicitus*, non omnis est etiam *imperatus*.

Sic actus fidei est actus *elicitus* a ratione, *imperatus* a voluntate. Actus caritatis est actus *elicitus* voluntatis: relate ad motivum semper est actus *elicitus* ex considerata divina perfectione; potest tamen simul esse actus *imperatus* relate ad aliud motivum e. g. timoris. Actus externi quatenus externi sunt, immo omnes actus, qui non sunt voluntatis, ut *humani* actus sint, debent a voluntate sive pleno sive imperfecto modo *imperati* esse. Imperfectum imperium voco quemlibet liberum voluntatis consensum.

3. Actus *naturales* et *supernaturales* distinguuntur, prout solis naturae viribus aut sub influxu divinae gratiae creaturae nullatenus debitaе formantur.

53 B. Secundum relationem suam ad finem ultimum distinguuntur:

4. Actus *boni*, *mali*, *indifferentes*, prout cum ordine recti seu rationalis naturae concordant, discrepant, aut neutro modo se habent.

<sup>1</sup> *Perfecte humani* illi actus dicuntur, qui tum *quoad substantiam*, tum *quoad motum* homini, ut homo est, conveniunt. Quoad substantiam conveniunt homini, qua homo est, omnes actus *perfecte rationales*, etiam intellectiones necessariae; ut vero quoad modum: homini ut sic etiam conveniant, debent a libera voluntate procedere. Unde fit, ut ille quoque actus, qui perfectissime quidem rationali naturae conveniat, scil. *amor beatificus* in finis nostri assecutione, tamen, quia liber non est, imperfecte sit et dicatur humanus. Cf. *Suarez*, Tract. de ultimo fine hominis disp. 2, sect. 2, n. 7—9.



5. Actus *liciti* et *illiciti* fere idem dicunt ac n. 4: scil. mali sunt illiciti, liciti boni et indifferentes: denominatio autem proxime sumitur a voluntate supremi legislatoris aut permittentis aut prohibentis.

6. Similiter secundum voluntatem supremi legislatoris distinguuntur actus *praecepti* (necessarii in ordine ad ultimum finem) et *liberi*; liberi autem possunt esse: tantum permitti, aut consulti, prout voluntas supremi legislatoris solummodo permittit seu non prohibet, aut cupit et consulit.

C. Ratione effectus distinguuntur:

54

7. Actus *meritorii* et *demeritorii*, prout illis secundum sanctionem legis consecutio aut boni alicuius competit per modum praemii, aut mali per modum poenae. Supernaturale meritum distinguitur *condignum*, et *solummodo congruum*: de quo dogmatica consulenda est.

8. Actus *validi* et *invalidi* dicuntur secundum effectum iuridicum et moralem, prout aut omnia adsunt, quae ad consequendum talem effectum requiruntur, aut, necessario aliquo elemento deficiente, actus effectum destituitur.

## Caput II.

### De actibus humanis secundum interna principia.

Dictum est supra, actus, ut humani dici possint, ex cognitione et 55 voluntate procedere debere, vel a voluntate, praelucente cognitione. Potissimum igitur momentum, quod considerationi nostrae subicitur, est *voluntatis* exercitium: cognitio eatenus considerari debet, quatenus praerequiratur atque, ea deficiente vel decrescente, etiam voluntatis actus deficit aut mutatur.

Duobus articulis agemus 1. de voluntario eiusque conditione, 2. de voluntarii obstaculis.

### Articulus I.

#### De voluntario eiusque conditione.

##### § 1.

#### *Voluntarii generalis explicatio et divisio.*

I. *Voluntarium* dicitur id, quod a (deliberata) voluntate effective aliquo modo *pendet*: distinguitur a *volito*, quod vocant id quod utcumque voluntatis *obiectum* sit.

Hinc voluntarium semper est aliquo modo volitum; nam a voluntate pendere ab eave causari nequit quidquam, in quod voluntas ut in obiectum non aliquo modo feratur. — At non quodlibet volitum est voluntarium: voluntas enim in quam plurima nisu suo tendere potest, quae causare, producere minime possit. Quodcumque igitur desiderio, approbatione, complacentia voluntas amplectitur, *volitum* est; *voluntarium* soli voluntatis proprii actus vel eorum effectus. Cf. *Frins*, De actibus humanis I, n. 72; *S. Thom.* 1 2, q. 6, a. 1 et 2; *Suarez*, De voluntario disp. 1, sect. 1.

II. Voluntarii distinctio multiplex magnam attentionem meretur: 56

1. Voluntarium *formaliter tale*, et *denominative tale*.

Prius in ipsos voluntatis actus cadit, qui nihil sunt nisi voluntas ex potentia in actum translata, ideoque recte *formaliter voluntarii* dicuntur. Sunt autem etiam ipsi actus voluntatis eiusdem voluntatis obiectum, cum actus voluntatis virtualiter se ipsum velit.

*Denominative voluntarium* omne illud est, quod *mediante voluntate* ab homine fit, adeoque tum actus aliarum facultatum sive internarum sive externarum ad quos voluntas movit, tum effectus harum actionum quos voluntas, sive positive sive negative, amplexa est. Ita v. g. actus fidei est *denominative voluntarius*; edere, scribere sunt actus *denominative voluntarii*; mors alteri inflicta est aliquid homicidae *denominative voluntarium*, et sic porro.

Quod *denominative tantum voluntarium* est, etiam *liberum denominative tantum* esse potest.

57 2. *Voluntarium distinguitur perfectum et imperfectum*: prout homo agit cum plena cognitione plenaque voluntatis consensione, aut sine plena cognitione vel consensu. *S. Thom.* l. c. a. 2; *Suarez* l. c. sect. 6.

Imperfectus autem consensus non dicitur ex eo, quod etiam in contrariam partem animus sollicitetur eiusque velleitatem quandam concipiat — haec enim omnia perfectum consensum non impediunt —, sed ex eo, quod vera voluntatis determinatio non adfuerit. — Quando igitur de voluntario sine addita restrictione sermo est, intelligitur voluntarium *perfectum*; hinc etiam in ipsa definitione practice dicendum putavi, voluntarium esse, quod a *deliberata* voluntate procedat.

3. *Voluntarium simpliciter et secundum quid*: at potius haec *involuntarii* distinctio est.

Nimirum involuntarium *simpliciter* dicitur, quod voluntas neque ullo modo causavit neque desiderat, sed potius aversatur et impedire conatur. Involuntarium *secundum quid* illud dicitur, quod velleitate vel conditionata voluntate homo aversatur, attamen absoluta voluntate et efficaci amplectitur: ita ut involuntarium secundum quid simul sit simpliciter voluntarium, idque simpliciter perfectum.

Exempli causa: qui in naufragio merces proicit, ut vitam servet, illi proiectio mercium est involuntaria secundum quid — vellet enim eas servari — sed voluntaria simpliciter et perfecto consensu, quia eam eligit plena deliberatione ut medium vitae servandae.

Similiter homini mortaliter peccanti poena imminens aeternae damnationis est involuntaria secundum quid, quia nollet prorsus eam incurrere, at est vere voluntaria simpliciter, quia sciens et volens eam eligit prae carentia peccaminosae voluptatis, qua carere non vult.

58 4. *Voluntarium distinguitur in se, et in causa tantum*; similiter voluntarium *directum* et *indirectum*; voluntarium *positivum* et *negativum*: quas distinctiones simul propono, quia una cum altera cohaeret<sup>1</sup>. *S. Thom.* l. c. q. 6, a. 3; q. 77, a. 7; *Suarez* l. c. sect. 5 et 6; *Frins* l. c. n. 179 sqq.

<sup>1</sup> De quibus vide plura infra n. 70—74.

Nimirum si voluntas aliquod obiectum appetit atque illud agendo causat, habetur voluntarium *in se*; si vero illud non appetitur, at aliud appetitur atque agendo causatur, quocum obiectum primum tamquam cum causa coniungi ab agente cognoscitur, hoc obiectum primum dicitur voluntarium *in causa tantum*.

Ut aliquid dici possit et debeat voluntarium *in se*, non est necesse, ut pro fine habeatur et appetatur: nam potest aliquid vere *in se* quantumvis *non propter se*, sed ut medium ad certum aliquem finem appeti; quod si fit, utrumque *in se* voluntarium agenti est, et medium et finis. Exemplum sume, quod de proiectione mercium ad servandam vitam navigantium proposui. Proiectio mercium navarcho voluntaria est *in se*, sed *non propter se*; magis etiam voluntaria est *in se* vita navigantium servanda.

*Positivum voluntarium* vocatur illud obiectum voluntatis illeque effectus, qui ita a me meisque actionibus pendet, ut ex mea *positiva actione* voluntaria oriatur; contra, quod a me sic solummodo pendet, ut propter voluntariam meam *omissionem* oriatur, mihi dicitur *negative voluntarium*.

*Directe voluntarium* est, quod *in se* intenditur et a voluntaria actione positive causatur; *indirecte voluntarium*, quod *in se* non intenditur atque a voluntate negative tantum pendet, quatenus omittit agendo illud impedire. Cf. *Suarez*, De voluntario sect. 5, n. 10; *Ballerini-Palm*. I<sup>3</sup> 26.

Aliqui quidem confundunt voluntarium *indirectum* cum voluntario *in causa tantum*: eiusque practice parum interest, cum quoad imputationem similia principia statuenda sint. Si autem accurate loqui volumus, voluntarium indirectum minus late patet quam voluntarium *in causa*: nam hoc ex mea voluntaria sive actione sive omissione ut causa pendere potest, indirecte voluntarium vere dictum solummodo ex mea voluntaria omissione.

Ut id exemplo declarem saepius iam allato: Si navarchus merces, quibus navis onusta est, ad evitandum naufragium prociendas curat atque scit *in certa* quadam sarcina lapidem pretiosissimum esse, quem extrahendo potest quidem, sed negligit servare: huius perditio est *indirecte* et *in causa* voluntaria, *directe* et *in se* voluntaria est sarcinae proiectio; vid. *in sarcinae* proiectione illa lapidis amissio ut *in causa* continetur, dici etiam debet *indirecte* et *negative* voluntaria eatenus, quatenus ex *voluntaria omissione* sequitur, cum poterit sarcinam illam aperire lapidemque extrahere.

5. Voluntarium *expressum*, *tacitum*, *praesumptum* dicitur de iis<sup>59</sup> tantum, quae alicuius voluntate interveniente ab alio pendent, quatenus illius voluntas in alios immediate agentes influxum exercuit. *Frins* l. c. n. 228 sqq.

Nimirum *expresse voluntarium* mihi dicitur, quod ex influxu voluntatis meae *expresse* manifestatae ab altero actum est, ut ex data commissione, iussione mea; etiam ipsa mea voluntatis declaratio sic facta dicitur *expresse* voluntaria. — *Tacite voluntarium* idem fuerit, si voluntas mea ex meo silentio satis colligi potuit. — *Praesumptive voluntarium*

dicitur, quando voluntatem meam seu consensum meum adfuturum esse, si interrogarer vel interrogari possem, ab aliis immediate agentibus prudenter iudicatur, vel etiam ab iis scitur, me<sup>o</sup> habitualiter in tali voluntate et consensu esse, idque ita ut, qui haec iudicent vel sciant, propterea ad agendum moveantur.

Voluntarium igitur praesumptum comprehendit et tacite et interpretative voluntarium — si illud interpretative voluntarium sensu communi accipitur: de quo statim infra.

Exempli causa sume: 1) religiosum petito et accepto consensu superioris librum emere; 2) eundem idem facere, praesente superiore, sed non interrogato, at ita constituto, ut facile contradicere possit; 3) idem facit absente superiore, cum in itinere ex improvise opportunitatem nactus sit, iudicans superiorem consensurum esse, si adiri posset. In primo casu emptio libri superiori voluntaria est *expresse*, in secundo *tacite*, in tertio *praesumptive*.

60 6. Voluntarium *actuale, virtuale, habituale, interpretativum*. Videlicet quod procedit a deliberata voluntate, quae hic et nunc habetur seu actu existit, dicitur voluntarium actuale, vel actualiter voluntarium.

Quod a voluntate oritur, quae deliberato quidem actu nunc non existit, at in praecedenti eiusmodi actus effectu aliquo sese manifestat, dicitur *virtualiter* voluntarium<sup>1</sup>. — Quod a deliberata voluntate neque in se existente neque in effectu quodammodo continuata, sed *habita neque retractata* dependet: *habitualiter* voluntarium est. — Postremo, quod pendet a voluntate, quae re ipsa explicite neque adest neque adfuit, quam tamen adfuturam esse, si homo attenderet vel attendere posset, ex iustis rationibus colligitur, seu *quam implicite adfuisse* recto praesumitur: id illi homini *interpretative* voluntarium dicitur.

Eodem modo distinguitur *intentio* actualis, virtualis, habitualis, interpretativa.

Ex explicatione data etiam patet, actionem alienam quidem mihi voluntariam esse posse etiam habitualiter, aut interpretative tantum, at propriam meam actionem internam voluntariam mihi esse non posse nisi actuali aut virtuali intentione, cum impossibile sit, eam humanam esse seu fieri ex habituali vel interpretativa voluntate. Verum effectus aliquis externus vel actio externa dici alicui potest voluntaria propter voluntarium habituale, ut blasphemiae, rixae etc. in ebrietate commissae.

7. Voluntarium dividitur in voluntarium *explicite* et voluntarium *implicite*, prout voluntatis *obiectum* est, ut *in se ipso* menti observatur,

<sup>1</sup> Exemplum habes in sacerdote, qui distracte baptizat, sed virtualiter voluntarie propter voluntatem, quam concepit conferendo se in templum, assumendo sacras vestes, et quae in subsequentibus actionibus omnibus sese invicem excipientibus perseverat, donec sacris vestibus sese exuerit vel totam actionem finiverit. Si vero quaeris, quid illud re ipsa sit, quo illa voluntas prius concepta perseveret, potes iure cum *Lugo* (De sacram. in gen. disp. 8, sect. 5 et De poenit. disp. 7, n. 40) contendere, esse ipsum voluntatis actum nunc iam confusum et imperceptibilem, qui attentionem nostram vix non fugiat, et cuius rationem nobis reddere non possumus. Quare impossibile est postea recordari actus voluntatis tunc habiti; sed solius effectus, in quo voluntatis perseverantia sese probebat, memoriam habere possumus.



aut tantum ut *in alio obiecto*, quod menti obversatur, contentum. Alio modo illud *implicite* et *explicite* de ipso voluntatis *actu* dicitur, quando unus in altero germine tenus vel aequivalenter continetur. — Priore modo implicite diligo inimicum, si actum dilectionis erga omnes homines in communi elicio, neminem excludens; posteriore modo implicite habeo propositum non peccandi amplius, si explicite dolorem de peccato elicio. — Implicite voluntarium saepe etiam dicitur voluntarium *virtualiter*, cum unus actus contineat in se alterum actum secundum vim et virtutem.

## § 2.

*De interna voluntarii affectione, seu de libero.*

Libertatem philosophi et theologi varie distinguunt. — Ipso genere<sup>61</sup> libertas est quaedam a vinculo vel constrictione immunitas. Ita

1. Libertas *physica* et *moralis* distinguitur: prior dicit immunitatem a vinculo vel influxu physice constringente; posterior immunitatem a vinculo morali seu lege, quam immunitatem certe in multis negare debemus voluntati humanae. At sunt etiam alia vincula moralia et spiritualia, quibus homo constrictus esse possit, ut culpae et poenae reatus: quare loquimur etiam de libertate a peccato, de libertate a poena etc.

2. Libertas *a coactione*, et libertas *a necessitate* intelligitur, si explicatur, quid sit coactio et necessitas. Coactio est vis extrinsecus illata invito; necessitas est vis intrinsecus constringens et indeclinabiliter ad unum aliquid determinans.

Libertas a coactione dicitur etiam libertas *spontaneitatis*, libertas a necessitate libertas *indifferentiae*. Quae posterior proprie libertas voluntatis est. Potest autem esse:

3. Libertas contradictionis aut contrarietatis, specificationis aut exercitii: scil. libertas *contradictionis* est facultas agendi et non agendi, quando in hominis potestate est, utrum velit agere an non agere; libertas *contrarietatis* est facultas aut agendi certum aliquid, aut ipsum contrarium agendi. Libertas *exercitii* est facultas agendi aut plane omittendi actum: a libertate contradictionis igitur vere non differt nisi eo quod libertas contradictionis de singularibus actionibus seu actionum speciebus potius dicatur, libertas exercitii de facultate agendi aut non agendi universim. Libertas solius *specificationis* est facultas inter plures hunc vel illum actum eligendi, ita ut libertas contrarietatis esse possit, non tamen necessario aut semper sit.

Sic si homo agere quidem debet, sed si optio datur *v. g.* sedendi, ambulandi, scribendi etc., habet libertatem specificationis; si potestatem habet amandi aut non amandi, circa hoc habet libertatem contradictionis; si habet potestatem aut amandi aut etiam odio habendi, habet in hoc libertatem contrarietatis; si facultatem habet aut aliquid aut nihil agendi, libertas exercitii est.

I. Hominem seu eius voluntatem vere liberam esse libertate in<sup>62</sup> differentiae, ita ut possit in diversa et contraria ferri, prout voluerit, non solum ratio et experientia perpetua, sed etiam litterae divinae atque catholica fides innumeris locis docent. Cf. Gn 4, 7; Dt 30, 11—20; Eccli 15, 14; Trid. sess. 6, can. 5; Prop. Iansen. ab Inno. X damn. 3. —

Ad idem referuntur laudes et praemia, quae bene agentibus, vituperia et poenae, quae male agentibus proponuntur.

Adversarii libertatis duas potissimum afferunt obiectiones seu rationes contra libertatem. 1<sup>a</sup> ratio est: «Si homo libere ageret, actio esset sine causa; verum actio sine causa est aliquid secum pugnans et experientiae contradicit.» Respondeo, in hoc argumento *maio*rem esse negandam vel distinguendam. Actio enim libera esse potest, neque tamen est sine causa. Est certe sine causa cogente vel necessitante, non tamen sine causa sollicitante et movente. Voluntas attrahitur et inclinatur a rebus quas mens repraesentat, in quantum in iis ratio boni apprehenditur; retrahitur, in quantum apprehenditur ratio mali. Nulla autem res in hac vita apprehenditur ut absolute bona, in qualibet apprehendi et considerari potest aliquid saltem specietenus boni et similiter aliquid mali. Et cum mens humana unum prae altero possit considerare, cum a nullo bono in iis apprehenso plene satiatur, sollicitationibus cuiuslibet obiecti resistere, aversionibus contraire voluntas potest, atque demum eligere quod voluerit. — Nihilominus plerumque sinit se attrahi et determinari ab iis quae mentem magis percipiunt, appetitum vehementius excitant, paucis quae appetitui inferiori placent. Verum agere aliter potest, et non raro aliter agit.

63 2<sup>a</sup> difficultas petitur ex statistica, ex qua patere dicunt, existentibus iisdem causis, homines eadem constanter agere solere; idque tam certum esse, ut in his quae statistica doceat, scientiae practicae et regulae vivendi secure nitantur. Quod aiunt, impossibile esset, si homo pro libertate et libitu haec posset perturbare. — *Resp.*: Haec solum probant, homines plerumque re ipsa agere secundum ea quae vehementius sollicitant; ideoque in magna hominum multitudine certus agendi modus *praev*ideri et cum maxima probabilitate eum aliquis ex praeteritis coniectari potest. Verum inde non fit, hominem non libere ita agere vel aliter eum agere *non posse*. Id enim, ut de aliis argumentis nunc taceam, ex sola experientia refellitur, si *vel in uno* casu hominis singularis regula statisticae fallit. At eam in singularibus casibus quam saepissime fallere, res est notissima. Ars enim statistica nihil aliud statuere *vult*, neque aliud statuere potest, nisi inter millenos et centies millenos casus certum eventuum numerum cum morali certitudine eventurum esse. Quod non solum statistica, sed quilibet catholicae Ecclesiae confessarius, cuius munus in libertate humana essentialiter fundatur, adeo novit, ut secundum hanc certam experientiam omnia sua monita et praecepta poenitenti danda dimetiri soleat. Cf. *Th. Meyer*, Institutiones iuris naturalis I<sup>2</sup>, n. 1142; *Cathrein*, Moralphilosophie I<sup>4</sup> 30—50; *Mach*, Die Willensfreiheit des Menschen, Paderborn 1894, imprimis c. 5 «Einwendungen» p. 150 sqq.

64 II. Quamquam generatim actus voluntatis liberi sunt, tamen voluntarium et liberum non sunt idem, neque plane possunt converti.

Nimirum 1. sunt actus voluntatis necessarii tum quoad exercitium, tum quoad specificationem, ut actus, quo beati Deum amant.

2. Circa aliquod obiectum etiam homo in hac terra liber proprio sensu non est, sed necessario in illud fertur amando, quando actum voluntatis erga illud ponit: scil. circa boni speciem universam atque communem. Haec enim est voluntatis interna et necessaria natura, ut, quidquid velit seu amplectatur, sub ratione boni velit et amet, sub ratione mali nolit et aversetur. — Verum quoniam omnia bona singula, immo ipsa summi boni



assecutio, saltem specie tenus quoddam malum seu difficultatem coniunctam habent, homo his in terris in singulis bonis separatim volendis et amplectendis per se liber est.

3. Neque eadem extensione vel potius intensione de actibus liberis utrumque, i. e. sive voluntarium sive liberum, praedicari potest. Sunt enim causae quaedam, quae diminuunt liberum, voluntarium secundum quid augeant, ut infra in seq. artic. dicitur.

Si quis igitur semel hos limites intellexit, practice liberum et voluntarium converti possunt et confundi, cum, quidquid liberum est, voluntarium necessario sit, et quidquid perfecto sensu voluntarium est in concreto, apud homines etiam sit liberum.

III. Ipsum autem liberum non est aliquod elementum reale distinctum a voluntario, quod actui inhaeret, sed si eius essentiam quaerimus, dicendum est, essentiae voluntarii solum addi relationem dependentiae internae a potentia eliciente actum et simul habente potestatem illum suspendendi sive oppositum eliciendi.

Aliis verbis: Liberum consistit in eo, ut 1. adsit voluntarium et ut 2. hoc voluntarium dependeat intrinsecus a facultate (voluntatis), quae, *dum elicit actum*, habeat *potestatem non eliciendi*, i. e. suspendendi vel contrarium ponendi. Unde patet, libertatem *formaliter* et maxime proprie *de facultate* edici, actum autem propter dependentiam ab illa facultate et quasi fluxionem ex ea liberum nominari.

Ita communius et Thomistae docent, et plurimi alii scriptores, ut Suarez l. c., Vasquez in 1 2<sup>o</sup> S. Thom. disp. 55, n. 13, Ripalda, Oviedo, Tanner, Disput. theol. l. 2, disp. 1, n. 2, Scotus eiusque schola, ut Mastrius, De anima l. 1, disp. 7, n. 68. Cf. prae aliis Frins, De act. hum. I, n. 85 sqq.

Praetermissis aliis rationibus, quae videri possunt apud Suarez l. c. sect. 3, haec una sit: Stante *eodem actu*, omnique positivo voluntatis influxu eodem manente, ratio libertatis augeri et minui potest, immo etiam tolli: ergo quod libere agatur, id non potest in aliqua nova realitate constitui. Nimirum si accedit vehementia passionis, liberum diminuitur; si advertentia rationis intenditur, libertas augetur, licet maneat *idem* nisus voluntatis.

### § 3.

#### *De variis voluntatis actibus.*

I. Primus actus dicitur *simplex voluntas*, nimirum prima inclinatio voluntatis in obiectum propositum tamquam per se amabile, vel *simplex* amor seu complacentia.

Quando enim obiectum aliquod, ut in se et per se amabile menti observatur, et voluntas erga illud afficitur, haec illud vult propter se, ad aliud nihil attendens. Dicitur *simplex* voluntas vel amor, quia alium actum voluntatis nullum supponit neque includit: simplex vel inefficax complacentia, quia nondum dicit illam tendentiam, qua *intentio* obiectum suum prosequitur *obtinendum*. Cf. Lugo, De poenit. disp. 4, n. 2.

Ille autem primus actus non potest versari nisi circa illud, quod voluntas pro fine habet; nam solus finis *propter se* amabilis est et amatur, atque solus actus voluntatis circa finem alium actum non supponit.

II. Secundus actus dicitur *intentio*: quod est voluntarie tendere in aliquid, ut hoc assequamur. Intentio, supposito amore, est *desiderium*; seu desiderium est intentio in rem amatam: potius autem de desiderio efficaci quam de inefficaci nomen intentionis adhibetur.

Distinguitur ergo intentio a simplici voluntate, eo quod haec tendat in obiectum sub simplicissima ratione boni in se, illa sub ratione *boni* investigandi et *obtinendi per media*. — Hinc patet, Deum non intendere suam felicitatem, attamen eam velle et amare.

Obiectum intentionis per se *finis* est, seu id, quod pro fine habetur. Attamen aliquo modo etiam circa media versatur, scil. saltem circa media in genere, immo circa medium determinatum simul cum fine implicite versatur, si hoc medium necessarium est.

Quare 1) stante intentione finis, volitio medii necessarii aliquo sensu *necessaria* est: verum simpliciter eiusmodi volitio libera est, quoniam voluntas semper a volendo fine atque ita etiam a volendo medio recedere potest. Immo maiorem etiam libertatem huic actui communiter competere, quod necessarium non sit, eum tanto affectu tantaque intensitate, aut in ipso hoc «instanti» poni, vide apud *Lugo*, De incarn. disp. 26, n. 106.

2) stante sola finis intentione pure et simpliciter, necessaria est illius medii electio, quod magis conducit ad finem: nam si finis volitus tota ratio est volendi medii, neque ulla alia ratio volendi reprobandive, id eligi necesse est, quod magis et melius cum fine cohaereat. — Hinc principium statuitur: Electio (medii) est secundum intentionis (scil. finis) mensuram.

67 III. *Electio*, prout aliquem principalem actum voluntatis specificum dicit, est efficax volitio alicuius rei particularis, quae propter aliud amatur.

Quare non solum — id quod proprie *eligere* est — ex pluribus propositis unum aliquid prae ceteris sumere electio dicitur, sed etiam *unici medii* ad finem necessarii *voluntaria assumptio* hoc nomine vocatur.

Obiectum electionis est medium particulare sub ratione boni utilis. Quoniam autem est efficax volitio, versari potest solum circa ea, quae a nobis fieri possunt, aut quae fieri posse putamus.

Quamquam electio formaliter circa media versatur, tamen in ipso illo actu semper aliquo modo finem volumus et amamus, etsi forte interdum *virtualiter* tantum. Nam quando unum propter aliud amatur, illud, propter quod hoc unum amatur, est maxime, quod voluntatem impellat et moveat. Immo videtur intellectus semper in confuso saltem illam relationem unius ad aliud concipere, et voluntas formaliter sub illa relatione ad aliud quid hoc unum amplecti: quod est *saltem virtualiter* hoc velle, nisi dicamus *formaliter implicite vel in confuso*. At nihil obstat, quin magis explicite et expresse etiam finis menti obversetur et in eodem actu, quo medium, a voluntate ametur; potest enim voluntas simul ferri in plura obiecta per modum unius. Quo etiam fit, ut actus *intentionis* (quo finem efficaciter volumus) et actus *electionis* (quo volumus efficaciter medium) realiter et physice possint non distingui, possint etiam distincti actus esse; at formalitate sua diversi sunt semper.

IV. *Usus* dicitur actus voluntatis, qui respicit executionem; est igitur natura sua electione posterior.

Verum eiusmodi actus distinctus ab electione adesse omnino quidem potest, non autem semper est necessarius. Nam si voluntas per actum electionis amplexa est medium cum omnibus circumstantiis concretis, hanc efficacem voluntatem statim sequitur executio, siquidem de actione hic et

nunc ponenda agatur, neque necesse est, ut *reflexe* voluntas hanc executionem velit. At quia reflexe eam velle potest, sequitur, illum voluntatis actum, qui *usus* vocatur, posse esse distinctum.

V. *Imperium*. Imperare hominem sibi ipsum *aliquo modo* posse, experientia constat. Est autem imperare alicui absolutam voluntatem intimare: quod formaliter compleitur *per rationem*, (si ad alterum imperium dirigitur, externa debet accedere manifestatio) et supponit voluntatis actum.

Quod autem quaeritur, utrum et quo sensu in qualibet deliberata actione *imperium* occurrat: dicendum est, 1) imperium, quod necessarium sit, essentialiter *in ipso iudicio practico* consistere, quod electionem antecedit, aut etiam electionem, quando non est omnino determinata ad executionem, subsequitur, antecedit autem actum voluntatis qui *usus* vocatur; 2) illud iudicium practicum supponit voluntatem eamque — si verum imperium est — efficacem; 3) cum illo iudicio ultimo practico manente coniungitur necessario electio aut executio; attamen propterea minime sequitur intellectum voluntati necessitatem inferre, quia ille actus intellectus *supponit efficacem finis volitionem*, quae, cum primum cessat, cessat iudicium practicum omnisque eius sequela —: verum efficax finis volitio potest quolibet momento cessare pro hominis arbitrio, ita ut tota haec eligendi et exsequendi *necessitas tantummodo consequens* sit, dependeatque ab ipsa voluntate; 4) praeter illud iudicium practicum *potest* quaedam interior locutio accedere, quae imperii nomen meretur, et qua homo se ipsum urget et animat ad agendum, eligendum, exsequendum: quod necessarium non est, est tamen utile, quoniam homo ita fit sibi ipse quasi superior voluntatemque excitat ad alacrius et constantius agendum. Cf. *Suarez*, De volunt. disp. 9, sect. 3.

Imperium voluntatis tendere potest tum 1. in actus exteriores, quibus, quod homo voluit, executioni datur, tum 2. in actus ipsos internos, etiam voluntatis, quoad exercitium eorum, tum 3. etiam in alios voluntatis actus specifico motivo diversos, ita ut timor poenae v. g. imperare possit actum amoris, amor vel religio actum fidei etc.

VI. Hucusque fere de actibus diximus, qui sunt *motus in finem*, qui nondum possideatur. Quando igitur voluntas *finem suum assecuta* est, in eo quiescit: qui actus *fruitio sive gaudium* est.

*Obiectum* igitur fruitionis et gaudii principaliter *finis* est seu id, quod pro fine a voluntate habetur — accuratius omne id, quod a possidente ratione sui amatur. Nimirum etiam in ea re, quae pro medio appetitur, potest aliqua ratio boni esse *in se amabilis*: quod si est, nihil impedit, quin eatenus etiam gaudium de ea capiatur, idque licite, si res honesta est, alias illicite.

Gaudium autem non potest esse ultimus finis agentis; aliis verbis honestum non est *exclusive et ultimatim propter* gaudium operari: cum gaudium versetur circa bonum, quod sit consequens ad amorem finis, eiusque obtenti, seu bonum sub ratione *delectabilis*; attamen inhonestum non est cum gaudio operari atque adeo *simul etiam propter* gaudium, modo ne sit de re inordinata.

Presse autem *delectatio* dicitur de bono *sensibili*; *gaudium* presse de bono *rationali*; *fruitio* de utroque dicitur, at restringitur ad bonum *proprium*, cum gaudium dici possit et haberi circa bonum *alienum* tamquam amici. Quo fit, ut honestissime gaudere possimus de bonis Dei Eiusque infinita felicitate; frui autem possimus tantum bonis divinis, quatenus ea ipsi possidere possumus.

Perfecta igitur fructio habebitur, si finem perfecte assecuti fuerimus, in coelesti beatitudine, imperfectam autem etiam nunc habere possumus circa bona coelestia, quatenus spe ea possidemus.

## § 4.

*De voluntario indirecto et in causa speciatim considerato.*

70 **Praenotanda.** Divisio voluntarii in voluntarium *in se* et *in causa tantum*, in voluntarium *positivum* et *negativum* — alio nomine in voluntarium *directum* et *indirectum* — summi momenti est, et maxime attendenda, quando diiudicari debet actionis vel affectus mali imputatio. Quare hac de re fusius tractandum, et enucleatius videndum est, quando et quo ambitu effectus aliquis mihi imputetur et vere mihi voluntarius dici debeat, qui aliquo modo cum mea actione aut omissione conecitur. Quae conexio diversa esse potest pro diverso *gradu* causalitatis, quam mea voluntaria actio in effectum aliquem consequentem exercet, et pro diversa *causalitate*, quae fortasse etiam ab aliis causis in illum effectum exercetur.

Uberem applicationem haec omnia habent, quando de cooperatione cum aliorum peccatis agitur: quapropter hoc loco solum summa rei capita attingam.

Primo in mentem revocandae sunt diversae causae, quae esse possunt:

71 1. causa *physica* et *moralis*, prout ipsa physice agendo effectum vel aliquid effectus producit, aut suadendo, iubendo etc. alteram causam ad producendum effectum movet seu determinat.

2. causa *immediata* et *mediata*, prout effectum ipsum in se attingit, aut tantum interposita altera causa. Hinc causa *moralis semper est mediata*, causa physica aut mediata aut immediata esse potest.

3. causa *proxima* et *remota*, prout nihil vel fere nihil intercedit inter causam et effectum, ita ut eo ipso quod causa ponatur, effectus etiam sequatur vel communiter certo secuturus sit; aut plura alia intermedia sunt inter causam et effectum, ita ut effectus communiter tantummodo sequatur, si aliae etiam concausae vel circumstantiae accedant. — V. g. tecto subicere ignem causa proxima conflagrationis est; ita prelum in typographia versare causa proxima libri imprimendi est, at chartam praeparare est causa remota. — Fere igitur coincidit haec divisio cum praecedente. Attamen in rigore fieri potest, ut causa non omnino immediata, tamen proxima dici debeat.

4. causa *per se* et causa *per accidens*, prout causa ex natura sua seu intrinsecus ita comparata est, ut influxum exercent in effectum, de quo agitur, aut influxus ille tantummodo aliis occurrentibus circumstantiis adest. Ita in exemplo supra allato tecto ignes subicere domus comburendae *causa per se* est; sed in loco remoto ignem accendere, quem ventus ex improvise exortus in tectum domus conicit, incendii causa *per accidens* est. Similiter exponere auditoribus in publica chimiae lectione virtutem alicuius veneni causa *per accidens* est vel *ocasio* homicidii, quod aliquis ex auditoribus postea machinatur; at quaerenti medium inimici occulte occidendi talis veneni virtutem exponere causa *per se* homicidii est dicenda.



Addita est modo *ocasio* seu *causa occasionalis*, quae etiam minus, quam causa per accidens, cum effectu cohaeret, adeoque nomen causae proprie non meretur, sed potius ansam praebet, qua alter utitur ad producendum effectum.

5. causa *graviter* et causa *leviter influens* (est subdivisio causae per se), prout influxus ille in ordine ad producendum effectum valde notabilis est, aut contra adeo parvus, ut plerumque effectus non sequatur (vide quae dicta sunt de causa proxima et remota). — Vix non eadem est distinctio inter causam *de se efficacem* et *de se inefficacem*.

6. causa *positiva* aut *negativa*, prout vera actione in effectum influit, aut sola omissione actionis debita.

Istarum diversarum causarum distinctio attendi debet, 1. quando agitur de effectu aliquo vel motu inhonesto ex certa actione oriundo; 2. quando agitur de scandalo, quod alter ex mea actione sumit vel patitur; 3. quando agitur de damno alterius, quod propter meam actionem incurrit.

**Principia:** I. Si negative tantum confero ad aliquem effectum: <sup>72</sup> ille mihi ut *causae* negativae adscribi nequit, nisi obligationem habuerim eum impediendi. Aliis verbis: si deliberate omitto aliquid agere, quod agere possum, seu si positive illud agere nolo, haec *omissio vel nolitio* recte quidem mihi voluntaria dicitur; non vero *effectus, qui coniungitur*, vel quem, cum possim, non impedio, nisi eum impediendi obligatio sit.

II. Si vero non negative tantum, sed positive aliquid ad effectum malum confero, haec tenenda sunt: Licet ponere actionem, ex qua duo effectus oriuntur, bonus alter, alter malus, modo 1. actio *in se* sit honesta vel saltem indifferens, 2. effectus malus ne intendatur, sed bonus (in quibusdam rebus addi potest: neve sit periculum pravae intentionis vel pravi consensus postea secuturi), 3. effectus bonus saltem aequae immediate atque effectus malus, i. e. non mediante effectu malo, sequatur, 4. adsit causa relative gravis ad effectum malum permittendum. *Noldin* I<sup>7</sup> 82 sq.

III. Qui omittit actionem effectus mali impediendam, aut ponit <sup>73</sup> actionem effectus mali causantem, peccat, etsi effectum illum non intendit, quando sequentes conditiones simul adsunt:

1. si aliquo modo, saltem in confuso, effectum malum praevidit,
  2. si effectum malum sive agendo sive omittendo impedire potuit,
  3. si ad normam princip. I et II obligatio praecavendi adfuit.
- Noldin* I<sup>7</sup> 81.

**Videlicet:** 1. Nisi obligatio impediendi effectum adest, mihi ut causae adscribi plane nequit effectus ille a me negative dependens, qui semper aliam causam seu alienam actionem requirit. Nam 1) non potest mihi adscribi ut causae physicae, utpote qui nihil agendo nihil efficiam; neque 2) ut causae morali, utpote quacum aliena actio, quam solum non impedit, ex hoc tantum coniecti possit, quod impedire debeat: alius nexus nequit intelligi.

Qualis vero obligatio impediendi effectus mali adsit, repetendum est aut ex speciali obligatione religionis, aut ex speciali titulo iustitiae vel officii, aut ex communi lege caritatis. Postrema haec caritatis lex plerumque non obligat cum incommodo adeo gravi.

2. Posse me autem aliquando etiam permittere, ut ex mea *positiva* actione praeter bonum effectum etiam malus sequatur, videtur ex iis, quae modo dicta sunt, sequi. Sicuti enim non teneor omnia alia mala impedire, ita neque teneor abstinere a prosecutione boni, ut impediam quaslibet malas sequelas. Totum negotium consistit in determinandis conditionibus, sub quibus effectus malos permitti liceat.

3. Conditionum vero, quae supra enumeratae sunt in principio II, prima et secunda per se intelliguntur. Cur tertia conditio requiratur, ratio haec est, quia, si effectus malus magis immediate sequitur, et effectus bonus mediante malo, adhibes medium malum ad attingendum finem bonum: quod sane illicitum est. — Quartae tandem conditionis necessitas etiam per se evidens est<sup>1</sup>. Scilicet causa illa permittendi effectum malum sita est in ipso effectu bono, vel in bonis illis, quae etiam ex mea actione oriuntur.

Verum eo gravior causa esse debet:

- a) quo propinquius effectus malus cum actione mea cohaeret;
- b) quo peior ille effectus est tum in se, tum relate ad damnum aliorum, quod fortasse sequitur;
- c) quo certius, me non agente, effectus malus impediatur;
- d) quo magis necessaria est actio mea, ut effectus ille malus locum habere possit vel revera locum habeat. Cf. *Noldin* I<sup>7</sup> 83.

74 4. Concludes igitur: 1) Qui non monet alterum inscium ieiunii vel abstinentiae legem violantem, peccat et violatae legis ecclesiasticae aliquo modo reus fit, si ex aliqua ratione sive superioritatis sive scandali cavendi etc. obligationem habet monendi; alias non peccat.

2) Qui alterum occisionem tertii machinantem, cum possit, non impedit, occisionis secutae reus est, quia caritas postulat, ut tantum malum a tertio avertatur, si modo sine nimio incommodo proprio fieri possit.

3) Belli dux, qui in iusto bello devastat agros hostiles ad frangendas hostium vires, non peccat, quamquam multi incolae innocentes damnum ferunt: frangere enim hostes summi momenti effectus bonus est, ad quem immediate ius habet adversarius et qui aequae immediate oritur ac damnum innocentium.

5. Principium III aliquibus exemplis declarabo: 1) Ebriosus, qui aliqua ratione praevidet, se in statu ebrietatis blasphemias, rixas, impudicitias etc. perpetraturum, se *inebriando* simul illorum peccatorum reus fit.

2) Peccat navarchus, qui videns, se incitato cursu navis alteram navim facile eversurum esse, nihilominus, ut aemulam praeveniat, cursum non moderatur.

3) Qui ponit actionem, ex qua sequitur pravus motus, si actio leviter tantum influit, ex causa qualibet honesta a peccato excusatur, modo absit periculum consensus; si causa omnis honesta deest, venialiter peccat. Ni-

<sup>1</sup> Alii quartam illam conditionem sic enuntiant: modo effectus bonus malo effectui praeponderet, vel saltem eum compenset. Quod verum quidem est; at ut rite intelligatur, id attendi debet, effectum bonum *in se minorem posse praeponderare* prae effectu malo in se graviore, si malus remote tantum, bonus effectus proxime cum actione cohaeret: quare satius duxi, hanc compensationem silentio praetermittere.



mirum influxum levem non tenemur sub gravi cavere, nisi grave periculum consensus accedit.

4) Qui ponit actionem aut omittit obligationem, ita ut ex illa actione vel omissione effectus malus sequatur, iusta ratione non existente, reus fit coram Deo illius mali effectus tum, quando causam ponit, nec quidquam mutatur, si effectus postea per accidens secutus non est.

## Articulus II.

### De voluntarii et liberi obstaculis.

Voluntario opponuntur tum ea, quae immediate et directe voluntatem afficiunt, tum ea, quae cognitionem impediunt, siquidem «nihil volitum, nisi praecognitum».

Cognitioni opponitur *ignorantia* et *error*. Voluntatis appetitus, vel saltem eius libertas impedimentum habet in *concupiscentia* et *metu*.

#### § 1.

*De ignorantia et inadvertentia, ut voluntarii et liberi impedimentum est.*

Cf. S. Thom. I, 2, q. 6, a. 8 et q. 3 *de malo*, a. 7; Billuart, De act. hum. diss. I, a. 9; Reuter p. I, n. 22; Ballerini-Palm. I 35 sqq; Noldin I<sup>o</sup> 47 sqq; Frins, De act. hum. I 313 sqq; Huber, Die Hemmnisse der Willensfreiheit; Bößmer, Störungen im Seelenleben, et Die Grundlagen der Seelenstörungen.

Ignorantia generatim definitur: carentia ulterioris scientiae.

75

Divisio. Illa ignorantia seu carentia est aut *negativa*, aut positiva sive *privativa*. Prior ea est, quae excludit ab homine scientiam ulteriorem possibilem quidem, sed *non debitam*; posterior, quae excludit illam, quam homo ille *habere debet*.

Ignorantia *iuris* aut *facti*: prout in abstracto lex seu generalis norma agendi nescitur vel quod ad eam pertinet, aut singulare aliquod factum seu concreta quaedam circumstantia ignoratur. Sic qui nescit, feria sexta abstinentiam esse servandam, est in ignorantia iuris; qui ignorat, hanc diem esse feriam sextam, in ignorantia facti.

Ignorantia *vincibilis* aut *invincibilis*: prout adhibita diligentia debita deponi potest vel potuit, aut id fieri nequivit. (Dixi: «adhibita debita diligentia»; nam etsi diligentia utcumque possibili deponi potuit, id tamen non sufficit, ut dicatur *vincibilis* ignorantia sensu morali. Ut igitur sensu morali vincibilis ignorantia dicatur, quae imputari possit, requiritur, ut adfuerit seu ab homine perceptum sit officium vel obligatio ignorantiae depellendae.)

Ignorantiae vincibilis triplex gradus distinguit: 1. ignorantia *vincibilis simpliciter talis*, quando studium aliquod eam depellendi adhibetur, sed non sufficiens prout debebatur; 2. ignorantia *crassa* vel *supina*, quando nullum vel vix ullum studium eam depellendi adhibetur; 3. ignorantia *affectedata*, quando studiose a medio assequendi veritatem aliquis refugit, ne a proposito suo retrahatur.

*Ignorantia culpabilis* aut *inculpabilis*, prout in ignorantia non depellenda peccatum commissum est aut non est. Quid igitur secundum conceptum suum sit ignorantia graviter et leviter culpabilis, per se intelligitur. Id tantum adverte, *culpabilem simpliciter* dici ignorantiam graviter culpabilem vel saltem ex perfecta advertentia culpabilem, leviter vero seu imperfecte culpabilem ignorantiam potius confundi et comparari cum ignorantia inculpabili. — Sequitur:

1. Ignorantia invincibilis non est voluntaria neque culpabilis.

2. Ignorantia vincibilis voluntaria est saltem indirecte vel in causa, atque ita, si de ea re, cuius notitia praescribitur, haec ignorantia exsistit, culpabilis est.

Ignorantia *antecedens* aut *consequens*, prout antecedit omnem voluntariam negligentiam, aut hanc voluntariam negligentiam inquisitionis subsequitur. — Hinc habes:

1. Ignorantia antecedens invincibilis est, siquidem prima de re cogitatio non est in libera potestate, sed, ut a scriptoribus dicitur, «naturalis».

2. Ignorantia subsequens voluntaria, vincibilis et pro re nata culpabilis est.

Aliqui definiunt ignorantiam antecedentem et consequentem ex eo, quod antecedit aut sequatur mentis advertentiam. Attamen praeferebam duxi vocem «voluntariam inquisitionis negligentiam», quo indicetur, non sufficere qualemcumque advertentiam, sed requiri advertentiam ad *obligationem inquirendi*, ut dicatur ignorantia morali sensu consequens.

Quoad ea, quae ignoranter ab homine aguntur, eorumque sequelas, haec teneri debent

76 **Principia.** I. Ignorantia invincibilis aufert ab iis, quae ex ea aguntur vel sequuntur, voluntarium, i. e. facit aut involuntarium aut saltem non-voluntarium, nec illa ad culpam imputari possunt: quia nihil volitum, nisi praecognitum, e. g. occisio hominis, submissa tegula, cum hominem ibi latere ne suspicari quidem potuerim.

II. Ignorantia vincibilis ab iis, quae ex ea aguntur vel sequuntur, voluntarium non aufert, sed generatim minuit; id quod etiam de culpa dici debet, si agitur de malis, quae ex actione ignoranter facta oriuntur; sume e. g. temerariam in hominem explosionem sclopeti, cui globulum immissum esse debebam suspicari.

**Videlicet:** 1. *Ignorantia invincibilis*, si causa est, cur aliquid agam, alioquin non acturus, facit actionem meam et sequelas *involuntarias*. Si nihilominus egissem, etsi ignorantia non laborassem, ignorantia fecit actionem secundum ignoratam circumstantiam cum sequelis huius circumstantiae solum *non-voluntariam*. Dicitur haec ignorantia *concomitans*.

Adverte tamen, ignorantiam qua talem non posse esse nisi negativam causam agendi, debet igitur positiva cognitio sive vera sive falsa accedere, quae positive ad agendum moveat: secundum hanc positivam cognitionem voluntarium utique adest.

Exemplum habes, si dives pauperi cuidam peregrino ignoto, qui re ipsa eius frater est, largitur eleemosynam, nihil interim suspicans de pauperis cognatione. Est error concomitans. Largitio eleemosynae est vere volun-

taria, determinata autem *pietatis* circumstantia, ut sit erga cognatum, non est vere voluntaria, nisi forte habitualiter.

2. *Ignorantia vincibilis* voluntaria est; ergo omnes effectus, qui ex tali<sup>77</sup> ignorantia oriuntur seu non impediuntur, vel qui cum tali ignorantia fiunt, voluntarii dici debent, cum in confuso praevisi fuerint eo ipso, quod homo ignorantiam culpabiliter et voluntarie sustinuit et produxit.

Attamen generatim minuitur voluntarium. Nam formalis cognitio malae actionis vel mali effectus non adest, sed solummodo adfuit cognitio malitiae in confuso. At voluntas eiusque culpa sequitur gradum cognitionis. Ergo quando cognitio non fuit tanta nec tam clara, sed confusa tantum et implicita, ne voluntatis quidem tendentia tantam malitiam habet.

Dixi *generatim* minui voluntarium; excipienda est aliquatenus ignorantia *affedata*. Qui enim studiose declinat notitiam legis, ne a proposito retrahatur, ostendit, sibi rem propositam in se quam maxime cordi esse et voluntariam dici debere. Verum etiam in tali ignorantia res illa qua legis violatio *potest* esse minus voluntaria. *Est* revera, si homo ita comparatus est, ut, si legem certo cognosceret, propositum exsequi non auderet: *non est* minus voluntaria, si legis cognitionem propterea tantum devitat, ut praetextum habeat impunius peccandi, de cetero legem ipsam nihil curaturus.

3. Quod de ignorantia invincibili dictum est, valet etiam de *perfecta inadvertentia* et oblivione, *si re ipsa adest*. At obvia aliqua circumstantia malitiae, quam agens habitualiter scit, vix umquam ita oblivioni vel inadvertentiae tradi potest, ut non sit sufficiens cognitio ad malitiam contrahendam. Ita v. g. quis non rideat sacerdotem vel religiosum, qui contra castitatem peccaverit, dicentem, se ad votum sive statum sacrum nullatenus attendisse!

Ex dictis concludes: 1) Qui percussit sacerdotem, quem plane nescivit<sup>78</sup> esse sacerdotem, reus quidem est percussiois, neque tamen sacrilegii. — Aut qui peccans cum muliere nescivit, eam esse suam cognatam, reus quidem est fornicationis vel adulterii, neque tamen incestus.

2) Qui nesciens esse diem ieiunii, at suspicans non inquit atque ita ieiunare omittit, peccat, quia ignorantia vincibilis et culpabilis erat. — Similiter qui advertens sibi debitam scientiam muneri rite implendo deesse, reus est erroris, quem ex ignorantia committit, vel etiam quem probabiliter commissurus est, quando pergit voluntarie munus, cui impar est, gerere.

3) Qui studiose declinat inquirere, num sit dies ieiunii aut dies festivus, et propterea ecclesiasticae legi implendae deest: violatae legis utique reus est, immo reatum illum coram Deo contrahit, etsi re ipsa dies ieiunii aut festus non sit.

De *errore*, ut distincto ab ignorantia, specialia addere vix opus<sup>79</sup> est: nam error duplex in se continet elementum, negativum quo ignoretur veritas, et positivum quo putetur verum quod verum non est. Quod igitur ex errore procedit, secundum positivum elementum est sane voluntarium; secundum elementum negativum nihil est, quod addamus, quia ipsa ignorantia est. Immo ignorantia quae dicitur raro sine ullo errore existit.

## § 2.

### *De concupiscentia.*

1. Concupiscentia secundum *S. Thom.* 3, dist. 26, q. 1, a. 1 dicitur<sup>80</sup> motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni et mali.

Est igitur appetitus inferior, non rationalis. Pressiore sensu dicitur de solo *appetitu boni sensibilis*, latiore sensu de quolibet *motu appetitus inferioris*, seu de qualibet passione quatenus obiectum suum *prosequitur* et ad aliquid *impellit*, etiam v. g. de ira: hoc latiore sensu hic accipitur.

Haec autem concupiscentia multum in *deliberatam* hominis voluntatem influit, ut experientia nimis constat; nam homo saepissime, quae sensibus placent, approbat eaque voluntaria electione sequitur; immo adeo vehementes esse potest concupiscentiae nisus, ut voluntatem quodammodo secum captivam trahat.

2. Concupiscentia distinguitur et *antecedens* et *consequens*. Concupiscentia *antecedens* ea est, quae in parte sensitiva oritur antecedenter et independenter ad omnem voluntatis consensum vel imperium, sed ipsam potius voluntatem attrahit et ad consensum sollicitat.

3. Concupiscentia *consequens* ea est, quae voluntatis consensum vel imperium subsequitur, et dependenter a voluntate vel oritur vel adest. Quod tribus modis fieri potest: 1) per quamdam *naturalem redundantiam*; vehementior enim voluntatis affectus etiam sensibilem hominis partem afficit atque naturali sympathia commovet: habetur concupiscentia *indirecte* voluntaria; 2) per *voluntatis imperium*, quando homo ex industria sensibilem partem excitat, quo maiore vi totus in obiectum, quod appetit, feratur: habetur concupiscentia *directe* voluntaria<sup>1</sup>; 3) per voluntatis *consensum in concupiscentiam antecedentem*: per talem enim consensum concupiscentia antecedens transit in consequentem (vel ei aequivalet); quod cum plus minusve perfecte fieri possit, potest existere concupiscentia antecedens et consequens secundum quid, et perfecte aut imperfecte consequens.

81 Quibus declaratis, sint haec **principia** (cf. *S. Thom.* 1, 2<sup>ae</sup>, q. 6, a. 7; *Reuter* I, n. 21; *Billuart*, De act. hum. diss. I, art. 8; *Frins*, De act. hum. I, n. 295 sqq).

I. Concupiscentia simpliciter antecedens non est voluntaria; itaque etiam in re obiective mala neque ipsa concupiscentia antecedens neque quod ex ea, *quatenus antecedens est et manet*, oritur, peccaminosum esse potest.

II. Concupiscentia omnino, etiam quoad originem, consequens tum in se tum relate ad effectus omnes aliquo modo praevisos plane voluntaria est. — Voluntarium igitur nullo modo minuit, sed potius auget. Attamen *quod ex illa* concupiscentia fit, *formaliter* minus liberum minusque perfecte voluntarium est; non vero minus perfecte, sed perfectius est voluntarium *in causa*, et plenissime est imputabile. Sume v. g. hominem, qui studiose furorem in se excitat, quo audacius inimicum occidat.

<sup>1</sup> Quodsi concupiscentiam non pro solo nisu in rem obiective malam concipias, sed pro qualibet passione, quae etiam circa res omnino honestas versari potest, haec voluntaria excitatio passionis pro rerum natura et conditione potest esse honestissima.



III. Consensus in concupiscentiam antecedenter ortam, cum faciat eam voluntariam et consequentem, reddit eam in re mala peccaminosam, eoque magis, quo magis in potestate hominis est eam reprimere: quare tunc vocanda est concupiscentia simpliciter consequens, *antedens* solum *secundum quid* (i. e. quoad originem, non quoad praesentem statum). Haec concupiscentia, quamquam voluntarium imperfecte sumptum auget, perfecte sumptum seu liberum tamen minuit, ita ut etiam quod ex tali concupiscentia fit minoris sit malitiae.

Attamen, ubi primum voluntas simpliciter plenum consensum dedit, malitia in re gravi mortalis manet; solum propter actus imperfectionem fieri potest, ut evadat venialis. Quodsi ratio plene perturbetur seu auferatur, de consensu et malitia nullatenus sermonem esse posse patet.

Uberioris explicationis causa nota: 1. Concupiscentia omnino antecedens <sup>82</sup> vocatur *motus primo-primus*; si post advertentiam semiplenam non repellitur vel si imperfecte ei assentitur, *secundo-primus*; plenus consensus efficit *motum secundum*.

2. A consensu distinguit potest **non-repulsam**.

Difficilis hic agitur quaestio, num non solum per consensum positivum, sed etiam per non-repulsam, postquam plena adfuerit advertentia, motus concupiscentiae, maxime in re venerea, plene voluntarius et mortaliter peccaminosus fiat: aliis verbis, num in motibus pravis, qui a voluntate non procedant formaliter, liceat citra culpam vel citra gravem culpam neutram seu «*neutralem*» tenere voluntatem. Ad quam quaestionem respondeo:

1) Speculative loquendo, modo absit periculum consensus, id grave peccatum non est: quapropter id etiam practice loquendo usui esse potest, quo securius plane iudicetur, grave peccatum abfuisse in hominibus nimis timoratis, qui putent, se positive non dissensisse.

2) Practice loquendo relate ad eos, qui timoratae conscientiae non sunt, timendum est, ne graviter peccaverint, nisi saltem post *plenam* advertentiam elicuerint v. g. actum positivae displicentiae; minus etiam a veniali culpa immunis censi potest, qui nulla excusante causa in periculosa illa re ab omni voluntatis actu cessare ac nihil agere velit.

3. Aliud autem est positive resistere, aliud directe impugnare. Prius per se faciendum est, posterius in re venerea ne semper quidem consulendum est. Nimirum hoc vitium fuga et indirecta impugnatione vincitur, avertendo a cogitatione rerum turpium animum aliisque rebus serio occupando. Quodsi corporalis resistentia in turpi motu adhibeatur, laborem vel dolorem subeundo, qui exstinguat delectationis sensum: haec directa impugnatio — modo discrete fiat — utique licet, at raro ex praecepto necessaria est.

Sola autem voluntatis dissensio ad positivam resistentiam pertinet; neque illa ut continenter fiat, si tentatio diu perdurat, requiritur: attamen cum humili oratione interdum iteranda est, ne periculum cadendi augeatur.

Praestat audire, quid *Laymann* l. 1, tract. 3, c. 6, n. 8 de illa re dicat, et quomodo conversio ad alia iam contineat positivam displicentiam:

«Verumtamen, ut haec sententia (scil. esse veniale tantum peccatum, post plenam advertentiam in prava concupiscentia se neutraliter habere) etiam practice probabilis sit, requiritur, ut voluntas omittens carnalem delectationem depellere animum ad alia convertendo interim exerceat actum formalis dis-

plicentiae. Nam esto talis actus displicentiae inefficax sit ad depellendum appetitum sensitivum, est tamen efficax ad tollendum voluntatis consensum. . . . Alioquin vero, si homo, advertens motum appetitus sensitivi in malum, actum displicentiae in voluntate non eliciat, exponitur manifesto periculo voluntariae approbationis seu consensus. Etsi enim simpliciter possibile sit, voluntatem, proposito sibi obiecto, suspendere omnem actum, ut illud nec approbet nec improbet, sed negative se habeat: tamen id praesertim in obiecto vehementer alliciente est valde difficile, et moraliter ferme impossibile, ut proinde homo proximo et probabili periculo consensus se exponat.» Proin iam peccat.

At *indirecta* resistentia prae directa commendatur non in sola tentatione contra castitatem, sed etiam in aliis multis periculosis et captiosis tentationibus, praesertim apud homines nimis timoratos, vel scrupulosos.

Ceterum speculativas rationes, quae suadeant, non *ex se* grave peccatum esse, omittere resistentiam et displicentiam, sed *ex periculo* demum positivi consensus, vide apud *Lacroix* l. 5, n. 111 sq; *Castropalao* tract. 2, disp. 2, p. 10, § 5: qui magis etiam insistent in positiva resistentia et displicentia *praescribenda*, idque iuste, si aliter ipsius pollutionis periculum adfuerit.

83 Scholion. Quae de antecedente concupiscentia dicta sunt, suo modo valent de quarumlibet passionum motibus, atque de iis actibus voluntatis, qui advertentiam rationis antecedunt; sume v. g. *actus indeliberatos* vindictae, odii, invidiae, cogitationes contra fidem, spem etc. Nimirum etiam hic distinguantur oportet motus primo-primi, secundi. Quare dicendum:

1. Motus primo-primi in omnibus eiusmodi cogitationibus et affectibus culpa vacant.

2. Motus secundo-primi, etsi in materia mortaliter peccaminosa versantur, graviter culpabiles non sunt, cum absit plena advertentia ac plenus consensus.

3. Post plenam autem advertentiam actus voluntatis in re mortaliter mala sustinere seu continuare mortale peccatum est: cum vere evadant actus plene deliberati.

Hic igitur voluntas prorsus dissentire debet, neque possibile est neutraliter se habere, siquidem, ut sumimus, voluntatis actus iam adest, et solum propterea peccatum non erat, quia (plena) advertentia abfuerat: quae si accedit, nisi homo *voluntatis actum cohibeat et reprimat*, grave peccatum existit. Si vero etiam post advertentiam *solum negligentia* quaedam in reprimendis motibus committitur, ex defectu pleni consensus peccatum mortale non fit.

Quodsi loquimur de *cogitationibus* voluntatem sollicitantibus, hae peccatum grave nondum efficiunt: at voluntarie eas fovere, sive ex periculo sive ex consensu et affectu implicito, peccatum est, idque potest esse grave. Verum hic maxime locus est *indirectae* impugnationi: quo magis enim homo illas tentantes cogitationes spernendo negligit et serio mentem ad res prorsus alias applicat, eo facilius illas excludet; directe autem eas impugnare velle necessario mentem iisdem rebus occupat adeoque tentationem, nedum pellat, facile auget. Nihil tamen per se impedit, quominus positivus actus contrariae virtutis eliciatur, immo breviter et ex animo id facere, si fiat sine perturbatione, optimum esse potest.



## § 3.

*De metu et violentia.*

Cf. *Noldin* I<sup>o</sup> 53 sqq; *S. Thom.* l. c. a. 6; *Billuart*, De act. hum. diss. 1, 84 art. 7; *Reuter* I, n. 17—20.

**Praenotanda.** Metus seu timor est trepidatio mentis ob malum futurum: distinguitur metus gravis et levis, metus ab intrinseco et ab extrinseco, metus iuste et iniuste incussus.

1. Metus *gravis* est, quo aliquis sibi aut suis magnum malum seu certo seu cum magna probabilitate timet, v. g. mortem, mutilationem, infamiam, multorum bonorum fortunae amissionem, duram incarcerationem etc.

Dicitur metus *absolute gravis*, quando, ut aiunt, «cedit in virum constantem», i. e. si mala sunt eiusmodi, quae homines communiter consueverint multum commovere, neque probabilis spes est ea evadendi. *Relative gravis tantum* est metus, qui hanc et illam quidem personam, quae eo afficitur, multum movet, quamquam a constantioribus et magis intrepidis facilius spernitur.

Contra *levis* metus est, si mala non sunt magni momenti, aut si parum probabile est, mala re ipsa esse secutura.

Relative gravis ille metus maxime fieri potest, qui *in se* medium tenet inter gravem et levem. Sic metus, quem vocant *reverentialem*, qui oritur ex metu incurrendae offensae parentum vel superiorum, *in se* quidem pro levi metu habetur; at pro adiunctis personarum et circumstantiarum, v. g. si accedit timor diuturnae inimicitiae, aut si adhibentur multum importunae preces, potissimum in puella, gravis metus fieri potest.

2. Metus *ab intrinseco* dicitur, si causa, unde timor oritur, ab ipso homine timente sumitur; *ab extrinseco*, si causa timendi aliunde inferitur. V. g. metus ab intrinseco est, qui a morbo iam contracto, aut a consideratione gehennae concipitur; metus ab extrinseco, qui ab hoste, a latrone, minis etc. inferitur.

Metus *ab extrinseco* illatus potest aut a causa necessaria esse, aut a libera. In exemplo allato posui metum a causa libera illatum: qui enim a causa necessaria inferitur, potius metui ab intrinseco aequiparatur, ut si quis timet propter imminensem eruptionem ignium terrestrium. Cf. *D'Annibale* I<sup>o</sup>, n. 138, not. 15 et 16.

3. Metus a causa libera extrinsecus incussus distinguitur aut *iuste* aut *iniuste incussus*, prout ille, qui metum incutit, solum iniuriam repellere conatur, aut alteri iniuriam infert.

**Principia.** I. Metus, quantumvis gravis, si modo rationem non ita perturbat, ut plena deliberatio exsistere desinat, non aufert voluntarium simpliciter dictum, immo nec voluntarium simpliciter perfectum; quare in re mala et gravi peccatum etiam manet mortale, quamquam intra limites peccati gravis multum diminuitur peccatum et voluntario additur involuntarium secundum quid.

Exemplo sunt, qui metu tormentorum fidem negaverunt: quos Ecclesia semper pro apostatis et mortalis sceleris reis habuit.

II. Etsi metus gravis rem intrinsecus malam numquam licitam reddit, tamen ab obligatione positiva, maxime humana, saepe excusat, ita ut in illis circumstantiis omissio non sit vere contra legem, nec peccaminosa. Quod accuratius suis locis notabitur, quando agetur de variis praeceptis.

III. Metus gravis iniuste incussus quoad iuridicum actionum valorem id saepe efficit, ut actio iuridice invalida evadat.

Quod quando fiat, etiam suis locis dicitur.

IV. Metus levis in externo foro generatim non habetur pro causa efficaci actionis: quare plerumque non attenditur. In foro interno autem accidere potest, ut nihilominus ius retractandi actum vel repetendi compensationem damni inducat.

NB. In eo, quod ex metu gravi fit, habetur quidem secundum quid involuntarium, at per solam velleitatem: efficax voluntas amplectitur id, ad quod metum incutiens impulit, immo deliberate id eligit prae malorum, quae timet, perpessione. — Hinc patet, grave crimen esse, rem intrinsecus malam adeoque Dei offensam eligere prae temporalibus malis, siquidem Dei offensa pro summo malo nobis esse debet.

86 De **vi et violentia**, quatenus a metu distinguitur, vix quidquam addendum est. Nam ipsi voluntati vis nequit inferri: nemo enim invitus velle potest. Quare vis id tandem efficit, ut aliquis libera voluntate cedat, ne amplius vim et mala perpeti debeat. Hinc idem prorsus dicendum est de vi, quod de metu; immo vocatur etiam metus, quatenus est timor in futurum continuandi mali, quod iam coeptum est inferri.

Quando autem ad externam actionem plena fit coactio, haec invito pro culpa imputari nequit.

#### § 4.

*De iis quae remote vel dispositive in liberum arbitrium eiusque diminutionem influunt.*

87 Quae hucusque disputavimus, obstacula vel impedimenta sunt liberae voluntati proxima. Nam, ut patet, remote vel dispositive omnia ea impediunt vel diminuunt liberam voluntatem eiusve exercitium, quae conferunt sive ad detinendum hominem in ignorantia atque inadvertentia rerum suprasensibilium eumque erroribus practicis imbuendum sive ad excitandas atque augendas passiones appetitusque rerum sensibilium<sup>1</sup>.

Verum ex eo quod quam plurima eiusmodi impedimenta enumerari possunt, incaute aliqui concluderunt, abhinc modum de obstaculis

<sup>1</sup> Quae fusius exposita habes apud A. Huber, «Die Hemmnisse der Willensfreiheit» (Münster 1904, Schönigh); Besmer, Störungen im Seelenleben, et Die Grundlagen der Seelenstörungen (Freiburg 1904 et 1906, Herder); ib. Familler, Pastoralpsychiatrie.

liberi arbitrii tractandi theologis moralistis usitatum corrigendum esse, quasi moderna scientia praeter nota illa obstacula alia invenisset.

Moderna tamen medica et psychologica studia multum contulerunt, ut in singulis casibus accuratius de defectu reflexae cognitionis liberaeque advertentiae atque de vi diversarum appetitionum iudicare possimus. Cf. *Huber* l. c. § 48 sqq.

Praestat breviter ea notare, quae remotius influunt in liberam voluntatem in eamque quodammodo captivandam. Quod ut rite praestetur, ante omnia alte menti impressum manere debet, libertatem quamlibet creatam esse natura sua non absolutam sed plus minusve imperfectam, neque in eo sitam esse, ut homo pure ex semetipso sine ullo motivo extrinsecus advecto se ad certam rem determinet. Nam sine motivo ne Deus quidem libertatem exercet, ipse solus autem ex se ipso et in se ipso omnia habet, quibus libere ad ita potius quam aliter ad extra operandum se determinet.

Hominis voluntas ab obiectis extra se apprehensis iisque diversissimis, tum vere bonis, tum apparenter bonis atque re ipsa moraliter malis, attrahitur seu sollicitatur; at quoniam in nullo obiecto perfectam et puram pro se bonitatem et convenientiam apprehendit, sed semper admixtam quandam speciem mali seu disconvenientiae, si modo satis deliberat: ideo a nullo obiecto pertrahitur seu determinatur ad eligendum, sed ipse pro suo arbitrio se ad unum determinat, id eligens quod consideratis omnibus sibi magis convenire ipsa electione libere iudicat. *Inclinatur* igitur voluntas indeliberatis affectionibus saepissime ad unum prae alio; verum consideratione adhibita inclinationi sibi extrinsecus illatae resistere seque aliter potest *determinare*.

Quo difficilius autem certus homo a sollicitationibus diversis, quibus voluntas subiacet, se expediat, eo imperfectior est eius libertas. Neque quilibet homines eandem se ita expediendi facilitatem habent, neque idem homo quolibet tempore. Alius gravius a bonis apparentibus sollicitatur, alius levius; alius maiore voluntatis vi et energia atque faciliore negotio indeliberatas affectiones supprimit vel spernit, alius languidius et difficilius.

Ex quo etiam patet, quando homines libero arbitrio abutentes peccant seu prae vero bono bonum apparens eligunt, non omnes eodem modo et gradu peccare, etiamsi de peccato obiective eodem agatur. Nam quo maiore voluntatis vi in obiectum malum homo fertur et quo facilius nisum in hoc obiectum superare poterat, eo gravius peccat; eo minus graviter, quo difficilius sese a pravo affectu poterat expedire et quo aegrius demum consentit.

Debilis igitur redditur liberum arbitrium, imprimis liberum arbitrium ad bonum, multis diversisque causis. Praecipuae causae sunt:

I. Inclinatio naturalis ad certa bona sensibilia moraliter mala. Ita habetur naturalis inclinatio et dispositio ad ebrietatem, ad luxuriam, ad iracundiam etc., imprimis via hereditaria homini insita; eaeque praedispositiones in corporali habitudine solent fundari. Quae incli-

nationes pravae hereditariae vel utcumque naturales consuetudine contraria vinci et emendari debent.

2. Prava consuetudo inclinationem producit vel auget. Cum enim singuli actus sui vestigium in anima relinquunt, quo frequentius eiusdem speciei actus ponuntur, eo maior fit inclinatio ad similes actus repetendos, atque vitiosus habitus in homine oritur vel altius radicatur: quo diminuitur libertas ad bonum contrarium.

3. Cum mala consuetudine cohaeret mala educatio: haec ipsa enim consuetudinem inducit, appetitivas facultates vitiosis induit habitibus, phantasiam et intellectum certarum rerum speciebus et imaginibus replet, quae difficiliter locum dant considerationi seriae bonorum spiritualium atque eorum quae veri nominis bona sunt.

4. Similiter tota *vita socialis* et familiaritas cum aliis magnum habet influxum in modum sentiendi et volendi. Iudicia in rebus quam plurimis secundum communem sentiendi modum, etsi falsum, formantur. Haec sane in vitam hominum moralem seu eorum actiones liberas ita influunt, ut quam plurimi persuasiones falsas seu erroneas, sive invincibiliter sive vincibiliter erroneas, sequantur atque ad actiones peccaminosas sive materialiter tantum sive etiam formaliter malas permoveantur.

90 5. Quoniam anima intime cum corpore conserta est, habitudo animi multum ab habitudine corporis pendet, atque ita ab omnibus quae in corporis habitudinem influunt, animi inclinationes adeoque ipsius liberi arbitrii exercitium dependent. Hunc influxum temperies loci, anni tempora, immo victus et corporis valetudo sive bona sive mala exercent.

6. Imprimis morbidae atque anormales affectiones cerebri et nervorum in ipsas facultates spirituales, intellectum et voluntatem, earumve exercitium influunt: siquidem illae corporis partes quasi organa sunt, quibus homo indiget, ut in hac vita ut ens spirituale-sensibile agat suasque etiam intellectuales actus exercent, et quibus laesis etiam in functionibus spiritualibus impediatur.

Hinc laeso cerebro vel male affecto, proxima dispositio conditioque necessaria ad exercitium intellectualis facultatis vitiatur, neque intellectus rite munere suo fungi potest; at intellectu laeso vel impedito liberum arbitrium laedatur vel impediatur necesse est, cum homo rectum de rebus iudicium ferre nequeat neque diversa motiva impellentia pro merito suo possit perpendere vel declinare. Simile quid in diversis nervorum morbidis affectionibus observari licet, atque quibusdam rerum speciebus et phantasiae et intellectus ita homo occupari potest, ut ad alia divertere difficile aut impossibile sit. Quapropter liberi arbitrii exercitium aut tollitur aut multum impeditur. Si prius obtinet, imputabilitas exstincta est, si posterius, est diminuta tantum, idque pro diverso gradu perturbationis corporalis aut ita ut in rebus etiam obiective graviter malis gravis culpa non contrahatur, aut ita ut haec non semper excludatur. Quod in praxi non raro difficillimum vel etiam impossibile erit distinguere, ita ut Deo iudicium debeat relinqui.



Notari hic debet *dementia* et *mania*; quae si plena sit, de liber-<sup>91</sup>tate vel imputabilitate sermo esse plane nequit; si imperfecta est, libertas sane diminuitur.

Huc referri etiam debet *melancholia* transitoria, ex qua fieri potest ut quae in eo statu fiant (sume autochiriam) perfectam deliberationem antevertant neque ut gravis culpa imputabilia sint.

Adde etiam alias graves *affectiones nervorum*, maxime *hysteriam* atque eum mentis statum quo certae quaedam imaginationes vel ideae atque iudicia indeclinabiliter mentem occupant (Zwangsvorstellungen).

Alio modo exercitium liberi arbitrii deprimi aut ad tempus suspendi potest *hypnosi* seu somno artificiali, aequo fere modo ut in somno naturali, cum in utroque, saltem si profunda est hypnosis, conscientia et reflexio nulla sit, si hypnosis levis, imperfecta reddatur. Unde patet, voluntatem, cum primum conscientia reflexa desinat, non libere quidquam appetere vel decernere, sed sequi necessario et instinctive ductum phantasiae et suggestiones hypnotizatoris. Verum quando hypnosis perfecta non est, non constat libertatem *plane* suspendi; multo minus in statu posthypnotico. Quamquam enim etiam tunc inclinatio adest, eaque plus minusve gravis pro imbecillitate hominis hypnotizati atque hypnosis modo finitae gradu, ad sequendas suggestiones in hypnosi homini factas: nihilominus experientia constat, hominem generatim quidem sequi has inclinationes, at eum iis resistere atque contraire *posse*, eumque non raro id facere, quando ipsi graviter inconvenientia vel consuetudini suae contraria facienda suggerantur.

Propter solas corporales perturbationes, intellectu eiusque iudiciis<sup>92</sup> manentibus integris, voluntatem eiusque libertatem immediate et in se impediri vel libertatem *suspendi* posse, negandum est, neque ullis factis seu experimentis potest probari. Pro quolibet homine *sanae rationis*, quantumcumque sunt inclinationes appetitivarum facultatum vehementes, manet lex et regula voluntatis: «sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius» (Gn 4, 7); et si forte tanto impetu inferior appetitus superiorem voluntatem secum trahere conetur, ut infirmo homini videatur moraliter impossibile resistere, recordari debet verbi S. Augustini a Tridentino Concilio sess. 6, c. II *de iustific.* repetiti: «Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis».

### Caput III.

#### De moralitate actuum humanorum generatim.

##### § I.

##### *Notio et conceptus moralitatis.*

Cf. *Frins*, De act. hum. II, sect. 1 et 2.

Multum disputant theologi et philosophi, quid *morale* sit secundum<sup>93</sup> essentiam, nimirum utrum ultra voluntarium et liberum aliquid addatur, quo consistat, an in ipso voluntario et libero sit collocandum.



Pro certo haec haberi debent: morale a voluntario libero atque perfecte humano realiter non distingui. At cum dicimus «*morale*», conceptus et relatio rationis adiungitur, in conceptu voluntarii et liberi formaliter non contenta, sed ex eo eruenda. Quare, ut primum adest actio voluntaria et libera, *habetur* actio, quae ad moralitatem spectat; moralem vero eam *dicimus propter aliam formalem rationem* quam propter voluntatem et libertatem.

Videlicet secundum conceptum, qui primo in oculis incurrit, maiore tamen declaratione et evolutione indiget, morale dicitur id quod ad mores hominis spectet, seu id, quo homo per determinationem propriam et personalem se ita reddat affectum, ut aut laude aut reprehensione *dignus* evadat. Quod utique fit liberis et deliberatis actibus iisque solis. Ut igitur actus sit *utcumque* in *aliqua* specie moralitatis, id habet essentialiter per *dependentiam a ratione advertente et a voluntate libere se determinante*. Ut autem actus sint in *tali* specie moralitatis, boni, mali, indifferentis, quibus homo evadat aut laude aut vituperatione dignus, id oritur ex diversa habitudine actuum ad *finem* rationalem, seu — quia homo sibi ipse finis non est —, ex diversa habitudine ad *obiectivam rectitudinis normam*, atque in ea haec diversitas moralitatis consistit.

Haec igitur obiectiva moralitas, si actus sub stricto et nudo conceptu *boni et mali* considerantur, consistit in servanda dignitate naturae rationalis atque harmonica rationalium entium relatione, estque ordo recti honesti, quem perfecte quidem mens divina intuetur, suo autem modo etiam humana ratio exhibet; si bonum et malum sumitur simul sub conceptu perfecte *liciti et illiciti*, norma est *divina voluntas illum ordinem recti, quem ratio intuetur, approbans eumque servare praecipiens*.

94 Toto igitur coelo aberrant, qui essentiam diversae moralitatis seu discrimen inter bonum et malum collocant

1. in sola libertate, vel in hominis voluntate; aut 2. in lege humana; aut 3. in maiore vi et potestate; aut 4. in opinione publica; aut 5. in maiore utilitate, vel iucunditate; aut 6. in ordine iustitiae.

Omnes enim illi pervertunt *finem* hominis *ultimum*, a quo tandem *omnis* rationalis finis ideoque ordo recti pendet. Loco Dei omnes illi ipsum hominem sive privatum sive in societate collectum pro suprema norma statuunt eumque constituunt autonomum: quare periculosissime errant, nec possunt nisi vitio logico impiissimam hominis humanae societatis apotheosin declinare<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Circa moralitatem ut diversi et falsi conceptus statuuntur necesse est, si homines athei vel pantheistae de moralitate disserere conantur. Quod tota historia philosophiae ab eius primordiis usque ad nostra tempora demonstrat. Diversos errores fuse expositos reperies apud *Cathrein*, *Moralphilos.* 4, Teil I, Buch 3. Recenseo breviter praecipuos.

1. Positivismum moralem eorum, qui discrimen inter bonum et malum a statutis humanis, consuetudine et usu mutationi obnoxio derivant, ut Aristippus, Hobbes, Comte, Littré. — Similiter si qui etiam bona et mala subiciunt theoriae evolutionis, ut H. Spencer, E. Haeckel, Fr. Paulsen.

## § 2.

*De fontibus moralitatis.*

Conceptu moralitatis in genere constituto, videndum est, undenam<sup>95</sup> tota actionis moralitas, sive in bonam sive in malam partem, pendeat, aliis verbis, quae in actione secundum moralitatem diiudicanda attendi debeant, ut rectum de ea feratur iudicium: quos «fontes moralitatis» vocant.

In diiudicanda moralitate videre debemus, unde diversa evadat voluntatis libera tendentia; siquidem quam late patet libera voluntatis tendentia, tam late patet possibilitas ordinis recti conservati aut laesi, meritum laudis aut vituperii, verbo: ordo moralitatis.

Diverse autem voluntatis tendentia aestimatur ex obiecto in quod, ex circumstantiis sub quibus, ex fine ob quem tendit: hinc:

I. *Unde moralitas actus sit repetenda.* Moralitas actus ex triplici fonte oritur, scilicet obiecto, circumstantiis, fine.

1. Moralitas pendet *ab obiecto actus*, in quod voluntas tendit, seu quod assumit. Vide *S. Thom.* I, 2, q. 18, a. 2; q. 19, a. 1 et 2; *S. Alph.*, Tract. praecamb. n. 37; *Suarez*, De bonitate et malitia act. disp. 2—4 et. 7.

Obiectum hic ipsa actio est, plerumque propria, in abstracto considerata, ut: ambulare, scribere, Deum colere, parentes honorare etc., quae omnia a voluntate ut obiectum assumuntur, priusquam executioni dantur seu externe exercentur. — At obiectum voluntarii actus etiam aliena actio esse potest, aut actio *propria praeterita in concreto*, quatenus voluntas hanc actionem in concreto pro obiecto gaudii, complacentiae etc. assumit.

Posse autem obiectum *ex se ipso* etiam in abstracto sumptum certam moralitatis speciem habere, evidens est. Sunt enim certa quaedam obiecta non solum indifferentia, sed etiam *ex se*, i. e. suapte natura et

2. Positivismum theologicum eorum qui discrimen inter bonum et malum a libera Dei voluntate repetunt, ut Occam, Descartes, Puffendorf.

3. Perfectionismum eorum qui supremam normam moralitatis reponunt in ipsius hominis eiusque facultatum semper crescente perfectione: ita diversis tamen modis Chr. Wolf, Fichte, Ulrici etc.

4. Kantianismum, qui moraliter bonum id solum dicit, quod ponatur ex motivo officii et obligationis quam ipsa ratio imponat.

5. Utilitarismum et eudaemonismum, qui moralitatem repetit ex eo quod *conducit* ad bene esse seu felicitatem quam maximam aut quam plurimorum: — sub quo conceptu habentur diversissimae opiniones, prout intelligitur felicitas individualis aut socialis, prout felicitas in hac aut illa re constituitur: asseclas habes innumeros.

Pleraque horum systematum nituntur in impietate atheismi vel pantheismi, efferendo hominem tanquam Deum, autonomum suique plene dominum, aut eum deprimendo usque ad irrationalia et ad ipsam materiam: quod sufficit ad ea refutanda indicasse. — Quod vero attinet ad eorum systema qui a libera Dei voluntate discrimen inter bonum et malum repetunt, hi nituntur in erronea sumptione, essentias rerum dependere a libera Dei voluntate, cum re ipsa in eius essentia necessaria fundentur. Praeterea quaerendum est ab huius systematis asseclis, num vere putent, Deum pro libitu facere posse ut odisse Deum sit aliquid moraliter bonum, Deum diligere eique obtemperare aliquid moraliter malum.

proprietate, vel bona vel mala, cum recti ordine atque ultimo fine aut conformitatem aut difformitatem continentia. Indifferens v. g. est ambulare, scribere; in se bonum amare Deum, in se malum blasphemare.

Porro quae sunt in se mala, possunt esse *absolute mala*, ita ut nunquam bona aut indifferentia evadere possint, ut e. g. blasphemare; vel mala tantum *propter defectum iuris* in agente, v. g. auferre bonum alienum, quod accedente legitima voluntate domini a malitia immune fit;

vel mala *propter periculum*, quod actio natura sua secum fert, v. g. lectio rerum inhonestarum; quodsi ex hoc solo est malitia, ea, propter gravem causam et periculo aptis praesidiis excluso, abesse potest: quod tamen non sic intellige, quasi in omnibus locum habeat.

96 2. Moralitas pendet *ex circumstantiis actionis*. *S. Thom.* q. 18, a. 3 10 sq.; *Suarez* l. c. disp. 5, disp. 7, sect. 8. Quod ita intelligitur, ut circumstantiae novam rationem boni et mali *inducere possint*, non quasi semper inducant.

Circumstantiae autem, quae considerandae sunt, exhibentur hoc versiculo: «*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*», seu circumstantiae *personae agentis, obiecti, loci, medii, finis, modi, temporis*.

Posse autem tales circumstantias aliquando ad moralitatem actus modificandam, mutandam, augendam conferre, exemplis melius declaratur.

E. g. «reum punire» in homine privato generatim malum est, in homine officio publico fungente potest esse bonum, immo praeceptum.

«Denarium auferre» malum est, sed communiter veniale; at obiectum augere et aliquot libras aureas auferre, mortaliter malum est.

«Comedere et ludere» ex se actio indifferens est: at haec in loco sacro facere propter irreverentiam malum est; item in odium fidei eadem iubenti obtemperare est grave peccatum.

«Mentiri» ex se peccatum quidem, sed veniale est; at iuramento uti ad mendacium confirmandum peccatum mortale est; aut eo fine mentiri, ut alter grave damnum ferat, item mortale peccatum est.

«Bibere» actio ex se indifferens est; immoderate et indecore fauces implere malum est.

«Ludos publicos» exhibere ex se est indifferens; id die Parasceves a christiano fieri malum est.

Cum igitur obiectiva moralitas actionis a variis adiunctis dependere possit, etiam voluntas, quae se determinat ad actionem talem ponendam, eam contrahit bonitatem aut malitiam moralem, quam ratio illis circumstantiis contineri animadverterat et quam consequenter voluntas aliquo modo amplexa est. — Itaque circumstantiae complent moralitatem ex obiecto desumendam atque ad eam quodammodo pertinent: siquidem ipsum obiectum actus afficiunt et complent.

97 3. Moralitas pendet ab actionis *fine*. *S. Thom.* 1, 2, q. 18, a. 4—7; q. 19, a. 2 ad 1; *S. Alph.*, Tract. praeamb. n. 18; *Suarez* l. c. disp. 6 et disp. 7, sect. 9.

Finis autem alius est *operis* seu finis *internus*, alius *operantis* seu *externus* (i. e. ad quem opus extrinsecus dirigitur). Finis operis seu ipsi operi insitus non potest a voluntate agentis omnino excludi, si modo advertitur et scitur operis natura, ideoque semper aliquo saltem modo etiam finis operantis est. V. g. artifex horologium conficiens finem horologii seu operis, qui est indicare horas, etiam vult. Verum artifex potest alium finem, scil. ut artis suae exercitio victum quaerat, ut divinae voluntati laborando satisfaciatur etc., sibi proponere.

Porro cum finis sit *primum* in intentione, et ab eo, quod pro fine vult, quisque *transeat* ad volenda media, evidens est, actionis cuiuslibet moralitatem a fine quam maxime pendere, eumque esse fontem moralitatis circumstantiis principaliorum. Finis vero concomitans, vel finis ab altero, v. g. iubente, actioni adnexus, circumstantiis adnumeratur, sicut exempla supra data declarant.

II. *Qualis et quanta moralitas ex dictis fontibus in actum derivetur.* Ut actio aliqua sit moraliter bona, voluntatis tendentia tota debet esse bona seu a rectitudinis norma non discedere, tum quoad obiectum, tum quoad finem, tum quoad circumstantias, vel debent aut haec tria omnia esse bona, aut debet, reliquis in se *indifferentibus*, aliqua saltem bona intentio adesse. — Ut vero actio mala sit, sufficit malitia seu discessus a rectitudinis regula in uno horum trium existens; eo ipso enim voluntas, quod *aliquam* deordinationem amplectitur, a recti ordine devians male agit, secundum axioma: «Bonum ex *integra* causa, malum ex *quovis* defectu.»

Corollaria. 1. Qui ad malum finem obiectum in se bonum vel in-<sup>99</sup> differens adhibet, contrahit solam malitiam finis (nisi ratione obiecti sic usurpati nova circumstantia mala irreventiae, sacrilegii etc. accedit).

2. Qui vero ad malum finem adhibet medium seu obiectum, quod iam in se distinctam malitiam habet, utramque et medii et finis malitiam contrahit: v. g. qui ad se inebriandum a debitore pecuniam sumit, solius ebrietatis malitiam contrahit; qui vero ad eundem finem pecuniam furto aufert, in hoc actu et furti et ebrietatis malitiae reus est.

3. Qui opus in se bonum ad alterum finem bonum dirigit, utramque bonitatem moralem et operis et finis sibi comparat, modo in utramque voluntas tendat; v. g. qui rem sibi convenientem sibi subtrahit, ut pauperi succurrat, et abnegationis et misericordiae laudem habet.

4. Qui intentione bona opus in se indifferens perficit, saltem bonitatem intentionis seu finis suam facit: similiter qui perficiens opus in se bonum in hac operis bonitate volenda sistit, hanc obiecti bonitatem moralem sibi conciliat.

5. Qui vero ad bonum finem adhibet medium malum, contrahit malitiam medii, neque bonitatem finis contrahit nisi per accidens eo quod erronee putet, sibi licere vel pro officio incumbere finem illum etiam isto medio prosequi. Sic qui furatur ut det eleemosynam, malitiam furti, non bonitatem misericordiae contrahit; vel qui mentitur ne secretum in periculum inducat, malitiam contrahit mendacii, non fidelitatis bonitatem: nisi inculpabiliter putaverit furans, se ex alienis bonis indigenti succurrere, mentiens, se mendacio secretum tegere posse vel debere.



Ita finis bonus sanctificat seu bonum reddit usum medii indifferentis seu non-mali; numquam usum medii in se mali. Cf. hac de re *M. Reichmann*, *Der Zweck heiligt die Mittel*, Freiburg 1904, ubi calumnias contra doctrinam catholicam et iesuiticam expositas et refutatas habes atque simul per-versas multorum acatholicorum doctrinas exagitatas.

6. Plus requiritur, ut agens contrahat bonitatem obiectivam operis sive circumstantiarum, quam ut contrahat eorum malitiam. Ad contrahendam malitiam sufficit praevisio mali, etsi in se non intenti, nisi forte propter alias rationes illud malum permitti possit; ad bonitatem contrahendam requiritur, ut bonum praevisum vere etiam *intendatur*. *S. Thom.* I 2, q. 19, a. 7 ad 3. *Billuart*, *De act. hum. diss.* 4, a. 3, § 4.

100 **Uberiore explicacione** indiget axioma illud: «Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.»

Dubium concipi potest, num ex quavis circumstantiae et finis malitia, quae ad actionem in se bonam accedat, actio ita corrumpatur, ut nihil bonitatis ab agente contrahatur, sed actio in concreto simpliciter mala dici debeat. Cf. *Bill.* l. c. a. 4, § 2; *S. Thom.*, *De malo* q. 2, a. 4 ad 2; *Lugo*, *De poenit. disp.* 15, n. 208 sqq.; *Suarez*, *De bon. et malitia act. hum. disp.* 8, sect. 1.

Ad quod dubium respondeo sequentibus regulis mox declarandis.

Reg. 1. Intentio seu finis graviter malus semper actionem totaliter corrumpit atque malam reddit.

Reg. 2. Intentio seu finis leviter malus, si totalis finis est, similiter reddit actionem simpliciter malam, quamquam venialiter tantum.

Reg. 3. Intentio seu finis leviter malus alteri fini bono solum concomitans, aut ea intentio, quae potius motivum impellens quam movens est, non corrumpit totaliter actionis bonitatem, sed substantialem bonitatem, quae adest, relinquit.

Vide *S. Thom.* l. c., *Lugo* l. c., qui id ex aliorum scriptorum, ut *Caiet.*, *Perez* etc., sententia confirmat. *Elbel* p. I, n. 65 85; *Müller* I<sup>7</sup>, § 98 II. etc.; *Frins*, *De act. hum. II.*, n. 460—465; *Noldin* I<sup>1</sup>, n. 74, 2 b.

Reg. 4. Circumstantia etiam alia quaelibet graviter mala, practice loquendo, omnem bonitatem actionis destruit: circumstantia autem leviter mala, saltem si extrinsecus accidit, non item. *Noldin* I, n. 72, 3.

101 **Regularum declaratio.** Reg. 1. Qui intentionem seu finem graviter malum habet, totaliter recedit a Deo, qui est suprema regula morum; quare etsi videatur eodem tempore aliquam honestatem intendere, hanc non *ut* veram honestatem amplectitur, sed sub ratione mali finis.

Summum ille homo pro aliquo momento in obiectiva bonitate medii sibi complacere potest, suspendendo actuale mali finis prosecutionem; sed haec est inefficax quaedam velleitas, quae prohibere nequit, quominus tota actio, qua tandem malum finem prosequitur, denominari debeat mala; neque haec velleitas agentem quidquam iuvat apud Deum, cui se inimicum reddit, merentem nullo modo, nisi distinctim a prosecutione mali finis sese ad intentionem boni operis convertat. — Exemplum habes in eo, qui misero alicui subvenit, ut eum sibi devinciat adiutorem homicidii patrandi.



Similiter, qui e contrario bonum finem vult per medium malum, v. g. furto sublevare pauperem, non desinit agere male: nam non quaevis boni finis intentio vel prosecutio bona est, sed ea tantum, quae fit recte seu bene. *Walsh*, De act. hum. n. 521 527.

Declaratio reg. 2. Qui finem leviter malum intendit *eumque solum*, etsi<sup>102</sup> actionem obiective bonam pro medio assumit, hac obiectiva bonitate nullatenus movetur: quare impossibile est, ut agens subiective bene agat ullo modo. Nam ut actio subiective bona sit, illud bonum, quod inest, non solum ut effectus utcumque ab homine procedere debet, sed etiam ut *obiectum volitum*. At, uti sumpsimus, tota volendi ratio finis malus est. — Paucis: qui ita agit, honestatem obiectivam aut nullatenus vult, aut vult eam materialiter, non formaliter. V. g. si cui eleemosynam das hoc unico fine, ut eum inducas ad officiosum mendacium, agis simpliciter male, cum tota ratio volendi materialiter levamen pauperis sit desiderium mendacii.

Declaratio reg. 3. Si concomitanter tantum habetur finis leviter malus, fieri potest, ut existat simul tendentia voluntatis in bonitatem moralem alterius finis, sive est alius finis externus, maxime si praedominans est, sive ipsa bonitas actionis in se, ex obiecto sumpta. Immo cum tendentia venialiter mala voluntatem non avertat simpliciter ab ultimo fine, cum tali tendentia actus vere bonus et coram Deo meritorius consistere potest. E. g. si quis misericordia motus pauperi vult succurrere, et simul occurrente cogitatione vanae gloriae, etiam ab ea movetur ad eleemosynam dandam: necesse non est, intentionem misericordiae relinqui, quod nisi fit, eleemosyna manet ut opus bonum volitum et voluntarium, quamquam propter vanam gloriam libere assumptam et intentam bonitas multum diminuitur, minus intensa et minus coram Deo meritoria efficitur.

Aliud exemplum habes, si quis primo fine venialiter malo determinatur ad opus in se bonum, v. g. vana gloria, et simul determinatur bonitate rei obiectiva, aut — quod frequentius occurrit et melius servat bonitatem actionis — vana gloria impulsus dat, ut homo sese accingat ad opus bonum; quoniam autem executio sequitur, etsi impulsus priorem non exuat, tamen ultima determinatio voluntatis sumitur ab ipsa rei exsequendae obiectiva bonitate: quod si fit, substantialis bonitas, quamquam multum diminuta et debilitata, in actione remanet. Fac, puellam vanitate ductam proponere sibi sacramenta frequentare. Haec intentio utique moraliter mala est: immo si haec sola esset, eaque sola maneret in suscipiendis sacramentis, confessio evaderet sacrilega. At hoc vix unquam fit, immo plane impossibile est in ea puella, quae circa aliquod peccatum, saltem si gravius est, verum dolorem elicit. Nam qui elicit dolorem de peccatis commissis, non potest non intendere finem intrinsecus honestum. Immo eiusmodi vanae gloriae intentio antea concepta generatim non iam *est* in operis executione finis movens, sed *fuit* ratio concipiendi propositi, in executione movet finis longe alius. Multo minus actio corrumpitur, si appetentia vanae gloriae secundarie tantum accedit.

Declaratio reg. 4. De circumstantia graviter mala practice idem fere<sup>103</sup> dicendum est, quod de fine graviter malo. Saltem tendentia in concreto homo sese a Deo totaliter avertit: et si quem affectum bonum simul habet, hic in considerationem vix venit, cum sit mera inermis velleitas, quae voluntatem efficaciter non retineat in ordine recti.

De circumstantia leviter mala dici debet, quod de fine *concomitante*; saltem si est circumstantia externa. Concomitanter voluntas illius malitiam amplectitur, neque vero magis quam concomitanter.

Dixi, saltem si est circumstantia externa: nam circumstantiae aliae sunt internae, quae cum *ipso actu* identificantur, ut eius intensitas et duratio, aut eae, quae cum *obiecto actus* quoad moralitatem identificantur ipsiusque obiecti ultima determinatio sunt: e. g. actio eleemosynae dandae contra superioris voluntatem per hanc circumstantiam, quod sit a superiore prohibita, sic determinatur, ut tota actio sit mala, etsi venialiter tantum, quando prohibitio sub levi existit.

104 III. *Moralitas quae ex actu externo derivetur.* Actus externus per se moralitatem, utpote quae a voluntate pendeat, non auget; per accidens tamen plerumque auget sive in bonam sive in malam partem. S. Thom. in 2, dist. 40, q. 1, a 3; Billuart, De act. hum. diss. 4, a. 8; Reuter I, n. 49—51; S. Alph., Tract. praeamb. n. 40; Noldin I<sup>7</sup>, n. 77; contra Scotum eiusque scholam (*Elbel* I, n. 70).

Nimirum si voluntas efficaciter aliquid vult, et ex se imperat, omne id factum est, quod est in hominis libera voluntate; at secundum hoc moralitas tandem demetiri debet, sive aliunde obicitur impedimentum, quominus executio sequatur, sive non.

Verum in externa executione non raro voluntas ipsa eiusve actus intensior fit, diuturnius exercetur, maiore vi contra difficultates agit: quod si consideramus, dicere cogimur, plerumque propter externum actum fieri, ut actus *internus* fiat melior, si de bonis actibus sermo est, peior, si de malis, atque ita moralitatem multum augeri. Adde bonum exemplum aliosque effectus bonos, aut scandalum atque pravos effectus. Dein, qui, cum agere possit, non agit, certe non habet eundem actum internum; habet enim externi obiecti velleitatem, non voluntatem efficacem: at ceteris paribus, velleitatem a voluntate efficaci longe superari, manifestum est.

Cur autem in peccatis confitendis actus externus semper necessario declarari debeat, suo loco ostendetur. Cf. vol. II, de confessione *integra*.

### § 3.

#### *De indifferentia actuum humanorum.*

105 Hucusque, de moralitate eiusque fontibus loquentes, de sola *bonitate* et *malitia* morali sermo erat. Sed quaeritur, utrum haec distinctio actuum humanorum in actus moraliter bonos et moraliter malos sit completa, an tertium sit membrum, actuum scilicet moraliter indifferentium, qui in genere morum neque boni sint neque mali. Ad quod respondendum est:

I. Actus *specie* aut *genere* suo indifferentes esse posse, i. e. neque bonos neque malos seu nec excludentes necdum includentes rectitudinem rationalis ordinis, communi suffragio theologi docent: etsi Scotus videri possit dissentire.

Idque paulum consideranti facile patebit; nam si dicis: scribere, ambulare etc., neque malae neque bonae actionis conceptum habes, sed indifferentis, quae accedente fine vel circumstantiis aut bona aut mala evadere potest. Nec ex circumstantiis semper, seu a quibuslibet circumstantiis actum desinere indifferentem esse, eodem modo patet.

Verum haec non tangunt proprie quaestionem propositam. Nam actus humani, de quibus quaeritur, sunt actus prout procedunt ab ipsa voluntate deliberata, cum cognitione finis; sunt igitur actus in concreto spectati, procedentes ab hoc vel illo certo individuo, sub his vel illis certis circumstantis et modis. De quibus iam quid sit iudicandum statui debet.

II. Actus in individuo spectatos indifferentes aliquando manere<sup>106</sup> posse, *idque per se*, ita ut neque bonitatem neque malitiam moralem habeant, non pauci iique gravissimi theologi docent: nimirum 1. de actibus, qui dirigantur ad *commodam* naturae sustentationem in eaque sistant; 2. de actu omissionis voluntariae seu nolitionis maioris perfectionis.

Ita praeter *Scotum* cum schola sua in 2 dist. 41 (v. etiam *Sporer-Bierbaum*, Tract. I, n. 204; *Elbel* I, n. 86; etiam *S. Bonav.*, In 2, dist. 41, a. 1, q. 3) *Vasquez*, In 1, 2 S. Thom. disp. 52, c. 4; *Abelly*, Medulla p. 2, tract. 2, c. 1, sect. 4; *Reuter* I 55; *Viva*, Cursus theol. P. II, disp. 7, q. 3; nostro tempore *Walsh*, De act. hum. n. 588 sqq.: qui probabilius putant esse actus indifferentes; *Platellius*, Synopsis curs. theol. P. II, n. 109 et 112; *Becanus*, Theol. schol. P. II, tract. 1, c. 4, q. 9, n. 15 sqq.: qui probabilius quidem dicunt illos actus esse malos, probabile tamen, esse indifferentes.

III. Posse practice et *per accidens* existere actus in individuo vere indifferentes, multi ex citatis theologis *pro indubitato* habent: nimirum si quis ex probabilitate auctoritatis, quam adesse negari nequit, conscientiam sibi efformans actus supra notatos ponat, eum vere *indifferenter* agere. Ita *Vasquez* l. c.; *Reuter* I 55; *Platel*. l. c. (qui suadet hanc doctrinam practice, ut peccata multa vitentur).

Nihilominus alii hoc ipsum negant, ut *Wirceburg*, De act. hum. c. 3, a. 2 (n. 158 in fine), neque — ut patebit postea — periculum peccandi in contraria opinione tam magnum est: nam non raro, quod a doctrinae hucusque traditae patronis pro probabiliter malo habetur, ab aliis pro *bono* aestimatur.

Relinquo autem quaestionem de indifferentia quoad *supernaturalem bonitatem* et *supernaturale meritum*: immo in ea sententia prorsus sum, esse posse actus, qui neque mali neque ullo modo supernaturaliter boni vel meritorii sint. Sed

IV. Non videtur fieri posse, ut actus humanus in individuo neque<sup>107</sup> ullam malitiam neque ullam bonitatem moralem saltem naturalis ordinis habeat. Ita *S. Thom.* 1, 2, q. 18, a. 9; *De malo* q. 2, a. 5, cum tota eius schola et permultis theologis, ut videre est apud quoslibet eius commentatores in l. c., ut apud *Sylvium*, *Suar.*, *Bill.*, in super *S. Alph.* V 44; *E. Müller* I<sup>7</sup>, § 97; *Simar*, Moraltheol.<sup>3</sup> § 56; *Bouquillon*, Theol. mor. fund.<sup>3</sup> n. 377; *Pruner*<sup>3</sup> n. 66; *Noldin* I<sup>7</sup>, n. 92 sqq.

Ratio positiva: Voluntas deliberate agens aut intendit bonum rationi consentaneum ut tale est, aut non intendit — tertium enim non

datur. Atqui si intendit, actus moraliter bonus est, si non intendit, moraliter malus. Ergo numquam indifferens.

Prob. min. quoad secundam partem; nam prior pars a nullo negatur. Nimirum si non intenditur a voluntate bonum rationale, intenditur bonum delectabile: impossibile enim est, ut voluntas in ullam rem feratur nisi sub ratione boni; sub ratione rei indifferentis moveri voluntas nequit. At bonum aut est rationale seu ex se honestum, aut utile, aut delectabile; utile autem semper refertur ad aliud, seu iterum ad aliquid ex se honestum, aut ad aliquid delectabile; ergo qui non appetit bonum ex se honestum, bonum delectabile appetit. Porro delectabile appetitur aut intra modum et mensuram rectae rationis aut ultra. Si prius, reducitur ad honestum; si posterius, illud appetere inhonestum seu malum est. Recta enim ratio docet, ne delectabili bono sine moderamine fruamur, neve in illo sistamus, sed ut ad altiora illud dirigamus.

Aliud tamen esse agere *cum* delectatione, aliud *propter* delectationem tantum, iam supra dictum est. Neque illum, qui solam delectationem actu cogitet, propter eam solam necesse est agere, cum implicite et virtualiter ipsum finem operis possit intendere: quod ille facere censetur, qui habitualiter recte agit nec finem operis internum, e. g. in edendo, positive excludit.

108 Ratio negativa sumitur ex solutione eorum, quae pro altera opinione afferuntur:

Dicunt enim, ut *Vasq.* l. c.: 1. Esse actus indifferentes in specie, in confesso est apud omnes; atqui omnis species debet sub se continere aliquod individuum; ergo etiam aliqua actio individua seu concreta debet esse indifferens. — Resp. Transm. mai., *dist.* min. Omnis species debet sub se continere aliquod individuum, ita ut nulla nota individualis accedat, *nego*; ita ut circumstantia individuans accedat, *subd.* eaque talis, quae relinquat indifferentiam moralem intactam, *nego* (id enim est, quod quaeritur); quae ex statu indifferentiae obiectum voluntatis concretum transferat, *conc.*

2. Sunt actiones, quas sive malas sive bonas esse dicere ridiculum est, ut fricare barbam et similia; ergo sunt etiam in individuo indifferentes. Probatur *antec.*, nam, si malae sunt, materia sunt confessionis; si bonae, materia sufficiens meriti et voti: quod nemo dixerit.

Resp. *Nego antec.*, siquidem de eiusmodi actionibus vere deliberatis loquamur — quae ceteroquin consueverunt fieri potius indeliberate —. Nam non sunt bonae aut malae ex se, sed ex circumstantiis: quapropter *in se* neque sunt materia confessionis, neque voti (praeterquam quod votum non emittatur nisi de bono *meliore*, ut postea latius explicabitur). Ridiculum est etiam in confessione dicere: ‚scripsi‘, aut ‚bibi‘, minime autem ridiculum dicere ‚scripsi contra fidem‘, ‚bibi ad excessum usque‘. Porro, si velis in allato exemplo consistere, dico, *inopportune* eiusmodi res facere pertinere ad laesionem decoris, quae quandam, etsi levissimam, malitiam seu discrepantiam a dictamine rectae rationis contineat, neque ridiculum esse, sanctissimos homines, qui levissimam maculam moralem fugiant, se de quocumque incondito motu corporis voluntario et de qualibet negligentia externi decoris accusare in confessione, satis superque autem sufficere, ut id fiat ipsa hac decoris laesione generatim nominata. At si levissimae illae actiones ita fiunt, ut ad modestum corporis cultum pertineant: in individuo bonae



sunt, et licet non statim meritoriae existant, nihil tamen impedit, quominus meritoriae esse possint. Quod tandem accedente supernaturali intentione fieri posse et fieri, a nullo theologo, neque ab adversariis, negatur, sicut etiam nemo negaverit, ipsum Christum Dominum levissimo motu corporis et actionibus minimis ad corporis curam pertinentibus vere infinite meruisse.

3. Nisi admittitur, esse actiones in individuo indifferentes, aufertur dis-<sup>109</sup>crimen inter res, quae sunt de consilio tantum, et quae sunt de praecepto. Nam positive nolle rem perfectiorem, quae est de consilio, certe non est bonum sive meritorium; atqui si inter bonum et malum non datur indifferentis, ille, qui reicit actionis perfectioris exercitium, quando melius est illud facere, peccat; quod nihil aliud est nisi contradictorium hoc statuere, rem perfectiorem, quae sit de consilio tantum, esse de praecepto.

Resp. Actus nolitionis — si tandem res ad id deducitur — desumit suam moralitatem tum ex obiecto, quod voluntas fugit, tum potissimum ex obiecto, propter cuius positivam appetitionem alterum fugit. Nolle opus perfectionis, quia bonum est, nude qua tale, nulla voluntas potest: nolle autem illud, quia delector in reiciendo bono honesto, perversissimae voluntatis est.

Igitur opus maioris perfectionis communiter sic reicitur, ut fugiant homines laborem, incommodum etc., aut quia volunt sibi servare libertatem. Labores autem et incommoda maiora fugere reducitur ad eum actum, quo voluntas positive vult et prosequitur contrarium bonum: quae prosecutio, si manet intra limites modestiae et temperatae curae bonorum corporis, non mala, sed bona est, maxime si accedit, quod homo viribus suis non ita fidit: attamen adiunctam habet imperfectionem. Si vero limites temperatae curae excedit, mala aliquo modo evadit: inde tamen non fit, ut nolitio perfectioris boni mala sit, sed causa et radix illius nolitionis est mala; potest nihilominus *malitiam* moralem omnem homo evadere, si nolens quidem perfectius opus, tamen aliud eligit, ad quod putat vires suas commodius et plenius sufficere. Simile quid dico, si quis propterea opus perfectius non vult, quia sibi vult servare libertatem: quodsi intelligit, se velle evadere conscientiam nimis strictam atque periculum, quod fortasse subiturus sit in exsequendo proposito opere, haec intentio non mala, quinimmo bona est; posset tamen fortasse homo nihilominus haec cavere et simul perfectius agere. Si quis vero intelligit, se velle absque ratione pro solo libitu et sensuali inclinatione de actibus suis disponere, hoc utique moraliter malum est. — Ceterum deficere a maiore perfectione saepissime non fit positivo nolitionis actu; sed bonum aliquod inferius prosequendo homo relinquit bonum maius. Verum etsi damus, adesse talem nolitionis actum, argumentatio nostra persistit.

Posse actum illum, quo homo cum prosecutione inferioris boni simul omittit maius bonum, esse bonum, non malum, satis colliges ex *S. Pauli* 1 Cor 7, 25—40: «Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, *bene* facit: et qui non iungit, *melius* facit»; vel: «cui vult, nubat . . . beatior autem erit, si sic permanserit». In qualibet autem maioris boni derelictione, simul adesse alterius boni prosecutionem, negari nequit: prout igitur hoc alterum bonum rationale et honestum est, aut non est, homo aut bene agit, aut male, indifferenter numquam.

Quare quod *Vasquez* alique ad suam doctrinam confirmandam addunt,<sup>110</sup> aliqui quemlibet per actus nolendi perfectiora mereri posse, at hoc esse ab-



surdum: facile reicitur. Nam absurdum est, *per* nolitionem boni melioris, formaliter ut talem, nos mereri; verum hoc ex nostra doctrina non sequitur: sequitur autem, *cum* nolitione melioris boni posse nos positive aliquod bonum honestum prosequi, et *sic* mereri; quod tantum abest, ut absurdum sit, ut ex fidei doctrina plenissime colligatur.

Num autem revera toties mereamur, quoties prosecutio voluntatis bona et rationalis sit, prorsus alia quaestio est: ad quam, si verum meritum formale intelligis, puto negative respondendum esse, cum meritum nostrum solis supernaturalibus actibus respondeat, multae autem actiones circa bona rationalia infimi ordinis saepe naturalem bonitatem non videantur excedere<sup>1</sup>.

## TRACTATUS II. DE REGULA ACTUUM HUMANORUM.

### SECTIO I.

#### DE REGULA PROXIMA SEU DE CONSCIENTIA.

Confer *S. Thom.* 1, 2, q. 19; *S. Alph.* I, n. 1—89; *Laym.* l. 1, tract. 1; *Lacroix* l. 1, n. 1—560; *Stoz*, Tribun. poenit. l. 1, p. 5; *Reuter* 1, n. 59 sqq.

<sup>1</sup> Theoretice longe aliter statuit *Hugueny* O. Pr. in libellis «Revue du clergé français» LIII 641 sqq, quamquam practice id parum differre fatetur a sententia in hac *Theol. mor.* exposita. Dicit enim, nolitionem rei quae sit consilii tantum, deliberatam semper esse aut bonam (et in iusto meritoriam), aut venialiter malam: bonam vel meritoriam, si impulsus ad opus consilii hic et nunc non sit secundum prudentiam nec vere ex impulsu Spiritus Sancti; venialiter malam, si cognoscatur, illum impulsus re ipsa esse Spiritus Sancti atque conditionibus viribusque individualibus plane accommodatam. In quo casu opus, quod ex se sit consilii tantum, evadere pro hoc homine individuo in hisce circumstantiis leviter praeceptum; omnes enim homines, secundum *S. Thomam* 2, 2, q. 184, a. 2 ad 3, «teneri aliquantulum facere quidquid boni possint».

Verum ex ista doctrina sequitur: 1) subjective non dari umquam opus meri consilii vel maioris perfectionis ad quam non teneatur: at quomodo id componi possit cum verbis *S. Pauli* supra allatis 1 Cor 7, 25 sqq, non intelligo. 2) Sequitur, voto, quod miramur in aliquibus Sanctis, semper faciendi quod perfectius sibi esse cognoverint, non imponi ullam novam obligationem sed eam tantum quae omnibus hominibus naturali lege imposita sit; immo omnes homines, nisi velint venialiter peccare, illo voto se debere obstringere: quod pronuntiasse sufficit, ut appareat, id verum esse non posse.

Explicationem autem, quam dedi dicens, nolitionem boni melioris fieri communiter non formaliter, sed implicite et virtualiter per volitionem boni quidem, sed minoris boni, eamque volitionem boni esse honestam, idem auctor reicit hoc exemplo: Operarius, cui offero 50 centesimas pro una hora laboris, 5 francos pro duarum horarum labore, eligit illas 50 centesimas; at, si ita agit, certissime non ex amore pecuniae oritur illa reiectio 5 francorum; similiter reiectio maioris boni non ex boni amore oritur. Respondeo, in ista conclusione qua dicit reiectionem 5 francorum non oriri ex amore pecuniae, me certissime consentire cum adversario. Verum id non tangit meam explicationem. Mitto, in casu proposito proponi exemplum boni utilis, cum versemur in quaestione de bono honesto. Sed quod potissimum est, male proponitur obiectum volitionis et nolitionis: nam ex una parte obiectum voluntatis est labor unius horae cum 50 centesimis coniunctus, alterum obiectum voluntati propositum est labor duarum horarum coniunctus cum 5 francis. Operarius *ex amore prioris obiecti* hoc eligendo obiectum alterum reicit. Numquid id absurdum dixeris?

et Neoconf. n. 255 sqq.; *Elbel* I, n. 113—235; *Sporer-Bierbaum* tract. I, n. 1—109; *Bouquillon*, Theol. fundam.<sup>3</sup> n. 253 sqq.; *Pruner*<sup>3</sup> n. 73—87; *Koch* § 30—37; *Göppfert* I<sup>5</sup>, n. 150—190; *Ballerini-Palmieri* I<sup>8</sup>, n. 130—235; *Noldin* I<sup>7</sup>, n. 205—225.

### Caput I.

#### Notio et divisio conscientiae.

De moralitate actuum humanorum in genere agentes diximus, eam<sup>111</sup> seu potius eius discrimen specificum bonitatis et malitiae moralis in diversa habitudine convenientiae aut disconvenientiae cum norma rectitudinis esse collocandam. Quae norma partim est obiectiva, partim subiectiva. Obiectiva norma formaliter consistit in omni lege a legitimo superiore lata; ut hanc normam perfectam habeas, ultimatim poni debet in divina ratione et voluntate, quae approbat vel iubet, aut improbat et vetat, h. e. in lege aeterna. Haec obiectiva norma *remota* dicitur et est, siquidem ut lex nondum concipitur, proxime cum homine coniuncta; neque vero norma immediata actionum esse potest, nisi in ipso agente existit. Percipi igitur ab homine debet et subiectiva seu *proxima* fieri: id quod fit primo per synteresin, practice per *conscientiam*, quae legem ad singulos casus applicat.

De conscientia igitur ut proxima moralitatis norma prius agemus, postea acturi de legibus, quas illa manifestat.

Definitio et divisio. I. Lato sensu conscientia dici potest ratio practica diiudicans ipsius hominis actus proprios.

A conscientia distinguitur synteresis, quae circa generalia principia moralia versatur, cum conscientia versetur in singularibus actionibus, et in ultima conclusione practica, ad quam synteresis generale principium subministrat<sup>1</sup>.

II. Distinguitur autem conscientia antecedens et conscientia con-<sup>112</sup>sequens. Porro sola *antecedens* conscientia norma moralitatis esse potest.

<sup>1</sup> Conscientiam proprie dici *actum rationis* communis est cum S. Thoma doctrina scholasticorum (cf. I, q. 79, a. 13; I, 2, q. 19, a. 5; De verit. q. 17, a. 1). Nostra aetate non pauci ab hac doctrina recedunt: volunt enim non in *ratione* collocandam esse conscientiam, sed in *fundo animi* vel si in aliqua animi facultate, in tertia quadam a ratione et voluntate facultate distincta, sive eam vocas instinctum rationalem sive animi sensum (Gemüt). Ducuntur variis rationibus, quod conscientia immediate se *sentiat* homo dependentem et obligatum, quod *sentiat* remorsum et poenam vel etiam laudem et quietem — quae arguant agi de actibus non merae rationis, sed *sensus* et affectionis (cf. *Koch*<sup>2</sup> § 31, p. 84 sq; *Cathrein*, Moralphil. I. Teil, 6. Buch, ubi diversorum diversas sententias habes discussas). — Verum falluntur. Nam 1) quod homo conscientia sua sentiat se obligatum, a supremo et communi legislatore dependentem, hoc fit sane dictamine *rationis*, quae cum primum satis evoluta sit, non potest non sponte sua iudicare quasdam actiones malas et fugiendas, quasdam bonas et debitas; 2) quod autem post actiones pravas conscientia hominem accusat, laudat post bonas actiones, atque homo *sentiat* quandam poenam vel praemium quoddam: in accusatione et approbatione habes revera actum rationis, in *sensu* autem poenae vel praemii non ipsam conscientiam sed *conscientiae sequelas* habes.

Quare de ea etiam potissimum agimus, eamque semper intelligimus voce conscientiae, nisi contrarium notatur.

*Antecedens* conscientia est dictamen rationis, quod, iudicans ante actionem de eius honestate, hominem ad actionem ut bonam vel etiam praeceptam impellit, aut ab ea ut mala et prohibita retrahit.

Munus igitur conscientiae antecedentis est instigare et ligare. Ligat, quando pronuntiat aliquid praeceptum aut vetitum esse, atque hoc omittendum, illud faciendum: instigat ad bona, etsi non praecepta, tamen convenientia.

*Consequens* conscientia, quamquam etiam de sola recordatione priorum gestorum dicitur — sic testis munus quodammodo exercet: proprie tamen dicitur de iudicio rationis, quod hominem propter actionem aut recte factam laudat vel excusat, aut male factam reprehendit et accusat. Cf. *S. Thom.* I, q. 79, a. 13.

- 113 Non posse hominem ullum evolutae rationis sine ulla conscientia, seu sine ullo iudicio de bono et malo, de licito et illicito esse, ipsa rationalis natura probat, et experientia ostendit. Notio enim discriminis inter bonum et malum prorsus congenita est cum ratione, i. e. inter primarias est ideas, quas homo sponte efformat; neque homo ita se suumque iudicium depravare potest, ut in omnibus singularibus actionibus sit perversum.

Immo in hoc ipso rationis dictamine, quod homo aliquando saltem fert, et quo pungitur, habetur germen quoddam, quod in homine ratione utente sponte sua efflorescit in recognitionem Dei sub notione supremi alicuius malorum vindicis et bonorum remuneratoris, atque supremi legislatoris: quam notionem homo culpa sua obnubilare potest, radicitus evellere non potest. Ex ipsa igitur conscientia quivis homo evolutae rationis aut desumit argumentum, quo cognoscat et agnoscat re ipsa Dei existentiam, aut ipse suam ignorantiam Dei culpabilem esse demonstrat. Cf. quae infra dicturi sumus de lege naturali.

- 114 III. Distinguitur conscientia *vera* vel *recta*, et *erronea* vel *falsa*, prout rationis dictamen cum rerum veritate concordat, aut ab ea recedit. Potissimum haec distinctio de antecedenti conscientia valet.

Recte etiam conscientiam *veram* sic distinguunt, ut alia sit conscientia *materialiter et formaliter vera*, alia *materialiter tantum*, alia *formaliter tantum*. Prior est, quae obiectivam veritatem ex praemissis veris legitime deductam exhibet; secunda, quae ex praemissis non veris per accidens in conclusione obiectivam veritatem attingit; tertia, quae obiectivam veritatem non attingit, at propter errorem in praemissis, ita ut legitime tamen ex praemissis concludat.

*Rectam* dein vocant eam, quae ex praemissis sive obiective veris sive invincibiliter erroneis *legitime* concludit; *falsam*, quae *illegitime* concludit; *erroneam*, quae *cum obiectiva veritate non* cohaeret: ita ut recta opponatur falsae, simpliciter vera erroneae conscientiae. — Alii tamen promiscue dicunt conscientiam veram et rectam, erroneam et falsam.

- 115 IV. Dicitur conscientia aut *certa*, aut *dubia*, ex eo quod aut sine formidine iudicium ultimum de honestate actionis fert, aut suspensa

manet, sitne actio licita an illicita, vel saltem de eius illiciteitate formidat. Haec quoque distinctio de conscientia antecedenti praecipue valet.

V. Distinguitur conscientia *tenera*, *scrupulosa*, *laxa* maxime ex habituali hominis statu in rebus practicis iudicandi: *tenera* minimos etiam defectus vivide apprehendit; *scrupulosa* inanibus rationibus inhonestatem, ultra quam par est et ubi revera non est, in actionibus apprehendit; *laxa* contra rei veritatem facilius ad iudicandum aliquid licitum esse inclinat.

De quibus mox fusius dicturi sumus.

## Caput II.

### De conscientiae qualitatibus et vitiis.

#### Articulus I.

##### De conscientia recta et erronea.

I. Conscientia, quae est *vera et recta*, adeoque simpliciter vera, <sup>116</sup> est regula agendi *per se*, quam sequi tenemur in iis, quae praecipit et vetat; et quam sequi licet in omnibus, quae licita declarat. — Hoc ex se evidens est et ex ipso conceptu conscientiae constat.

II. Conscientia *erronea* non potest esse regula agendi, nisi *per accidens*.

*Invincibiliter* (sine formidine) *erronea conscientia* revera regula agendi evadit: hanc tenemur sequi praecipientem, permittentem sequimur sine culpa. Cf. *Billuart*, De act. hum. diss. 5, art. 2.

Quae ut melius intelligantur, nota: 1. Quando invincibili, quando vincibili errore conscientia laboret ex iis disce, quae supra de ignorantia invincibili et vincibili dicta sunt n. 75.

*Invincibiliter* igitur erronea manet conscientia, nisi praecessit advertentia ad obligationem melius inquirendi. Immo nisi plena advertentia de obligatione gravi, in confuso saltem, adfuit, non ita est vincibiliter erronea, ut grave peccatum pariat. Cf. *Lacroix* I, n. 42 77; *Wirceb.*, De act. hum. n. 85; *Reuter* I, n. 73.

2. Sin autem dicimus, conscientiam invincibiliter erroneam nos sequi debere aut eam a peccato *plene* excusare, intelligimus utique eam, quam *nulla* advertentia obligationis melius inquirendi praecesserit.

Veram autem esse hanc regulam, ex hoc ipso sequitur, quod sola conscientia esse possit proxima regula morum. Ergo, etsi erro, si plane nesciens erro, peccatum non contraho, cum nihil sit volitum, nisi praecognitum; et e contrario si putans me debere aliquid facere, id non facio, etsi hoc iudicio erro, peccatum contraho, quia consentio in oppositionem actionis meae cum lege et cum Dei voluntate.

Ceterum S. Scriptura id etiam docet, cum dicat: «Omne quod non est ex fide, peccatum est» Rom 15, 23 (i. e. quod non est *ex certa persuasione recti*).

III. *Conscientia vincibiliter erronea*, quae nequit esse sine ulla formi- <sup>117</sup> dine vel dubitatione, numquam est agendi regula, sed eam sive permittentem sequi sive praecipientem non sequi peccatum est: immo



etiam praecipientem sequi peccatum esse potest, si videlicet simul periculum adest aliud praeceptum laedendi. Cf. *Billuart* l. c.

Videlicet inquisitione veritatis dubitatio et error deponi debent, maxime si utrumque est peccandi periculum, aut, si ex una tantum parte est peccandi periculum neque placet inquirere, id, quod securius est, eligi debet.

Fieri autem potest, ut conscientia prius vincibiliter erronea, actu nunc sit erronea invincibiliter, nimirum si actu nunc nullo modo occurrit suspicio de obligatione melius inquirendi, quamquam antea occurrerat. Quod si obtinet, actio ex tali conscientia orta formaliter peccaminosa in se non est, attamen est peccaminosa formaliter in causa, scil. in errore voluntarie antea non excusso, in quo futurae actiones, adeoque etiam praesens, de qua agitur, aliquo modo in confuso praevisae sunt. Cf. *Reuter* I, n. 73 et *Lacroix* I, n. 755 758.

- 118 **Criteria conscientiae invincibiliter aut vincibiliter erroneae.** Ut confessarius discernat conscientiam invincibiliter et vincibiliter erroneam, imprimis interrogandus est poenitens, 1. num de licitate actionis saltem dubitaverit, 2. num conscientia ipsi dixerit, interrogandum esse alterum. Si utrumque negatur, recte sumimus, errorem fuisse invincibilem nec actionem peccaminosam. Si alterutrum affirmatur, error vincibilis et actio *culpabilis* fuit; eaque mortaliter mala, si poenitens 1) *obligationem* interrogandi *formaliter ut gravem* apprehendit, aut 2) *rem*, de qua agebatur, ut *rem magni momenti* consideravit, nisi forte in posteriore suppositione dubium de licitate tam parvum erat, ut illud tamquam leve putaverit negligi posse.

**Corollaria.** 1. Qui igitur invincibiliter putat, mendacio vitam innocentis servandam esse, potius quam eius caedem permittendam, ad mendacium dicendum obligatur, ita ut mentiendo non peccet, peccet non mentiendo.

2. Qui putat hunc ieiunii diem esse, aut ieiunare debet aut melius inquirere: nisi forte alio principio dubium deponere potest.

3. Qui *temere* putat, se peierare posse, ut filium a caede liberet, advertens se ex leviori causa ita arbitrari, si tempus est, omnino errorem inquisitione corrigere debet: alioqui sive peierando sive non peierando peccat. — At si in perplexitate versatur, nesciens quid eligendum sit, nec facultas adest dubium solvendi, vide seq. artic. n. 124, quid faciendum sit.

## Articulus II.

### De conscientia certa et dubia.

De conscientia vincibiliter erronea loquentes iam aliquatenus tetigimus conscientiam dubiam; nam eo ipso quod obligatio melius inquirendi cernitur, iudicium de licitate actionis aliquo modo dubium fit. De qua iam fusius dicendum.

- 119 **Praenotanda:** 1. Certitudo conscientiae seu ultimi dictaminis ab illa certitudine pendet, qua percipiuntur praemissae, ex quibus una generale principium continet, altera plerumque iudicium de particulis factis seu circumstantiis est.



2. Certitudo autem potest esse aut metaphysica, aut physica, aut moralis, ut suppono ex philosophia.

3. Dubium vero seu dubitatio aut late, aut presse sumitur. Si late sumitur, quemlibet statum mentis significat, qui *firmum* assensum excludat, sive aliquis assensus infirmus adest, sive nullus; presse autem dubitatio dicitur ille status mentis, in quo homo assensum nullum in alterutram partem efformat, sed suspensus manet, neutram partem determinate amplectens.

A *dubitatione* igitur stricte dicta distinguitur, continetur tamen sub dubitatione late sumpta: 1. *opinio*, qua homo assensum proprie dictum et fundatum praebet, rem *ita esse*, at non firmiter, formidans, ne forte oppositum sit verum; 2. *suspicio*, si ratione sive leviore sive graviore homo non movetur aut moveri se non sinit nisi ad infirmiore assensum, rem *forte ita esse posse*.

4. Dubium distinguitur *positivum* et *negativum*: positivum, si cum suspensione mentis nihilominus ratio quaedam positiva alicuius momenti pro affirmatione rei coniungitur: negativum, si pro affirmatione alterutrius rei nulla plane vel solum futilis ratio habetur (futilis enim pro nulla merito aestimatur). — Porro dubium potest esse 1. ex utraque parte negativum, 2. ex una parte negativum et ex altera positivum, 3. ex utraque parte positivum.

Dubium, quod ex utraque parte est negativum aut quod ex utraque parte aequae gravibus momentis est positivum, vocatur et est (si homo rationabiliter agit) *dubium strictum* seu *presse sumptum*; alias potius *dubium latum*, i. e. opinio pro alterutra parte plus minusve firma cum dubitatione aliqua de parte opposita, ita ut adsit *assensus cum dubio coniunctus*.

Varios gradus et mentis condiciones habes in exemplo eius, qui certum quendam hominem non iudicat bonis moribus instructum:

sc. 1) si eum neque bonis neque malis moribus instructum ullatenus opinari audet, habes *meram dubitationem*;

2) si positive sibi dicit, non esse certum ex hac vel illa ratione, num bonis moribus instructus sit, habes *dubium positivum*;

3) si levem assensum praebet cogitationi, timens, ne forte ille sit malis moribus praeditus, *suspicionem* habes;

4) si id ipsum reapse existimat, tamen cum aliqua formidine, ne forte erret, adest *opinio*;

5) si tandem firmiter sibi persuadet, illum malis moribus uti, habetur *iudicium* (quod, si levibus rationibus nititur, *temerarium* dicitur)<sup>1</sup>.

5. Distinguitur *dubium facti* et *dubium iuris*: prout versatur circa facti particularis existentiam, aut circa legis praeceptum. Vide *Elbel* I, n. 144; *Lacr.* I, n. 74 aliosque passim.

<sup>1</sup> Nos hic in stricto sensu logicorum non immorari, quando in solo ultimo casu (5) iudicium esse dicimus, legenti facile patet, siquidem *aliquod* iudicium sensu logico etiam in aliis casibus habetur.

6. Distinguitur dubium *speculativum* et *practicum*: prout actionem eiusque liceitatem in genere et in abstracto considerat; aut de actione, sitne hic et nunc ponenda, versatur.

7. Quamquam, ubi dubium practicum est, conscientia proprie dicta, i. e. iudicium practicum, non existit: tamen usu venit de practico dubio etiam nomen ‚conscientiae dubiae‘ usurpare. Vide *Lacroix* I, n. 68.

121 **Principia.** I. Conscientia, ut sit regula morum, quam sequi licite possimus in favorem libertatis, *certa* esse debet, saltem certitudine morali. Vide *Laym.* l. I, tr. I, c. 5, n. 4.

De certitudine requisita nota: 1. Nisi quis certo iudicat sine errandi formidine, se licite hic et nunc acturum, quando nihilominus agit, exercite ita animatus est, ut nihil curet peccatum: quod, cum summopere curari, i. e. caveri debeat, eo ipso quod parvipenditur, contrahitur.

2. At in solo ultimo iudicio haec certitudo invenitur oportet; quoniam antecedentia dubia saepe superari possunt ex alio principio: de quo iam dictum est praec. art. et fusius dicitur postea.

3. Sufficere autem debet moralis certitudo, etiam si non talis est, quae strictissimo sensu et absolute sic vocetur et ad metaphysicam certitudinem reducatur: nam impossibile est, humanam vitam absoluta certitudine dirigere, aut physica, quae ex natura sua a multis rebus excluditur.

122 II. Dubium igitur, si quod in dictamine conscientiae occurrit, pro dubii qualitate diverso modo removeri debet, aut ab actione abstinendum est.

**Videl. de dubio expediendo haec observa:** 1. Dubium ex una parte negativum certitudinem de parte opposita non aufert. Quare eiusmodi dubium spernendum est. Nam quod temere concipitur, merito sine nova ratione reicitur (*Layman* l. c.; *Reuter* I, n. 77). In hoc igitur scrupulosi saepe errant, quando contra priorem certitudinem sufficientem sine ratione vel ex futili causa dubium concipiunt, quasi tale dubium futile positiva ratione solvi debeat.

2. Quomodo autem se gerere debeat, qui in practico dubio fundato et positivo versatur, iam habes fere ex iis, quae dicta sunt de conscientia vincibiliter erronea: nimirum omitti debet actio, de cuius honestate dubitatur, poni illa, quam num omittere liceat practice dubium est; aut antea deponendum est dubium.

3. Deponi dubium potest vel ipsius rei inquisitione, rationibus quaesitis et perpensis, vel aliorum consultatione: utroque enim modo ad sufficientem certitudinem perveniri potest; nec idem studium a quolibet homine et in qualibet causa necessarium est.

Ita homo, qui ipse per se rationes perpendere nequit, multo facilius consilio *unius prudentis viri* certus fieri potest et debet quam homo doctus; prudens autem censetur ille, quem is, qui interrogat, rationabiliter pro pio et pro perito in re, de qua agitur, habet, v. g. confessarius, parochus etc. Vide *Elbel*, n. 150; *Reuter* l. c.

Immo cui *post sufficientem inquisitionem* veritatis probabile apparet, actionem licitam esse, oppositum dubium potest negligere sibi persuadens, legem, dubiam manentem, non obligare: ut postea de probabilismo dicetur.

Ratio autem, cur sufficiens diligentia, eaque diversa pro rei gravitate et personae agentis conditione, praemitti debeat, ea est, quod aliter agens *temere* periculo laedendae legis sese exponat, atque eo ipso debitam legi obediendam et reverentiam, utpote quae obliget primo ad cognoscendam legem, violet.

III. Manente dubio practico (practice-practico circa actionis licei-<sup>123</sup>tatem) nihilominus operari in re gravi per se est peccatum mortale.

De peccato quod committit agens cum dubio practico nota: 1. Etsi cum dubio practico in re gravi agere est per se mortale peccatum: tamen ut reatus peccati mortalis contrahatur, debuit utique dubium non solum de peccaminositate utcumque adesse, sed aliquo modo de gravi peccaminositate. *Billuart*, De act. hum. diss. 5, a. 3; *Lacroix* l. 1, n. 3; *Mazzotta* tr. 1, disp. 1, q. 1, c. 2; *Reuter* I, n. 78.

Quare ille, qui sciens se mala agere, dubitat tamen, utrum mortale an veniale peccatum sit, non semper mortalis peccati reus iudicari debet. Hac in re audiatur *S. Alph.* l. 1, n. 23: «... satis probabiliter tenent (eum sic dubitantem) tantum venialiter peccare, si homo ille minime advertit, nec etiam in confuso, ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, modo obiectum non sit *certe per se* peccatum grave: adderem, modo etiam homo sit timoratae conscientiae.»

2. Dubium practicum, quocum agere peccatum, atque pro re nata grave peccatum est, ut bene ait *Laymann* l. c., intelligitur de incertitudine et formidine *intellectus iudicantis*, non vero de incertitudine vel formidine scrupuli seu apprehensionis inani ratione nixae.

3. Dubium practicum prorsus distingui debet a dubio *subsequenti*. Quapropter homo sine ratione post factum inquit, utrum, quod egerit, licitum an illicitum sit, nisi id facit, ut rectius ac certius iudicet in posterum: nam utrum peccaverit necne, a subsequenti inquisitione minime pendet, sed a iudicio practico antecedenti.

**Nota de conscientia perplexa:** Singulare dubium est in con-<sup>124</sup>scientia *perplexa*, quando ex utraque parte homo putat peccatum instare. Quodsi occurrit illa perplexitas, hae regulae servari debent (cf. *S. Alph.* I, 10):

1. Si opportunitas est capiendi consilii, id fiat oportet.

2. Si perplexitas solvi nequit, id eligatur oportet, quod *minus peccatum* videtur: quod si fit, nullo modo peccatur; nam impossibile est, ullam esse necessitatem peccandi. Praeferendum autem est a) praeceptum negativum positivo, b) praeceptum divinum, ceteris paribus, humano, c) praeceptum superioris ordinis praecepto inferioris.

3. Si discerni nequit, utrum minus, utrum maius videatur peccatum, eligi potest utrumlibet, neque re ipsa peccatur, eo quod libertas deest.

4. Si prae illo, quod minus peccatum videtur, aliud, quod videtur gravius, eligitur, peccatum committitur, at secluso affectu pravo, non peccatur graviter, si excessus ille non ut **gravis** apprehenditur.

Cf. etiam *Lacroix* l. 1, n. 81—87.

### Articulus III.

#### De conscientia scrupulosa.

Cf. *S. Alph.* I, 11—19; *S. Antonin.* p. I, tit. 3, c. 10, § 9 et 10; *Billuart* l. c. a. 5; *Reuter*, Neoconfess. n. 255—272; *Elbel* l. c. n. 211—234; *Stoz*, Tribunal poenit. l. I, p. 5, n. 171—224; *Lacroix* l. I, n. 511—560; *Scaramelli*, Dir. ascet. tract. 2, n. 421—467; *Koch* § 33.

#### § 1.

##### *Eius notio.*

125 Scrupulosa conscientia tum de particulari dictamine in re agenda dicitur, tum de habituali hominis dispositione, sc. de eo, qui consuevit scrupulose procedere. Quoniam autem posterior illa vocis acceptio a priore dependet, haec diligentius inspicienda est.

Scrupulosa conscientia dicitur a scrupulo, qui sensu materiali et proprio lapillus est, viatoris pedes vexans et torquens, translato sensu spirituale quoddam offendiculum, quod impedit hominem, quominus inoffenso pede in actionibus suis procedat, siquidem inani ratione ipsius menti passim obicitur timor peccandi.

Scrupulus igitur morali sensu est timor peccati, ubi non est peccatum, ex inanis rationis apprehensione: quod diversis modis accidere potest.

1. Si quis ex inani et futili ratione iudicat, aliquid esse peccatum: qui error potius dicendus est quam scrupulus, atque omnino eliminari debet.

2. Si quis ex levi et futili ratione dubium circa honestatem actionis ita concipit, ut certo dictamine careat: quod *Suarez* vocat *intrinsece scrupulosum*.

3. Si cui post certum dictamen, quod habuit et in confuso saltem retinet, dubium ex futili ratione contra honestatem actionis accedit, quod mentem sollicitat atque perturbat: — *extrinsece scrupulosum*.

4. Postremo, id quod cum 3 cohaeret, conscientia *scrupulosa consequens* est, si quis post actionem commissam ex una parte quidem se non peccasse iudicat, ex altera tamen parte futili nixus ratione formidat, ne forte peccaverit.

Tertium et quartum modum *S. Ignatius de Loyola*, Exerc. spirit. cap. *De scrupulis dignosc.*, vocat scrupulum proprie dictum, et praecipue quartum modum aliquando a Deo permitti docet spiritualis utilitatis causa, quo magis homo ab omni malo recedere discat: primus autem et etiam secundus modus — si vere dubium intellectus iudicantis est, et non potius cum tertio modo convenit — plane cavendus est, quoniam cum tali scrupulo non excusso agere non licet, ut ex iis colligitur, quae de conscientia erronea et dubia dicta sunt.

Scholion. Conscientia scrupulosa distinguitur omnino a conscientia *tenera*: quae prorsus exoptanda est. Haec enim secundum normam veram tum ante tum post factum sentit etiam minimos defectus, eosque magni aestimat,



retenta tamen recta distinctione inter peccatum veniale et mortale: nam huius distinctionis neglectus tamquam perniciosus error est eliminandus.

## § 2.

### *De origine scrupulorum.*

I. Origo scrupulorum alio modo refertur ad naturalem hominis <sup>126</sup> dispositionem, alio modo ad Deum, alio ad diabolum.

Nimirum ad causas naturales referuntur *dispositive*, etiam proxime, ita ut homo ex variis causis proxime dispositus sit ad vividiorum mali apprehensionem atque ad apparentes eius ratiunculas concipiendas, quibus deinde actu suo inhaeret neque sese plane expedire potest.

Ad Deum referuntur *permissive*, sive alias causas et naturales et diabolicas non impedit, sive etiam lumen rationis consuetum aliquatenus homini subtrahit: quo fit, ut is non iam ita expeditus sit ad discernendum rationum pondus.

Ad diabolum referuntur saepe *effective*, quatenus iste imaginationem perturbat eique speciem mali moralis obicit: quod quo vehementius fit, eo magis impedit rationem a veri iudicio.

II. Quando principaliter ad Deum referuntur et ad subtractionem uberioris luminis, scrupuli per se utiles sunt, siquidem Deus bonum intendit et maiorem conscientiae puritatem: verum illi scrupuli diu perseverare non consueverunt; neque Deus vult, ut homo se illis scrupulis dedat.

Quatenus vero a diabolo oriuntur, ad malum tendunt: iste enim hominis inimicus fraudibus suis conatur hominem ad peccatum impellere, in desperationem inducere, vel saltem pacem internam perturbare et a profectu in virtutibus repellere; quare iis omni conatu obsistendum est.

Quatenus in naturalibus causis nituntur, scrupuli etiam defectum et malum quoddam dicunt: quod homo conari debet corrigere. Plerique scrupuli in naturalibus causis nituntur; quin etiam in iis, qui ad Deum aut diabolum referuntur, vix non semper causa aliqua naturalis subest.

III. Causae naturales complures esse possunt, tum physicae, tum <sup>127</sup> morales.

1. Origo scrupulorum esse potest ex corporis constitutione. Ex qua evenire potest, ut temperamentum v. g. melancholicum reddat homines ceteroquin acutae mentis ingenio suspicaces atque tenaces rerum, quas apprehendunt: quare facile fit, ut nimium omnia perscrutantes rationes apparentes alicuius mali apprehendant, tenacius teneant, neque ita facile solvere possint. — Alii, quos corporis constitutio fecit pusillanimes atque timidos, peccati timorem facilius concipiunt; ad quem expellendum si lenti sunt atque segnes, scrupulus non raro menti inhaeret.

2. Nervorum atque cerebri mala affectio scrupulos causare potest, cum eo ipso phantasia excitata sit et perturbata, neque vivida phantasiae apprehensio a iudicio intellectus satis distinguitur: quae affectio aut here-



ditate accepta aut a nimio labore, studio, vigilia, immoderato ieiunio etc. ortum ducere potest.

3. Iudicii infirmitas, quae rationes fuitiles a veris non satis distinguere possit, scrupulis causam dare potest; sed etiam ingenii perspicacitas, quae dubia et difficultates contra quaelibet facile excitat; at, nisi ingenium excellit, difficultates facilius capiuntur, quam earum solutio invenitur.

4. Alia causa esse potest occulta quaedam superbia atque proprii iudicii pertinacia: qui enim omnia suo iudicio solvere vult seque aliis praefert, multis dubitationibus manebit involutus. Quare qui his defectibus moralibus laborat, etsi forte tandem dictamen sufficiens sibi efformat, facile tamen dubiolo vexatur, ne forte alii atque ipse cum illis erraverit.

5. Alia causa est nimia sollicitudo cavendi ab omni, quod — non dico malum utcumque est, id enim caveri debet, sed quod — utcumque mali speciem habet, atque consuetudo eligendi semper rigidiora et speculative securiora: quae agendi ratio practice securior minime est, ut ex dicendis de probabilismo patebit. Sufficit hic attulisse *S. Alph.* I, n. 82, qui recipiens approbat verba aliorum, ut *Suar.*, De relig. tract. 5, l. 2, c. 33, n. 3: «Maius periculum animarum incurreretur, si tot vincula in casibus dubiis iis inicerentur», et *Card. Pallav.* in 1, 2, disp. 9, q. 4, a. 2, n. 12: «Si induceretur opinio, quod semper teneremur facere illam actionem, quae in agendo securior est etiam a transgressione materiali, haec opinio non solum non esset tutior, sed maxime exposita periculo frequentis transgressionis formalis, quare tutior est opposita», et *Bancelii*, *Cursus theol. de act. hum.* q. 5, a. 5, prob. 2: «Multa sunt, quae tutius est facere, sed simul etiam tutius est, non se credere obligatum ad ea facienda.»

6. Accedere potest alia causa extrinseca, scil. occupatio vel conversatio talis, quae subministret materiam scrupulorum, ut: lectio incauta scriptorum severiorum, qui de morali theologia vel asceti scripserunt; conversatio cum scrupulosis; directio confessarii scrupulose procedentis etc.

### § 3.

#### *De signis hominis scrupulosi.*

128 Praenotanda. 1. Aliquando unum alterumve scrupulum pati nondum facit, ut homo scrupulosus sit, aut regulis scrupulorum possit uti: scrupulosus dicitur homo e consuetudine seu habituali dispositione vel agendi ratione.

2. Saepe homo ipse non potest iudicare, utrum scrupulosus sit, an solummodo timoratae conscientiae; unde acquiescere debet iudicio prudentis confessarii vel directoris.

3. Nec confessarius semper prima vice, qua tractat poenitentem, discernere satis potest, utrum inter scrupulosos collocandus sit necne; quare tum explorare magis poenitentem debet certamque directionem differre. Sicut enim periculosum est, scrupulosum regulis communibus dirigi, ita damni plenum est, hominem non scrupulosum scrupulorum regulis duci.

4. Maxima autem discretione et prudentia opus est in dirigendis iis, qui in una materia scrupulosi sunt, in alia laxi, aut qui scrupulis quidem agitantur, simul autem etiam peccatis mortalibus et vitiis immersi sunt. Cum enim in iis regulae scrupulorum solummodo ex parte adhiberi possint, confessarius, nisi turpissime errare velit, sedulo inspicere debet. — Similiter

ille, qui in una solum materia scrupulosus est, in hac quidem, sed non in aliis scrupulorum regulis uti potest.

I. Signa praecipua hominis scrupulosi sunt:

129

1. Frequens mutatio iudicii ob leves vel nullas rationes: ita ut idem modo licitum, modo illicitum esse iudicet.

2. Timor peccandi occurrente occasione agendi in re, quam audivit a prudenti confessario licitam esse, quam videt ab hominibus timoratis agi, quam ipse proprio iudicio, cum occasio agendi non urgeret, licitam esse iudicavit.

3. Anxietas peccati ita exorta, ut homo sibi anxietatis rationem reddere non possit.

4. Iudicii pertinacia contra dictum confessarii, atque inde consultatio plurimorum in re plana, et aucta ex hac perplexitas.

5. Iterata inquisitio de actionis liceitate, etsi iam pluries responsum certum acceptum est.

6. Reflexio ad circumstantias actionis, quae moraliter loquendo non accidunt, et ad quas homo sanae mentis non consuevit reflectere.

7. Anxietas continua circa confessiones, non obstante iudicio confessarii, vel etiam confessionum repetitione iam satis accurate peracta: quod per se solum huius *specialis* scrupulositatis signum est.

II. Signa, quae parum iuvant ad dignoscendos scrupulosos, nec <sup>130</sup> in scrupulosis tantum, sed in hominibus tenerae conscientiae deprehenduntur, *Lacroix* l. 1, n. 519 sqq haec notat:

1. Quando poenitens est sollicitus, immo etiam moderate anxius, ne Deum vel levissime offendat, aut ut culpam commissam statim defeat: nondum propterea scrupulosus est.

2. Qui post vitam in magnis peccatis diu productam anguntur, et intra mediocre tempus, v. g. dimidium annum, videntur sibi non posse satisfacere, sed amplius confiteri volunt: non statim sunt habendi pro scrupulosis. Hoc tamen intellige de eo, qui ter quaterve post institutam confessionem generalem peccata aliqua tamquam nondum satis declarata afferat; nam si id saepius faciat, tandem omnino prohiberi debet, nisi prompte iurare possit, se peccatum certo mortale certe non esse confessum. Cf. *Reuter*, Neoconf. n. 266, 1.

3. Ex eo quod aliquis dubitat, an in hac aut illa re peccaverit, nondum colligi potest, eum scrupulosum esse: quia dubium aut absolute aut respective prudens esse potest.

#### § 4.

##### *De remediis scrupulorum.*

Praevie notanda. 1. Scrupuli sunt morbus quidam spiritualis; quare <sup>131</sup> etsi aliquando a Deo permittuntur ad spiritualem utilitatem, ab homine tamen cura illorum aptis remediis adhibitis omnino intendi debet. Si enim invalescunt, damna eaque gravia afferre possunt. Nam 1) nocet homo scrupulosus corpori suo, vitamque attenuatis viribus abbreviat; 2) in anima causat sibi desolationes, perplexitates, quibus ineptus fit ad veram devotionem et ad verum in virtutibus profectum; 3) immo nimis indulgendo scrupulis etiam ad verum peccatum contra efformatam conscientiam trahi potest, aut

ad desperationem, vel ad laxandas demum vitis habenas; 4) sese ineptum reddit ad agendum et laborandum in iis officiis, in quibus cum magna utilitate et fructu pro Dei gloria et animarum salute laborare possit. *Reuter*, Neoconf. n. 261; *Stoz* l. c.

2. Novit tamen Deus etiam utilitates spirituales ex scrupulis elicere, modo homo scrupulosus humilis et oboediens contra eos agere conetur: 1) iuvant ad animi puritatem; 2) praebent occasionem humilitatis et humiliationis, cum in omnibus rebus ab alterius iudicio pendere debeat; 3) augent meritum, cum impellant ad puram intentionem etiam sine gustu interno, immo cum magna afflictione: quare in morte consolatio magna scrupulosis contingere solet; 4) conducunt multum, ut ille, qui aliquando alios dirigere debet, id addiscat: vix enim bene dirigere potest scrupulosus, qui scrupulos ipse non est passus. *Lacroix* I, n. 513; *Reuter*, Neoconf. 261, 3.

132 3. Remedia, quae contra scrupulos adhibenda sunt, partim spectant regulas, quibus confessarius hominis scrupulosi uti debeat, partim regulas, quibus scrupulosus ipse se dirigat. Aliqua sunt generalia, aliqua specialia pro certa scrupulorum specie.

Communiter cum *S. Alph.* I, 15 triplex genus scrupulorum distinguitur:

1) eorum, qui circa confessiones semper sunt anxii, numquam finem facientes, ac si recte vel integre confessi non sint: quod genus scrupulorum non ita difficulter compescitur;

2) eorum, qui timent immoderate, ne pravis cogitationibus in variis materiis consensum praebuerint — est igitur scrupulus potius post factum: qui molestiam quidem gravem afferre potest, tamen non est genus scrupulorum difficillimum, nisi accedit tertium genus;

3) sc. eorum, qui semper, in quavis actione occurrente vel saltem in rebus innumeris, quae alios homines minime perturbent, timent, ne quod committant peccatum, seu contra conscientiam agant; iidem etiam post actiones anguntur, ne forte contra conscientiam egerint: qui est scrupulus maxime talis et aliis peior.

4. Esse obligationem contra scrupulos agendi: eamque gravem evadere posse, si nimirum est periculum instans gravis nocimenti, inter omnes constat. Verum haec obligatio non urget graviter in singulis actibus, sed in genere, ut subeatur certamen contra scrupulos: immo facilius etiam ipsi scrupulosi a reatu gravi excusantur, ut dicit *Stoz*, Tribunal. poen. l. 1, p. 5, n. 182: «excusandi tamen ordinarie sunt ob eam, qua laborant, infirmitatem».

133 I. Regulae generales pro confessario hominis scrupulosi. *Lacroix* l. 1, n. 527 sqq.

1. Scrutari debet, utrum poenitens sit scrupulosus in omnibus, an in aliquibus rebus tantum: quatenus sit causa scrupulorum.

2. Inculcet poenitentem, tutissimam viam esse oboedientiam summam erga confessarium, ubi evidens peccatum non cernatur; periculo plenum autem, ab oboedientia recedere.

3. Quare a poenitente sciscitetur, num sibi fidat et obtemperare etiam contra proprium iudicium velit: quod nisi promittat, curam illius

ne suscipiat, sed aperte dicat poenitenti, ut alterum sibi quaerat, cui melius fidat et oboedire velit; aliter enim operam omnem perdet in eo.

4. Generatim benigne poenitentem excipiat, interdum tamen, si a debita oboedientia recedit, severitate utatur.

5. Ad dubia, quae profert, respondeat *sine haesitatione* et *sine multa inquisitione* — ne augeat scrupulos — omnia in benigniorem partem interpretetur, eo tamen modo, ut in poenitente non excitet suspicionem nimiae benignitatis; responsis suis generatim ne addat rationem, quippe quae a scrupuloso examinatae habeantur pro non satis firmis; neque semper audiat nova dubia et scrupulos, sed quando moraliter certus est, esse scrupulum, aliquando etiam poenitentem non auditum deponere iubeat angorem omnem et securum accedere ad sanctam Communionem.

6. Ipsi poenitenti det regulas *generales*, quibus se dirigat, non nimis particulares, utpote quae iudicium ad singularia exigentes a scrupuloso applicari nequeant: quo magis igitur generales sunt et applicatu faciliores sine ulla singularum circumstantiarum distinctione, eo meliores sunt.

II. Regulae generales pro ipso scrupuloso (de quibus <sup>184</sup> *Reuter* l. c. n. 263, *Stoz* l. c. 184—205):

1. Persuadeat sibi, se vere esse scrupulosum; scrupulos autem per se ad sanctitatem non ducere, sed ab ea retrahere; proin firmiter statuatur, contra illos agere, tum adhibitis remediis corporalibus si ex valetudine male affecta oriuntur vel augentur, tum spiritualibus utens subsidiis.

2. Maneat apud eundem confessarium doctum et pium, cui confidat, sed etiam summam oboedientiam praestet, certus, se alia via non posse curari; quare donum oboedientiae a Deo petat.

3. Studeat magnopere humilitati coram Deo et resignationi in eius sanctissimam voluntatem.

4. Assuescat Deum ut summe benignum considerare, atque ea foveat, quae fiduciam excitant, fugiat contraria.

5. Fugiat otium, nimiam solitudinem, conversationem cum scrupulosis atque eiusmodi rerum lectionem, nisi sit ad accipienda remedia; brevis sit in discussione conscientiae.

6. Ne cedat scrupulo, quasi hac vice velit securitatis causa id facere, quod scrupulus suadet: sed audacter agat contra scrupulum, neque timeat, si sibi non videtur posse aut potuisse certam conscientiam efformare: neque putet se peccasse, si cum formidine scrupulosa egit non recordans, adesse scrupulum, qui spernendus sit: id enim in quavis occasione exigere velle, est impossibile quid postulare — ut notat *S. Alph.* I, 18 19 —: sufficit, ut habitualiter sciat scrupulosus, se debere dubia sua spernere, iisque non obstantibus se agere posse ea, quae *primo intuitu* non possit *certo* dicere peccata esse, et ad contrahendum peccatum mortale sibi necessarium esse, ut sine disquisitione illico sine haesitatione dicere possit, esse rem graviter illicitam. Nimirum



haec habitualis cognitio sufficit, ut habeatur dictamen certum de liceitate agendi, quod in scrupuloso aufertur solum per contrarium iudicium certum, non aufertur per subsequentes formidines et haesitationes, quae apprehensiones sunt, non iudicia, vexationem et molestiam afferre possunt, peccatum inducere non possunt: immo certitudo illa etiam actu quodammodo adest, sed ut ignis sub cinere latens non sentitur.

7. Discat se ipsum dirigere secundum regulas acceptas, neque in quolibet dubio ad confessarium recurrat; quo magis enim contempserit dubia, neque cogitaverit de iis amplius, eo melius. — Neque desinat audacter dubia spernere, etsi quando se errasse deprehenderit: melius enim est, materialiter aliquando delinquere, quam scrupulos fovere.

8. Sibi persuadeat, se nullo modo teneri ad confitenda dubia, immo id ne expedire quidem, sed interdicendum esse. Amplius etiam notat *Lacroix* (l. I, n. 537), etsi scrupulosus certo putet, se dubium habuisse de liceitate in ipsa actione, ex eo nondum certum esse, eum peccasse; potuisse enim dubium solum speculativum esse, quod a practico scrupulosus non satis distinguat: at peccata *dubia* scrupulosus *certo non* tenetur confiteri. Dubia enim speculativa, etsi ab aliis deponi debent, ita ut non transeant in practicum dubium, scrupulosus non tenetur attendere: quae enim aliis rationabilis causa est inquirendi et haerendi, non est scrupuloso.

185 9. Pro praxi igitur sumat brevissimas regulas: 1. sibi non esse quidquam peccatum mortale, vel peccatum simpliciter, quod non statim certo ut tale cognoverit; 2. sibi id licere, quod viderit agere alios homines timoratos sine scrupulo, etsi sit contra proprium iudicium vel opinionem; 3. si circa confessiones anxius est, se non teneri confiteri, nisi quod cum mortali peccato a se actum esse, prompte iurare possit; 4. dubia sibi non esse rationabilem causam agendi, omittendi, haerendi, neque dubium illud, utrum sit scrupulus, an gravis ratio. *Stoz* l. c. n. 185. — Cf. *Lacr. et Reuter* l. c.; *Reginald*, Praxis fori poen. I, n. 105 sqq.

III. Circa varia scrupulorum genera ex scriptoribus mox laudatis pauca refero:

136 1. Qui timet, ne internis tentationibus consenserit aut consentiat, si alias timoratae conscientiae est, non solum agere debet secundum regulas postea dandas circa dignoscendos actus ex imperfectione non graviter peccaminosos, sed magis etiam apud se statuere debet: 1) se non peccasse, vel saltem non graviter, nisi plane certus sit; 2) idem est, si, quando magis adverterit, statim territus fuerit et repudiaverit cogitationem vel tentationem; 3) si statim, ubi angitur, sese reperit ita adhuc constitutum, ut malit mori, quam Deum graviter offendere. Quare ad summum eliciat in genere dejectionem et contritionem de omnibus peccatis, non vero in specie de dubio illo, neque confessionali iudicio id subiciat.

2. Si tentatur contra fidem aut spem, contemnat illa, neque sese perturbet conando elicere actum positivum harum virtutum; sed breviter sese tradat in manus Dei patris benignissimi.

Similiter si sibi videtur cogitationem blasphemiae concipere, haec contemnat, neque putet se consensisse, etsi quandam delectationem in iis cogitationibus et motibus senserit: immo diabolus potest speciem quandam con-



sensus in phantasia effingere, cum homo ipse quoad voluntatem suam longissime absit a tali scelere. Si pacato animo id potest, utile semper est, actum caritatis erga Deum elicere.

3. Si concipiat suspiciosas cogitationes neque videtur sibi posse contrarium iudicium efformare, et inde timet, ne temere iudicet vel iudicaverit: contemnat haec omnia, et permissive potius se habens dicat: «qualis iste sit, ad me non pertinet.»

4. Si cogitationes de conditionate futuris exsurgunt captiosae, ab illis<sup>137</sup> se avertat, neque positive et directe respondeat iis, sed potius indirecte: «Nunc nolo Deum offendere; si casus acciderit, aderit mihi gratia divina, ut faciam Eius voluntatem.» Huic responso *acquiescat*, neque temere et cum praesumptione difficultatibus sese intricet, ne praesumptionis poenas luat sicut Petrus apostolus.

5. Si aspiciendo res plane innòxias turpes imaginationes et motus patitur, audacter aspiciat, res quidem vel imagines, e. g. sacras, etiam fixis oculis, homines modeste et transeunter, atque motus cogitationesve contemnat.

6. Si scrupulo angitur circa correctionem fraternam, hunc facile per regulas generales solvere potest. Cum enim homo privatus, ut postea dicitur (cf. de correctione fraterna, et de audientibus detractionem), raro teneatur sub gravi proximum corrigere, rarius statim: scrupulosus multo minus tenetur et vix umquam primo intuitu certus esse potest de obligatione, siquidem etiam homo non scrupulosus generatim *perpendere* debet varias circumstantias.

7. Si angitur circa horas canonicas earumque recitationem: amplectatur hac in re sententias benignissimas, neque causam habebit dubitandi et repetendi (cf. quae ibi dicuntur). Immo si valde scrupulosus est, atque nimium tempus in divini officii recitatione insumit, superior vel confessarius illi determinare potest tempus, quo clerici probi commode consueverunt officium absolvere; quod cum expleverit, si quid nondum absolverit, id omitat: «hoc superior aut confessarius scrupuloso iniungere potest» *Reuter*, Neoconf. n. 268, 6. Immo ex *Gobat*, quem *S. Alph.* IV 177 in fine approbans citat, «si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando etiam ei *interdici* recitatio officii, donec videatur recitare posse sine tanto incommodo, cum magnum incommodum excuset per se a praeceptis Ecclesiae».

Reliqua vide apud scriptores laudatos; insuper adverte, curationem corporalem et medicam non esse negligendam.

#### *Articulus IV.*

#### De conscientia laxa.

**Notiones.** Conscientia laxa scrupulosae est contraria; levius<sup>138</sup> iudicat, non esse peccatum grave, ubi revera est.

Quod si fit *ante* actionem hic et nunc ponendam vel omittendam, conscientia laxa *antecedens* est; est *consequens*, quae putat facilius post actionem positam peccatum non adfuisse, etsi re ipsa *subiective* adfuit. Unam tamen altera solet in eodem homine sequi.

**Principia.** I. Conscientiam laxam antecedentem scienter sequi peccatum est, *idque* in re gravi grave.

Ratio, cur non liceat scienter sequi conscientiam laxam, ea est, quia, qui eam sequitur, temere se exponit periculo contra legem agendi. Quod iam peccatum est; idque in re gravi, ubi periculum est legem in re gravi infringendi, peccatum est grave.

II. Dictamen igitur excusans conscientiae laxae antecedentis a peccato re ipsa per se non excusat, immo peccandi periculum auget; aliquando tamen a subiectivo peccato gravi excusare potest. Explico singula:

1. Quod dictamen conscientiae laxae *per se* non excuset, habes ex dictis. Habetur error, si erratur, culpabilis et vincibilis.

2. Immo etsi dictamen obiective rectum est, nihilominus potest propter periculum vincibiliter errandi peccari, nisi diligentior inquisitio adhibeatur: hinc periculum peccandi augetur.

3. Qui ergo laxa conscientia laborat, longe gravius et facilius tenetur inquirere, quando dubium circa honestatem actionis instantis exoritur, neque potest generatim dubium tamquam scrupulum contemnere. Ad quod cum nihilominus *pronus sit*, habes novam rationem, ex qua homini laxo periculum peccandi augeatur.

4. Nihilominus etiam apud ipsum ad mortale peccatum requiritur, ut plene et perfecte, saltem in confuso, adverterit ad obligationem rem magis considerandi aut inquirendi. Quare ob praecipitantiam non satis animadversam fieri *potest*, ut in re etiam obiective gravi gravis culpa aliquando non adfuerit. Quod imprimis notari debet, quando homo conscientiae laxae conatum eam emendandi adhibet.

139 III. Conscientia laxa prout consequens est numquam non infert animae damnum.

Nam peccati commissi non tam facile recordatur, illud contra rei veritatem facilius pro levi habet; hinc reconciliationem cum Deo quaerere facile negligit seseque in statu peccati permanendi periculo exponit.

Quare post factum ad diiudicandum statum hominis laxi confessarius uti debet regula illi contraria, quae pro homine timorato statuitur, nimirum: in dubio de consensu pleno praestito praesumendum est, hominem laxae conscientiae plene consensisse; alioquin enim ne dubitaret quidem.

IV. Ex quibus omnibus efficitur, ut gravis dici debeat obligatio conscientiae laxae emendandae: cui qui incumbit, aliquando excusatur a peccato.

Emendatio autem laxae conscientiae procuratur praecipue his mediis: meditatione aeternarum veritatum, pia lectione, frequenti conscientiae excussione, frequenti accessu ad sacramenta.

Qui igitur serio conatur laxam conscientiam emendare, is, ut dixi, imprimis aliquando in re obiective gravi ob praecipitantiam non satis animadversam excusari potest. Quare tunc exstimulanda quidem eius vigilantia est, ut cautior fiat et post commissam culpam statim doleat, et aut confessione aut contritione securum se reddat; tamen ex altera parte etiam animandus est et edocendus secundum modo dicta ad II, 4.

## SECTIO II.

DE REGULA ACTUUM HUMANORUM REMOTA  
SEU DE LEGE.

Commendandos duxi hac in re praeter *S. Thom.* 1, 2, q. 90—108 et *S. Alph.* I, n. 99—208 imprimis *Suarez*, De leg. libros 10. Dein *Salmantic.* tract. 11; *Laymann* l. 1, tract. 4; *Reuter* I 118—262; *Mazzotta* tract. 1, disp. 2—5; *Wirceb.* tom. 3; *Craisson*, Manuale iur. can. lib. 1; *Bouix*, Principia iuris canon.; *Bouquillon*, Theol. mor. fundamentalis<sup>3</sup> n. 52—252; *Ballerini-Palm.* I<sup>3</sup>, n. 236—480; *Marc* I<sup>3</sup>, n. 109—268; *Aertniji*<sup>7</sup> l. 1, n. 122—217; *Noldin* I 104—204.

*Caput I.*

## De notione et essentia legis.

Conscientiam vidimus esse dictamen rationis practicum de actionis<sup>140</sup> honestate. At sicut in aliis rebus ratio veritatem non facit, sed percipit, ita etiam circa honestatem actuum dici debet, conscientiam hanc honestatem non efficere seu eius ultimam normam non esse, sed normam obiectivam percipiendo applicare atque subiectivam reddere. Obiectiva autem norma lex est. Sine lege igitur conscientia fundamento careret atque propria adstringendi vi destitueretur.

Cum igitur lex exemplar sit, ad quod conscientiam efformari oporteat, et quod in conscientia ut in quodam speculo resplendeat: legem secundum omnem suam notionem omnesque respectus atque suam ad conscientiam relationem accuratius considerare debemus. Quo etiam fiet, ut de systemate, quod in theologia morali sequamur, dicendi sit locus: nam id nihil aliud est nisi explicare, quid et quousque ex nostra sententia lex valeat ad conscientiam ligandam.

I. Lex lato quodam sensu dici potest quaelibet norma recta actionum, quo sensu sermo fit de legibus physicis quibus reguntur naturae rerum atque actiones causarum secundariorum huius mundi secundum virtutes a causa prima seu Deo iis inditas. Sed etiam si solas spectas actiones humanas atque leges earum lato sensu sumptas, habes leges diversarum artium et scientiarum, leges logices, leges matheseos, leges grammaticae, musicae etc: quas qui laedit, peccare dicitur contra leges logicae, matheseos etc., peccato sumpto sensu lato seu translato. Nam proprio sensu peccatum dicitur laesio legis moralis.

Lex igitur sensu stricto et proprio sumitur, quando spectantur actiones humanae *ut morales*, atque ita est obiectiva norma *recti moralis* actionum seu, ut *S. Thom.* 1, 2, q. 90, a. 4 dicit, lex est «ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata».

Lato sensu legem ut regulam actionum humanarum accipiens *S. Thomas*<sup>141</sup> l. c. a. 1 dixerat: «Lex est quaedam regula et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur». Atque etiam hoc latiore sensu lex est norma aliqua *rectitudinis*, at non eius quae proprie

et *plene* rectitudo dicitur. Haec in sola habitudine convenientiae cum omnium rerum *ultima* norma et *ultimo fine* consistit, et in solis actionibus *moraliter* rectis reperitur.

Porro etiam in definitione data de lege proprie dicta *superioris ordinatio* potest iterum latiore aut strictiore sensu intelligi. Aut enim intelligitur manifestatio cuiuslibet voluntatis, etiam solius displicentiae et consilii: quo sensu lex seu ordinatio superioris sumi debet, si dicitur norma universalis omnium actuum moralium, etiam earum v. g. quae sunt de solo consilio. Aut strictiore sensu intelligitur sola manifestatio voluntatis *obligantis*: quo sensu nomen *legis* communiter sumitur, ideoque pro norma obiectiva earum actionum, quae *necessariae* sunt, i. e. necessario aut poni aut omitti debent, ut ordo recti servetur.

142 II. Distinguitur lex:

1. *Ratione originis* seu legislatoris: lex *divina* et *humana*.

A. Lex *divina* est aut *divina naturalis*, aut *divina positiva*: prior, quae cum rationalis creaturae natura simul data est et necessario concipitur; altera, quae libero Dei arbitrio ultra necessitatem naturae inducta et superaddita est. Quae lex divina positiva potest esse quoad rem seu materiam aut *ordinis naturalis*, aut *ordinis supernaturalis*.

B: Lex *humana* est aut *ecclesiastica*, aut *civilis*: utraque potest esse *scripta*, aut *consuetudine introducta*, prout initium sumit a solo legislatore legem praescribente, aut a consuetudine populi per superioris voluntatem legislatariam confirmata.

2. *Ratione obiecti* distinguitur: lex *negativa*, quae prohibet, seu quid faciendum non sit dicit; et *affirmativa*, quae praecipit, seu quid faciendum sit docet.

143 3. *Ratione effectus* distinguitur: lex *obligans*, *permittens*, *irritans*.

A. Lex *obligans* est aut *moralis*, aut *poenalis*, aut *mixta*: *moralis* immediate conscientiam ligat ad aliquid faciendum seu omittendum, aliis verbis immediate *ad culpam* obligat; *poenalis* immediate ligat *tantum ad poenam* transgressoribus impositam vel imponendam; *mixta ad culpam et ad poenam simul*. Num lex *poenalis tantum* exsistere possit, aut quando re ipsa existat postea, de ea speciatim tractaturi dicemus.

B. Lex *permittens* est, quae licitam aut impunem aliquam actionem declarat, simulque aliis obligationem imponit, saltem certo quodam sensu, agentes non impediendi.

C. Lex *irritans* est superioris ordinatio, quae certos actus iuridico effectu carere declarat, vel tali effectu privat: quae potest esse aut solum irritans, aut simul obligans (prohibens).

144 **Explicatio:** 1. Omnis lex ad legem naturalem adeoque divinam aliquo modo reducitur; scil. natura nostra ipsa cogimur fateri, tum Deo positive nobis loquenti vel praecipienti, tum superiori legitime praecipienti oboediendum esse, nec posse inoboedientiam non esse malam Deique conditoris voluntati repugnantem. Nisi enim lege naturali ad hanc oboedientiam adstringeremur, nullum superioris praeceptum conscientiam ligare posset. Quod S. Script. Prv 8, 15 exprimit his verbis: «Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.» Nam sane non tantum sicut quaelibet hominum actiones quoad



Esse suum physicum ad Deum omnia conservantem et omnibus concurrentem reducuntur, ita legumlatio ad Deum refertur, sed speciali aliquo modo, prout legumlatio imperium exercet atque morale ligamen aliis imponit: secus ratio non esset cur, hanc actionem ad Deum referri, speciatim efferretur.

2. Lex negativa dicitur obligare *semper et pro semper*, siquidem quolibet tempore verum est, non licere rem a lege prohibitam agere; lex affirmativa semper quidem, sed non pro semper obligat, siquidem semper quidem vim suam exercet superioris voluntas, quae subditos ligat, at non quolibet temporis momento exigitur res vel actio a lege praescripta.

3. Distinguitur etiam lex *odiosa et favorabilis*: attamen haec lex favorabilis ad legem permittentem reduci potest. Per se nimirum lex odiosa est, i. e. restringens libertatem, — idque imprimis de lege *positiva* dicitur —, verum aliquando aliqui a lege communi eximuntur, iisque praeter aut contra legem communem privilegium datur, quod vocatur lex favorabilis.

III. *Essentiales* legis conditiones ex ipsa rationalis creaturae natura, <sup>145</sup> cui lex datur, et ex fine, cur detur, eruendae sunt. Nimirum *cui* detur, creatura est rationalis, quae ad finem suum tendere debet, sed ab eo deflectere potest; *cur* detur, est ut haec rationalis creatura ad ultimum finem et fines intermedios ea necessitate dirigatur, quae libertatem non laedat.

Ut igitur lex sensu proprio et stricto existat, debet esse:

1. voluntas superioris *efficax* seu *absoluta* obligandi — alioquin esset consilium, quod sola lege latioris sensus comprehenditur, ut supra dictum est;

2. voluntas superioris intimata seu *promulgata* — nam quamdiu manet voluntas superioris in eius mente inclusa, impotens est et incapax ad dirigendos subditos;

Quae et quanta necessaria sit promulgatio, ut lex existat, commodius cap. 3 explicabitur.

3. voluntas declarata *stabilis* sive permanens *pro communitate* data — alioquin praeceptum dicitur, de quo mox pauca subiungam.

Quoad leges humanas insuper sequentes conditiones attende, ut lex sit:

4. *possibilis* — ad impossibilia enim non datur obligatio;

5. *utilis* — ne fine careat; alioquin non est ordinatio *rationalis*;

Quousque haec possibilitas et utilitas extendatur, seu ob quem defectum possibilitatis aut utilitatis lex evadat nulla, postea, quando *obiectum* legis eiusque *cessatio* explicabitur, fusius dicitur.

6. *honestas* — nequit obligatio esse ad facienda illicita;

7. *iusta* — quod enim meum ius laedit, facere non teneor; quod alterius ius laedit, mihi ne licet quidem facere.

Iustitia atque honestas plane ad essentiam legis pertinent, siquidem lex nullatenus dici possunt, quae cum voluntate divina pugnant; pugnant autem iniusta et inhonesta cum sanctissima Dei voluntate irreconciliabiliter. Quae enim cum ea pugnant, ad Deum suggerentem et iubentem reduci nullatenus possunt; ad essentiam autem legis ex supra dictis necessarium est, ut ad Dei auctoritatem aliquo modo reducat.



140 **Explicatio uberior. Discrimen inter legem et praeceptum.** 1. Lex a) *stabilis* est atque per se perdurat: quare ut corruat, necesse est causa eam destruens ponatur; b) *pro communitate* fertur.

Praeceptum vero communiter transitorium est, et corrui saltem cum superiore, ac propterea, ut perduret, per se innovatione opus est: fertur enim aut ad singularem tantum actum, aut pro certo solum tempore (v. g. ad vitam praecipientis), vel ad singulares tantum personas.

Praecipua igitur differentia practica in eo est, quod praeceptum, etsi ut aliquid perdurans iniunctum sit sive uni sive pluribus vel toti coetui, nihilominus, saltem superiore vita vel officio functo, eo ipso expirat; nisi forte — ut in ordinibus religiosis nonnumquam contingit — contrarium constitutum sit; quod si factum fuerit, praeceptum impositum iam non manet praeceptum huius singularis superioris, sed evadit praeceptum ipsius ordinis religiosi, qui ut moralis persona non moritur, et cuius praeceptum ad instar legis perpetuitatem accipere potest. Cf. *Suarez*, De leg. l. 1, c. 10; *Wernz*, Ius. decretalium I, n. 135.

147 2. Ceterum quando praeceptum urget, parum interest, utrum praecepti an legis proprie dictae obligatio adsit: quare etiam in explicandis officiis non semper huius discriminis inter legem et praeceptum rationem habituri sumus, sed, nisi peculiaris causa adsit, promiscue leges et praecepta respiciemus atque vocabimus<sup>1</sup>.

## Caput II.

### De necessaria legis certitudine eiusque ad conscientiam relatione, ubi, de variis theologiae moralis systematis dicendum est.

148 Cum conditionibus legis essentialibus intime coniungitur quaestio illa summi momenti, qualis certitudo de lege eiusque extensione ad

<sup>1</sup> Quod dico parum interesse, utrum *legis proprie dictae* aut *praecepti* obligatio urgeat, intelligo de praeceptis *vi iurisdictionis* impositis, non vero de praeceptis impositis ex sola potestate *quasi dominativa vel religiosa* (quae vi voti acquiruntur et de qua suo loco dicturi sumus). Ut igitur intelligas, quando aliquid intersit, quando non, utrum praecepti an legis obligatio urgeat, haec attende:

*Lex proprie dicta* rem seu actionem praeceptam constituit materiam necessariam eius virtutis, ad quam haec res seu actio ex natura sua pertinet. Quare in violatione legis non solum inest malitia communis inoboedientiae, sed etiam malitia specifica desumpta ex oppositione ad eam virtutem specialem. Iam vero idem valet de praecepto *ex iurisdictione imposito*, non autem de praecepto *ex sola potestate dominativa imposito*. Cuius differentiae ratio est haec: Iurisdictio, utpote communis boni atque honestatis ordinis curam habens, *ex natura sua* sicut in suis legibus, ita etiam in praeceptis respicit bonum illud, quod est in ipsa re praecepta, idque *qua bonum commune*: potestas vero dominativa *ex natura sua subiectionem* principaliter respicit, ipsa re per se materialiter se habente; atque si quando alia intentione superior ducitur, id. aut per accidens est, aut ad bonum privatum potius quam ad commune dirigitur.

Quod de vi et efficacia iurisdictionis dixi, confirmari potest a contrario. Quam enim superior lege sua pro multitudine virtutis materiam fecit necessariam, eam dispensando pro singulari homine materiam non-necessariam reddere potest: ergo ex opposito pro singulari homine ex sufficienti causa (per praeceptum) eam reddere potest materiam alicuius virtutis necessariam, quam pro multitudine necessariam non fecit. Quod si fieri potest, etiam revera ita fieri, ex natura potestatis iurisdictionis, ut dixi, colligitur. — Cf. hac de re *Lugo*, De poenit. disp. 16, n. 170.

singularem actionem, de qua quaeritur, adesse debeat, ut conscientia vere ligetur. Quae quaestio non solum circa legem humanam et positivam versatur, sed etiam, idque maxime, circa legem divinam naturalem. Aliis verbis quaeritur, quid sentiendum sit in variis dubitationibus, quae circa leges earumque extensionem occurrunt, utrum eodem modo, ut dubia est lex, etiam dubia dicenda sit conscientia, an ex lege etiam dubia ad conscientiam certam progredi possimus, et quando.

Quoniam autem permulta in variis legibus sunt, quae non sint ita plana, sed plus minusve obscura et controversa inter ipsos viros doctos: ab huius quaestionis solutione innumerae singulares quaestiones in theologia morali solvendae dependent. Quare iam consueverunt pro diversa universalis illius thematis solutione diversa systemata nuncupari: quo fit, ut in singularibus quaestionibus decidendis etiam maior fiat diversorum scriptorum discrepantia, neque quisquam firmum sibi iudicium de licitis et illicitis formare possit, nisi de hac quaestione, quodnam systema sit sequendum, certum aliquid apud se statuerit.

Verum quidem est, multa inter diversorum systematum fautores convenire, immo, quod magis mireris, eos, qui systema severius statuunt, aliquando in singularibus quaestionibus benignius rem tractare; at hoc aut inde est, quod sibi non semper constant, aut — quae est humanae infirmitatis conditio — suis rationibus et placitis prae aliorum rationibus nimis confidunt. Quare, ut secundum scientiam recte procedamus, systematum diversorum notionem definire et iudicium necessario debemus instituere<sup>1</sup>.

### Articulus I.

#### Expositio diversorum systematum.

1. Qui ita statuit: In lege dubia et controversa non licet sequi opi-  
nionem libertati faventem, sed ut hanc sequi liceat, requiritur, ut sententia  
favens libertati sit *certa* — profitetur *Tutiorismum absolutum*.
2. In lege dubia et controversa, ut liceat sequi sententiam libertati faventem,  
haec sententia debet esse saltem *probabilissima* — *Tutiorismus mitigatus*.
3. In illo dubio sufficit et requiritur, ut sententia libertati favens sit  
*probabilior quam opposita* — en axioma *Probabiliorismi*.
4. In illo dubio sufficit et requiritur, ut sententia libertati favens sit  
*aeque probabilis atque opposita* — axioma *Aequiprobabilismi*.

<sup>1</sup> Plane longius est, innumeros libellos et libros eorum recensere, qui hac de re, maxime de probabilismo, scripsere. Habes fere omnes, quos laudavi supra agens de conscientia. Considerationem imprimis merentur S. Alph., Dissert. pro usu moderato opinionis probab.; Dissert. proleg. in theol. mor. S. Alph. a Zaccaria; Deschamps, Quaestio facti etc. in Lacroix-Zaccar. ante lib. I; Maignon, De probabilismo v. Études relig. a. 1866 et seq.; Katholik a. 1874 (Mogunt.); Ballerini, Dissert. de morali syst. S. Alph.; Bouquillon l. c. n. 286—312; E. Müller l. I, § 75—82; Pruner I, n. 84—87; D'Annibale I, n. 256—270 etc.; Caigny, De aequiprobabilismo Alphonsiano; idem, Tentamen conciliationis; G. Arendt, Crisis etc.; Ter Haar, De systemate mor. antiquorum probabilistarum; idem, Ven. Innoc. XI de probabilismo decreti historia et vindictae, cum Wouters, De Minusprobabilismo<sup>2</sup>, et contra eos Lehmkuhl, Probabilismus vindicatus; A. Schmitt, Geschichte des Probabilismus.

5. In tali dubio sufficit et requiritur, ut sententia libertati favens sit *vere probabilis*, seu gravi ratione nixa — axioma *Probabilismi*.

6. Qui vero opinionem etiam leviter probatam seu improbabilem in favorem libertatis se amplecti posse autumat, se *Laxismo* adhaerere ostendit: quem pro systemate nemo profitetur<sup>1</sup>, ad quem tamen in singulis quaestionibus aliquando scriptores quidam delabi deprehenduntur.

Ex quibus *primum* axioma aperte condemnatum est a S. Sede, thesi 3 ab *Alex. VIII* confixa: «Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.» Quo habemus, ut licite amplectamur sententiam libertati faventem, non requiri omnimodam eius obiectivae veritatis certitudinem.

*Secundi* systematis axioma, quamquam non aperte damnatum a S. Sede, tamen adeo ab omnibus explosum est, ut nemo sit, qui in variis applicationibus illud serio profiteatur et sequatur: itaque tacite ab Ecclesia illud reprobatum esse dicendum est.

150 Circa *laxismum* thesis 3 ab *Innocentio XI* damnata notari meretur: «Generatim, dum probabilitate intrinseca seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.»

Quae propositio ab auctoribus compluribus secundum sensum, qui ut in se sanior admitti potest, docebatur, tamen merito reprobata est, quia repugnantia statuens abusus patet, et laxitati praebet ansam. Dico, eam repugnantia statuere, siquidem se intra limites verae probabilitatis continere et tenuiter probabilia sequi, inter se pugnant, cum tenuiter probabile tam non vere probabile sit, quam, qui tenuiter prudens est, non potest vere homo prudens dici. — Insuper thesis in eo peccavit, quod statuit, *semper* probabili opinione uti licere.

Cum igitur iam plura systemata — si ea systemata moralis theologiae vocari licet — exclusa sint: considerationi relinquuntur sola tria, quae re ipsa ut systemata fautores suos habent, probabiliorismus, aequiprobabilismus, probabilismus. Ex quibus quilibet unum, quod sequatur in doctrina rerum moralium, profiteri debet. Neque enim fieri potest, ut a quolibet horum systematum prorsus abstrahatur. Nam necesse omnino est, ut in obligationibus speculative dubiis et controversis aliqua norma et ratio habeatur, secundum quam, deposito dubio, ad practicam certitudinem deveniatur. Neque excogitari potest, tutorismo et laxismo exclusis, alia praeter tres illas regulas, ut scil. aut postuletur *gravior* ratio pro sententia libertati favente quam pro opposita, aut *aeque gravis*, aut *simpliciter gravis*. Quare cuilibet systemati valedicere eiusque axiomati idem est ac missas facere rationes et methodos, quibus practica dubia auferantur. Si autem dicitur, id in singulis

<sup>1</sup> Sunt qui putaverint me id falso dicere, siquidem, aiunt, aliqui revera axioma illud statuerint, licere sequi opiniones etiam *tenuiter probabiles* in favorem libertatis, ut patet ex thesi 3<sup>a</sup> ab *Innoc. XI* proscripta; hoc autem idem esse atque defendere usum opinionum improbilium et laxarum. — Ad quod respondeo: Ut inde recte concludas, eos scriptores professo esse laxismum pro systemate, debebant illi ipsi iudicare, opiniones istas tenuiter probabiles, quarum usum defendebant, esse improbabiles et laxas; non sufficit, ut alii id iudicent. Verum tantum abest, ut ii ipsi sic iudicaverint, ut potius contrarium aperte senserint atque sumpserint. Nam non quaslibet tenuiter probabiles opiniones pro licitis habebant, sed eas tantum, quas *vere probabiles* esse et manere putaverunt. Esto, ut erraverint in eo, quod putaverint, tenuiter probabiles opiniones *posse* esse aliquando vere probabiles: id saltem sequitur, eos noluisse usum opinionum quas laxas esse cognoverint. Ergo non statuerunt pro systemate laxismum.

questionibus prudenti aestimationi relinquendum esse: hoc verissimum est, at aestimatio prudens non erit, quae certa norma et regula careat.

In instituendo iudicio diversorum systematum, ne fusiores esse cogamur, solum probabilismum argumentis probabimus et a difficultatibus obiectionibusque vindicare conabimur. Quo patebit, quid de probabiliorismo et aequiprobabilismo sentiendum sit.

Ceterum, ut de aequiprobabilismo statim pauca dicam, hoc systema, si <sup>151</sup> non stricte vim vocis, sed sensum eorum, qui illud profitentur, accipiamus, vix a probabilismo discrepat. Nimirum admittit, licere sequi eam sententiam libertati faventem, quae sive aequae probabilis sive fere aequae probabilis, *etsi paulo minus probabilis* sit, quam contraria; insuper de probabilitate alicuius sententiae eiusque gravitate etiam ex scriptorum auctoritate externa merito iudicari posse, censent: quo necessario fit, ut vix quidquam illicitum dici possit secundum aequiprobabilismum ita temperatum, quod probabilismus licitum esse delectet. Si quid enim gravi ratione nititur, atque multis viris doctis et probis *simpliciter probatur*; qui fieri potest, ut illis vel pluribus eorum id ipsum saltem fere aequae probabile non appareat quam contrarium? Neque id temere dici, ipsa experientia plane demonstrat. Ut enim *S. Alphonsus* in posterioris aetatis suae scriptis aequiprobabilismum profitetur, tamen vix ullam sententiam probabilistarum, modo vere probabilis sit, expunxit aut licitam practice esse negavit: immo sunt opiniones, quas sequi licere, graves scriptores probabilistae negarint, *S. Alphonsus* affirmet. — At cum nobis persuasum sit, theoretice rectius statui axioma probabilismi, hoc unum systema argumentis probare aggredimur, de aliis ea solum dicturi, quae requiruntur, ut difficultates contra probabilismum allatae evanescant.

**Historica notitia.** Ad nomen «systematis probabilismi» invehendum <sup>152</sup> ansam dedit primo *Medina O. P.*, cum anno 1577 commentarios in *S. Thomam* ederet, atque ad 1, 2, q. 19, a. 6 concl. 3 disertis verbis principium statueret: «si est opinio probabilis, licitum est, eam sequi, licet opposita probabilior sit». At rem non novam proposuit, cum hucusque valuisset doctrina communiter admissa, ex diversis opinionibus, modo sint solidae doctrinae, posse unam quamlibet etiam practice teneri. Quo etiam factum est, ut *Medinae* doctrina nullam admirationem aut bellum contra se excitaret, immo usque ad medium sequentis saeculi apertos adversarios paucos tantum nacta sit, e *Societate Iesu*, *Comitolum* (circa a. 1609), *Ferd. Rebellum*<sup>1</sup>, *Bianchi* sub nomine «*Candidi Philalethi*» (circa 1642).

Longe plures steterunt ex parte probabilismi. Nominari possunt ex *O. Pr.*: *Did. Alvarez*, *P. Ledesma*, *Dom. Bañez* etc.; ex *O. S. Fr.*: *Ios. Angles*, *H. Villalobos*, *P. Marchant* etc.; ex *O. S. Aug.*: *Mich. Salon*, *P. Arragonius*, *Bas. Pontius* etc.; ex *O. Carm.*: *P. Cornejo*, *J. Lezzana* etc. Ex Universitatibus recensere licet: *Salmanticensem*, *Parisiensem*, *Lovaniensem*, *Duacenam*. Hinc vere *Mastrius*, celeberrimus inter Scotistas: «haec est sententia communissima et receptissima in omni schola in hoc currenti saeculo!» Immo etiam *Th. Gonzalez*, acerrimus probabilismi adversarius, fatetur, «probabilismum usque ad annum 1656 omnes fere theologos traxisse in sui assensum,

<sup>1</sup> Loco notissimo *De obligat. iust.* p. 1, l. 3, q. 5, n. 5 haec habentur: «Certum autem est, ut alibi ostenditur, neminem salva conscientia sequi posse opinionem quae minus probabilis ab eo esse cognoscitur.» Quod si de solius iustitiae obligatione intelligit, nondum sequitur, eum esse antiprobabilistam; sequitur, si haec dicta de *quacumque* obligatione intellexerit.



et nullam fortasse doctrinam esse, quae cursu non longo temporis plures sectatores et defensores habuisset» (vide *Lacr.* l. 1, n. 269; *Bouquillon*, *Theol. mor. fundam.* n. 306). Immo *Opstraet* († 1720) aperte confitetur «communis ergo et universalis» per Ecclesiam erat probabilitatis doctrina: quamquam ipse hanc doctrinam summopere insequitur.

- 153 Postquam igitur *Alex. VII* 1656 et 1666, et *Innoc. XI* 1679 plures theses laxas damnavit, inter eas aliquot, quae systema probabilismi tangere videbantur — quamquam re ipsa nullatenus ipsum systema respiciebant — plures probabilismi adversarii exorti sunt. Theses illae damnatae sunt 27 ab *Alex. VII* proscripta: «Si liber est alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, [eam] reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem»; Thes. 1 2 3 ab *Innoc. XI* damnatae: 1. «Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis». — 2. «Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.» — 3. «Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.»

Quae theses, ut dixi, verum probabilismum nullatenus petunt. At negari nequit, ex eo tempore probabilismum plures nactum esse adversarios. Imprimis autem Iansenismi asseclae et fautores in eum insurrexerunt eo fine, ut Iesuitas, qui longe maxima ex parte semper probabilismum docuerant — etsi aliorum ordinum socii in eo defendendo non segniore fuerint — laxitatis accusarent atque calumniis opprimerent.

Verum etiam alii putaverunt, sibi ab illa probabilismi regula eousque communissima recedendum esse. Ita refert *Simar* § 46, ordinem Theatinorum in capitulo generali anno 1598 iam suis iniunxisse, ut probabiliorismum defenderent; et teste *Billuart* idem iniunctum esse ordini Praedicatorum in gen. capitulo anno 1656<sup>1</sup>; atque etiam ex aliis religiosis familiis et ex saeculari clero non paucos fuisse constat, qui ad probabiliorismum declinarent, ut ex Societate Iesu: *Thyrus Gonzalez, Antoine, Elizalde, Camargo*.

Revera probabilismus in discrimen vocabatur, cum *Innoc. XI* probabiliorismo favens et Societatis Iesu theologos a docendo probabilismo avertere studens, *Thyrsus Gonzalez*, quem ut acerrimum probabilismi adversarium cognoverat, in Praepositum Generalem Soc. Iesu electum adhortaretur, ut, quantum posset, contra probabilismum dimicaret.

- 154 Attamen decretum Pontificum, quod hac in re latum erat, tum probabiliorismo tum probabilismo libertatem vindicavit, ut in tuendo systemate utrolibet singuli ab eius essent partibus quod magis probarent. Quo factum est, ut longe plurimis semper magis probaretur probabilismus atque etiam contra *Thyrsi Gonzalez* librum, cui titulus «Fundamentum theologiae moralis» comples calamo insurgerent, pauci tantum defenderent probabiliorismum, aliqui etiam aequiprobabilismi moderamen inducerent. Ceterum *Thyrsi Gonzalez* liber, qui non sine favore et auxilio Pontificum in lucem prodiit, Sanctae Sedis laudes peculiare numquam tulit, immo posteriore tempore S. Alphonsi

<sup>1</sup> Verum si verba decretorum inspiciuntur, solum edicitur: «ut evitentur opiniones laxae, novae ac parum tutae»; quod nullo modo est probabilismi reprobatio vel iniunctio probabiliorismi. Cf. *G. Arendt* in *Bibliotheca Anal. eccl.* No. 15, p. 85, n. 7.



gravissimam tulit reprehensionem, quod legitimis conclusionibus in rigorismum duceret a Sancta Sede reprobatum.

Decretum quidem illud Innocentianum, quod natura sua erat mandatum singulare et privatum, decursu temporis antiprobabilistae in publicam lucem trahebant atque venditabant ut probabilismi condemnationem; immo circumferebatur textus velut authenticus decreti, secundum quem Patres Soc. Iesu iussi plane essent probabilismo renuntiare. At etiamsi textus ita revera fuisset, causam probabilismi in se remansuram fuisse intactam, iam S. Alphonsus, cui alius textus notus non erat, adversariis suis opposuit: potuisse esse causam specialem, cur S. Pontifex vetaret *Iesuitas* probabilismum propugnare; inde nullatenus sequi, id aliis quoque vetitum atque probabilismum universim esse reiendum. Verum tum *prima* decreti publicatio, tum recentissima eius evulgatio anni 1902 ostendunt, genuini decreti verba *contra* probabilismum neque in se neque quoad Iesuitas quidquam continere.

Videlicet publicatio prima facta est, cum decretum illud ex archivis erutum cum Thyroso Gonzalez anno 1693 communicaretur atque ab ipso postea in supplici libello ad Clementem XI dato insereretur. Refertur his verbis: «Iniungatur Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliore sic cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam notum faciat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam, eisque iubeat, ut mandato Sanctitatis Suae omnino se submittant.»

Postea circumferebatur tenor longe diversus: «Iniungendum Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ne ullo modo permittat Patribus Societatis Iesu scribere pro opinione minus probabili et impugnare sententiam asserentium, licitum non esse opinionem minus probabilem in occurso probabiliore sic cognitae et iudicatae; verum etiam relate ad omnes Universitates Societatis Iesu mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet pro suo libitu libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam, eisque iubeat, ut mandatis Sanctitatis Suae omnino se submittant.»

Demum cum nostris temporibus de genuino textu controversiae exortae essent, genuinus textus *ex officio* communicatus est per authenticam declarationem secretarii S. Officii d. 19 Apr. 1902, repudiatis quibuscumque aliis formis ut apocryphis. Qui textus genuinus est hic: «Iniungatur Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliore sic cognita et iudicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam scribat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam; eisque iubeat ut mandato Sanctitatis Suae omnino se submittant.»

Decretum illud, quod tum defendendi probabilismi tum eum impugnandi libertatem vindicabat, id non effecit, ut plurima pars theologorum sive ex Societate Iesu sive ex aliis scholis severiora systemata amplecteretur. Nam si confers catalogum scriptorum operi S. Alphonsi praefixum, facile patet, universe loquendo magnam eamque graviorem partem theologorum stetisse ex partibus probabilismi, etsi aliqui, etiam ante S. Alphonsum, principia sua ita

enuntiare maluerint, ut aequiprobabilismum potius defendere viderentur, ut *Euseb. Amort.*, Theol. mor. tr. de conscientia § 49, q. 9; *Anton. Mayr* S. J., De act. hum. disp. 2, q. 3, a. 6—22; *Rassler* S. J., Norma recti disp. 3, n. 1123; vide *E. Müller* § 8r, Regula V.

Immo saeculo decimo octavo *S. Alphonsus*, etsi in rigidiore schola edoctus, singulari sua prudentia et sanctissimo zelo maioris Dei gloriae et animarum salutis brevi perspexit, ad benigniores sententias redeundum esse. Quas ut in usum iterum induceret, strenuissime laboravit, neque sine speciali Dei providentia, ut *Pius IX* in Constitutione, qua sanctum virum Doctorem Ecclesiae proclamavit, aperte dicit, id factum esse: quo videlicet erroris tenebrae et lubricae viae tum nimiae levitatis tum periculosae severitatis evitentur. Sibi autem S. Doctor ipse non minus continuas vexationes atque laxitatis incriminationem conciliavit, quam tot Societatis Iesu scriptores, quos praecipue in singulis quaestionibus secutus est, passi sunt. Verum de hac re hactenus. Quid nostra aetate plerique sentiant, supersedeo recensere.

## Articulus II.

### Probabilismus exponitur, et probatur eius veritas.

#### § I.

##### *Notiones praeviae et status quaestionis.*

156 Opinio probabilis seu probabile illud dicitur, quod gravi nititur ratione, seu quod homini prudenti probatur, eumque ad assensum movet vel ei assensum suadet, quamquam remanente formidine de veritate oppositi. Ipso igitur conceptu, quod probabile est, excludit certitudinem, admittit possibilitatem, immo timorem quendam errandi plus minusve fundatum. At, ut postea de probabilismi honestate tractantes ostendemus, hoc errandi periculum unice speculativum iudicium respicit, practicum iudicium nullo modo.

Distinguitur:

1. Probabilitas *iuris* et *facti* prorsus eadem ratione, sicut antea (v. de conscientia art. II) dictum est de *ignorantia* iuris et facti.

2. Probabilitas *speculativa* et *practica*: quae distinctio non uno semper sensu intelligitur. Scil. a) si opinio, quae dicitur probabilis, versatur circa res speculativas, proxim proxime saltem non spectantes, *speculativa* vocatur probabilitas; si aliter, est *practica*; attamen melius dicitur probabilitas *de re speculativa*, et *de re practica*. b) Pressius circa ipsas res practicas dicitur opinio *speculative tantum* probabilis, si iudicium illud actionem considerat abstracte et in se, non attentis illis circumstantiis concretis, quae ei communiter adiunctae sunt; *practica* probabilis aut improbabilis, si iudicium fertur de actione, de qua quaeritur, cum omnibus iis circumstantiis, quae eam in concreto et secundum hominum naturam, uti de facto est, comitantur. Quibus fieri potest, ut aliqua opinio, quae certam quandam actionem a gravi peccato immunem declarat, speculative quidem probabilis vocetur, practice autem et simpliciter improbabilis.

3. Probabilitas *interna* et *externa*, prout iudicium fertur secundum rationes, quae ex ipsius rei consideratione petuntur, aut secundum auctoritatem aliorum, qui in ea re docti atque versati sunt.

4. Probabilitas *absoluta* et *relativa*, seu opinio absolute probabilis, et relative probabilis, prout illa opinio sine comparatione cum opposita opinione rationibus gravibus et persuasibilibus niti dicitur, aut iudicium de ea in comparatione illius oppositae opinionis fertur. Alterum si fit, opinio aliqua potest esse: aequae probabilis, minus probabilis, probabilior, relative probabilissima, relative parum probabilis.

5. Distinguunt etiam opinionem dubio probabilem, tenuiter probabilem: quae si accipiatur pro distinctione, qua probabilia inter se distinguantur, re ipsa contradictoria continet. Qui enim dicit *tenuiter probabile*, sine dubio significare vult, rationes assensum suadentes esse leves tantum; at qui fieri potest, ut ratio levis viro prudenti vere probetur atque assensum suadeat, denique sententiam reddat probabilem?

Speciatim nota circa probabilitatem externam: Externa probabilitas<sup>157</sup> per se supponit internam. At rationes, quibus nitatur iudicium de probabilitate, necesse non est cuilibet esse perspectas. Illi autem viri docti, ex quorum auctoritate opinio quaedam pro probabili enuntiatur, certe propter internam aliquam rationem opinionem illam sustinent: nisi forte in aliqua quaestione solvenda tota controversia auctoritate Ecclesiae finitur; quod si fit, maiore etiam securitate, quam quae ex rationum internarum pondere oritur, sententiae illi adhaereamus oportet.

Auctoritas igitur virorum, qui in theologia morali versati sunt, atque probati ingenii et integritatis, veram probabilitatem constituit, siquidem in rebus doctrinae non quilibet proprio studio omnem rei veritatem investigare potest.

Neque tamen eodem modo cuilibet auctoritate sive ratione externa, nisi sit Ecclesiae auctoritas, niti licet. Etenim homo rudis facilius auctoritatem pro ratione sibi sufficienti habere potest, quam homo eruditus. Prior auctoritate unius viri, quem instructum esse merito putat, duci plerumque secure potest; alter non item. Verum etiam hic, cum non in omnibus ipse rationes pendere possit, immo etsi potuerit, tamen non id sibi assumere debeat, ut se prae ceteris melius omnes rationes discussisse statuatur: ex auctoritate plurimorum virorum probatorum, qui certam aliquam sententiam defendunt, eam pro probabili habere potest, nisi forte aut ipse illorum rationes dissolvit falsasque esse plane perspexit, aut Ecclesiae magisterium contrariam sententiam statuit.

Multi sic regulam aliquam constituunt: Id quod a 5 vel 6 auctoribus<sup>158</sup> gravibus et classicis docetur, iure pro probabili sententia *per se* haberi potest. (Quod sane sic intellige, ut non postea contraria sententia evaserit certa.) Auctorem vero inter probatos et classicos numerari, aut communi aestimatione, aut iudicio Ecclesiae constabit, aut signis etiam quibusdam erui poterit.

Signa quaedam *negativa* Lacroix l. 1, n. 160 enumerat, vid. nihil debere contra alicuius scriptoris doctrinam afferri posse, quod sit quodammodo iuridica quaedam contra eum exceptio: 1. ne opiniones, etsi aliquas tantum, sustinuerit, quae sint contra principia alioquin certa, adeoque aperte falsae; 2. ne levi et sophistico argumentandi genere utatur; 3. ne plura improbabilia

et a ceteris theologis reprobata docuerit (scil. eiusmodi, quorum rationes futes et falsas esse, alii scriptores demonstraverint); 4. ne sit merus aliorum sententiarum collector, qui studium eas examinandi sibi non assumpserit.

Sic revera aliquando accidit, ut multorum auctoritas re ipsa ad unius alteriusve scriptoris auctoritatem reducat. Si enim unum aliquem scriptorem reliqui absque examine secuti sunt, nec novas attulerunt rationes, sed solam illius auctoritatem sibi accipere contenti fuerunt, non possunt omnes illi ut distincti illius sententiae auctores invocari. Quod notari debet, ne temere externa probabilitas fingatur. Cf. *Navarr.*, Manuale conf. c. 27, n. 289, et post eum *Ant. Mayr*, Theol. IV, n. 300.

Contra aliquando fieri potest, ut unus etiam scriptor summae et probatae doctrinae aliquam sententiam probabilem faciat, etsi contra communem doctrinam sententiam suam statuit, nimirum si rationes affert, quas alii non consideraverunt vel satis non solverunt, ipse autem aliorum rationes infirmas esse satis ostendit: quod ne levius admittatur, attende thesin 27 ab *Alex. VII* confixam, quam supra retuli n. 153.

His prae notatis

159 **Dico:** In omnibus rebus dubiis iisque solis, in quibus controversia ad quaestionem de licito et illicito proxime deducta est, sequi licet opinionem vere probabilem, quae actionem omissionemve licitam esse docet, etsi contraria opinio, qua illicita putatur, sit etiam probabilis, vel etiam probabilior.

Nota ad statum quaestionis:

1. Dicitur «in omnibus rebus dubiis etc.», ut indicetur, sive spectent ad legem naturalem, sive ad positivam divinam, sive ad humanam, id nihil differre quoad usum probabilismi, nisi forte in lege humana facilius *probabilis* ratio dubitandi admitti potest, quam in lege divina et naturali.

2. Dicitur: «in solis etc.», quo excludatur usus probabilium opinionum, quae non proxime de actionum liceitate et illiceitate, sed de earum valore versantur. Nam si de valore actus agitur, fieri potest, ut vere probabilis sit opinio affirmans, haec et haec non tangere valorem, attamen non obstante hac probabilitate, vere impium vel iniustum sit ea negligere, quae propter oppositas rationes fortasse ad valorem pertineant. Si enim effectus, qui valida tantum actione obtineri potest, *certe* producendus est, nemo non videt, actione probabiliter tantum valida periculum induci atque iniuriam ei inferri, qui certum effectum iure expectet, nisi forte, quando in potestate agentis non est, certiore effectum procurare, melius actione dubie valida quam nulla, proximi necessitati consulitur.

160 Quae igitur a compluribus scriptoribus tamquam *exceptiones* a probabilismi liceitate statuuntur, vere exceptiones non sunt, multo minus defectio a regula probabilismi, sed solum *veri sensus* probabilismi *declaratio*. Qui enim v. g. ex eo, quod non constet de nullitate baptismi in aqua artificiali collati, inferre velit, *licere* sic baptizare, potius se defecisse a logices regulis demonstret, quam probabilista, qui hanc consecutionem negat, deficiat a suo axiomate. Antequam enim de probabilismo eiusve usu sermo esse potest, quaestiones controversae ad statum illum deduci debent, ut de lege praecipiente vel vetante proxime iudicetur. Quod saepe non fit, nisi *prae* aliae quaestiones solutae sunt.



Igitur: 1. Quando agitur de adhibendis mediis ad salutem aeternam necessariis, non licet, effectum tantum probabiliter assecuto contento esse.

2. Quando sacramenta administranda sunt, non licet dubia materia vel forma uti, quamdiu certiora adhiberi possunt, quia tum reverentia sacramentis debita, tum ius eorum, quibus sacramenta administrantur, eorumve periculum postulant, ut dubiis certa praeferantur. Excipe, nisi: a) forte Ecclesia supplere possit atque certo eam suppleturam esse scitur; vel b) in sacramentis, praecipue frequenter iterabilibus, maioris certitudinis inquisitio scrupulis et immoderatae sollicitudini viam aperiret: quod si fieret, certitudine etiam late morali contento esse licet ministro, quamvis maior certitudo absolute possibilis sit. V. g. quis umquam obligabit sacerdotem, ut ipse vinum ex uvis conficiat, triticum serat et panem hostiarum coquat, quamquam, si haec faceret, maiorem certitudinem de valida materia eucharistica haberet! Videlicet quae a Christo pro hominum usu instituta sunt, humano more tractanda, seu ea sollicitudine, quae non ultra humanam diligentiam excedat.

Si medicus aegroti curam suscipiat, non potest, relictis melioribus, remedia dubia adhibere, siquidem, suscepta infirmi cura, se ad illum, quo possit optimo modo cum humana diligentia, curandum adstrinxit; immo curationem tantum dubiam seu ambiguam, quae in bonam et in malam partem cedere potest, neque aegroti licet admittere, neque medico impendere, si vita vel sanitas multum periclitatur: et sic in similibus casibus.

Probabilitatis et probabilismi notio atque ipsius probabilismi axioma et systema videntur iis, quae dixi, satis esse explicata. Probanda igitur est eius veritas. Quod propter rei gravitatem praeter morem quibusdam argumentis scholastico modo propositis efficere conabor.

## § 2.

### *Argumentum externum historico-theologicum, quo probabilismi veritas seu thesis probatur.*

Ecclesia non potest tolerare, multo minus positive approbare doctrinam ad cotidianam praxim spectantem, quae sit contra bonos mores atque illicitas actiones promoveat.

Atqui Ecclesia per plura saecula saltem toleravit, immo recentiore tempore, praecipue in *S. Alphonso*, positive approbavit doctrinam probabilismi.

Ergo probabilismus debet esse licitus, atque — id quod sequitur — eius axioma saltem certum<sup>1</sup>.

*Maior* dogmatice constat ex infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiae, si sermo est de positiva approbatione, vel etiam de ea tolerantia, quae positivae approbationi aequivalet. Nam ut infallibilis veritatis magistra in rebus fidei et morum errare nequit, ideoque doctrinam morum corrumpentem sicut nequit *approbare*, ita neque eam potest *tolerare*, siquidem a) praxim ubique videntem pravam non reprehendere

<sup>1</sup> Ab aliquibus antiprobabilistis hoc argumentum impugnatur. Sed ipsissimis fere verbis *S. Alphonsi* enuntiatur (vide hic infra in fine n. 164); ergo impeti nequit, nisi *S. Doctor* impugnetur.



est *aequivalens eius approbatio*; b) esset defectio a munere valde essentiali, quae Ecclesiae indefectibilitati directe adversatur. Si igitur etiam propositio minor constat, proxime infertur, probabilismum non posse esse contra bonos mores neque illicitas actiones per eum promoveri. At, subsumo, revera esset probabilismus contra bonos mores atque illicitas actiones quam plurimas promoveret, nisi eius axioma supra enuntiatum esset verum. Quam plurima enim, quae revera essent peccata, permetteret, ad ea agenda impelleret, habenas laxaret — quod re ipsa etiam adversarii ei obiciunt. Ergo demonstratio nostra potissimum in *probanda minore* versatur. Qua probata, ad effugiendam vim conclusionis obici nequit, Ecclesiam etiam, non obstante sua infallibilitate et sanctitate, tolerare saepe doctrinas scholarum *oppositas*, adeoque etiam *falsas*. Id sane verum est; neque quaecumque cuiuslibet doctrinae tolerantia aequivalentem dicit approbationem. Speculativas opiniones, ex quibus ad actiones illicitas in praxi fideles non permoventur, tolerare Ecclesia potest, atque periculum errandi erroresque silentio transmittere; at si *perniciosus* error in fide aut in bonis moribus tam late serpere coeperit, sane tolerantia atque ipso silentio contra gravissimum munus suum delinqueret Ecclesia.

*Minor* illa nunc exponi atque probari debet. Quod quo melius fiat: 1. tolerantiam Ecclesiae seu approbationem tacitam, quae doctrinae Alphonsianae approbationem praecessit, 2. approbationem *S. Alphonsi* eiusque vim perpendemus.

#### I. *Approbatio tacita S. Alphonso anterior.*

162 1. Ante doctrinalem controversiam inter probabilistas atque probabilioristas scriptores sanctissimi et doctissimi principia statuerunt cum probabilismo convenientia.

Sane exspectari nequeunt dicta quae formaliter approbent probabilismum; sufficere debet, ut protulerint sententiam eam, quae est probabilismi quasi-fundamentum, videlicet: «Lex dubia, lex nulla» vel: «obligatio dubia obligatio nulla» vel: «In dubiis mitiora sequi licet», vel: «ut obligatio statui possit, eius certitudinem requiri». Hae enim sententiae argumentum sunt, ex quo sponte fluit probabilismus, atque, si vox illa *dubium* simpliciter sumitur sine illa restrictione dubii stricti ex aequilibrio rationum contrariarum oriundi, probabilismus simpliciter dictus.

Verum a prima aetate Ecclesiae sancti Patres et Doctores afferri possunt, qui sine ulla aliorum contradictione has sententias protulerint easque de dubio simpliciter sumpto sine illa additione dubii stricti protulerint. Sufficit hic locus quosdam indicasse:

*Lactantius*, Div. instit. 1. 3, cap. 27 (ML 6, 434) de variis philosophorum placitis loquens dicit: «Sed cum omnia coniecturis agantur, multa etiam et diversa proferantur, *stultissimi est hominis, praeceptis eorum velle parere, quae utrum vera sint an falsa, dubitatur*»: quod ita applicare licet ad quaslibet opiniones probabiles, ut unam prae alia eligendi non sit obligatio.

S. *Basilius* Ep. 188, can. 1, n. 10 (MG 32, 679) loquens de iis qui iuraverint vel peieraverint, ait: «Consideranda autem sunt et species iurandi, et verba, et animus quo iuraverunt, et singillatim quae verbis addita fuerint, adeo ut, si nulla prorsus sit rei leniendae ratio: tales omnino dimittendi sint». Quibus ostendit, non sufficere rationes probabiles at incertas, ut iudicetur assertionem aliquam periurium continere.

S. *Gregor. Naz.*, Oratio in sancta lumina n. 18 et 19 (MG 36, 358): «quod, si res dubia est, vincat humanitas tua».

S. *Leo*, Epist. ad Rusticum Narbon. (ML 54, 1202): «in iis quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum».

S. *Augustin.*, Ep. 54 (ML 33, 200): «Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum.»

S. *Bernardus* in Ep. ad Hugonem de S. Victore (tract. de baptismo) cap. 5 (ML 182, 1043) haec habet: «Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi aut non contemnendae auctoritati quod sentitur non obviat».

Haec quidem SS. Patrum effata non omnia directe circa res morales<sup>163</sup> versantur: verum enuntiantur *generalia principia*, quae in *qualibet* disciplina normae esse debeant. Ex posteriorum autem scriptorum dictis haec generalia principia magis etiam expresse applicantur ad opiniones in re morali. Proferam pauca:

*Henricus de Segovia* seu Card. *Ostiensis* († 1271) communem tantum sententiam breviter comprehendit, cum dicebat: «Ubi sunt diversae opiniones et diversa iudicia, semper *humanior praeferenda* est et aequior».

*Gabriel Biel* († 1495) in 4, dist. 9, q. 4, a. 2, concl. 5 in fine haec habet de praecepto dandi eleemosynam: «nihil debet damnari tamquam mortale peccatum, de quo non habeatur evidens ratio vel manifesta auctoritas Scripturae.»

*Dominicus Soto* O. Pr. (1494—1560) De iust. et iure l. 6, q. 1, a. 6: «Quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores, utramque sequaris, in tuto habes conscientiam»: quo clarius vix quidquam dici potest ad probabilismum vindicandum (ed. Lugd. 1559).

*Ioan. Nider* O. Pr. in consolatorio p. 3, c. 11 in fine habet haec: «Item reperiuntur in libris veteribus Ordinis nostri Praedicatorum responsa plura quae data esse videntur a D<sup>no</sup> Alberto, eo adhuc vivente, quae sic sonant: «Item dicit idem, quod frater simplex vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius magni doctoris opinionem sequatur» (Ex ed. Colon. 1506, 20 Martii).

2. Cum controversia illa oriretur, innumera manus scriptorum pietate et doctrina conspicuorum probabilismum expresse secuti sunt atque propugnarunt. Loco omnis demonstrationis lectorem remittere liceat ad eum, qui in omnium manibus est, catalogum auctorum, quibus S. *Alphonsus* usus est, et quibus *Haringer*, doctus operum S. Alphonsi in Germania editor, notas ex S. Alphonso excerptas adiecit, quae et S. Doctoris iudicium de compluribus scriptoribus exhibent et, cuius systematis fautor unusquisque fuerit, indicant. Horum plurimos eosque, quos S. *Alphonsus* summis laudibus celebrat, probabilistas esse evidens est. Immo esse ex ipsis illis, qui notantur ut «auctores nimis benigni», eos, quos S. Doctor summopere laudet et quorum iudicio

multum confidat, ex aliis locis *S. Alphonsi*, quae editorem effugerunt, facile monstrari potest.

164 3. *S. Alphonsus* ipse testatur (H. Apost. tract. I, n. 31 et sq), elapsi [17<sup>m</sup>] saeculi auctores *quasi communiter* tenuisse, licere sequi opinionem probabilem; et quamquam S. Doctor in ultima huius libri editione hoc principium eo sensu intellectum, quasi etiam opinio contraria certo et notabiliter probabilior pro lege existens posthaberi possit, reicit: tamen negare non potest, sed aperte testatur, *communem* fuisse sententiam, licere sequi opinionem *vere probabilem* libertati faventem, ratione non habita illius contrariae probabilitatis, quae fortasse seu maior seu minor sit pro legis existentia. — Immo iuvat addere, quae S. Doctor habet in dissertatione de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris edit. alt. Neap. 1755:

«Ultimam benigniorem et *communissimam sententiam* probandam aggredimur, nempe licitum esse uti probabili opinione etiam in concursu probabilioris pro lege, *semper ac illa certum et grave habeat fundamentum*. . . Adde his potissimum argumentum, nimirum quod, si sententia benigna fuisset falsa, minime quidem communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit, aut saltem *Ecclesia eam non tolerasset permittendo, quod animae communiter per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus caecis ducibus deceptae incederent*.»

## II. *S. Alphonsi ac per eum probabilismi approbatio.*

### A. *Approbatio doctrinae S. Alphonsi.*

165 1. Decret. super revisione et approbatione operum Venerab. Alphonsi (in causa beatificationis in die 18 Maii 1803) haec habet:

«Facta . . . plena relatione tam praefatorum operum impressorum, quam aliorum Mss. omnium . . . nihil in eis censura dignum repertum fuit . . . Quibus SS. D. N. relatis, Sanctitas sua benigne annuit.»

### 2. Responsum Sanctae Poenitentiariae 5 Iulii 1831:

1) Utrum sacrae theologiae Professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur *B. Alphonsus a Ligorio*, tuto sequi possit ac profiteri? R. «Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.» — 2) *An sit inquietandus confessarius, qui omnes B. Alphonsi sequitur opiniones in praxi S. poenitentiae tribunalis sola ratione, quod a S. Sede Apostolica nihil in operibus censura dignum repertum fuerit?* (Confessarius . . . non legit opera B. Doctoris, nisi-ad cognoscendam accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variae nituntur opiniones . . .) R. «*Negative*, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.»

### 3. Bulla Canonizationis die 26 Maii 1839:

«Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit.»

4. Litterae Apost. 7 Iulii 1871, super confirmatione tituli Doctoris (fere verbotenus repetunt, quae dicta erant decreto U. et O. 23 Martii 1871):

«Plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive inter implexas theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias ad tutam muniendam viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent. . . .»

Quae quidem omnia tum communem approbationem scriptorum S. Doctoris, quae in quorumlibet eorum, qui scripta reliquerunt, canonizatione requiritur, tum speciale encomium nostri Sancti circa theologiae moralis doctrinam continent.

At, his praemissis, quae et qualis sit *S. Alphonsi* doctrina, quae in favorem probabilismi invocari possit, brevi videndum est. Nam negari nequit, esse quaedam, quae antilogiam continere videntur: quapropter mirum non est, auctoritatem *S. Alphonsi* in diversas partes aliquando trahi. Proferam ergo tum testimonia probabilismo aperte faventia, tum quae illum impugnare videntur, ac demum quomodo concilianda sint, exponam.

B. Quid valeat *S. Alphonsi* approbatio pro probabilismo.

I. Testimonia *S. Alphonsi* probabilismo aperte faventia. 166

1. Vide, quae habentur supra (n. 164) ex dissertatione anni 1755.

2. In eadem dissert. aperte propugnata non tantum licitum usum opinionis probabilis, *sed etiam minus probabilis*, atque egregie refutat palmare argumentum adversariorum, quasi maior probabilitas minorem probabilitatem adversae sententiae semper elidat:

«At recte respondent auctores nostri, falsum esse, maiorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat. Tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur.»

Immo etiam in editione 4 theologiae moralis, quae anno 1760 facta est, apertissime negat obligationem esse sequendi id quod videatur probabilius; concedit igitur licere sequi id quod videatur vere probabile, etsi forte minus probabile. Ita enim ait ibi l. 1, n. 48 (seu «De usu moderato opinionis probabilis» n. IX): «Usque dum igitur de tali lege dubitatur, *opinio*, quod adsit haec lex sequendi probabilissima, *quamvis alicui videatur probabilior, numquam tamen lex dici poterit, sed appellanda erit mera opinio*, utpote ex fallibili motivo deducta, *quae vim nequaquam habet ut lex obligandi.*»

Sed praestat ex ultimis operum *S. Alphonsi* recensionibus, quae 167 nostro tempore in omnium manibus sunt, quosdam locos referre.



3. In theol. mor. etiam editione 9<sup>a</sup> seu ultima S<sup>i</sup> Alphonsi anni 1785 l. 3, n. 130 remittitur ad epistolam de maledictione mortuorum quam etiam *Gaudé* in classica sua editione (Romae 1905) theologiae mor. *S. Alph.* tom. I cum lectore communicat. In ipsa hac novissima editione p. 456, col. I haec habentur:

«Ad hoc ut dicatur, quod actio aliqua non sit peccatum grave, sufficit, ut vera probabilitas habeatur, quod tale non sit, quemadmodum omnes fatentur. Intelligo illam, quae fundamento non tenui innitur, talem esse, ut tuto (iuxta sententiam communem, seposita quaestione de probabiliore et minus probabili) possit teneri et doceri.»

Ib. col. 2: «Sed ut affirmetur absolute, aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis, nec etiam probabilior; nam probabilior non excludit rationalem timorem errandi; unde non efficit, quod lex non remaneat dubia et quod opinio opposita non possit esse vera, si vere probabilis est.»

Ib. p. 457, col. 1: «Hinc sapientissime *Bened. XIV* in suo opere *De synodo* in plerisque capitibus nil aliud episcopos monet, quam ne umquam peccati gravis eas damnent opiniones, quae ut probabiles DD. utriusque partis defendunt.»<sup>1</sup>

188 4. Addo ex editionibus etiam novissimis, quae *S. Alph.* habet l. 6, n. 468 § *Prob. 3*:

«Nemo tenetur servare legem dubiam, ut fuse probatum est in *moralis systemate* . . . et ex *D. Thoma*, Quodl. l. 14, de verit. q. 17, a. 3, ubi ait: „Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti. *Scientia autem, ut certum est apud omnes, et docet idem D. Thom.* p. 1, q. 1, a. 2, est certa notitia alicuius rei.»

Dein l. 6, n. 603: «Sententia communis et sequenda docet, non solum posse, sed etiam teneri confessarium absolvere poenitentem qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur probabilior confessario». Ergo evidens est, secundum sententiam S. Alphonsi licere homini sequi sententias probabiles, neque necesse esse, ut sint probabiliores aut aequae probabiles. Immo *S. Alph.* l. c. provocat ad *Victoria* qui expressis verbis de proposito casu dicit: «sufficit probabilitas, etsi non sit maior et etiam sit minor».

Ib. S. Alphonsus porro laudans approbat dictum *Toleti* l. 3, c. 20, n. 7: «Cum aliquid est sub opinione, si casu accidit, confessarium esse opinionis

---

<sup>1</sup> Testimonia hic allata omnino probabilistica esse patet. *Wouters* (De minusprobabilismo p. 52, nota 2), probabilismi adversarius acerrimus, illa duobus modis studet enervare: 1<sup>o</sup> dicit, probabile id a S. Alphonso putari, cui non opponatur sententia pro probabiliore habita. Ad quod respondeo, S. Alphonsum loco laudato (ed. *Gaudé* p. 456, col. 2) dicere aperte contrarium. 2<sup>o</sup> dicit, verba illa S. Alphonsi a me laudata ex incuria remansisse in theologia morali, cum desumpta sint ex opusculis priorae aetate scriptis. Ad quod respondeo: 1) non videri probabile, S. Alphonsum in exactissimo et saepe repetito examine librorum semper ex incuria effugisse eiusmodi res probabilismo aperte faventes, si inter probabilismum et suum systema essenziale discrimen reperisset eaque in contraria omnino abire iudicasset. 2) Etsi darem, S. Doctorem haec ex incuria non expunxisse: Ecclesia sine dubio non ex incuria haec cum aliis scriptis S. Alphonsi approbavit; proin sine ulla contestatione illa dicta pertinent ad eam doctrinam S. Alphonsi, quae est ab Ecclesia approbata.



esse illicitum, et poenitentem esse licitum, potest poenitens obligare confessarium, ut ipsum absolvat in sua opinione».

Similiter laudando approbat dictum *Doctoris Navarrae* Manuale c. 26, n. 4: «Si sint contrariae doctorum opiniones, quarum alteram confessarius et alteram poenitens sequitur, et confessarius credit evidenti se textu vel ratione niti, poenitentem dubia, non debet eum absolvere. At si confessarius non adeo forti ratione nititur, vel poenitens nititur pari vel fere pari, et habeat aliquem pro se doctorem clarum, poterit eum absolvere». Ergo iterum patet, secundum S. Alphonsum ad licite operandum sufficere, ut opinio quam sequar in favorem libertatis *vel sit parisi seu aequalis probabilitatis* quam contraria, *vel fere aequalis, vel simpliciter probabilis* et gravi auctoritate nixa, dummodo contra eam non appareat evidens ratio: in posteriore enim casu, etsi speciem quandam probabilitatis habeat ob auctoritatem, in se conspicitur esse falsa.

Concludit S. Alphonsus verbis *Cabassutii* (Theor. iur. l. 3, c. 13, n. 14), scriptoris alioquin severi: «Praescribat sibi quisque quascumque libuerit austerae vitae leges, caveant tamen tetrici isti censores aliorum apud Deum licitam libertatem tyrannice opprimere».

## II. Testimonia, quae probabilismo contraria videntur:

169

1. In theol. mor. in ultima editione laudata anni 1905 l. 1, n. 54 haec leguntur:

«Dico I<sup>mo</sup> quod, si opinio, quae stat pro lege, videatur *certe* probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, amplecti.» Quibus, teste Gaudé, in 6<sup>ta</sup> et 7<sup>ma</sup> editione adiunxerat: «Dico *certe*, quia, dum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi *notabiliter probabilior*. Et eo casu opinio tutior non erit iam dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto); sed est moraliter aut quasi moraliter certa: saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se certum habeat fundamentum, quod ipsa sit vera. Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris; adeoque non est prudentia, sed imprudentia velle eam amplecti.»

2. *Hom. Ap.* tract. 1, n. 31: «Hanc sententiam (licere sequi opinionem minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit probabilior) elapsi saeculi auctores quasi communiter tenuere; sed nos dicimus, eam esse laxam et licite amplecti non posse.» — Similia in litteris proveciore aetate scriptis plura occurrunt (Lettere III, n. 211 217 219 etc.).

## III. Quomodo haec concilianda.

170

Quae dicta S. Doctoris negotio non adeo difficili conciliari possunt. Evidens enim est, ex doctrina S. Alphonsi esse opiniones probabiliores legem suadentes, quae obstant, et esse eiusmodi probabiliores opiniones, quae non obstant licito usui contrariae opinionis minus probabilis libertati faventis.

Obstare licito usui opinionis oppositae eas, quae sint *certo, notabiliter, cum excessu* probabiliores, quae ad quandam moralem certitudinem accedant; non obstare eas, quae non notabiliter excedant in maiore probabilitate vel *quae oppositam opinionem relinquunt vere probabilem*.

Haec S. Doctor constanter docuit, neque ab hac doctrina umquam eum censeo recessisse.

171 Non nego quidem, S. Alphonsum posteriore sua aetate durius de probabilismo atque de sententia minus probabili locutum esse. Nimirum in eo erat, ut efferret, quam primum opinio aliqua cognosceretur pro *certo* minus probabili quam opposita, eam non manere solide probabilem, oppositam esse quasi moraliter certo veram. Hoc *generatim* ita esse, dari potest; nam alias qui probabilem habet suam opinionem, oppositam non pro certo, sed pro «fortasse» probabiliori pronuntiabit. Neque aliter S. Alphonsum rem intellexisse, nisi ut eas opiniones ex usu licito excluderet, quae opponerentur opinioni pro lege *evidenter et notabiliter* probabiliori, scilicet eas quae dubie tantum et tenuiter probabiles essent, testis est *Aertniji* C. SS. R (Theol. mor. l. 1, n. 90 et 94) cum aliis sodalibus. Quapropter a *dicendi modo* S. Alphonsi licebit paululum recedere, ne necessitas sequendi probabiliora pro principio fundamentali statui videatur, ac si *ex ipsa probabilitate utcumque maiore quatali*, si minimum quid *certo* excedat probabilitatem oppositae opinionis, haec evadat non-probabilis. Quodsi quis putet, S. Doctorem *hoc ipsum* idque severo sensu intellexisse, dubitare liceat, num haec doctrinae ipsius modificatio, quae ceteroquin omnino paucas tantum mutationes in solvendis quaestionibus secum trahit, dici debeat emendatio. Multo minus dici potest Ecclesiam approbatione et laudibus, quibus S. Alphonsi doctrinam prosequitur, hanc mutationem in dicendi vel sentiendi modo, *si* locum habuerit, eamque solam spectasse, ita ut reliqua S<sup>i</sup> Doctoris dicta seu scripta, quae huius mutationis caractere insignita non sint, reprobaverit. Reprobasset autem haec Ecclesia, si probabilismum eiusque principium reprobasset. Nam negari nequit, et in prioribus editionibus nudum principium probabilismi esse a S. Doctore propositum et propugnatum, et singulorum casuum discussionem atque solutionem, paucissimis tantum exceptis, mansisse ad ultimam usque editionem eandem plane atque in prioribus editionibus. Verum multum abest, ut Ecclesia scripta quam plurima S. Alphonsi reprobaverit. Potius quam pagellam, qua aequiprobabilismus probabilismo oppositus exponitur, singularum sententiarum expositionem et decisionem in S. Alphonso summis laudibus effert.

172 Concludo: *Re* igitur sententiae, quas S. Doctor propugnat, a sententiis probabilistarum classicorum non discrepant generatim, utut aliquando in severiorem, aliquando etiam in benigniorem sententiam transeat. Et quamquam opiniones minus probabiles posteriore aetate potius se reicere dixit, *re* eas opiniones minus probabiles, quae manent vere et solide probabiles, non reiecit, ut quam plurimi loci eius theologiae moralis manifeste docent. Saepe enim evenit, ut S. Doctor dicat aliquam sententiam «probabiliorem», nihilominus oppositam «satis probabilem», quo significet, eam in praxi agendi normam esse posse (cf. VI 285, dub. 2; 785, dub. 3 etc.).

Quapropter S. Doctor dicendo: «non licet sequi opinionem minus probabilem, quando opinio probabilior est *certo, notabiliter* probabilior», nihil aliud fecit, nisi signum quoddam attulit, quo aliquando discerni posset, utrum contraria opinio benigna vere probabilis esset necne; si vere probabilis non maneret, negavit eam admitti posse. — E contrario idem S. Auctor dicens, licere sequi opinionem probabilem contra probabilioram, admisit sententias minus probabiles quae gravi ratione innituntur, atque negavit, *semper* aliquam opinionem evadere non vere probabilem, eo quod

contraria videatur aut dici debeat probabilior; atque tunc tantum, quando evadat non vere probabilis, eius usum reiecit.

Cur autem aliquando opinionem simpliciter seu *certo* probabiliozem neget <sup>173</sup> negligi posse, quamvis alias id de sola opinione *notabiliter* probabilioze dicat, ratio sumi etiam potest ab ipsis suis adversariis probabilioristis. Hi enim, ut benignam opinionem sequi liceat, requirunt, ut ea sit prae contraria probabilior, atque hanc *probabiliozem* opinionem ita explicant, ut sit quasi moraliter certa, siquidem secus dictamen practice certum efformare non posse sibi videntur. *Contra quos S. Alphonsus agens* eorum loquendi et sentiendi modo se accommodat <sup>1</sup> et rectissime opinionem probabiliozem simpli-

<sup>1</sup> Eiusmodi rationem extenarum temporis conditionum habere nullatenus contra sanctitatem offendit; neque id quod S. Doctor, ut videre est in *Vindic. Alph.* 67, in epistula quadam ad suos alumnos data eos monuit, ut dicerent se suosque alumnos esse probabilioristas, eo quod convenirent cum ipsis in reiicienda aliqua fallaci probabilismi defensione; addit enim: «quod prorsus verum est, siquidem affirmem, opinionem probabilem non posse esse normam agendi, *quatenus probabilis est*, sed ad honeste agendum requiri moralem certitudinem». Si S. Sedes hanc accommodationem non invenit ulla censura dignam — non enim *omnis* accommodatio revera reprehensibilis est — multo minus ille diversus loquendi modus, quem S. Doctor circa licitum usum opinionis minus probabilis secutus est, reprehendi ullo modo potest.

Causam autem gravissimam fuisse cur loquendi modum mutaret in partes severiores declinando, ex historia illius temporis luculentissime patet. Posteriore S. Alphonsi aetate quantum odium conflatum fuerit contra Iesuitas, nemo est qui nesciat, idque imprimis paucis annis et ante et post eorum suppressionem, ita ut, qui cum illis sentiret, ei simile cum iis excidium esset timendum. Notum etiam est, probabilismum pro doctrina Iesuitica habitum esse atque inter alia causam existisse calumniarum et persecutionum. At ipso illo tempore lites impendebant Alphonso eiusque Congregationi, in quibus praeter alias accusationes a procuratore fiscali (anno 1777) proferebatur doctrina probabilistica Iesuitarum, scil.: «theologiam Ligorianam totam conflata esse ex auctoribus Iesuitis; quorum principium fundamentale cum sequelis ab illo adoptari; periculosum autem et impium istum probabilismum esse exstirpandum» (vide *Castle-Berthe* C. SS. R., *Life of St. Alphonsus*, Dublin 1905, II 403). S. Alphonsi erat ad accusationes ita respondere easque ita diluere, ut salva maneret eius Congregatio, quae unico edicto regio adverso poterat e medio tolli. Quapropter mirum non est, eum tum in illo responso tum in aliis scriptis exaggerare, quantum salva veritate potuit, suam a Iesuitica doctrina discrepantiam. Atque revera saepius repetit se neque in doctrina dogmatica cum Iesuitis sentire in quaestione de gratia efficaci, neque in theologia morali in defendendo probabilismo. Quod sane vero non adversabatur, siquidem nonnullas a nonnullis Iesuitis approbatas doctrinas reprobavit, in ipso probabilismo rectum et sanum probabilismum a falsa eius specie distinxit, eius argumenta ad trutinam revocavit atque perfecit: immo ipsum nomen probabilismi magis magisque evitare studuit, potius tamen a nomine quam a re recessit (ib. 409 sq.). Haec ita esse, ex certamine litterario inter S. Alphonsum et Patuzzi discere licet. Quod (ib. 149) ita narratur: Patuzzi declaraverat, futilem esse distinctionem inter probabilismum et aequiprobabilismum Ligorianum. «Posterior, ait Patuzzi, obligationem esse dicit sequendi sententiam certe et notabiliter magis probabilem, eo quod in tali casu opposita sententia sit parum tantum vel dubie probabilis: verum omnes probabilistae fatentur se reicere sententiam quae sit parum tantum probabilis. Quomodo igitur unum systema ab altero distinguitur?» — Ad quod S. Alphonsus id unum respondet, multos ex probabilistis nullam facere distinctionem, cum dicant licere sequi opinionem etiam minus probabilem, si ratione vel auctoritate nitatur; se autem voluisse distinguere, dicendo id verum esse, si revera sermo sit de opinione solide probabili; at opinionem solide probabilem iam non esse, si contraria appareat *et multum et certe* probabilior.

Habemus igitur doctrinas *substantialiter easdem, diversas accidentaliter*. Quare qui unam prae altera tenet, modo se convenire cum altera fateri, modo negare potest, in neutro casu a veritate deflectit.

citer dictam cum opinione adeo probabiliore convertit, ut sit quasi moraliter certa, vel opposita saltem non amplius vere probabilis; id quod *alias*, insita verborum vi spectata, sumere non licet. Aliis verbis: nisi opinio probabilior sit *notabiliter probabilior*, S. A. eam pro dubie probabiliore habet, atque contrariam vocat «adhuc satis probabilem», quam sequi homini liceat.

174 Et revera ex dicto *S. Alphonsi* supra n. 169 citato *ex H. Ap.* persuadere mihi non possum, S. Doctorem vere laxitatis notam «auctoribus elapsi saeculi» inurere voluisse: sed id solum eum intendisse, ut diceret, axioma illud: «licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate, etsi opinio pro lege sit certe probabilior», nisi sobrie et moderate sumatur, ansam laxae applicationis praebere posse; propterea se probabilismi axioma non illis, sed aliis verbis concipere maluisse, insistendo maxime in eo, quod opinio illa minus probabilis debeat tamen manere *vere* probabilis, non fieri tenuiter tantum probabilis.

*S. Alphonsus* non intendisse, ut diceret, auctores elapsi saeculi *quasi communiter* hanc laxam interpretationem et applicationem fecisse, lectori evidens fit, si attendit, quid dicat *S. Alphonsus* in *apologia dissertationis de moderato usu probabilis opinionis* anno 1765 (vide *Vindic. Alph.*, ed. I, 53): «Non praetendi neque praetendo novum systema statuere: bene etiam scio, nullum probabilistam solidae doctrinae licitum declarare usum opinionis tenuiter vel dubie tantum probabilis. Sed quia multi probabilistae sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem, si fundata sit in ratione vel auctoritate, ego volui distinguere etc.» Ergo necesse est alterutrum fateamur: aut *S. Doctor* a notioribus et celebrioribus scriptoribus etiam saeculi decimi septimi notam laxitatis dispellit, aut ipse *eos quasi communiter* pro auctoribus *non solidae doctrinae* habet. Quod postremum quam absurdum sit, multis prosequi opus non est. Maxima enim pars scriptorum, quibus *S. Alphonsus* usus et quos secutus est atque laudibus effert, sunt scriptores decimi septimi saeculi.

Ex omnibus igitur, quae de *S. Alphonso* hucusque disputavimus, colligitur, Ecclesiam positive approbando opera et doctrinam *S. Alphonsi* etiam approbasse usum opinionum, quae vere probabiles sint et maneant, libertati faventium.

Quod eo magis patet, quia constat *S. Alphonsus* constanter consuluisse scriptores probabilistas, iisque in doctrinis particularibus consensisse, immo complures esse opiniones ab auctoribus, qui probabilissimum simpliciter profitentur, reiectas, quas *S. Alphonsus* ut in praxi tutas admittit, etiam aliquando reiectas ab iis scriptoribus probabilistis, quos *S. Doctor* nominatim nimis benignos vocaverat<sup>1</sup>. Demum argumenta, quae *S. Doctor* pro licito usu moderati probabilismi affert, ea sunt, quibus quilibet probabilista insistit, et ex quibus principium probabilismi invicte probatur. Ad quae indicanda iam gressum facturi sumus.

175 Verum necesse non est in sola approbatione *S. Alphonsi* sistere, ut intelligamus mentem Ecclesiae. Notum est, nostra aetate sub oculis *S. Pontificis* et responsa dari a s. tribunalibus Romanis, et juvenes

<sup>1</sup> Cf. e. g. *S. Alph.* l. 4, n. 163 171 176; l. 6, n. 282 in fine: ubi invenies, *S. Doctorem* contra *Antonium a Spiritu Sancto*, *Th. Tamburini*, *G. Gobat* in benigniorem sententiam transiisse.



clericos et theologos efformari secundum doctrinam probabilismi. Immo ipso illo tempore, quo secundum adversarios probabilismus in curia Romana fuerit exosus, *supremum tribunal Ecclesiae* in sollemnibus suis decretis practicam normam interpretandae legis admisit probabilismum. Nam in decreto illo 11 Febr. 1661 dato, quo responsa dedit ad magnum numerum quaestionum circa obligationem denunciandi confessorium sollicitantem, rationem, cur in una quaestione affirmet obligationem, in altera non, hanc affert: opinionem quae neget obligationem, «*non esse probabilem*», vel: «*esse probabilem*». Quod nihil aliud est, nisi probabilismum seu solidam probabilitatem agnoscere pro legitima norma, ex qua iudicetur de liceitate agendi. Ipsa verba decreti lege in vol. II ad explicationem excommunicationum Bullae *Apostolicae Sedis* ser. IV, § 4.

## § 3.

*Argumenta interna directa.*

I. Argumentum. Lex non satis promulgata non obligat, seu 176 non est lex sensu pleno et vero. Atqui quando ratio vere probabilis suadet, obligationem in certa quadam re non existere, circa illam rem seu eius obligationem lex non est satis promulgata. Ergo vera obligatio seu lex circa illam rem non existit.

Maior huius argumenti ex iis, quae philosophia de lege disputat, indubia est. Brevem rationem hanc supra n. 145 dedi: lex, utpote regula actionum subditorum directrix, consistere nequit in sola voluntate superioris, quam intra se conclusam fovet, sed debet collocari in voluntate subditis declarata, ita ut hac *manifestatione* lex essentialiter perficiatur.

Minor ostendi debet; idque non solum quantum ad legem positivam, sed etiam quantum ad legem naturalem, immo pro ea maxime.

Et revera haec ratio, quod, quando propter diversas opiniones probabiles res, de cuius obligatione quaeritur, dubia est, in iis circumstantiis lex non sit satis promulgata neque obligationem inducat, est ratio praecipua, in qua S. Alphonsus ad reiciendas severiores sententias insistit (cf. supra n. 166—168).

Hanc rationem probabilistae semper pro invicto argumento habuerunt quo probabilismum defenderent, eamque a tempore *Suarezii* semper extulerunt. Expediit verba ipsius «*Doctoris eximii*» afferre. Ita enim habet in 1, 2<sup>o</sup>, tract. 3 (seu De bonitate et malitia hum. act.), disp. 12, sect. 6, n. 8:

«Dicendum in primo (vid. quando opiniones versantur *circa ius ipsum*), quotiescumque est opinio probabilis, hanc actionem non esse malam, vel prohibitam, vel praeceptam, potest aliquis formare conscientiam certam vel practicam conformem tali opinioni. Praeter auctores citatos favent huic conclusioni multa quae adducit *Navarrus* dicto cap. *Si quis autem* a n. 48 et in *Summa* c. 27, n. 9, *Sylvester*, *Angelus* verb. *Opinio*, significat *Antonin.* 1. part., tit. 3, c. 10. — Ratio est, quia excedit



ordinarium modum humanae facultatis maiorem cognitionem obtinere in singulis actionibus. — Item, quia esset intolerabile onus obligare omnes homines ad conferendas singulas opiniones. — *Praeterea existimo illam rationem sufficientem: quia quamdiu est iudicium probabile, quod nulla lex sit prohibens vel praecipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita vel promulgata homini: unde cum obligatio legis sit ex se onerosa et quodammodo odiosa, non urget, donec certius de illa constet neque contra hoc urget aliqua ratio<sup>1</sup>, quia tum revera non est contraria pars tutior in ordine ad conscientiam, neque ibi est aliquod dubium practicum, nec periculum.*

Intelligenda autem est haec conclusio praecise ex vi huius capituli, et ex directa obligatione huius legis de qua versantur opiniones; nam fortasse aliunde ex fine intrinseco, vel ex alia obligatione quasi reflexa poterit aliquis interdum teneri ad operandum vel non operandum iuxta aliquam probabilem opinionem, ut supra explicavi.»<sup>2</sup>

Evolvitur autem veritas propositionis minoris in argumento supra prolato hac ratione:

177 Promulgatio legis humanae fit aut locutione verbali, aut signo aliquo permanente, scriptione, qua voluntas superioris ad subditos directa perpetuo exhibetur. Immo communiter etiam post verbalem locutionem litteris lex consignatur, et litteris publicis promulgatur. Porro nemo habet in tabula legum id vel illum sensum pro satis promulgato, de quo, studio adhibito, dubium manet, utrum in codice legum inter licita an illicita recenseatur. Quando enim lex legi aut intelligi nequit, non habetur pro lege nec vim legis obtinet.

Iam quoad legem naturalem in eadem conditione sumus, quando ratio probabilis suadet, certam aliquam actionem, de qua quaeritur, illicitam non esse, etiamsi opposita quoque opinio ratione gravi suadeatur. Nam legis naturalis promulgatio non formalibus verbis per Deum facta est, neque scripto singula naturalis legis praecepta consignata sunt. Deus alia locutione vel scriptione usus est. Conscripsit suam sanctissimam voluntatem in ipsa natura rationali, quam insipientes et scrutantes homines legem naturalem eiusque praecepta singula colligunt. Porro non omnes omnia legere valent. Aliqua omnibus patent, alia studio adhibito detegi possunt atque a doctis cum rudioribus communicari; alia denique ne a doctis quidem legi possunt, sed manent quodammodo scriptura humano intellectui impervia: quod obtinet, quoties ratio vere solida, quamquam non certa et perspicua, suadet in tali re obligationem non adesse. Haec igitur res seu materia in codice

<sup>1</sup> «Ratio aliqua urgere» contra hoc potest — ut *Suarez* postea explicat — quando certus quidam finis attingi debet ut a ministro sacramenti, a medico, similiter ab aliis, vel quando caritas sive iustitia prohibet, quominus inducatur seu non removeatur aliquod periculum: in quibus casibus adhibenda sunt certa prae dubiis, probabiliora prae minus probabilibus.

<sup>2</sup> In antecedentibus auctor explicavit regulas: «In dubio pars tutior sequenda est» et: «In dubio melior est conditio possidentis.»

legis naturalis caractere non intelligibili consignata est. Neque tamen propterea Deus est inculpandus. Scriptio illa divina per creationem facta in rudi materia exprimitur. Deus noluit maiorem curam adhibere, vel materiae defectum supplere, sed reliquit scriptionem defectuosam; neque dubium est, Deum sapientissimas rationes habuisse, cur hominis rationem in inferiore gradu perfectionis reliquerit. Verum sic tandem impeditum est, quominus in ea re, quae adhibito etiam studio obscura manet, lex seu obligatio promulgata dici possit.

Sed ne quis putet, hoc modo id etiam effici, ut tam diu lex et obligatio negetur, quamdiu ipsa non sit *evidens*, seu quamdiu ratio aliqua *levis* remanserit, quae sit contra obligationis existentiam: dicendum est id minime sequi. Ut enim maneamus in similitudine cum aliqua scriptura, si lapsu temporis aut casu aliquo paucae litterae expunctae fuerint, aut intelligibili caractere non scriptae: earum defectus efficere quidem potest, ut sensus totius phrasos plane evidens quidem non sit, ita tamen studio adhibito cognosci possit, ut prudens dubitatio de eius sensu non remaneat. Quod si fit, quilibet prudens homo satis certus esse debet de sensu vero illius scripturae. Pari igitur modo, quando prudens dubitatio, i. e. gravi ratione nixa, de sensu legis naturalis in rationalis creaturae natura a Deo conscriptae non amplius existit, de lege eiusque obligatione satis constat, neque licet levi ac futili ratione hanc obligationem excutere; itaque, si opinio obligationem aliquam negans levi, futili, tenui, improbabili ratione nititur, eam sequi non licet, seu: opinio tenuiter probabilis non potest in favorem libertatis pro norma practica assumi<sup>1</sup>

II. Argumentum. Ut abstraham a promulgatione, obligatio, cuius existentia invincibiliter ignoratur, vere nulla est. Atqui quando gravis ratio seu opinio vere probabilis suadet, in certa aliqua re obligationem non existere, vere *invincibiliter ignoratur*, circa illam rem legem seu obligationem adesse. Ergo re ipsa obligatio nulla est.

*Propositio maior probatur*: Ut enim homo subiective ligetur, debet *percipere* obligationem, i. e. non dubium obligationis, sed obligationem ipsam, sive directe, sive indirecte. Quod in ipso etiam dubio practico verum est. Nam in dubio practico tutiorem partem sequi debemus, non propterea quod dubii sumus et mentem habemus suspensam, sed propterea quod *percipimus obligationem* in tali statu mentis aut ulterius inquirendi aut tutiora amplectendi. Si quis autem talem obligationem prorsus ignoraret aut ut levem apprehenderet — id quod in re notabiliter gravi sumi nullatenus potest — revera aut non peccaret, aut

<sup>1</sup> In rebus enim practicis homo contentus esse debet morali quadam certitudine late sumpta; alioquin fere semper haerere actionesque suspendere deberet; ita v. g. in honore praestando, in exhibenda subiectione, in quocumque civili commercio. Certe quilibet in rebus humanis et indifferentibus pro absono habet, officia detrectare, invocare incertitudinem, nisi *gravis ratio* ita iudicandi occurrerit: ita etiam in rebus divinis seu divinam et naturalem legem spectantibus conscientiae officia et obligationes excutere absonum erit, nisi obligationis non existentis adfuerit *ratio gravis*.

leviter tantum. (Cf. quae supra de conscientia dubia dicta sunt n. 118 et 123.)

*Probatur minor propositio:* Porro invincibiliter ignorari, seu vere non percipi obligationem, contra quam gravis ratio intelligatur, facile ostenditur. Etenim obligatio neque in se directe percipitur, neque indirecte. In se directe percipitur tantum dubium obligationis, cum sumpserimus, propter graves rationes ipsam rem in se non liquere. Sed neque indirecte percipitur obligatio, videlicet ita ut debeat homo sibi dicere, sibi potius sententiam probabilem pro lege (i. e. axioma probabilioristarum) sequendam esse. Ut enim mittam quaestionem, num percipiamus *saltem dubium* illius obligationis sequendi probabiliorismum — id quod prioribus argumentis revera exclusum est —: haec *ipsa obligatio* certo non percipitur. Quomodo enim aliquis id ab hominibus percipi ausus fuerit dicere, quod tot viri docti et sancti non perceperunt, cuius contrarium se percipere et pro certo habere fassi sunt!

#### § 4.

*Argumentum internum indirectum, seu argumentum ad hominem.*

180 Probabilioristae, qui licitum concedunt esse usum opinionis benignioris, quae sit quam opposita *probabilior*, neque ad hoc externa ratione negandi obligationem legis dubiae seu non satis promulgatae utuntur, sed in ipsa maiore probabilitate haerent, non habent, ubi certo et secure pedem figant; atque sua propria argumentatione probabilismum confirmant.

Nam 1. dicunt: Licet sequi opinionem benigniorem, si est *probabilior*. At, probabilismum esse licitum, nonne est opinio ipso probabiliorismo probabilior? Certe qui externam probabilitatem non respuit — neque eam respuunt probabilioristae — confiteri hodie debet, probabilismum auctoritatis et pondere et numero probabiliorismo antecedere.

2. Aut reflexo principio utuntur ad asserendum licere sequi probabiliora, aut dicunt, licere amplecti opinionem probabilioram, *quia* probabilior sit. At si prius, tutum principium non habent quod non ducat ad probabilismum, videlicet principium legis dubiae non obligantis. Si posterius, ad certum conscientiae dictamen non perveniunt. Nam id, quod est probabilius, prudentem dubitationem minime excludit. Quomodo ergo ad dictamen practicum certum pervenire possunt in iis rebus, in quibus opinionem minus probabilem, at gravi ratione fundatam, quae sit pro lege, sperni posse concedunt?

*NB.* Omnia, quae pro probabilismo allata sunt, non tantum probabiliorismum et rigorismum ferunt, sed, si ultimam partem ultimi argumenti excipias, fere eadem ratione contra aequiprobabilismum extremo modo intellectum, qui opiniones benignas vere probabiles, si forte opinioni severiori *probabiliori* opponuntur, practice illicitas esse contendit. Nam opinionem talem tamquam legem esse satis promulgatam, idque indubie percipi, quis est qui credat?

## Articulus III.

## Vindicatur probabilismus ab obiectionibus.

Quo magis probabilismi vis et veritas pateat, expedit, praecipuas dif-181  
ficultates contra eum prolatas breviter referre et solvere.

I difficultas: Systema probabilistarum debet esse certum, ut dictamen conscientiae practicum certum habeatur. Atqui probabilismus non est certus, seu non est systema *certo* verum: siquidem probabiliorismus systema est *verisimiliter* saltem verum, utpote quod, Ecclesia permittente, cuilibet sequi liceat. Ergo necessaria certitudo ad efformandum practicum conscientiae dictamen probabilismo deest.

Respondeo 1: *Transeat maior, negatur minor.* Ad prob. min. *dist. assertum*: Probabiliorismus eatenus est verisimiliter seu potius certo verus, quatenus in quibusdam conditionibus stat pro licito usu benignioris opinionis, *conc.*; eatenus verus est, quatenus in aliis casibus contra probabilismum stat pro obligatione, *subdist.*: hoc sensu est systema extrinsecus probabile, *transeat*; est intrinsecus probabile, *nego.* (Quoad tolerantiam Ecclesiae statim infra quaedam notabo.) Hinc quoad *conclusionem* *dist.*: sufficientem certitudinem ad efformandum conscientiae dictamen non praebet iis, quibus argumenta pro probabilismo non probantur vel eorum vis non satis patet: *transeat* (id enim ipsorum est); neque aliis illam certitudinem praebet, *nego.*

Respondeo 2: *Dist. mai.*: Probabilismus debet certo verus ostendi 182  
*directe et intrinsecus*, *nego* (quamquam enim id praestitimus, necessarium non est); saltem *indirecte, subdist. mai.*: id ita fieri *necessario* debet, ut ex veritate probabilismi antea certo probata colligatur eius licitus usus, iterum *nego mai.*; id *aut sic* fieri debet, *aut ita*, ut ex licito eius usu aliunde certo probato colligatur dein eius veritas, *conc. mai.* Utrumque quidem fecimus, unum argumento externo, alterum internis argumentis; at sufficit fecisse alterutrum.

Quoad tolerantiam Ecclesiae probabiliorismus nequaquam in eadem conditione est ac probabilismus. Nam 1. positivam approbationem probabiliorismi non habemus, sed potius partis eius severioris reprobationem quandam colligere possumus ex eo, quod S. Alphonsi doctrina efferatur et commendetur non solum contra laxas, sed etiam contra rigidiores opiniones. Rigidiorum opinionum fautores, contra quos S. Doctor scripsit, ipsos probabilioristas esse, saltem eos, qui suum systema urgent, in confesso est. Sufficit unum *Patuzzi*, acerrimum S. Alphonsi adversarium, nominasse, qui probabiliorismum summis viribus defendit. 2. Etsi Ecclesia utrumque systema, et probabilismum et probabiliorismum, aequè tolerasset, non eadem vis argumenti pro probabiliorismo desumi posset, i. e. secundum eam partem, secundum quam ille obligationem in multis casibus urget, in quibus probabilismus eam adesse negat. Nam vis argumenti in eo est, quod Ecclesia non possit tolerare doctrinam, quae sit a) frequenter practica atque b) bonos mores corrumpat. At bonos mores non corrumpit opinio, quae potius adstruit obligationem in rebus dubiis, quam solvit. — Et si quis contendere velit, indirecte tamen rigorem nimium ad mores corrumpendos conferre posse, id utique aliquatenus verum est; attamen id a) non ex doctrinae illius insita vi oritur, et b) id apud probabilioristas quam plurimos propterea temperabatur, quod in quaestionibus singulis tractandis mirum est, quantum a rigore principii deflectant.

Fere eodem modo difficultas mota est a *Vindic. Alph.* (p. 1, c. 1, § 2. a. 2) atque repetita etiam in libro ceteroquin praeclearo ab E. Müller conscripto



(*Theol. mor.* l. 1, § 81). Ad probandam vero thesin suam, «*probabilismum carere fundamento certo*» dicunt: Fundamentum illud esset «*Lex dubia non obligat*». Atqui — Vindic. A. p̄rgunt — quando opinio probabilis opponitur alteri probabiliori legem suadenti, non amplius est verum seu strictum dubium. Ergo in tali casu probabilismus caret certo fundamento.

Respondeo 1: *Nego mai.*: Saltem existit argumentum primum externum.

Respondeo 2: *Dist. mai.*: Fundamentum est illud axioma: «*lex dubia non obligat*» hoc sensu intellectum, quasi *ad solum aequale dubium* restringendum sit: *nego mai.* (haec enim est manifesta petitio principii); eo sensu intellectum, ut comprehendatur quodcumque dubium vere fundatum: *conc. mai.* Atque ita, *transmissa vel negata minore*, neganda est conclusio.

183 II difficultas. Probabilitas maior elidit minorem, eamque vi omni destituit permovendi homines ad prudentem assensum (sicut ex duobus ponderibus in bilance positis id, quod maius est, alterius vim elidit atque lancem suam certissime deprimit). Atqui sine prudenti assensu agere illicitum est. Ergo in concursu opinionis probabilioris probabilem sequi benigniorem illicitum est.

Respondeo egregio responso *S. Alphonsi: Dist. mai.*: Id aliquando contingere potest, si utraque opinio ex eodem fundamento rationes suas depromat, aut si *contra* benignam opinionem sit ratio *valde urgens*, ita ut ratio *pro* ea allata infirma evadat: *transeat mai.* Id semper vel etiam plerumque accidit, modo vera et fundata ratio pro benigna opinione afferatur: *nego mai.* — Ad similitudinem vero illam cum bilance nihil est, quod respondere debeamus, cum manifestum sit, motivis seu rationibus non certis vel potius non evidentibus intellectum humanum non necessario, ut bilancem ponderibus impositis, sed cum libertate, etsi prudenter, ad assensum moveri.

184 III difficultas. Ratio ipsa dictat, in defectu certitudinis adhaerendum esse verisimilioribus, si quis prudenter agere velit. Atqui probabilista reicit verisimiliora, ut adhaereat minus verisimilibus. Ergo imprudenter et propterea illicite agit.

Respondeo: *Dist. mai.*: Verisimilioribus inhaerendum est ut certis et exploratis, *nego mai.*; ita ut iis eam vim, quae verisimilibus propria est, vindicemus, *conc. mai.* Sed vim verisimilibus propriam esse vim obligandi, id dicere, iterum esset manifesta petitio principii. *Probare* igitur hoc debent adversarii — quod numquam possunt — non gratis asserere. Atque ita patet distinctio *minoris*, et *conclusionis* falsitas.

Hanc obiectionem, quae est propria probabilioristarum, etiam *Vind. A.* (ed. 1 p. 35) alique movent hoc modo: «Ad licite operandum debemus veritatem inquirere et sequi: ac proinde, ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quae iuxta propriam persuasionem propius ad veritatem accedit; qualis est opinio certe probabilior.» *Responsum* habes ex modo dictis. Nam si, quae obiciuntur, petunt etiam *eam* opinionem, quae probabiliori quidem adversatur, sed solide probabilis est et manet, obiectio manifesto petitionis principii vitio laborat, neque, si tandem sustinetur, sinet eos, qui eam defendunt, tuto amplecti opinionem minus probabilem, «quando excessus non est notabilis». — Si vis responsum «in forma» ut aiunt, *Resp.*: *Dist. anteced.*: Debemus veritatem *inquirere*, *conc. antec.*; debemus eam *sequi*, *subdist.*: si et postquam eam invenerimus, *iterum conc. antec.*; si eam invenire non potuimus, *nego antec.* et consequenter ea, quae addunt.



*Aliter dicunt: Quod minus probabile esse censeo, id censeo potius falsum esse quam verum.* Atqui id nihilominus praeeligere est contra rationem; ergo illicitum. Nam haec electio determinari nequit a bono rationis, quod est verum, non falsum.

R. *Negari debet mai.* ac proin tota argumentatio superstructa. Neque determinor a falsitate; sed a probabili veritate, cum certam veritatem assequi nequeam, sino me *inclinari, determinor* voluntate. (Cf. Jahrbuch. für. Philos. und spekul. Theol. XI 461.)

Difficultatem vix non eandem A. Koch (§ 36, 4) alio modo movet: Non 185 probabilitas, sed veritas est norma moralitatis; ergo non licet sumere pro norma agendi eam opinionem quam agens iudicat a veritate magis recedere, errori esse viciniorem.

R. *Dist. antec.:* Veritas seu potius ordo recti obiectivus est norma moralitatis pro iis actionibus, relate ad quos ordo recti cognoscitur, *conc. ant.*; alias *nego ant.*, cum impossibile sit eam normam sumere quae sit prorsus ignota. *Dist. pariter cons.:* Non licet sumere pro norma opinionem quam putem fortasse a veritate recedere, quando cognovi veritatem, *conc. cons.*; quando cognoscere nequeo, *nego cons.* — Ceterum *neganda est suppositio consequentis*, quasi opinionem minus probabilem iudicem *magis recedere* a veritate. Nam id plane nescio, cum, antequam sic iudicem, debeam scire veritatem. Utique *magis timeo*, ne forte recedat a veritate, quod longe aliud est quam iudicare, eam *magis recedere*; at timeo etiam, ne forte opposita a veritate recedat. Et propterea quia ex utraque parte timor et dubium est, ad neutram partem obligor.

IV difficultas. Qui se exponit periculo laedendi legem, peccat. Atqui 186 probabilista illi periculo se exponit. Ergo etc.

Respondeo 1: *Retorqueo arg.* contra ipsos probabilioristas quoad eas opiniones, quas admittunt in favorem libertatis. Numquid ipsi ab omni periculo liberi sunt? Immo difficilius se ex illo explicant.

Respondeo 2: *Dist. mai.:* Qui se exponit periculo laedendi legem consequentem et vere genus humanum obligantem, *transm. mai.*; qui se exponit periculo laedendi legem antecedentem et homines non obligantem, *nego mai.* Contradistincta minore, nego conclusionem.

Scil. si sumimus, opinionem pro lege exstantem, contra quam vere probabilis et fundata ratio apparet, esse tamen *in se* veram, atque probabilem illam oppositam rationem esse in se falsam: certe opinio illa in se vera enuntiat legem, quam Deus antecederet ad insolubile illud dubium *vellet* observari, at quam consequenter ad illud insolubile dubium *non vult* observari. Hoc sensu opinio illa enuntiat legem antecedentem, sed non legem consequentem hominesque obligantem.

V difficultas. Laxum est, ex levi ratione aliquid pro licito habere 187 et iudicium inflectere ad aliquam opinionem. Atqui probabilista id facit, cum per quendam conatum, quem voluntati infert, opinioni suae intellectum addicat. Ergo etc. (*Vind. Alph.* ed. 1 p. 37 sq.)

Respondeo: *Trans. vel conc. mai.*; sed *nego min.* Est enim contradictio, dicere opinionem vere probabilem habere rationem *levem tantum et insufficientem*. Neque voluntarium conatum probabilista menti suae infert, sed, si bene perpendit rationes, iudicat necessario rationes esse *probabiles*, deinde libere — id enim rationabiliter adiungere potest — positivum assensum mentis, quamquam non omnino firmum, de sua opinione elicit.

Alio modo etiam sic do rationem, *cur negem min.*: Falsum plane est, probabilistam ullum conatum adhibere debere ad mentem flectendam. Si enim sententia libertati favens certe probabilis est, sententia legem defendens *evidenter* non est certa, sed dubia. At ne legem dubiam pro obligatione sumam, conatu opus est nullo.

188 VI difficultas. Qui agit secundum opinionem probabilem probabiliori oppositam, debet iudicium suum circa illam probabiliozem sententiam suspendere, ut possit suae opinioni inhaerere. Atqui talis suspensio illicita est. Ergo etc.

Respondeo 1: *Trans. mai., nego min.* Numquid erga omnes opiniones, quibus solum ex voluntatis imperio assentiri possum, positivum assensum elicere *debeo*? Sed etiam *probabiliori* opinioni, utpote quae maneat incerta, non nisi libere, i. e. ex voluntatis imperio, assentiri possum.

Respondeo 2: *Nego mai.* Nam iudicare tantum debet, probabiliozem sententiam non esse satis certam, sed etiam in ea esse iustam causam formidandi, ne erretur. Sola vero gravis illa formido errandi id efficit, ut eam opinionem pro norma agendi practica assumi non sit necesse, cum ille prior assensus tantum speculativus fuerit.

189 VII difficultas. Inconstantiae et laxitatis est, non iisdem principiis insistere ad restringendam libertatem atque ad extendendam. Atqui probabilista non iisdem principiis insistit, cum axiomate «melior est conditio possidentis» utatur quidem ad extendendam libertatem, non vero ad asserendam legem contra libertatem. Ergo etc.

Respondeo: Haec obiectio ad discussionem specialis alicuius principii deflectit, quod postea exponendum est. Nunc vero sufficit *negasse utramque assertionem* sine distinctione propositam. Ratio, cur *mai. neganda* sit, desumitur ex accepta regula «Odia sunt restringenda, favores ampliandi» (quae quo sensu intelligatur, infra exponetur). *Minor vero etiam negatur*, quasi probabilistae nullatenus attendant ad illud principium; difficilius enim solvunt ab aliqua obligatione, prout lex aut libertas fuit in quasipossessione. — Quod autem *Vindic. 37* crimini vertunt probabilistis sententiam ab illis admissam, «ad cessationem legis sufficere probabilitatem» (utique non quaecumque probabilitas sufficit —): videant, ne hac incriminatione ipsum S. Doctorem eiusque doctrinam denegare videantur, qui ipse de consuetudine legis cessationem inducente ait l. 3, n. 290: «*in dubio de consuetudine possidet praecceptum; unde petenda est dispensatio; secus si probabile sit, adesse consuetudinem*». Numquid igitur S. Alphonsus «*iura legis et libertatis in pari causa aequalia esse*» (*Vind. ib.*) contendit, atque sicut «*in dubio invincibili de existentia et extensione legis praesumitur non-existentia*», ita etiam «*in dubio invincibili de cessatione legis*» praesumpsit non-cessationem? Certe prorsus contrarium facit.

Secundum *Vind.* dici debuit:

<i>In sola probabilitate legis existentis obligatio non existit</i>	} v. ib. utramque thesin.
"    "    "    "    cessantis    "    non cessavit	

S. Alph. dicit:

*In sola probabilitate legis existentis obligatio non existit.*

    "    "    "    "    cessantis    "    cessavit<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> In his thesibus contrapositis me punctum saliens tetigisse, ostendit brevis illa regula, quae passim assignatur pro regula fundamentali, qua aequiprobabilismus a probabilismo discernatur, scilicet: «in concursu duarum opinionum aequae vel fere aequae

Verene istae theses posteriores dicantur a *Vind.* «*a regulis prudentiae alienae? Verene immoderantiae et laxitatis*» argui mereantur?

VIII difficultas. Laxismi est statuere: «Semper fas est sequi sententias tenuiter probabiles.» Atqui haud raro probabilismus ducit ad sententias tenuiter probabiles, siquidem admittant probabilismi fautores opinionem, «dummodo sit in se spectata vere solide probabilis, ita ut non putent attendendum esse ad rationes sententiae contrariae». Ergo etc. (ib. q. 38).

Respondeo 1: Transmisso aliquo defectu cohaerentiae in ipsa argumentatione, *conc. mai., nego min.* Ad probationem *min.* prorsus negandum est, opinionem, quae in se spectata sit *vere et solide probabilis*, evadere tenuiter probabilem propter rationes sententiae contrariae. Si enim rationes illae primam opinionem evertunt, certe non est neque fuit in se vere et solide probabilis. Si vero non evertunt, Vindiciae statuunt apertam contradictionem, quasi una eademque opinio possit esse *ratione gravi et solida fundata*, et simul tenuiter probabilis tantum, i. e. *ratione gravi et solida destituta*.

Respondeo 2: *Nego* simul, quod in illa argumentatione sumitur, probabilistas in suis sententis statuendis et defendendis non ponderare rationes contrariae opinionis. Qui adeo temere opiniones suas effutire consuevit, vel in statuendis doctrinis «passione, non ratione» ducitur, theologi nomen non meretur<sup>1</sup>; sed a tali temeritate, si quis eam committere *vult*, neque probabilistae, neque probabilioristae, neque aequiprobabilistae nomen, quod sibi imponere audet, defendit.

IX difficultas. Argumentum internum unicum quod *L. Wouters* contra probabilismum affert et quod *Ter Haar* fere iisdem verbis posuerat, est hoc (De minusprobabilismo 57 sqq, in ed. 2 p. 72): Debeo sincere tendere

---

probabilium, quando una favet legi, altera libertati, stante dubio circa legis existentiam, licet sequi opinionem libertati faventem, *stante autem dubio circa cessationem legis, sequenda est opinio legi favens, etc.*» Ultimam incisum, cum etiam dicatur in *concurso opinionum probabilium*, sumitur immo maxime urgetur eo sensu, quod «stante *sola probabilitate* circa cessationem legis, sequenda sit opinio legi favens». At hoc sensu ea regula optime quidem exprimit aliquam fundamentalem normam aequiprobabilismi, sicut ab adversariis probabilismi statuitur, non vero illius, quam S. Alphonsus defendit; evidenter enim in textu supra laudato l. 3, n. 290, qui etiam nunc in omnibus editionibus operum S. Doctoris conspicitur, sententia isti principio fundamentali contraria sic effertur, ut non possit efferri clarius. «Notandum» — sunt verba S. Alphonsi — «circa consuetudinem, quod ad excusandum [a lege] sufficit *probabilis consuetudo* . . . Bene autem advertit Mazzotta, quod *in dubio* de consuetudine possidet praeceptum; unde petenda est dispensatio. *Secus, si probabile est adesse consuetudinem.*»

<sup>1</sup> Non possum non mirari, hanc obiectionem non solum repeti ab *I. A. Wilmann*, «St Alphonse et le pur probabilisme», sed illum in ea ponere indubitatum principium probabilismi. Revera sic fingitur hostis, contra quem arma expediuntur. Immo probabilistae maxime attendimus ad rationes legem suadentes; nam eo ipso quod *haec* sint *infirmas, etsi probabiles*, ratio sat gravis negandi obligationem, *ut dubiam*, adest. — Quando autem dicta complurium scriptorum, qui se probabilistas esse profitentur, lectori proponuntur, quibus probetur, etiam eos secutos esse principium aequiprobabilismi, ut *Sylvium, Suarez, Neubauer*: plane contrarium demonstratur, nimirum sententiam prae probabiliore contraria minus probabilem posse esse aliquando non solide probabilem, eamque tum a veri nominis probabilista non defendi, ac proin, principium quidem probabilismi verum esse, in eo autem, quod adversarii illud statuunt laxitatis fontem, eos a vero aberrare, siquidem probabilistae sibi constantes non eo usque opinionem sustinent, ut etiam improbabilem probabilem dicant.

ad convenientiam cum moralitate obiectiva, seu cum legis aeternae ordinatione obiectiva vel antecedenti circa actionem. Atqui id haudquaquam praesto, cum eligo seu sequor normam, quae meo iudicio praedictae moralitati seu ordinationi *probabilius adversatur* quam convenit cum ea, relicta norma, quae eidem ordinationi *probabilius congruit* quam non congruit ei. Ergo.

Respondeo hic breviter (fusius in libello qui inscribitur Probabilismus vindicatus, Frib. 1906): *Dist. mai.*: numquam licet mihi tendere in disconvenientiam cum lege divina antecedenti, *conc. mai.*; semper debeo positive tendere in convenientiam, *subdist. mai.*: tendentia inefficaci seu velleitate, *trans.*; tendentia efficaci, iterum *subdist.*: quamdiu fundata spes est fore ut legis antecedentis statuta perspiciam, *trans.*; quando haec cognitio impossibilis est, *nego mai.* Ad impossibile enim non datur obligatio: atque in eo casu sufficit tendere in convenientiam actionis meae cum lege *cognita* seu cum lege quae dicitur *subsequens*. — Unde patet, thesim *minorem* eiusque ab adversario factam explicationem vagari extra rem: nisi velit supponere id quod ei est probandum, videlicet, etiam in impossibilitate normam legis aeternae seu antecedentis assequendi esse obligationem sequendi quae videantur probabiliora, quo magis evitem omnem etiam materiale legis antecedentis laesionem. Quod si vult, incidit in rigorismum extremum. Nec quidquam valet, quod opponit, se non statuere obligationem ut semper actio nostra sit legi antecedenti conformis, sed obligationem ut semper ad hanc conformitatem tendamus. Nam lex non intendit tendentiam nisi propter conformitatem ipsam, atque irrationabiliter postulatur tendentia, utpote sine carens, quando conformitas est impossibilis. Hoc autem obtinet in sententiis vere probabilibus legi contrariis.

Dixi supra circa inefficacem tendentiam in legem divinam antecedentem, si *eam* adversarius pro obligatione statuere vult: *transeat*. Nam ne haec quidem semper actu adesse debet. Si vero adversarius hanc habitualiter adesse debere contendit, nihil proficit; nam eam tendentiam voluntatis etiam probabilista servat. Haec enim nihil aliud est quam mentis dispositio, qua homo paratus est sequi legem hucusque ignotam, cum primum illa praeter omnem spem evaserit perspicua. Ac revera circa legem propter rationes vere probabiles contrarias dubiam alia obligatio statui nequit, neque aliam tendentiam voluntatis debitam esse adversarius ulla ratione ostendit<sup>1</sup>.

Demum supersedendum non duxi ab indicandis obiectionibus, quae fiant ad commendandam plane aliam methodum, qua dubia illa speculativa practice solvantur secundum normam collisionis officiorum, reiecta omni methodo, quae secundum rationes sive probabiles, sive aequae probabiles, sive probabiliores dubia illa practice solvere conetur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Haec etiam sufficiant hoc loco pro responso ad novas instantias, quas *Wouters* facit in edit. 2, p. 79. Nam nova argumenta non affert, sed sistit in affirmanda obligatione tendendi ad conformitatem cum lege aeterna in se seu *independenter a nostra cognitione* spectata. Verum quid rei sit quoad hanc tendentiam qualisve sit obligatio, satis superque me supra puto dixisse. Cf. etiam «Theol.-prakt. Quartalschrift», Linz 1909, fasc. I.

<sup>2</sup> *Linsemmann*, Tübing. Quartalschr. a. 1871, «Gesetz und Freiheit», hanc methodum commendat. Eius doctrina breviter sic videtur exponi posse:

Multa atque diversi generis officia nobis perpetuo incumbunt, tum naturalis legis obligatio sequendi rationem atque rationabiliter perpendendi circumstantias, tum positiva officia religiosa et ecclesiastica, tum officia civilia et socialia. Quoniam vero



X difficultas. Probabilistae aut sibi contradicunt, aut ad solas leges<sup>192</sup> positivas probabilismum applicare possunt. Nam docent, in mediis ad salutem necessariis non licere uti probabili tantum opinione. Atqui legem naturalem observare est medium ad salutem necessarium. Ergo in observanda lege naturali probabilismum adhibentes probabilistae sibi contradicunt.

Respondeo 1: *Nego assert.* Ad prob.: *conc. mai., dist. min.* Quamlibet legem naturalem servare est *medium* salutis sensu theologico, *nego min.*; est necessarium ad salutem, *subdist. min.*: legem naturalem certo obligantem observare idque secundum eum modum, quo certo obligat, est necessarium, *conc. hanc partem*; legem naturalem secundum dubiam existentiam et dubiam extensionem observare, est necessarium ad salutem, *nego.* Ergo *nego cons.*, cum ipse probabilismus leges, quae vere obligent, a dubiis, quae minime obligent, secernat.

Respondeo 2: Probabilismum ad leges positivas restringere, ex mente adversarii parum iuvare potest. Nam etiam leges positivas ita observare, ut peccatum mortale non committatur, est ad salutem necessarium, non secus ac legis naturalis observatio necessaria est.

XI difficultas. Probabilismus, quando opinionem contra legem prac-<sup>193</sup>tice admittit, pronuntiat re ipsa actiones vel omissiones secundum istam opinionem factas esse in individuo seu pro subiecto agente indifferentes (siquidem haberi nequeunt pro malis ex suppositione probabilismi, neque pro bonis, cum, probabilistis fatentibus, melius sit practice pro lege stare). Atqui non dantur actus in individuo indifferentes. Ergo etc.

Respondeo: *Nego mai.* Ad prob. mai. Negandum est 1. ex eo, quod aliquid melius sit, sequi contradictorium vel contrarium esse malum. Utrumque potest esse bonum, sed non aequè bonum. 2. Negandum est, ex eo, quod actio vel ommissio aliqua obiective sit licita, vel etiam, ut sumi per me licet, indifferens, sequi, eam in individuo, i. e. prout ab homine in concreto exercetur, esse indifferens. Nam et aliquid indifferens, et aliquid bonum et aliquid minus vel magis bonum subiectivo motivo informari potest, vel etiam debet. — Ceteroquin si premere vult adversarius obiectionem quam proposuit hoc sensu, quod *omittere* id, quod melius est, neque bonum neque malum ideoque indifferens in individuo esse debeat: hanc *omnes theologi* aut ut speciem quandam difficultatis solvere debent, aut ea obruti actus in individuo indifferentes esse fateri. Solutionem tamen me certam dedisse opinor, quando de actibus humanis disserens hanc rem tractavi n. 108 sqq.

lex non singularia edicit, sed generalia, atque a concretis circumstantiis abstrahit, saepe fieri potest, ut in singularibus rebus leges diversae diversa et contraria a nobis postulare videantur. Neque in ulla actione ab omni lege eiusque expostulatione destituti sumus, siquidem lex rationem sequendi atque ita res et actus nostros disponendi, ut Deo rationem reddere possimus, semper et ubique nos comitatur. Hinc fit 1) ut in positivae legis praecipis saepe a rigore legis deficere cogamur, nisi contra altiorelem legem velimus delinquere, atque contra moralem nostram naturam, quae doceat, cum libertate quadam et secundum personalem persuasionem legis praescripta esse exsequenda; 2) ut in omnibus singularibus circumstantiis quaerendum nobis sit non quid *libeat* eligere, sed quid et a quibus *officiis* doceamur eligere.

Contra probabilismum autem, quem ceteroquin potioris iuris esse fatetur, quam alia systemata probabilistica, id obicit, quod punctum rei non satis accurate tetigerit. Particulares autem difficultates, quas ille scriptor movet, ad ea fere reducuntur, quae hic n. 10—13 propono.



194 XII difficultas. Probabilismus supponit, homines ad libitum posse sua libertate uti. Atqui id falsum est, siquidem de usu libertatis quam maxime Deo respondere debemus. Ergo probabilismus nititur falso fundamento.

Respondeo: *Dist. mai.*: Probabilismus supponit, non esse homini semper et ubique obiectum actionum suarum ita praescriptum, ut non possit saepe pro sua libertate inter plura eligere, ita tamen ut, quidquid eligat, bono motivo eligere debeat: *conc. mai.* Quis enim hoc negare hucusque ausus est? — Probabilismus supponit, esse actiones humanas, quae divino iudicio prorsus subtrahantur: *nego mai.*

*Ad min.*: *conc.*, attamen inde non sequitur hominem omnia bona, quae facere potest, debere facere, nisi peccare velit.

195 XIII difficultas. Probabilismus re ipsa est quaedam epikia, dispensatio a lege in favorem libertatis. Atqui legi naturali dispensatio vel epikia applicari nequit, v. g. dispensatio a mendacio, periurio etc. Ergo in lege naturali probabilismo locus esse nequit.

Respondeo: *Nego mai.* Nam de *epikia* in lege naturali loqui *logice* implicat; de *dispensatione* in lege naturali loqui supponit, per se legem circa illam rem, de qua agitur, existere. At id ipsum est, quod probabilista negat, nec sine argumentis satis certis negat.

Epikiam vero in lege naturali esse logicum vitium, facile ostenditur. Epikia enim est exceptio singularis casus a communi norma *secundum mentem legislatoris*, quamquam contra verba legis. Ergo necessario supponit 1. certam legis formulam et 2. defectum aliquem in ipso legislatore, qui non omnia providere aut non omnia satis accurate secundum mentem suam exprimere potuerit. At neutrum in lege naturali sumi potest. Non enim est certa formula concepta; multo minus legislatori, qui Deus est, defectus adscribi potest, quo statuerit normam, quae aliquid contra mentem suam contineat atque subsequenti aliqua correctione indigeat! — Nonne igitur ratio ipsa postulat, ut illas actiones, quas in certis circumstantiis licitas iudicare debemus, numquam lege naturali vetante conclusas esse dicamus?

#### *Articulus IV.*

De regulis subsidiariis, quae usum probabilismi magis determinant.

196 Saepius iam notavimus, esse summum vocis et rei abusum, si quis quavis ratione etiam leviori et futili legem et obligationem excutere conetur, atque hunc laxum agendi modum probabilismi nomine honestare studeat. At propter talem abusum neque nomen neque principium probabilismi deserendum est, sed imprudentia et temeritas coercenda. Scite *S. Alph.* lib. 1, n. 83: «Confessarius, antequam aliquam opinionem amplectatur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere<sup>1</sup> et, cum ei occurrit ratio aliqua *convincens* pro tutiore opinione, cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit, tum oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi favet, *modo auctoritas non sit tanti ponderis, ut videatur ei magis, quam rationi apparenti deferendum* iuxta id, quod *S. Thomas* docet: Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videatur (2, 2, q. 9, a. 8 ad 2).»

<sup>1</sup> Nisi tamen ea opinio *communiter* pro probabili et practice tuta habetur.

Multo minus vi probabilismi id efficitur, ut quocumque dubio de obligatione exorto practice dici possit: «obligatio dubia obligatio nulla», si de obligatione in se quidem constat, sed de eius cessatione propter dubiam impletionem et ex simili causa quaestio movetur. Quod enim hucusque circa probabilismum demonstratum est, per se et primarie tantum agit de obligatione sive lege dubia existente; num vero etiam probabile sit, obligationem, quae certo exstabat, propter dubium subsequens practice cessare, *specialis quaestio* est, quae sicut ceterae particulares obligationes singillatim est pertractanda.

Quare ut hae et similes quaestiones, quae practicas quasdam regulas in applicatione frequentes exhibent, lectori patefiant, breviter sequentia subicienda putavi, quo et falsa quaedam probabilitatis species a vera probabilitate distingui possit et argumenta plus minusve certo vel probabiliter factum aliquid probantia innotescant. Sunt fere *regulae iuris* Bonifacii VIII.

I regula: «*In dubio melior est conditio possidentis.*»

Declaratio. Haec regula proxime indicat normam iuris stricte dicti, 197 seu quod ad iustitiam commutativam pertinet. Quando videlicet duo de legitima proprietate rei alicuius litigant, *si par est causa* seu probatio utriusque litigantium, standum est pro eo, qui hucusque rem possidebat. Immo adeo praevalet possessio alterius litigantis conditioni, ut rationes, quas hic graviores quidem, sed non certas pro se afferat, alterius possessio generatim vincat. — Attamen si rationes eius, qui rem non possidet, sunt multo graviores, non ita constat, utri res addici *debeat*. Alii stant etiamtum pro possidente, alii pro eo qui multo melius ius suum probat. Prior sententia *communis* recipitur, et vix non sola in praxi tribunalium viget; posterior externa saltem probabilitate non caret, neque intrinsecus improbabilis dici potest.

At regula illa pro similitudine cum possessione rei etiam de omni quasi-possessione profertur. Quo iure et quo limite, iam videndum est. Quasi-possessione dicitur de statu et conditione rei, quae adest vel hucusque adfuit, cui tamen dubium supervenit. V. g., si lex quaedam certe exstitit, sed supervenit dubium, num cessaverit, lex dicitur esse in possessione. Contra, si hucusque libere aliquid agere licuit, dubiumque supervenit, num forte lex contraria sit lata, in possessione esse dicitur libertas. — Porro regulam illam extra materiam iustitiae hoc modo intellige et applica:

1. In dubio negativo superveniente regula illa valet tum pro libertate, tum contra eam.

2. In dubio positivo vel probabilitate superveniente facilius valet *pro* libertate quam contra eam. Nam libertas non restringitur, si dubium superveniens, inquisitione facta, perseverat, etsi probabile, vel etiam probabilis est, accessisse aliquid, quod eam restringat. At libertas restituitur, etsi vere probabile tantum, non certum est, obligationem cessasse. Ita saltem innumeri scriptores, atque etiam S. Alphonsus variis quaestionibus, practice tuto sentiri posse, affirmant. Cf. S. Alph. III, n. 112, q. 3<sup>o</sup>; ib. n. 290.

Idem statuitur, si obligationis, quae a lege imponitur, cessatio a facto aliquo probando pendet, v. g. a lapsu temporis. Quod si positive, quamquam non cum certitudine, probatur, obligatio practice non amplius urgenda est. Ita quando feria VI servanda est abstinentia, et ex probabili argumento, v. g. horologio, concludis, diem esse elapsum, obligatio abstinentiae cessat. Facilius etiam libertati favetur, si dubitatur, num feria V iam in feriam VI desierit. Nisi enim id moraliter certo contigisse appareat, non est cur pro obligatione abstinentiae stare debeas.

Contra libertatem autem regula quasi-possessionis applicari debet, quoties de publico ordine seu de bono publico conservando agitur. Qua de re cf. *Bouquillon*, Theol. mor. fundamentalis<sup>3</sup> n. 285 sqq., et praecipue n. 302, et infra regulam VI.

198 II regula: «*Videndum est, cui incumbat onus probandi*» (aliis verbis idem indicat ac I).

Ex hac igitur regula iterum habes:

1. Propter solum dubium negativum prior status numquam est mutandus, cum mutatio illa probanda sit, ratio vero negativa non probet.

2. At quae et quanta positiva probatio exigatur, ex ea sola regula nondum habes, cum aliquando certa, aliquando probabilis tantum probatio requiratur, ut statum esse mutatum dicamus. Quod ut aliquatenus determinetur, sit

III regula: «*Ut legi certae extra materiam iustitiae satisfactum sit, sufficit probabilis impletio positive probata.*»

Impletio legis probabilis dici potest duplici ratione: 1. si actio, quae lege postulatur, posita est eo modo eaque ratione, quae secundum probabilem legis interpretationem seu probabiles opiniones sufficiens putatur: *probabilitate iuris* lex impleta est; 2. si actio, quae lege postulatur, num posita sit, non certo sed probabiliter tantum constat *probabilitate facti*.

In priore casu ex probabilismi axiomate immediate sequitur, obligationem practice desiisse, siquidem numquam constabat, legem ad amplius aliquid obligare. In secundo casu ex legislatoris mente prudenter intellecta id colligunt scriptores, iique numero et auctoritate praestantes, neque gravis ratio ita putandi deest, eo quod mens legislatoris humanae infirmitati debeat esse accommodata. At onus nimium esset, si omnimoda certitudo in omnibus illis casibus requiretetur. *Lugo* (De poenit. disp. 16, n. 58) ita loquitur: «Communiter docent omnes, (aliquem) non teneri ad confitendum (peccatum), quod probabiliter iudicat se confessum iam fuisse, quia sequitur iudicium probabile, quod, *sicut in aliis materiis, sic etiam in hac sufficit ad observandum praeceptum.*»

Qualis vero certitudo in materia iustitiae sufficiat et requiratur, melius suo loco dicitur. Hic satis est discrimen adnotasse, cur non eadem probabilitas sufficiat ad debitum iustitiae commutativae extinguendum, quod sufficit ad extinguendum debitum morale honestatis. Scilicet iustitia commutativa fundatur in aequalitate rei ad rem, ut *tantum* reddatur, *quantum* acceptum fuerit. Si igitur certa quantitas accepta est, non sufficit eandem quantitatem dubiam reddere, quia valor dubius non tanti valet, quanti valor certus.

199 IV regula: «*In dubiis standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.*»

Quamquam scil. pro singulari facto specialis probatio non affertur, saepe tamen aliunde sumi possunt rationes, quae suadeant, factum vel conditiones, de quibus agitur, non defuisse. V. g. ex iis, quae alias fieri solent, quae communiter fiunt, quae aliquis agere consuevit, aut eum fecisse sine iniuria dubitari nequit, tanta sumitur probatio, ut eadem etiam nunc facta esse concludatur; idque, sine ulla positiva probatione addita, vel probabiliter vel cum lata quadam certitudine affirmari potest.

Ita in dubio, num superior in materia ceteroquin suae iurisdictioni subiecta iuste praecipiat, praesumptio est pro superiore; cum ad finem alicuius horae divini officii deveneris, nec recorderis, omniane recitaveris, in hac dubitatione, si alias recte recitare consuevisti, praesumptio est pro te, omnia recte recitata esse, neque ultra obligaris.

Praesumptio nihilominus potest aut certa probatione aut vehementi suspicione contrarii vi sua destitui.

V regula: «*In dubio iudicandum est ex ordinarie contingentibus.*»

Haec regula tantummodo particularis applicatio regulae prioris est, siquidem ex ordinarie contingentibus praesumptio aut probabilitatem aut moralem certitudinem generans oritur<sup>1</sup>.

VI regula: «*Factum non praesumitur, sed probandum est.*»

200

Factum *principale*, quod in ius adducitur, probari debet, v. g. crimen cuius aliquis accusatur, contractus quem aliquis se fecisse contendit. — Sed:

«*Quod de iure faciendum erat, in dubio factum seu recte factum esse praesumitur*»:

Scil. hoc principium valet de rebus *accessoriis*; quilibet enim praesumitur etiam ea fecisse, quae illius facti principalis quasi complementum sunt, eo quod vel ordinarie fieri solent, vel faciendi obligatio erat, vel agenti erant favorabilia (videlicet quilibet praesumitur recte et bene, prudenter et constanter, sibi utiliter agere et egisse, nisi contrarium probetur); contra

«*Nemo praesumitur malus, donec probetur.*»

Certa quaedam huius regulae VI applicatio vel consequentia est haec: «*In dubio standum est pro valore actus.*»

Nimirum si de substantia actus constet, praesumitur, eum ita factum esse, uti oportebat. Atque ita *pro* libertate iudicatur, ne diutius obligatio aliqua sustineatur; sed etiam *contra* libertatem, si agebatur de actu publico, qui ad relationem iuridicam atque debitum aliquod inducendum tendebat. Sic standum est pro valore confessionis in dubio de dolore, ne *obligatio*

<sup>1</sup> Iuvat referre, quae *Reuter* III, n. 450, 7 de praesumptione disputat. Praesumptio definitur «*Anticipata de re dubia opinio ex argumentis et indicis per rerum circumstantias frequenter evenientibus desumpta*». Quae, si exprimitur in ipsa lege scripta, dicitur *praesumptio iuris*; si autem ex se a iudice vel viro prudenti concipitur, *praesumptio hominis* vocatur. Sic in lege canonica praesumptio iuris saepius occurrit, ut l. 2, tit. 5, c. 2 (*de restitut. spol.*) in 6; decretal. l. 3, tit. 43, c. 3 (*de presbyt. non bapt.*) in fine [quod tamen nostris temporibus non amplius ita ubique sumi potest]; c. unic. (*de despons. impub.*) l. 4, tit. 2 in 6. Fundamenta autem praesumptionis sunt: 1. *Qualitates naturales* quae, si solent inesse, in quolibet inesse praesumuntur, ut amor mutuus inter parentes et filios, immaturum iudicium in minoribus; a quibus natura abhorret, praesumuntur non adesse, ut turpis amor inter proxime cognatos. 2. *Qualitates acquisitae*, quae communiter in certo genere hominum habentur, adesse praesumuntur, ut ordinaria scientia eorum, quae ad munus spectant in quo quis constitutus est. 3. *Tempus et locus*: ex quo fundamento praesumitur, aliquem recordari, quae brevi antea egit vel conspexit; eum scire res notabiles, quae in vicinia geruntur etc. 4. *Favor iuris*: ex quo praesumitur semper in favorem matrimonii, libertatis, in favorem pietatis, morum honestatis; ita ut actionem vel dispositionem voluntatis in dubio semper sic interpretari debeamus, ut non evadat peccaminosa, atque si de homine catholico agitur, ut non sit deformis a maiore honestate et pietate. (Unde habes principium, cur dispositiones ultimae voluntatis sic intelligantur, ut magis favorabiles sint causis piis.)



repetendae confessionis imponatur (aliud vero dicendum, si quaestio deducitur ad valorem absolutionis seu reconciliationis cum Deo certo quaerendae, praecipue in mortis articulo — eatenus scil. in dubio dolore etc. non est standum pro valore actus, sed actus repetendus est, ut sit *certo validus*). Sed etiam standum est pro valore matrimonii similiumve contractuum *contra* libertatem, ne bonum publicum periclitetur (cf. reg. I). Alias vero, si prudens dubitatio de valore actus existit, regula illa, seu valor actus non tam sustinetur contra libertatem, quam pro ea, quia obligatio dubia obligatio nulla est.

201 VII regula: «*In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda*», i. e. benigniora praeferranda sunt.

At ne falso intelligantur favores contra legislatoris mentem, hic in antecessum notandum est, quod suis locis magis evolvetur, odiosa esse non tantum 1) quae libertatem constringant, vel 2) poenam inducant, *sed etiam* 3) quae ius tertii laedant, vel — communiter saltem — 4) quae iuri communi opponantur. Quare *multae dispensationes* et *privilegia* (praecipue personalia) inter *odiosa* collocantur, quamquam favorem videntur continere: de quibus infra fusius. Favorabilia quae sint, ex oppositione per se innotescit.

VIII regula: «*In dubio, quod minimum est, tenendum.*»

Haec est regula pro eorum interpretatione, quae odiosa sunt.

IX regula: «*In dubio pars tutior sequenda est.*»

Haec regula restringitur 1) ad casus dubii practici et 2) ad ea, in quibus effectus aliquis seu finis *certo* obtinendus est, ita ut dubio et probabilitate fini obtinendo non sit satis consultum. (Cf. quae supra dicta sunt de iis, quae saepe *praevis* solvi oporteat, antequam probabilismus munere suo fungi possit.)

#### Articulus V.

#### Quaedam de practico usu probabilismi monita.

##### § 1.

*I quaestio: Quae sit practica distinctio inter probabilitatem iuris et facti.*

202 Summum principium probabilitatis proxime et directe pronuntiat de probabilitate iuris, ut habes ex *Suarez*, De bonit. et malitia hum. act. disp. 12, sect. 6, n. 8 supra p. 111 sq, n. 176. Num et quando in probabilitate facti in favorem libertatis agere liceat, pendet ab eo, utrum probabilitas facti ad iuris probabilitatem secundum n. 159 reduci possit, an non. Quod modo obtinet, modo non obtinet. Hinc etiam videmus in eiusmodi quaestionibus, quae in facti probabilitate proxime nituntur atque inde ad iuris probabilitatem deduci debent, etiam inter eos scriptores, qui pure et nude probabilismum tuentur, esse opinionum discrepantiam. Quando in specialibus causis solutio inde petenda est, id in decursu libri notabimus; hic tamen generales quasdam theses statuere vel ex supra dictis, praecipue art. IV possumus colligere.

1. Factum promulgationis dubium producere iuris probabilitatem in favorem libertatis, n. 176 sq satis probatum est.



2. Abrogatio legis, iudicio peritorum probabilis, — quod iudicium sane in factis nititur —, obligationem practice aufert. — Remitto hoc loco ad n. 189 et 197.

3. Si de legis existentia dubitatur non dubio doctrinali, sed particulari ignorantia circa factum lationis, promulgationis, extensionis legis, atque post inquisitionem pro circumstantiis seriam et diligentem dubium solvi nequit: obligatio non aderit, vel saltem erit subiectiva excusatio a lege implendā, si modo alia damna vel mala non sequuntur. Nam sumere rationabiliter debemus, hanc esse mentem legislatoris, ut nolit in tali casu obligationem sustinere, sed velit potius, si opus sit, dispensare.

4. Si impletio legis certo existentis probabiliter facta est: extra causas iustitiae aliorumve damnorum obligatio censetur extincta secundum ea, quae n. 198 exposita habes. Si iustitiae causa est, cf. infra *de radicibus restitutionis, possess. dubiae fidei*.

## § 2.

*II quaestio: Quomodo homo procedere possit et debeat, ut in dubio practicum dictamen pro libertate sibi formet.*

Complura, quae ad hanc quaestionem spectant, iam dicta sunt, ubi <sup>203</sup> egi de conscientia dubia. Iuvat autem hic ea omnia simul colligere et fusius proponere.

1. Ante omnia videndum est, num dubium aliqua ratione solvi possit. In dubii vero solutione quaerenda maior minorve diligentia adhibenda est:

- 1) pro gravitate negotii, de quo agitur;
- 2) pro conditione hominis, qui inquirere debet;
- 3) pro temporis opportunitate, quod suppetit, antequam agi oportet.

2. Homo doctus generatim maiorem curam et considerationem adhibere debet quam homo rudis; attamen ei, qui in rebus moralibus versatus est, etiam facilius *suo iudicio* niti licet, quam qui in illis rudis est et non instructus: quod e. g. confessario in circumstantiis, in quibus consulere nequit alios, accidere potest.

Quare in re doctrinali homo non doctus fere sola auctoritate duci debet, generatim probi et periti confessarii vel parochi: nisi forte agitur de rebus, quae potius ad aliorum iudicium spectant.

Qui vero doctrinaliter dubium solvere vult aut debet, plerumque unius tantum auctoris auctoritate niti non potest, nisi ille sit summae auctoritatis, ab Ecclesia commendatus (sume v. g. *S. Alphonsum*). Insuper aut convenit, aut etiam requiritur, ut rationes in ipsa causa positas investiget. In gravioribus autem quaestionibus ipse sibi non ita fidere debet, ut aliorum opiniones consulere et expendere negligat.

3. Si agitur de rebus, quae etiam homini indocto eiusque capacitati perviae sunt, non est cur etiam ille non possit sibi ipse per se ex iudicio speculativo probabili dictamen practicum certum formare. Quod re ipsa etiam fit, quando *ex probabilibus rationibus et coniecturis*

homines quoque rudiores subiective firmiter concludunt, sibi hoc vel illud illicitum esse non posse. Quamquam enim non reflexe axioma probabilismi sciunt, tamen natura duce dubium, quod forte superest, tuto spernunt, atque peccandi formidinem aut nullam concipiunt, aut non eam, quae ad verum peccatum, maxime ad grave, contrahendum requiritur. (V. etiam *Ant. Mayr*, Theol. scholast. tract. 4, de actibus hum. disp. 2, q. 3.)

## § 3.

*III quaestio: Potestne idem homo in eadem re utraque opinione probabilis, si sit una alteri opposita, prout libuerit, uti?*

204 1. Si res aliqua sive actio iuridice vel ethice eadem in diversis circumstantiis concretis vel diversis temporibus occurrit, ita ut non agatur de una eademque re in individuo: *per se* nihil impedit, quominus modo unam, modo alteram sententiam, quarum utraque et in se et mihi probabilis est, practice sequar. — Aliunde tamen fieri potest, ut id aliquando non liceat, aut non expediat, v. g. in iudice, qui, si modo unam, modo alteram ex opinionibus sequatur, iustam reprehensionem inconstantiae, vel pro circumstantiis etiam iniustitiae labem non effugiat.

2. Non possum in una eademque re individua, seu in circumstantiis concretis opinionem iam assumptam mutare, adeoque actionem meam secundum utramque opinionem (etsi per se probabilem) dirigere, si ex tali mutatione sive coniunctione aut 1. certum aliquod ius tertii vel certa aliqua obligatio violatur, aut 2. *alterutrum* ex iuribus vel legibus indubiis *certe* violatur, quamquam *utrum* ius vel *utra* lex violetur, nescitur. (Cf. *Lugo*, De Euchar. disp. 15, n. 46—54; *Voit*, Theol. mor. tract. 1, n. 104.)

205 Exemplis rem declarabo. Vovisti v. g. ieiunium pro certo die, commutas illud votum in aliud opus *postea* ponendum ex probabili illa opinione, licere substitutionem privatam operis evidenter aequalis; transacto priore die statuto, mutas opinionem assumens, non posse fieri substitutionem talem privatam, atque ita *nihil* praestas. Sane illicite ages, cum certam aliquam obligationem tali modo eludas.

Similiter illicite aget, qui, nixus probabili opinione de valore testamenti informis, accipiat hereditatem contra heredem ab intestato, sed simul nixus contraria opinione probabili de nullitate talis testamenti legata solvere nolit. Nam ad legata illa retinenda nullum titulum vel specie probabilem ostendere potest: scil. non ex testamento, ut suppono; non ex defectu testamenti validi, siquidem secundum illum titulum non legatis tantum, sed tota hereditate privandus esset.

Pari modo, qui propter discrepantiam horologiorum inter utramque opinionem probabilem dubius haeret, utrum media nox sit necne, non potest ex una parte negligere portionem divini officii restantem, et ex altera parte cum proposito sumendae mane Sanctae Eucharistiae cenare. — Aliud est, si quis putans v. g. feriam VI iam elapsam esse, iuri die Sabbati communicandi renuntiat, quod gravius sibi videatur ieiunium manere, atque carnes comedit: sed statim postea audit, secundum aliud horologium, cui

aeque fidere potest, diem Sabbati nondum incepisse. Quo animadverso, potest, mutata sententia vel potius correcto suo errore, mutare propositum et Sanctam Eucharistiam mane recipere.

#### § 4.

*IV quaestio: Quid confessario agendum est in eligendis opinionibus earumque usu relate ad poenitentes?*

1. In praxi confessarius debet potius benignus esse, quoad fieri<sup>206</sup> potest, quam rigidus cum poenitente. Attamen si opiniones benigniores sunt in ea materia, quae periculum peccati formalis creat atque occasionem peccandi constituit, potius severius quam benignius agendum est: modo tamen sequendo severiorem sententiam periculum peccati revera longius removeatur, et *stricta obligatio* prae gravi suasionem ibi tantum imponatur, ubi talis revera adest. (Cf. *S. Alph.* VI 605.) Benigniores autem sententiae, quas sequi expedit, eae sunt, quae obligationes non urgent, quamdiu ratio vere et practice probabilis contra obligationem existit.

2. Verum, per se nihil impedit, quin *suadere vel consulere* poenitenti possim secundum sententias minus benignas, praesertim si probabiliores sunt, tum in materia merae honestatis, tum in materia iustitiae et restitutionis, siquidem saepe melius et consultius est, tutiora amplecti, si modo non fiat ex obligatione. Nihilominus ne sic quidem indiscriminatim agi debet; sed prudentiae est expendere, num et quando id in concreto expediatur.

3. Male vero et iniuste agit, qui poenitentem sub incommodo dene-<sup>207</sup> gatae absolutionis cogere vult, ut, relicta sua probabili opinione, quae confessario non placet, huius sententiam sequatur. Poenitens enim, si sequi vult probabilem opinionem et alioqui dispositus est, post confessionem peractam *ius habet absolutionis*. Quod theologis universim ita persuasum est, ut *S. Alph.* VI 604 pro hac sententia, quam «communem et sequendam» vocat, non solum ad innumeros auctores probabilistas, sed etiam ad «plures auctores rigidioris sententiae» provocare potuerit, qui, utut profitentur probabiliorismum, nihilominus obligari dicunt confessarium, ut absolvat poenitentem «qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum et doctorum aliquot hominum non reprobata in Ecclesia auctoritatem est licitum, quamquam iuxta probabilem pariter aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur confessarius, habeatur ut minus probabilis».

4. Etiam si poenitens proprias opiniones non habet, utpote in iis rebus ignarus, confessarius *perperam* agit, si procedit contra poenitentem eiusque libertatem, quamdiu opinio vere probabilis in eius favorem adest sensu modo in no. I explicato. Sume v. g. causam restitutionis: in vera probabilitate pro poenitente standum est, quamquam etiam contra eum probabilis, immo probabilior opinio existit.

5. Ut vero confessarius tunc *iniuste* poenitenti damnum intulisse<sup>208</sup> dicatur cum onere restitutionis, usus opinione severiore in onus et

incommodum poenitentis, videtur requiri, ut obligaverit poenitentem contra *eam* opinionem, quae communis est vel *communiter ut practice sequenda* statuitur. Si enim sententia *communior* (vel probabilior) contra poenitentem est, atque contraria (licet etiam satis probabilis videri possit sive propter auctoritatem sive propter rationes) confessario non probatur: non puto constare de *iniustitia*, quando contra poenitentem causa deciditur. Immo iniustitiae eum incusare sat durum est, qui secundum sententiam in quaestione iuris vere probabilem etiam contra poenitentem egerit (practice tum vix dici poterit, quatenam opinio sit *probabilior*); equidem non auferem talem confessarium iniustitiae reum pronuntiare. Pro foro enim externo, cum iudex ius et declaret et suo modo faciat, ille agendi modus non esset certo iniustus, ut postea tractantes IV decalogi praeceptum *de iudice* dicturi sumus: num in foro interno contrarium *omnimodo* dicere cogamur? Attamen, ut iam dixi, confessarius, qui sciat benigniorem sententiam pro poenitente probabilem existere, *perperam utique* videtur agere, si, ea neglecta, poenitenti onus restituendi vel solvendi non solum suadeat, sed *imponat*: quia principalis cura confessarii in bonum poenitentis potius quam in bonum tertii extranei dirigi debet.

209 6. Eam quidem opinionem, cuius confessarius *perspicit* falsitatem, *consulere* non potest. Attamen cavere debet, ne facilius putet, se falsitatem alicuius sententiae perspicere, quae a scriptoribus magnae auctoritatis tenetur. In specie 1. propter talium scriptorum auctoritatem generatim iure dubitare potest suoque iudicio diffidere, ita ut, quod sibi falsum esse *videatur*, nihilominus pro certe falso non habeat. Immo 2. etsi sententiam quandam pro certe falsa habet, *absolvere* potest et debet poenitentem, qui, aut per se instructus aut ab altero (confessario) edoctus, contrariam opinionem, quae externe satis probabilis est, tenet atque pro se vult sequi. Atque ulterius etiam 3. confessarius, qui aliquam sententiam pro certe falsa habet, potest, immo aliquando ex caritate debet poenitenti *indicare*, esse qui teneant opinionem contrariam; quare sua causa licere, si placeat, aliorum opinioni sese conformare: id quod tamen fieri non potest, si ex confessarii praesentis iudicio determinati cuiusdam peccati formalis periculum proximum seu occasio inducatur, aut si opinio olim externe probabilis probabilitatem suam iam amisit. Cf. de hac re etiam *Bouquillon*, Theol. mor. fundament. <sup>8</sup> n. 312 sq.

### Caput III.

#### De elementis legis singillatim consideratis.

(Scriptores, qui utiliter adeuntur, habes cap. 1 indicatos.)

Postquam essentiam legis eiusque vim ligandi conscientiam consideravimus atque necessariis limitibus circumscripsimus, ad eius elementa singula accuratius perpendenda transeamus oportet: quo magis etiam vis legis insita intelligatur. Sunt autem elementa haec: auctor, obiectum, subiectum, effectus.



*Articulus I.*

## De auctore legis eiusque legislatione.

Praeter Deum, qui supremus est omnium legislator, et ad quem<sup>210</sup> tandem omnis potestas legislativa reducitur, esse inter homines, qui legum ferendarum facultate potiantur, in ethica ex notione societatis perfectae colligitur, et in Sacra Scriptura evidenter expressum habes.

Nam Prv 8, 15 sq Sapientia divina expresse dicit: «*Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam.*» Et si quis clariora desideraverit, ea habet Rom 13, 1 sqq: «Non est potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. . . . Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.» Quo nihil clarius dici potest ad exprimendam principibus debitam subiectionem a Deo impositam. Cui subiectioni propter Deum debitae necessario respondet facultas iubendi, imperandi, leges ferendi a Deo principibus commissa. Quod sane Deus fecit primum ut auctor naturae. Cum enim natura hominum socialis eos in societatem coeundam cogit, societas autem sine auctoritate atque imperandi potestate subsistere nequeat, per ipsam naturam Deus hanc auctoritatem atque imperandi potestatem societatum ducibus attribuit.

Quoniam vero Deus praeter societatem naturalem supernaturalem quoque instituit, Christi Ecclesiam, eamque sui iuris fecit, duae potestates humanae legiferae distinguuntur: civilis una, altera ecclesiastica.

In *civilibus* pro diversis rerum publicarum constitutionibus potestas legifera aut apud unum supremum regni moderatorem residet, aut ex cooperatione complurium partium, quarum unaquaeque corpus aliquod morale constituere potest, coalescit. At quia haec regnorum constitutio mutabilis est, non est cur in definiendo auctore legis civilis accuratius immoremur.

De *Ecclesia* hoc loco ea tantum breviter indicaturus sum, quae<sup>211</sup> ordinariam legum ferendarum potestatem respiciunt; alia vide infra c. 5, § 4.

I. Pro tota Ecclesia eiusque partibus S. Pontifex leges condere potest. Idem valet de Concilio generali seu oecumenico a Romano Pontifice celebrato et confirmato.

Ab iis demonstrandis eo magis abstinere possum, quod haec potestas tum in dogmate, tum in iure canonico fuisse probari solet, eaque in notione summi pastoris, quem Christus sanctum Petrum fecit, plane continetur.

Videlicet: 1. Summi Pontificis in Ecclesiam potestas solo iure divino limitatur; quare, salvo divino iure, R. Pontifex inferiorum praelatorum statuta et leges mutare, abolere, illorum potestatem restringere potest.

2. Rom. Pontifex non solum istas leges vel praecepta sive ex iurisdictionis potestate sive ex potestate dominativa ordinum religiosis lata, sed etiam leges conciliorum oecumenicorum mutare et abolere potest; nam etiam hae leges non sunt supra Papam, sed vere *ipsius* leges sunt.



212 II. Pro aliqua provincia ecclesiastica concilium provinciale veras leges condere potest. At eius decreta ex hodierna disciplina *recognitione*, non approbatione Sacrae Congregationis Concilii indigent. (Vide *Ben. XIV*, De syn. dioec. l. 13, c. 3, n. 3; cf. etiam *Bouix*, Du concile provincial p. 4, c. 17; et Constit. *Pii X* «Sapienti consilio» cum subsequenti statuto de *Ordine servando* c. 7, a. 4, 6<sup>o</sup>.)

Leges conciliorum provincialium, quamquam sola recognitione Sacrae Congregationis indigent, tamen aliquando (ut etiam in legibus synodalibus dioecesanis contingere potest), confirmationem Sedis Apostolicae accipiunt. Quod si fit, observanda est distinctio approbationis, quae dicitur «*in forma communi*», ab ea, quae dicitur «*in forma specifica*». Prior approbatio vim illarum legum non mutat, sed leges manent provinciales, dioecesanae tales, quae a provinciali synodo vel ab Episcopo mutari possunt. Posterior approbatio facit eas leges *pontificias*, non pro tota quidem Ecclesia, sed pro sola illa provincia vel parte, pro qua latae sunt, at vis obligandi maior evadit, utpote quae a S. Pontificis voluntate obligante sit orta: quare ab Episcopo aut synodo provinciali auferri vel mutari non amplius possunt. (Vide *Ben. XIV*, De syn. dioec. l. 13, c. 5, n. 11.)

218 III. Episcopi pro sua dioecesi potestate legifera potiuntur, dicente Apostolo, eos positos esse a Spiritu Sancto, *regere* Ecclesiam Dei (Act. 20, 28). Eorum statuta sine alterius approbatione vel recognitione vim obligandi obtinent (*Craisson*, Manuale n. 941; *Wernz*, Ius decretal. II, n. 755).

Ad quae nota: 1. Legiferam potestatem Episcopis, quamdiu Episcopi manent, S. Pontifex adimere nequit, utcumque tota iurisdictionis potestas Episcopis a S. Pontifice communicatur. Iuris enim divini est, ut Episcopus, quamdiu Episcopus est, habeat eam potestatem, quae ad dioecesis gubernationem necessaria sit. Potest. vero S. Pontifex pro circumstantiis temporum et locorum certas res sibi reservare, potest certas leges Episcopi abolere, potest certam normam certasque condiciones praescribere, quae ad licitum et ad validum legiferae potestatis exercitium pertineant.

2. Potestatem legiferam Episcopi potissimum in synodo dioecesana exercere consueverunt, ita ut statuta in ea condita vel promulgata verae legislationem habeant, sive pro omnibus dioecesanis sive pro certo dioecesanorum coetu lata sunt. — Etiam extra synodum Episcopus leges condere potest (*Wernz* l. c.); at nisi satis constet, eum legem veri nominis condere voluisse: quando extra synodum non pro tota dioecesi, sed pro certo subditorum ordine vel coetu aliquid statuit, id *per modum praecepti*, non per modum legis fecisse censendus est. (Cf. *Scavini* I<sup>o</sup>, n. 340.)

214 IV. In ordinibus religiosis qui suprema potestate potiuntur, etiam leges condere possunt, ut capitulum generale vel generalis congregatio, atque etiam supremi praesules ordinis vel provinciae per se quandam potestatem legiferam habere consueverunt.

Reliqui vero praelati seu superiores immediati et locales, quamquam legis ferendae potestatem non habent, tamen ex potestate iurisdictionis *praecepta* imponere possunt; habent enim regendae suae communitatis potestatem *quasi-episcopalem*.

Videlicet: 1. Cur plerique praelati regularium potestatem proprie legiferam non habeant, ab arbitrio supremæ auctoritatis in ipso ordine pendet, utpote quæ iis non plenam auctoritatem communicaverit. Quæ potestatis restrictio ad id certe conducit, ut eadem vivendi regendique forma in toto ordine melius conservetur.

2. Aliud quoddam discrimen inter potestatem praelatorum ordinis et aliorum superiorum ecclesiasticorum in eo consistit, ut illorum statuta etiam per modum legis condita personas singulas magis adstringant. Lex enim, ut postea exponetur, per se territorialis est; statuta vero regularium, quamquam territorialia esse possunt, *facilius* tamen subditos *ubique* existentes afficiunt.

V. Superiorissis monialium etiam minus legum condendarum facultas convenit, neque praecepta imponere possunt vi iurisdictionis, sed solum ex potestate dominativa et domestica.

Mulieribus *ordinaria* potestas iurisdictionis in Ecclesia competere nequit, cum muneris ecclesiastici incapaces sint: et quamquam iurisdictionis ex delegata potestate exercendae in se incapaces non sunt, tamen canonicis legibus ab *omni* iurisdictione excluduntur, neque Summus Pontifex veram iurisdictionem illis delegare *consuevit*. (Vide *Lugo*, Responsa moralia l. 6, dub. 6, n. 89.)

VI. Ut vero iis quæ praecepta sunt a superiore, vera vis obligandi <sup>215</sup> ex se insit, debet superior esse legitimus, seu legitimum aliquem titulum ostendere posse, quo superior rite constitutus sit, aut saltem aliquid, quod sit loco legitimi tituli, ut est v. g. diuturna potestatis possessio.

Factum, quo aliquis superior constituitur, non supponitur, sed probari debet. Attamen qui in pacifica potestatis possessione est, pro vero superiore habetur, immo etsi ille in se legitimus non est, potestas eius fit *consequenter* legitima, vel saltem vere obligatoria: quare de ipso usurpatore aliquando dici debet, propter bonum commune eius decretis vim obligatoriam inhaerere. Haec propositis argumentis probare longius abest a nostro fine: satis est, ex ethica haec supponere. Analoga quaestio occurret postea in causa iuris et iustitiae de *praescriptione*, atque in iurisdictione ecclesiastica de *Ecclesia supplente*.

VII. Praeter legitimum titulum, qui in superiore requiritur, quoad eius praeciipiendi actum necesse est, ut lex sit rite promulgata. *S. Thom.* 1, 2, q. 90, a. 4.

*Quae et qualis* promulgatio requiratur, supremi legislatoris est determinare, <sup>216</sup> modo sit vera quaedam publica legis manifestatio ad eius cognitionem diffundendam apta.

Pro lege civili communiter statuta est publicatio in certa ephemeride «officiali», ut vocant. Acceptatio vero populi per se non requiritur; quamquam legis obligationem, repugnante voluntate subditorum, graves causae possunt aliquando suspendere.

Pro lege ecclesiastica, si dioecesana est, fere fit aut folio dioecesano, aut pro toto populo publica in templo promulgatione. — Si est lex Pontificia, inter scriptores viguit quaedam discordia et doctrinae diversitas, falsa, ni fallor, de Pontificiae potestatis plenitudine opinantium sententia excitata vel roborata. Erant, qui putarent, leges R. Pontificis disciplinares indigere promulgatione in singulis dioecesibus, ut ibidem obligare inciperent. At hoc, nisi ex voluntate ipsius R. Pontificis est, nullatenus potest requiri; secus Papam *suprema* potestate in Ecclesia destitutum habes. Facilius quidem, ut

alii sentiebant, decursus duorum mensium statui poterat pro termino temporis, in quo lex obligare inciperet; at cum nostris temporibus cognitio legis longe facilius sit, etiam in figendo termino illo videndum est, ipsane Constitutio R. Pontificis in singulis casibus quodnam spatium constituerit.

Practice haec tenenda sunt:

217 1. Constitutio Pontificis, si de rebus fidei tractat, vel quodvis ius divinum definit seu declarat, sine ulla alia promulgatione, quam quae Romae facta fuerit, ac sine ullo temporis lapsu omnes, qui eam cognoverint, statim obligabit. Nam divinae legis declaratio non tam novam promulgationem, ut existat lex, requirit, sed notitiam potius, qua compleatur promulgatio, ut pariat obligationem.

2. Lex mere disciplinariae Romae publicata, si Episcopo videatur pro sua regione non convenire vel nociva esse, eatenus Episcoporum arbitrio subicitur, ut, dilata ulteriore promulgatione et executione, recursum ad S. Pontificem habere permittatur. Cuius responsum aut derogabit legi, aut eam nihilominus urgebit: quodsi urget, lex omnino obligat et executioni mandanda est. Interim vero, dum responsum expectatur, legis obligatio, saltem si grave incommodum afferat, suspensa censetur. (Cf. *Suarez*, De legib. l. 5, c. 33, n. 9 et l. 4, c. 16, n. 8; *Laymann* l. 1, tr. 4, c. 3, n. 7; *Ben. XIV*, De syn. dioec. l. 9, c. 8, n. 3<sup>1</sup>.)

3. *S. Alphonso* probabatur opinio, ex defectu certarum clausularum, quae alias in Bullis voluntatem S. Pontificis satis declarant, se velle post publicationem Romae factam omnes ligare sive statim sive post certum tempus, aliquando mentem eiusdem Pontificis erui posse, quae permetteret dilationem obligationis, donec in dioecesibus promulgatio facta esset (*S. Alph.* I 96). — Similiter cum *Molina*, De iustitia tract. 2, dist. 395 et *Laym.* l. c: c. 2, n. 7 *S. Alphonsus* ib. admittit, promulgationem in singulis dioecesibus probabiliter requiri, ut valeat constitutio, quae contractus *natura sua* validos irritos faciat, aut quae iurisdictionem auferat. — Attamen etiam tum excipiunt iidem scriptores constitutiones de illis rebus, quae omnino liberae dispositioni R. Pontificis subiectae sunt (v. g. collatio beneficiorum ecclesiasticorum, et inhabilitas ad ea; professio religiosa, utpote quae ab acceptance voluntaria R. Pontificis intrinsecus pendeat), ita ut in iis rebus Papalis Constitutio, cum primum edita fuerit, si Papae ita videatur, vim habere dicenda sit.

Sed ne haec quidem nostris temporibus adaptata sunt. Hodie in novis legibus disciplinariis gravioris momenti per ipsas Constitutiones Pontificias provideri solet de tempore, quo obligatio incipiat. Cetera decreta vel leges vim suam habere censentur, cum publicata fuerint in folio publico, cui titulus «*Commentarius officialis de Apostolicae Sedis actis*» secundum *Constit. Pii X* «*Promulgandi*» d. d. 29 Sept. 1908.

In qua Constitutione «*Promulgandi*» Pius X expresse statuit haec: «*Volumus autem Constitutiones Pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum, tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita in eo Commentario [officiali] de mandato Praelati a secretis, aut maioris administri*

<sup>1</sup> *Suarez* quidem l. 5 dicit, efficaciam seu vim legis interim non cessare, at l. 4 recte dixerat, legem, si sine periculo alicuius scandali vel simili incommodo observari vix possit, cessare seu potius eius obligationem tunc suspendi; *Laymann* etiam loquitur de obligatione interim suspensa; *Bened. XIV* l. c. lectorem ad utrumque scriptorem. *Suarez* et *Laymann*, remittit.

eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, *hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum.*» Acta S. Sedis XLI 620.

4. Leges, quae a maiore et saniore parte populi acceptatae non sunt,<sup>218</sup> sive civiles sive ecclesiasticae, reliquos ligare non censentur, nisi superior denuo eas urgeat. Ita etiam ante legitimum desuetudinis tempus legis obligatio cessare vel suspendi potest, quia a) legislator praesumitur nolle paucos obligare ad discrepandum a communitate, b) in iis circumstantiis praesumi saepe potest, propter difficultates legi adversantes epikiae locum esse. Cf. *S. Alph.* I 139.

Sic etiam sumi debent, quae *Rebellus*, De oblig. iust. etc. l. 1, q. 5, n. 7 dicit: «Lex quantumcumque promulgata, si a populo non recipiatur, non videtur obligare in conscientia, ut tradit *Nav.* et videtur communis sententia: idque non solum si princeps potestatem condendi leges accipiat a populo — ubi res clarior est, nec enim populus aliter eam potestatem daret — sive (sed etiam si) a Deo, ut Papa, habet: quia, licet fideles, velint nolint, obligare *possit*, tamen doctores ita voluntatem eius interpretantur, quae est ipsius clementia in obligandis fidelibus, ut, quamdiu non est a populo recepta, velit eius obligationem suspendi, ne detur occasio peccandi.» Quae intelligi non debent de *libitu* populi, sed de rationibus gravibus, propter quas ad superiorem recurri, et interim suspendi possit obligatio.

## Articulus II.

### De obiecto legis.

Lex supra n. 140 dicta est ordinatio rationis ad bonum commune.<sup>219</sup> Inde iam ibi n. 145 tamquam essentialem conditionem legis quoad obiectum conclusimus, ut obiectum sit possibile, honestum, iustum, utile. Hic pro pleniori notitia collige sequentia:

I. De obiecto legis generatim. Obiectum legis omnia esse possunt, quae ad bonum commune conferunt. *S. Thom.* I, 2, q. 96, a. 3; *Reuter* I 141.

II. De actibus indifferentibus. Obiectum legis *praecipientis* non tantum sunt actus ex se boni, sed etiam actus ex se indifferentes, ita ut soli actus ex se mali numquam praecipiri possint. Obiectum legis *prohibentis* non tantum sunt actus ex se mali, sed etiam actus de se indifferentes, immo aliquando actus de se boni prohiberi possunt. Cf. eosdem ib.; *Mazzotta* l. c. q. 1, c. 4; *Suarez* l. 3, c. 12, n. 17—19.

Ratio est, quia, quae sunt de se indifferentia, ex circumstantiis vel ex relatione ad finem aliquem bona et mala esse possunt adeoque *ad* vel *contra* bonum commune conferre. Immo etiam ea, quae de se bona sunt, aliud maius magisque necessarium bonum impedire possunt. Notum est effatum S. Augustini, alia esse prohibita quia mala, alia mala quia prohibita.

Videlicet per se et a priori, ut dicitur, nulla actio indifferens eximitur ab ambitu earum, ex quibus legislator aliquando eligere possit, quam praecipiat sive per legem sive per praeceptum. Quod alii ita expriment:



«Objectum legis sunt omnes actus indifferentes distributive sumpti, non vero collective.» Nam impossibile est, ut omnes actus indifferentes de facto obligatorii evadant. Immo neque pro mero arbitrio legislator actus, quos praecipiat, eligere potest, sed pro temporum circumstantiarumque necessitate.

220 III. De actibus heroicis. Actus *heroici*, seu qui cum maxima difficultate coniuncti sunt, *ordinarie* et *per se* praecipii non possunt per legem *humanam*. Ita scriptores communiter, v. *Reuter* I, n. 141, 3. — Nam lex *rationabiliter* ferri debet, et accommodari infirmitati humanae, debet bono *communi* convenire; sed actus nimis difficiles praecipere in ruinam potius esset, siquidem ansam multarum transgressionum praeberet.

Actus heroicis praecipii non posse dixi: 1. *per legem humanam*. Nam lege vel praecepto divino eos iniungi posse clarum est, siquidem a) Deus est supremus omnium et absolutus dominus, cuius dispositioni nihil subtrahitur; b) si quid viribus humanis difficilius est, Deus vires valet augere, et ad eas augendas est paratus, modo homo sibi ne desit. Quod ex *S. Augustino*, De natura et gratia c. 43; Conc. Trident. sess. 6, c. 11, *de iustif.* pressis verbis enuntiat: «Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et *petere quod non possis, et adiuvat ut possis.*»

2. Dixi: *ordinarie* eos praecipii non posse, quo innueretur, actus etiam valde difficiles et gravissimos *aliquando* seu extraordinarie praecipii posse lege humana, scilicet quoties necessitas boni communis id postulat, v. g. periculosa statio militi.

3. Non *per se* eos praecipii posse; nam sub alia hypothesi, quae a libera ipsius subditi voluntate pendet, actus etiam heroicis per legem vel praeceptum humanum imponi posse, extra controversiam est. Exemplum habes in ordinibus religiosis, in quibus pro eorum diversis finibus praecipii potest servitium morbo contagioso laborantibus impendendum, redemptio captivorum cum propriae vitae vel libertatis dispendio, profectio ad barbaras gentes evangelizandi causa, similia. — Immo in ordinum sacrorum candidatis habes obligationem ad caelibatum perpetuum assumendam, quae, nisi de libera huius status electione ageretur, ab humana lege imponi non posset.

221 IV. De actibus internis. Actus *mere interni* potestate civili nullatenus subiacent, utpote quae nonnisi bono communi externo praesit. Ecclesia vero plenam quidem et perfectam iurisdictionem in actus mere internos etiam nequit exercere: attamen potestatem directivam eamque per modum *praecepti et imperfecte coactivam* in multis saltem casibus in actus mere internos habet. Rationes vide infra. Cf. *Suares*, De leg. l. 4, c. 12 et 13, l. 3, c. 13; *Wirceburg.* l. c. c. 4, art. 3; *Elbel* I, n. 330—335; *Ballerini-Palm.* I, n. 310 sqq.

Videlicet quoad auctoritatem civilem res in comperto est. Nam potestas legifera et iuridica iis limitibus certe continetur, quibus eius finis. Finis vero est dirigere *socialem* vitam et externam. Sola ea, quae externe se produunt, ad vitam humanam socialem pertinent.

Quoad auctoritatem vero ecclesiasticam non eadem ratio valet. Immo illa duplicis generis est, una potius est divina potestas, altera vere humana. Nam quia Ecclesia vere humana societas est, humano modo dirigenda, propterea moderatorem supremum habet, qui *propria auctoritate* leges condit, praecepta fert: hanc voco auctoritatem humanam. — Attamen etiam



alia sunt, quae humanam societatem excedunt, in quibus Ecclesia aut instrumentum Dei et Christi agit, aut legis divinae interpretem, cui Deus ipse infallibiliter assistit. Haec omnia, si obiectum legis aut praecepti fiunt per superiores vel ministros Ecclesiae, non propria potestate exercentur; immo ne ab ipso supremo quidem capite Ecclesiae visibili exerceri possunt nisi vicaria potestate, cum ipse Deus sit, cuius nomine et auctoritate in singulis illis actibus procedi debeat.

Quibus praenotatis, dicendum est: Circa quaestionem num per potestatem <sup>222</sup> *proprie ecclesiasticam* actus mere interni praecipere possint, disputant quidem theologi, aliis affirmantibus, negantibus aliis. At abstrahendo ab hac controversia, sunt causae complures, in quibus actus mere internos praecipere potest Ecclesia:

1. Quando agit *in foro mere interno*. Quapropter confessarius mere internos actus iniungere potest. Nam potestas Christi, cuius ille in tribunali poenitentiae instrumentum est, actus internos non excludit.

2. Ecclesia, quando interpretatur aut determinat legem vel ius divinum, v. g. definiendo fidei articulum, certe internae fidei obligationem imponit; item declarando, esse obligationem aliquando internum actum caritatis erga proximum eliciendi, hunc actum necessarium facit. — Cf. thesin 10 ab *Innoc. XI* damnatam. — Ratio cur in hisce rebus ad actus mere internos potestas ecclesiastici supremi pastoris extendatur, iterum est, quia lex divina ad eos certissime se extendit. (Ex hac sola iam ratione — ut id exempli causa tangam — fieri potest, ut pastoribus animarum iniungatur non solum celebratio, sed etiam *applicatio* Missae.)

3. Quando Ecclesia favorem aliquem concedit, pro conditione illum consequendi actus mere internos exigere *potest*. Ita nihil repugnat, quominus S. Pontifex pro lucranda indulgentia actum internum iniungat, ut *piam meditationem* passionis Dominicae in indulgentiis Viae Crucis: quod etiam non recorder ab aliquo negari. — Attamen re ipsa praeter eiusmodi internos actus in indulgentiarum concessione semper *etiam* aliqua actio externa iniungi consuevit.

4. Quando praelati, praecipendi potestate praediti, *dominativa* potestate utuntur, quam acceperunt mediante libera voluntate subditorum etiam in rebus internis se subicientium: non est cur actus mere interni iniungi non possint. — Quare etiam ii, qui negant, facultatem internos actus praecipendi Ecclesiae qua tali seu per potestatem iurisdictionis ipsi propriam competere, illam nihilominus fatentur praelatis regularium inesse per eam potestatem, quam in subditos vi voti oboedientiae exercent, modo oboedientia ex ordinis constitutionibus sic intelligatur. Vide *Laymann* l. 1, tract. 4, c. 4, n. 13; *Suarez*, De leg. l. 4, c. 12, n. 19.

5. Quando actus internus externi vel mixti actus debitum complementum <sup>223</sup> est, potest a superiore exigi. Sic *applicatio* Missae (de qua iam modo sub 2. sermo erat) debitum complementum est eius celebrationis. Magis etiam debitum complementum sacramenti suscipiendi est interna dispositio animi digna. Quare proscripta est ab Alex. VII thesis 14: «Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit *praecepto Ecclesiae*», et ab Innoc. XI th. 55: «Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.»

Huc fortasse revocari potest, ut pias meditationes possit Ecclesia iniungere tamquam debitum complementum secessus spiritualis, quem epi-

scopum *posse praecipere* statis temporibus sacerdotibus suae dioecesis, habes Act. S. Sedis XII 609—612.

Cum igitur tot modis actus interni *certo* iniungi possint, fortasse supervacaneum est, diutius inhaerere in ea quaestione, num etiam in reliquis casibus adeoque generatim et sine discrimine in Ecclesia id fieri valeat. Sunt qui negent, sunt qui affirmant. *Suarez*, qui negantem opinionem praefert (De lege l. 4, c. 12 et 13), tamen fatetur, internam rationem, cur Ecclesia non possit, vere probantem deesse; atque ob id tandem putat, in sua sententia sibi persistendum esse, quia Ecclesia usa non sit tali potestate, idque in tali re signum esse, eam ipsam non habere hanc pro potestate sibi a Christo collata. At et factum quod sumitur et conclusio quae inde deducitur aliis merito infirmae rationis videri possunt. — *S. Thomas*, qui eiusdem sententiae propugnator esse dicitur, non ita indubie in eam partem trahi potest: cf. I, 2, q. 61, a. 4; q. 100, a. 9; 2, 2, q. 105, a. 4.

224 V. De actibus mixtis et occultis. Actus *mixti* et actus *externi occulti* a iurisdictione et legislatione humana nullatenus excluduntur. *Suarez* l. 3, c. 13, alique passim.

Ratio primi est, quia, si qui actus praecipiri possunt, eorum exactio sane ita fieri potest, ut humano modo ponantur. Humano vero modo actum quemlibet sine actu interno, qui externum compleat, exercere impossibile est. — Ratio secundi est, quia actus externi etiam occulti ad bonum commune et finem societatis conferri possunt. Hinc natura sua plene subiacent potestati coactivae; per accidens est, si iudicis humani recognitioni subtrahuntur.

Immo haec adeo in confesso sunt apud omnes, ut ne civili quidem auctoritati hanc potestatem quisquam negaverit. Omnes enim, ut exemplum proferam, fatentur, auctoritatem civilem posse in rebus gravioribus iuramentum exigere, quod, cum debite praestari sine vero et interno actu religionis nequeat, actus mixtus est. Ita Ecclesia *devotam* orationem potest praescribere, *dignam* sacramentorum receptionem.

### Articulus III.

#### De legis subiecto.

##### § 1.

#### *De legis subiecto generalia principia.*

225 Praenotanda. Legi subiaccere illi dicuntur, pro quibus lex lata est, ita ut illius laesione ab iis commissa ordo recti *obiective* laedatur. Quo fit, ut non sit idem contra legem *subiective peccare posse*, et legi *subiacere*. Hoc notari debet, quando quaeritur, quale peccatum sit alios ad actum lege prohibitum inducere. Nam ut aliquis subiective seu personaliter contra legem possit peccare, requiritur, ut advertentia actualis ad legem possibilis sit. Quod non est necessarium, ut aliquis legi subiaccere dicatur; alioquin subditi alicuius regni casu accidentali, ut somno et similibus, perpetua mutatione modo essent, modo desinerent esse subditi.

Quotquot autem sunt, qui legi subiaccere, eos non licet ad legis violationem, etsi subiective inculpabilem, inducere; nam ipsa illa actio obiective

sumpta in legis subiecto pertinet ad res moraliter malas, atque ita, qui alterum ad eam utcumque inducit, ipse rem malam voluntarie amplectitur et verum formaleque peccatum committit.

His praenotatis, dico:

I. Omnis homo eo ipso, quod humanae naturae particeps est, *legi*<sup>226</sup> *naturali* subiacet atque subiectus manet. Nam pro natura humana lata est illa lex: et quidquid eam laedit, naturam laedit, seu naturaliter et essentialiter recto ordini repugnat. Naturam vero humanam etiam infans habet et amens. *Elbel* I, n. 345.

Quare observa: Non licet provocare vel inducere quemquam, ne infantes aut amentes quidem, ad ea, quae sunt natura sua mala seu legi naturali contraria, ut sunt turpia, blasphemiae etc., idque non solummodo prohibitum est propter periculum efficiendi pravum habitum, quem infantes postea, cum adoleverint, difficilius exuere possint, sed etiam, quia actus illi singuli in ipsis infantibus obiectivam malitiam retinent. — Ad ea vero, quae propter habitualement aut actualement in agente rationis defectum malitiam materialem seu obiectivam amittunt, provocare per se et sub hac ratione ei, qui provocat seu inducit, peccaminosum non est. De quibus cf. *Lacroix* l. 5, n. 48; *Lugo*, De poenit. disp. 16, n. 210 sqq. Applicatio non est semper ita plana.

Sic *Gobat* contra alios putat (*Quinar. tract.* 5, c. 9 et 19), verba blasphemia ab amente vel ebrio prolata eo ipso, quod mentis significatio desit, obiectivam malitiam eandem non retinere; id tamen etiam ipse concedit, illa verba, si valde blasphemia sint, coram audientibus quandam Dei inhonorationem et contumeliam obiectivam continere, ac propterea etiam provocationem ad *gravioras et enormes* blasphemias graviter illicitam esse. Quae peccati gravis limitatio, utut in *indirecta* provocatione forte locum habere possit, si minus propter illam rationem, propterea tamen, quia id a provocantibus saepe non pro gravi peccato apprehenditur: *directe* tamen provocare, docere etc. a peccato gravi excusari nequit, tum propter aliam rationem, tum quia ille, quia ita provocat, ipse quasi per alterum ut per instrumentum blasphemat. — Quoad verba turpia insuper scandalum audientium et excitatio eius, qui profert, considerata sunt.

II. Legi *positivae* ii soli subiacent, qui 1) sub iurisdictione re-<sup>227</sup> spectivi legislatoris existunt et 2) habitualiter rationis compotes sunt. *S. Alph.* I 153; *Elbel* I, n. 355 sqq etc.

Ratio *primae* conditionis est, quia superiorem iurisdictione pollere et alterum subiaccere eius voluntati correlativa sunt. Ratio *secundae* conditionis est, quia soli illi, qui habitualiter ratione utuntur, ad socialem finem aliquid praestare possunt. Lex autem, quae positive fertur, hac sola ratione ferri potest, ut finis socialis promoveatur; ergo ad illos solos dirigitur, qui eum possunt promovere.

Hinc 1. *ratione primae conditionis* requisitae sequitur:

1) leges particulares pro iis solis, qui ad particulare territorium pertinent, existunt; leges ecclesiasticae universales pro omnibus Christianis ubique locorum existentibus (qui habitualiter rationis usu fruuntur) valent, quia territorium Ecclesiae et R. Pontificis universus orbis est; leges positivae

divinae, si universales sunt, omnes ubique homines habitualiter rationis compotes spectant<sup>1</sup>.

228 2) Infideles, Iudaei omnesque non baptizati Ecclesiae legibus nondum subiacent; tenentur eousque solum *se Ecclesiae subicere*. Quamdiu vero se ei non adiunxerunt, leges ecclesiasticas non servando non peccant. Quo fit, ut illis, si famulantur, etiam liceat diebus festis opera servilia mandare, hac tamen limitatione: a) ut aliquod tempus vel etiam aliquis dies (qui generatim utique sit septimus quisque seu Dominicus dies) iis relinquatur, quo, si velint, privatim praesertim, possint Deum (non utique falsos deos) colere; b) ne quando aliis *scandalum* fiat, neve *publica festivae quietis perturbatio*.

Putabant quidem aliqui 1) legem in V. T. pronuntiatam obstare, qua prohibebatur, quominus ipsi etiam advenae, hospites, immo pecora laborarent: at *Veteris Legis* prohibitio haec, ut caerimonialis, non amplius viget. Alii 2) obiciunt, si infideles pro me laborant, me per illos laborantem censerem. At necessarium non est, ita rem considerare; neque constat legem dies festivos agendi sic debere intelligi.

Vide singula haec apud *Busenbaum* et *S. Alph.* I, n. 154; *Reuter* I, n. 166 sqq.; *Mazzotta*, Tract. 1, disp. 2, q. 3, c. 2.

3) Haeretici, schismatici, denique omnes baptizati *per se* legibus ecclesiasticis subiacent. Quare etsi ipsi eas non observantes, si in bona fide vivunt, non *peccant* formaliter — siquidem se non habent pro subiectis —, aliis tamen eos *inducere* ad praecepta Ecclesiae violanda non licet. *Materialis* vero cooperatio in infrigendis illis praeceptis eo facilius licita evadet, quo minus malum committitur a principaliter agente per peccatum materiale quam per peccatum formale: (ceterum haec vide infra, ubi de cooperatione sermo erit). Verum non desunt graves auctores qui censeant, in rebus quae individualement sanctificationem imprimis spectant, Ecclesiam nolle haereticos, qui in secta acatholica nati et educati sint, ligare. Vide *Bouquillon*, Theol. mor. fund.<sup>3</sup> n. 154, n. 4; *Marc* n. 198; *Pruner* n. 105; *Noldin* I<sup>7</sup>, n. 143. Neque tamen censent, catholico licere haereticos ad leges istas violandas *inducere*.

Minus etiam excommunicati a legibus Ecclesiae per se solvuntur: quaedam tamen, reliquis fidelibus praecepta, illis propter excommunicationem facta sunt illicita.

229 2. *Ratione secundae conditionis requisitae* sequitur:

1) *Ebriis*, cum certe legibus subiecti maneant, diebus vetitis carnes dare non licet; immo etsi in statu ebrietatis Sacro interesse non tenentur nec possunt, quia tamen legi subiecti manent, ipsi pro diversis circumstantiis rei esse possunt violatae legis ecclesiasticae, eo quod se in impossibilitatem implendae legis coniecerint. (Ne tamen eos facilius huius legis violatae reos habeas, cf. infra quae dicenda sunt de causis a lege excusantibus n. 252.)

2) Perpetuo amentes, infantes ante plenum usum rationis legibus Ecclesiae, ut abstinendi a carnibus, audiendi Missam etc., non subiacent: ergo iis die abstinentiae carnes dare edendas per se non est illicitum. Quam-

<sup>1</sup> Nos hic considerare solas leges primo et per se praecipientes, vix opus est dici. Nam si convertimus mentem ad leges iura quaedam statuantes vel indebita dona conferentes, hae plane latius possunt patere; nam comprehendendi possunt in tali divina lege etiam ii, qui ratione nondum utuntur, quibus nimirum per alios succurri debeat, ut revera fit in lege baptismi.



quam certe convenit, infantes a teneris annis, antequam ad annos plenae discretionis pervenerint, consuetudinem leges ecclesiasticas observandi docere.

3) Accuratiore disquisitione indiget quaestio de pueris sive infantibus,<sup>230</sup> quandonam legibus Ecclesiae subiaceri incipiant. Ad quae

Regula 1. Ante septennium completum obligatio stricta non potest ostendi. Nam secundum probabilem sententiam illa aetas exspectari potest, cum Ecclesia id attendat, quod communiter contingit.

Regula 2. Post septennium completum praesumitur plenus usus rationis; quare in dubio, utrum puer septennis usum rationis plenum habeat necne, *standum est pro obligatione*: si vero constat, eum nondum habere, etiam tunc manet a lege exemptus.

Regula 3. Haec, quando sola lex ecclesiastica respicitur; si de lege divina agitur, ut de confessione, sine dubio sicut usus rationis, ita obligatio peccata confitendi prius adesse potest. (Vide infra de praeceptis Ecclesiae.) *S. Alph.* l. c. n. 154 et IV 270; *Elbel* P. I, n. 367—369; *Reuter* I, n. 167; *E. Müller* I, § 53.

## § 2.

### *De clericis eorumque sub civili lege subiectione.*

*Lacroix* l. 1, n. 678 cum not. *Zachar.*; *Mazzotta* tr. 1, disp. 2, q. 3, c. 5; *Barbosa*; *Suarez* l. 3, c. 34, n. 13 (cf. «Contra regem Angliae»); *Elbel* n. 365 etc.; *Ballerini-Palm.* I, n. 341 sqq.; *Laurentius*, Inst. iuris eccl. n. 120 sqq.

Cum horum tractatio potius ad ius canonicum spectet, pauca haec noto: <sup>231</sup>

I. Saltem S. Pontifex, etsi princeps saecularis non fuerit, tamen iure divino naturali (sc. supposita Ecclesiae institutione) immunis est a saeculari iurisdictione, ita ut, si qua subiectio sub auctoritate civili de facto adfuerit, haec a libero ipsius Pontificis arbitrio semper dependeat, quo pro libitu alteri ut arbitro, idque precario modo, non ut vero iudici et legislatori se suasque causas committat.

Id enim necessario ex notione supremi gubernatoris societatis perfectae, qualis est Ecclesia, inter homines ubique terrarum degentes constitutae consequitur. — Quod egregie evolvit Leo XIII, cum esset episcopus Perusin., in litt. pastor. de temporali principatu R. Pontif.: «Primis», ait, «Ecclesiae saeculis . . . Pontifices subditi erant *quoad factum, non quoad ius.*» Cf. *Comp. Scavini* (Del Vecchio) n. 234. — Idque significatur non obscure a Christo Domino Mt 17, 24—26, ubi miraculoso quidem statere pro se et Petro apostolo tributum solvit, negans id ex debito fieri.

II. Nisi malimus dicere, etiam ipsos episcopos ut Ecclesiae principes eo ipso a iurisdictione civili vera et perfecta exemptos esse, saltem R. Pontifici ius inest eos eximendi; imino ius illi inest, quoslibet clericos a civili potestate eximendi; neque dubium est, quin vere exempti fuerint.

III. Nihilominus in rebus, quae commercium humanum, vel utcumque iustitiam commutativam spectant, clerici eatenus saltem se legibus civilibus territorii conformare debent, quatenus iniustitiae et damni alieni periculum praevendendum id postulat, aut scandalum evitandum id exigit. — Immo etiam in reliquis rebus exemptio, quae antea aderat, aut expressa cessione ex parte S. Pontificis (in concordatis),



aut tacito eius consensu restricta et diminuta esse solet: inde quidem, si severe rem sumimus, non sequitur, clericos formaliter civilibus legibus teneri; sufficit, ut materialiter iis adstricti sint, et formalis obligatio eas sequendi sit in voluntate Ecclesiae seu R. Pontificis; attamen etiam id pendet ex mente Ecclesiae seu S. Pontificis. Nam si *exemptio* sublata atque naturalis ordo restitutus est, sequitur, clericos in iis, in quibus eorum statum subiectio non positive dedecet, subiacere legibus civilibus eius societatis cuius membra sunt.

In rebus autem, quae dedecet statum clericalem, et in quibus S. Sedes clericos et formaliter et materialiter exemptos esse omnino vult: nulla civilis auctoritas iure in eos potestatem exercere potest, ut in re militari et similibus.

### § 3.

#### *De peregrinorum et vagorum sub lege subiectione.*

233 Peregrini vocantur, qui habentes domicilium aut quasi-domicilium extra illud versantur; vagi, qui domicilium vel quasi-domicilium nullibi habent, sive numquam habuerunt sive, relicto suo domicilio, novum nondum acquisiverunt. De quorum obligatione circa leges humanas particulares haec practice statui possunt secundum *S. Alph.* I 156—161; *Elbel* I, n. 361—364; *Laymann* l. I, tract. 4, c. 11 et 12; *Reuter* I, n. 171 sqq:

Generatim peregrinus a patriae et legibus et favoribus eximitur; loci, ubi existit, favoribus uti potest, leges sequi non tenetur. Accuratus et plenius sic:

I. Peregrinus, quamquam universali lege tenetur, tamen non tenetur lege *particulari* suae patriae seu territorii, ex quo exiit, modo absit physice et moraliter<sup>1</sup>, siquidem lex per se territorialis est, et mediante territorio eius incolas afficit. *Ballerini Palm.* I, n. 344 sqq.

Ex quo deducas: Si quis exiens e loco, ubi lege particulari ieiunium est, alio venit, ubi non est, ieiunare non tenetur. — Immo si postea a lege ieiunii solvitur, probabiliter (*Busenb.* apud *S. Alph.* I 156; *Lessius*, De iust. et iure l. 4, c. 2, n. 58; *Sanch.*, In decal. l. 1, c. 12, n. 34; *Suarez* etc.) iam mane edere potest, siquidem ieiunium ut obiectum indivisum praecipitur. Si abstinentia est, ea tamdiu servari debet, quamdiu manetur in loco legis, siquidem haec pro singulis actibus praescribitur. — Qui vero reversus a loco, ubi ieiunium non est, in patriam venit, ubi observatur, ieiunare tenetur, quando ieiunium essentialiter nondum laesum est, i. e. quando praeter unicam refectionem plenam non sumpsit notabilem cibi quantitatem secundum ea, quae dicentur de *ieiunio*: quod si iam fecit, etiam tertio vel quarto edere potest, quia lex ieiunii observatu impossibilis est facta. Eodem modo ieiunare tenetur, qui non in patriam, sed in alium locum peregrinus venit, ubi ieiunium tunc est secundum legem communem Ecclesiae. — Si in tua patria speciale festum est, modo ante ultimum Sacrum e finibus territorii exieris, ad Sacrum audiendum non teneris.

<sup>1</sup> Moraliter in suo territorio agere vel delinquere censetur, si adesse debuit propter legem, aut si delictum ipsum proprium territorium afficit. *V. Reuter* I, n. 174; *Bouquillon*, Theol. mor. fund.<sup>3</sup> n. 243.

II. Peregrinus et vagus particeps esse potest privilegiorum et dispensationum localium illius loci, in quo versatur. Nam *potest* quidem peregrinus incolis se accensere, sed non tenetur.

Sic Germanus in Gallia existens die Epiphaniae vel aliis festis pro Gallia suppressis Sacro interesse non tenetur. — Contra vero Gallus in Germania existens illis diebus Sacrum audire debet.

NB. A n. I et II quaedam exceptio statuitur pro absolute a casibus reservatis, et antea statuebatur pro lege clandestinitatis matrimonii, saltem quoad eos qui «in fraudem legis» e suo territorio exierint (quae v. fusius suis locis).

III. Peregrinus et vagus probabiliter non tenetur legibus particularibus illius loci, in quo actu existit. Nam quamquam lex territorialis est, tamen fertur in subditos: at peregrinus subditus non est, aut, si forte subditus est legislatori, tamen non est incola illius regionis, pro quo lex lata est. *S. Alph.* I 156, dub. 2; *Ballerini-Palm.* I, n. 361 sqq; contradicit *Bouquillon*, Th. mor. fund.<sup>3</sup> n. 161, cum *Suarez*, De leg. l. 3, c. 33.

Excipe leges: 1. quarum neglectus iniustitiae aut scandalum involvat; 2. si quae speciatim pro peregrinis vel vagis latae sunt.

Ad specialem igitur abstinentiam diebus Rogationum in Gallia vigentem peregrinus secluso scandalo non tenetur.

IV. Peregrinus vero uti non potest dispensatione a lege communi<sup>236</sup> in sua patria vigente, sed ea dispensatione tantum, de qua in n. II sermo erat. *Ballerini-Palm.* I, n. 365.

Videlicet sicut lex, ita etiam dispensatio *communis* per se territorialis sive localis est, ita ut in eo solo loco, pro quo data est, aliquis ea uti possit.

Aliud dicendum est de dispensatione *personali*, quae ob causam personalem concessa est.

Ergo: 1. Germanus in Anglia existens tempore ieiunii non potest uti dispensatione quoad ciborum qualitatem, quae in Germania viget, sed *debet* modum severiorem in Anglia vigentem amplecti.

2. Si quis propter discrepantiam dierum, in quibus certum aliquod ieiunium, quod quoad substantiam lege universali praescriptum est, in diversis locis celebratur, *bis* incidat in illud ieiunium, non tenetur secundo illud observare: si vero propter locum mutatum numquam incidat in diem, quo in loco, ubi existit, observatur, vi legis quidem semel videtur ieiunare debere; attamen ex *benigna interpretatione mentis* Ecclesiae, quae ad singularitatem non censetur velle adstringere, excusatur probabiliter, nisi ex industria, ut vitet ieiunium, ab uno loco in alterum profectus sit. Ita in simili causa *Laym.* l. 1, tract. 4, c. 11, n. 8; *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1271; *Sanchez* l. 1, c. 12, n. 30 etc. E. g. Fer. IV sit ieiunium vigiliae ante festum Assumptionis, in dioecesibus Rhenaniae et Westph. ad Sabbatum (diem 18) transferendum. Incola Coloniensis Fer. VI proficiscitur in Galliam, ubi sequenti die non ieiunatur: debetne ipse, qui Feria VI non ieiunavit, Sabbato id facere? Responsum habes ex dictis.

## § 4.

*De ipso legislatore, ut legis subiecto.*

237 Diversi diversum dant in hac re responsum, si quaeritur, num legislator ipse lege a se statuta teneatur.

Prima sententia est *Caictani*, qui tenet, ipsum legislatorem immediate et formaliter sua lege teneri, quia ipse ut persona publica se ipsum ut personam privatam et membrum communitatis ligare possit et liget.

Secunda sententia est *Castropal.* disp. 1, p. 4, § 1, n. 3—6; *Salmanticens.* c. 3, n. 41 de leg. (cf. *S. Alph.* I 154), qui dicunt, legislatorem sua lege non teneri, sed tantum lege naturali-divina, quae dictet dedecere, caput a membris discrepare, ita ut ipsa legislatoris lex solum ostendat materiale obiectum, ad quod ipse etiam teneatur; at *per se* sub veniale tantum.

Tertia sententia *Suarezii*, De leg. l. 3, c. 35; *Laym.* l. 1, tract. 4, c. 9, *Lessii*, De iust. et iure l. 2, c. 35, n. 31 etc., qui putant, sua quidem lege legislatorem formaliter non obligari, sed lege naturali-divina, ut secunda sententia dicit, attamen ipsum legis a se latae obiectum non materialiter solum a lege divino-naturali illi praecipii, sed etiam formaliter seu *ex eiusdem virtutis motivo*, ex quo ipsius legislatoris lex obligat. — Quam obligationem *Suarez* habet pro indispensabili et gravi (ita tamen, ut, si superior in eadem conditione sit, in qua subditus si versetur dispensatione dignus sit, obligatio desinat); *S. Alph.* l. c. cum *Salmant.* tract. 11, c. 3, n. 43 et 44; *Less.* l. c. n. 32, aliis *per se*, secluso scandalo, obligationem levem seu sub veniali tantum statuunt.

Tertia igitur sententia in hoc convenit cum secunda, ut fundamentum et vim obligationis non repetat ex ipsa legislatoris voluntate, sed ex voluntate divina, quae occasione legis humanae ipsum legislatorem proxime et immediate liget; sed in hoc convenit cum prima sententia, quod eandem speciem (quamquam non eandem intensionem seu gradum) obligationis in legislatore et in subditis agnoscat, ita ut pro diversa materia peccatum specificè distinctum per legis violationem committatur: contra, secunda sententia in quibuslibet legibus pro superiore unam eandemque honestatem debitam inesse statuit, i. e. honestatem sese cum reliquis conformandi.

238 Tertia sententia videtur tenenda esse; ac propterea practice haec statuenda sunt:

I. Superior certe non tenetur sua lege *coactive*, sed ad summum *directive*, i. e. poenae non subiacet, sed obligationi tantum conscientiae. Vide *S. Alph.*, *Suarez*, *Laymann* etc. l. c.

II. Secundum sententiam omnino probabilem legislator ipse, secluso gravi scandalo aut aliorum damno, venialiter tantum peccat, si sine causa id aliquando non praestat, quod aliis praescripsit; si vero rationabilem causam habet, quae subditum non excusaret quidem, sed licite ad quaerendam dispensationem impelleret, nullatenus peccat.

Dixi: «*secluso aliorum damno*». Quapropter in iis quae contractus actuumve valorem spectant, legibus communibus se conformare debet ne contra alios iniustitiam committat.

III. Videtur autem, quando irrationaliter a lege difformis fuerit, peccasse contra eandem virtutis speciem, contra quam subditi legem

violando peccant, ita quidem, ut non ipse sibi, sed lex divino-naturalis hoc virtutis exercitium ipsi debitum et obligatorium reddat.

Rationes, quibus dicta haec probentur, facile colliges ex ipsis iis, quae explicandi causa praemisi.

IV. Haec dicta sunt, si potestas legifera ab uno exercetur, non, si exercetur ab aliqua multitudine in unum collecta: in posteriore casu singuli, utpote vere subiecti collectioni, plane legibus a se latis formaliter subiciuntur.

#### *Articulus IV.*

#### De effectu legis seu obligatione.

##### § I.

##### *De legis obligatione in se eiusque interpretatione.*

I. Omnis lex aliquam obligationem conscientiae inducere debet.<sup>239</sup> Ex sua enim notione vinculum ordinis moralis est, quod sine ulla obligatione in conscientia non recte concipitur. *Elbel* I, n. 292 sqq; *Suarez* l. 3, c. 22 etc.

Obligatio conscientiae, quamquam est omni legi propria, tamen a quibusdam legum generibus non directe, sed indirecte et consequenter tantum oritur. Id nimirum obtinet in lege favorabili et in lege irritante: de quibus confer infra n. 314 sqq.

II. Distinguitur nihilominus lex *moralis* et lex *mere poenalis* eo sensu, quod lex moralis immediate in conscientia obliget ad rem per legem propositam aut praestandam aut evitandam, lex vero poenalis obliget non determinate ad illam rem, sed sub hypothese, si res a lege postulata praestita non sit, ad poenam quando imponitur sustinendam vel solvendam, idque utique, modo ne lex propter alias causas invalida sit, *in conscientia*. *S. Alph.* I 145 et 148.

Obligatio ad poenam ex lege mere poenali plerumque non statim oritur ac lex violata est, sed tum demum, quando a legitimo ministro fit ad poenam condemnatio seu poenae exactio. Cf. *Elbel* l. c. n. 318.

III. Lex autem moralis, etiam quae a civili auctoritate proficiscitur,<sup>240</sup> obligationem ad culpam inducit aut gravem aut levem, prout et res ipsa et voluntas superioris id constituit. Cf. *S. Alph.* 143 144.

Ad quae nota: 1. Advertendum est, posse contingere, ut *eadem res* ab Ecclesia praecepta pro gravi haberi debeat, minime vero, in quantum a lege civili praecepta; nam cum non idem finis ab auctoritate civili intendi possit, qui est Ecclesiae finis, propter finis nobilitatem et necessitatem Ecclesia facilius sub gravi praecipere potest et praecipit quam civilis auctoritas.

2. Ex iis, quae infra n. 311 sqq dicenda sunt, patebit, etiam longe facilius in rebus civilibus quam in ecclesiasticis legem mere poenalem haberi posse.

IV. Res igitur, quae *consideratis obiecto et fine et circumstantiis* gravis est, *per se*, si *vere* praecipitur, sub gravi praecipitur, nisi superior contrarium, i. e. obligationem levem tantum, exprimit; res autem, quae



omnibus spectatis levis manet, gravis obligationis incapax est, adeo ut superior eam sub gravi praecipere nequeat. *S. Alph.* n. 144; *Suarez* l. 3, c. 27.

Ad quae nota: 1. Superiorem in lege propria rem ex se gravem sub levi tantum, *si velit*, praecipere posse, plane communis est sententia. Nam sicut tota obligatio tandem a superioris voluntate pendet, ut eam extinguere possit, ita etiam imperfectam tantum obligationem potest statuere.

2. Materia legis gravis dicitur, si finis a lege intentus magni momenti est, et res praecepta ad finem illum notabiliter seu multum confert. Haec norma praecipue ad intelligendam obligationem legis *positivae* statuta est, attamen etiam legis naturalis vim et obligationis gradum declarat: cf. *Elbel* I, n. 327. Quo fit, ut res *in se* valde levis propter finem intentum omnino gravis evadere possit. Exemplum evidens habes in praecepto modicissimam aquam vino admiscendi in sancto Missae sacrificio; item in sumptione minimi cibi ante sanctam Communionem.

241 V. *Specialia de interpretatione legis*. Quae est aut doctrinalis sed privata, aut authentica. Ut autem cognoscatur, utrum verum praeceptum seu stricta lex habeatur annon, eaque quae in re gravi graviter obliget: ipsa verba legis consulenda sunt, at etiam communis acceptio et consuetudo. — Ceterum ita debemus legem interpretari, ut in dubio obligatio non statuatur neque extendatur. *S. Alph.* I 144.

A. *Pro privata et doctrinali interpretatione* exhibeo, quae circa *vim verborum* habet *Reuter* I, n. 152:

1) «Praecipio, mando, impero, iubeo, prohibeo, interdico» — ex se *strictam* et in re gravi *gravem* obligationem denotant.

2) «Ordinamus, sancimus, statuimus» — *non strictam* obligationem imponunt.

3) «Debet, oportet, fac, abstine, caveant, ne audeant, tenetur» — cum non semper certam et veram obligationem exprimant, ex contextu aut ex consuetudine legem interpretante explicari debent.

Regulas communiter receptas exhibeo ex *Laymann*, De lege c. 18:

1 reg.: Lex poenalis et odiosa *strictae* interpretationis est, lex favorabilis *latae*.

2 reg.: Assumendus est sensus verborum proprius et usitatus, nisi sequatur aliquid absurdum aut iniustum.

3 reg.: Attamen sensus *usualis* potius proprius sensus dicitur quam sensus philologicus vel grammaticalis; — immo sensus, qui secundum stilum et usum curiae est, potius attendendus quam ille, qui alias forte est in usu.

4 reg.: In dubio mens legislatoris attendenda est, idque potius quam nuda verba.

Quare lex extendenda est ad *correlata* (e. g. sponsus et sponsa), ad *acquirata* (v. g. electio et praesentatio ad beneficium ecclesiasticum), ad *conexa et contenta* (ut facultas legandi in facultate testandi continetur), quoties aliter legislator aut iniustitiae aut imprudentiae argui deberet.

242 B. *De interpretatione authentica* noto pauca: *Authentica* interpretatio ea est, quae ab ipso legislatore fit aut ab eo, cui potestatem ad hoc contulit. Talis interpretatio, si communes regulas sequitur et ea, quae



secundum usualem sensum verborum in lege iam continebantur, vere contenta esse denuo edicit, *mere comprehensiva* dicitur; si vero ultra ea aliquid in lege contineri declarat, *extensiva* vocatur. Vim huius discriminis, quando promulgatio illius interpretationis facta non est, vide infra *de legum speciebus*.

C. *De epikia*. Epikia est applicatio legis in certo casu *secundum* <sup>243</sup> *mentem* legislatoris *contra legis verba*.

Est igitur explicatio mentis legislatoris non quoad sensum legis, sed quoad exceptionem singularis alicuius casus a lege, quamquam verba legis eum certo includunt.

Aliis verbis: legis applicatio *secundum aequum et bonum*, secundum quod praesumitur legislatorem nolle legem suam in circumstantiis extraordinariis, quas non praevidit, urgere, eumque exceptionem facturum fuisse, si talis casus ipsius menti obversatus fuisset.

Eiusmodi interpretationis locus non est, si superior adiri potest, nisi lex propter circumstantias evadat *noctiva et iniusta*.

## § 2.

### *De legis obligatione implenda.*

Quae de impletione dicenda sunt, quodammodo complent ea, quae <sup>244</sup> circa sensum et interpretationem legis notanda fuerunt. Nam de impletione legis quaerere nihil aliud est quam videre, ad quosnam actus in concreto legis obligatio porrigatur, ut ei integre satisfiat.

Summum principium est, ut, quae lex imponat, sumantur rationaliter quidem, sed stricte; late, quae permittat. Hinc:

I. Lex prohibens seu negativa impletur omittendo seu non faciendo rem prohibitam, v. g. lex non venandi; lex vero praeceptiva seu affirmativa, si *realis* est, impletur, quomodocumque res praestita est, v. g. lex tributi; si *personalem* actionem praescribit, postulat ut actio illa *humana* sit seu humano modo ponatur, v. g. lex Sacri audiendi.

Sic lex solvendi tributa et similia potest etiam per alterum impleri; non exigitur, ut actione humana ab eo, quem lex respicit, satisfiat.

II. Necessarium porro non est ad implendam humanam legem, ut finis <sup>245</sup> legis intendatur; unde neque requiritur, ut ex motivo specialis virtutis, ad quam res praecepta pertinet, neque ut ex motivo oboedientiae seu ex intentione implendae legis agatur. Nam internum finem, quantum satis est, implicite intendit, qui intendit opus praescriptum; externum, si quem habet superior, ipsius est attendere. *S. Alph.* I 163 «ex communi sent.»; *S. Thom.* I, 2, q. 100, a. 10.

Impletur igitur praeceptum ieiunii et abstinentiae, etsi, qui abstinet a cibo vel certo ciborum genere, mortificationem non intendit; immo qui cibis esurialibus utens gulae magis indulgeat, laesi praecepti reus non sit, sed venialis gulae peccati. — Nimirum superior quidem in ferenda lege ducitur ea intentione, ut subditi mortificatione afficiantur; at praecepit tantum certae abstinentiae obiectum: quo *communiter* quidem revera mortificationem promovet; sed si quando in certo homine non promovet, id pro accidens est,

neque propterea lex, quippe quae principaliter communitatem et communiter contingentia respiciat, plus praescribere debuit. Aliud tamen est, si quaeris de merito, quod homo ex observanda lege sibi colligat: hoc sane plane pessumdari potest, si quis v. g. lautioribus epulis mortificationem per legem ieiunii intentam eludat. Hinc est quod *Suarez*, De leg. l. 2, c. 10, n. 11 et 12 (cf. l. 3, c. 29) cum *S. Thom.* 1, 2, q. 100, a. 9 hoc discrimen statuatur inter legem naturalem et legem humanam, scil. priorem obligare etiam *ad modum* virtutis, non ita per se posteriorem.

Porro: Qui ignorans esse diem festi Sacro interfuit, aut qui primo Sacro ex sola devotione intendit assistere, postea ob praeceptum aliud auditurus, tamen implevit praeceptum, neque ad secundum Sacrum tenetur, quia, re praescripta praestita, obligatio legis extincta est, neque subditus ipse sibi legis vinculum potest inicere.

246 III. Qui vero nolendo rem ut lege praescriptam *coactus seu invitus* ipsum obiectum tamen praestat, peccat prava sua voluntate; nihilo minus si humano modo actionem praescriptam fecit, legem, utpote impletam, denuo alia actione impleri opus non est. *S. Alph.* ex *Busenb.* n. 165.

Sic qui coacti tantum die festo Sacro intersunt, peccant quidem, quia nolunt praecepto subesse: tamen si revera cum sufficienti attentione Sacrum audierunt, non tenentur secundo Sacro interesse, ut ecclesiastico praecepto satisfaciant.

IV. Multo minus per se requiritur, ut lex *in statu gratiae* impleatur, nisi forte ipsa res praecepta talis est, quae, ut rite fiat, statum gratiae postulat; *S. Alph.* I 162.

Ergo 1. praeceptum Confessionis et Communionis non implet, qui sacrilege confitetur aut S. Communionem sumit, siquidem, ut res praecepta rite secundum substantiam suam impleatur, status gratiae requiritur aut eius proxima dispositio. (Contraria opinio, quasi non ecclesiastica, sed sola *naturalis* lex, seu divino-naturalis, laederetur — vide *Suarez* l. 2, c. 10, n. 13—, sustineri amplius non potest a theologo ob thesin 14 ab *Alex. VII* et 55 ab *Innoc. XI* damnatam.)

2. Qui vero audiens Sacrum alicui cogitationi pravae adhaeret aut aliud peccatum concomitanter committit, propterea nondum legem ecclesiasticam violat, quamquam fortasse peccatum gravius committit: siquidem etiam cum peccato rem in se bonam et honestam, quae praecepta erat, adimplet. Cf. *Ballerini-Palm.* I, n. 368.

247 V. Nihil impedit, quominus duplex praeceptum *eodem tempore* impleatur, modo utrumque obiectum simul praestari vere possit. *S. Alph.* I 166.

Ita Sacro ex lege ecclesiastica praecepto interesse et simul divinum officium recitare vel preces a confessario iniunctas aliquis licite potest; vide *Baller.-Palm.* I, n. 381.

VI. Num vero *una eademque actione* diversis praeceptis satisfiat, ex ipsa lege diiudicandum est. Nam 1. satisfiat, si plura praecepta de *una eademque re in individuo* agunt; 2. si autem *actum specificè tantum eundem* imponunt, etiam una actione satisfiat, quando *propter eundem finem* seu idem motivum praecipiunt, adeoque si diversa praecepta et

materialiter et formaliter idem imponunt; non vero satisfit uno actu, si diversi sunt fines interni diversorum praeceptorum, nisi forte contrarium a superiore indicatur. *S. Alph. l. c.*

Conclude igitur 1. Si quis *certo die* ieiunium servare vovit, et eodem die occurrit ieiunium ecclesiasticum, illo uno ieiunio satisfit duplici obligationi, quia in eandem rem in individuo cadit. — Vel si in diem Dominicam cadit festum de praecepto, unum Sacrum audiens satisfacias obligationi tum festo tum Dominicae diei inhaerenti, quia utraque obligatio fertur ex eodem motivo seu ad eundem finem illum unum diem religiose sanctificandi.

2. Si vero sine temporis determinatione voveris ieiunium vel pro sacramentali poenitentia ieiunii obligationem contraxeris, non possis haec simul cum ieiunio ecclesiasticae vigiliae coniungere; sed ter ieiunare debeas, alios dies eligens.

3. Ob intentionem tamen ex ordinarie contingentibus praesumptam, quam confessarius habere censetur, qui quovis die per mensem imposuit Sacrum, non tenearis diebus Dominicis vel festis bis Sacro interesse; sed confessarius censetur illis diebus ipsum illud Sacrum, quod ex praecepto ecclesiastico audire debeas, simul pro poenitentia iniunxisse, nisi aliud declaravit: at eum, qui omiserit, duplex peccatum committere, alibi dicitur. Contra qui ex poenitentia sibi iniuncta plura Sacra audire debet, ea non potest simul absolvere, sed *successive*; id enim confessarius, nisi contrarium declaravit, intendisse omnino praesumitur, ut videlicet longius tempus poenitens servitio divino impendat. Cf. *Gury* n. 107; *Mazzotta* tract. 1, disp. 2, q. 2, c. 3.

VII. Utrum, *transacto tempore* in lege praefixo, obligatio exspiret necne, tum ex verbis legis, tum ex eius fine et ex circumstantiis desumendum est.

Sic ieiunii obligatio lege ecclesiastica imposita, praeceptum divini officii recitandi vel Sacri audiendi cum tempore praefixo, sive legi satisfactum fuerit sive non, exspirat. — Lex confitendi quotannis vel tempore Paschali sacram Communionem sumendi elapso tempore non censetur plane exspirare. Prior obligatio dicitur diei affixa, posterior non ita.

## *Caput IV.*

### De legis eiusque obligationis cessatione.

#### *Articulus I.*

##### De excusatione a lege.

Quae hucusque dicta sunt, legis obligationem eiusque extensionem in se sumptam explicant. Quo melius autem obligationum ambitus et limes cognoscatur, etiam ad rationes temporis et diversae subditorum conditionis attendendum est. Non raro enim fit, ut propter illas obligatio modificetur, atque adeo auferatur. Ut igitur quae causae a legis obligatione excusent, recte iudicetur, quaedam principia generalia statuenda sunt.

I. Obligatio legis affirmativae, maxime humanae, generatim non urget cum incommodo vel damno gravi, quamquam pro rei praeceptae diversa gravitate illud incommodum, ut excuset, etiam minus magisque

grave esse debet. *Elbel* P. I, n. 298; *S. Alph.* I 175 cum *Busenb.*; *Reuter* I, n. 189 etc.

1. Ratio primi asserti ex iis petitur, quae de actibus heroicis ut legis obiecto dicta sunt. Nam lex humana non debet ultra necessitatem vires subditorum nimis adstringere, sed fragilitatis humanae rationem habere. Et revera, si ad obiectum legis, quod in se spectatum adeo difficile et grave non est, propter circumstantias grave incommodum accedit, obiectum totale, quod tunc iniungeretur, valde mutatum auctumque esset. At mutatione notabili facta non iam illa obligatio est, quam legislator imponere sibi proposuit. — Quae ultima ratio aliquando in ipsis legibus positivo-divinis valet, ita ut aut propter tantam obiecti mutationem aut propter quandam legum collisionem prudenter iudicari possit, Deum nolle eousque legem suam extendere. At certe non temere, sed considerate omnino in hac re procedendum est, ut suis locis notabitur.

2. Quam grave incommodum adesse debeat, quo a lege in particulari casu excuser, melius in singulis legibus inquiritur. Pro generali quadam norma haec esse potest:

Quo gravior est 1. sequela mala, quam legis laesio secum trahit; 2. quo gravior est res praecepta in se; 3. quo gravior seu nobilior est proxima origo seu auctoritas, quae legem imposuit: eo gravior causa esse debet, quae ad excusationem sufficere censeatur. — Quare ceteris paribus gravior causa requiritur, ut in divina lege quam ut in humana lege adsit excusatio.

250 II. Attamen etiam cum gravi, immo extremo incommodo legis obligatio urget,

1. si de *damno communi* avertendo agitur, vel de *supremo damno spiritali* particularis hominis qui aliter se ipsum salvare nequit: v. g. lex residentiae parochialis tempore contagionis.

2. si legis laesio *in damnum vel odium religionis* vergit, vel si in *contemptum auctoritatis* alter me ad laedendam legem impellere velit, v. g. ad esum carnis in odium fidei.

3. si cum legis observatione *communiter* magnum incommodum coniungitur, neque legis iniustitia satis probabiliter demonstratur: nimirum tunc legi standum est.

Rationem horum dictorum habes ex iis, quae de obiecto legis actibusque heroicis tractata sunt.

251 III. Id praeterea caveri debet in quavis lege, ne quis, subditus legis manens, sibi ipse sine excusante causa tale impedimentum creet, propter quod aut nullatenus aut cum gravi tantum incommodo legem implere possit. Nam in impossibilitate sive omnimoda sive morali late sumpta constitutus non peccat quidem, si non observat legem; at quando praevidens eiusmodi impedimentum induxit sine causa excusante, peccatum commisit. Vide imprimis *Reuter* I 197—200; *Mazzotta* l. c. q. 2, c. 4.

Quaestio est satis difficilis, num et ex qua ratione liceat apponere causam, quae a lege implenda impediat. Ad quam illustrandam inserviunt hae regulae:



1 regula: Numquam licet ex intentione non implendae legis impedimentum ponere.

Nam lex, quae sui impletionem exigit, etiam postulat, ut adhibeantur media necessaria. At si media necessaria adhibenda seu impedimenta auferenda sunt, a fortiori non licet ea voluntate, ne lex impleatur, impedimenta ponere. — Excipe, nisi forte impedimentum illud consistit in suscipienda actione, quae longe maioris momenti sit et in quam iuste legem leviolem transmutare me posse suppono: ut, si quis et ex aliis et ex ea quoque causa, ne ieiunare debeat, se addicat laborioso servitio aegrotorum tempore contagionis curandorum.

2 regula: Non licet sine iusta causa impedimentum legis implendae ponere, ne indirecte quidem, seu cum sola praevisione, etsi sine intentione (*Reuter* I, n. 197; *Gury* I, n. 110), saltem cum legis obligatio iam urget, aut moraliter iam instat tempus obligationis.

Ratio eadem est atque in prima regula.

3 regula: Licet vero impedimentum ponere indirecte 1) sine speciali causa, si tempus obligationis nondum prope est; 2) semper cum causa relative gravi.

Ratio huius posterioris exceptionis a lege est, quia, ut supra expositum est, grave incommodum seu causa relative gravis excusat. Ratio prioris exceptionis est communis interpretatio mentis legislatoris, quod scilicet noluerit ad tantum incommodum tantamque libertatis restrictionem subditos adstringere, ut considerare debeant, num forte actione sua postea legi cuidam impedimentum creetur. Sicut enim communiter leges tantum requirunt, ut media ordinaria et cum ordinaria diligentia ad legem implendam adhibeantur, ita non videntur tanto rigore postulare, ut aliquis ab actione quapiam absteineat, quae post longius tempus legis impletionem impeditura sit.

Quamquam autem haec generalis regula ab omnibus tenetur, tamen in ea applicanda non omnes idem sentiunt. Nec mirum; quo gravioris enim momenti lex est, eo maior diligentia ad eam implendam necessaria est, adque ideo etiam maior cura, ne voluntarie mihi impedimentum excitem: quae omnia prudentiae norma diiudicanda sunt.

Exempla rem declarabunt: Praecepta seu leges, quorum obligatio saepe recurrit, ut ieiunium, abstinencia, assistentia Missae sacrificio, tum tantum prohibent, quominus impedimentum indirecte ponatur sine iusta causa, quando iam fere instat dies obligationis, summum pridie tempore pomeridiano — Quare qui feria VI, immo etiam Sabbato mane, iter suscipiat, praevidens, se die Dominica Sacro interesse non posse, laudandus quidem non est, si itineris specialem causam non habet, tamen legis audiendi Sacri violatae non est reus. Si vero dies Dominica prope sit, maxime versus Sabbati noctem, vel si dies Dominica iam inceperit, nemini licet sine iusta causa, et quo propius instat tempus, eo etiam graviore, se ipsum in talem impossibilitatem conicere. *Suarez*, De peccatis disp. 3, sect. 4, n. 10; *Lacroix* l. 1, n. 791—793, cum *Bonacina*, *Dicast.* etc.; *Gobat*, *Quinar.* tract. 5, c. 27 (maxime sect. 5).

Idem fere dicitur de eo, cui intemperantia causa sit, ne postea possit ieiunare vel Sacrum audire.



Neque censent, aliquem vi legis audiendi Sacri teneri, ut procuret solutionem a censura, liberationem e carcere etc., si incarceratus Missae assistere nequit, nisi forte *diu* vel ex industria, ne Sacro intersit, haec negligat.

Attamen teneri aliquem, vincula illa seu impedimenta removere ratione praecepti Communionis Paschalis; cui praecepto etiam aliquot diebus antequam tempus legis urgeat, non liceat impedimentum ponere, nisi satis gravis causa adfuerit. Cf. *S. Alph.* I 152; vide etiam *infra* vol. II, Tract. de censuris, cap. de effect. excommunicationis.

Bene igitur *Ballerini-Palm.* I, n. 390 ex *Sanchez* notat, non posse universalem regulam in hac causa dari, sed et vim rigoremque praecepti, utilitatem, necessitatem impedimenti quod ponatur atque alia adiuncta consideranda esse, ut iuste iudicetur, liceatne tale impedimentum servandi praecepti inducere necne.

253 IV. Contra nemo impeditur, quominus particulari alicui superiori, si possit, se subtrahat exeundo ex eius territorio; quo fit, ut legis subiectum esse desinat. Immo etsi intentione eius legi non amplius subiaccendi ad id impellatur, haec voluntas per se peccaminosa nondum est. Cf. *S. Alph.* I 152; *Scav.*<sup>10</sup> I, n. 223.

Similiter plerumque non peccatur, quando aliquis ex intentione legis obligationem evadendi peregre abiit in locum, pro quo legitime dispensatio quaedam concessa est. Nam quamquam talis agendi ratio laudabilis non est, tamen, qui ita agit, utitur iure suo se illi communitati ad tempus coniungendi, quae a legislatore relaxationem accepit.

Ab hac regula attende exceptionem in legibus ecclesiasticis existere, expressa voluntate S. Pontificum factam, quoad absolutionem a peccatis reservatis; existitisse ante decretum «*Ne temere*» etiam quoad matrimoniale impedimentum clandestinitatis. Cf. supra n. 234 et vol. II suis locis de *Poenitentia* et de *Matrimonio*.

## *Articulus II.*

### De dispensatione.

254 Lex stabilis quidem norma dicitur, sed non adeo stabilis et inflexibilis, ut nullam patiatur exceptionem. Immo normam adeo uniformem statuere ne ab initio quidem legislatorem intendisse, ex praecedenti paragrapho patet.

Verum legislatoris est, sicut totam multitudinem lege sua ligare, ita etiam, aliquos, si qua causa est, a reliquis secernendi, iis obligationem remittere, non solum quando excusans ratio adest, sed etiam ex aliis rationibus, quae subditum per se a lege non eximant.

Habet igitur *dispensatio* hoc cum excusatione commune, quod utraque, *manente lege*, obligationem *proximam* aufert vel suspendit: ita vero differt ab excusatione, ut haec repetatur a superioris voluntate quam primitus in lege condenda habuit, illa huius voluntatis primitus habitae quaedam retractatio sit quam superior postea facit; insuper dispensatio obligationem proximam *permanentem* suspendere *potest*, excusatio vero in singulis tantum difficultatibus effectum suum sortitur.

Aliis vero modis obligatio extingui potest, *lege ipsa* (non tantum eius obligatione) *cessante*, videlicet abrogatione vel derogatione, aut

cessatione ab intrinseco. Ne quis autem putet, parum interesse, utrum, si obligatio cessaverit, lex maneat, necne; hoc statim explicandi causa addidisse iuvat: si lex cessavit, ut iterum incipiat obligare, nova promulgatione opus est; sin, lege manente, ab eius observantia dispensatum est, nova promulgatio nequaquam requiritur, ut lex denuo obligare incipiat, sed sufficit, ut dispensatio utcumque corruerit.

Ut plenior fiat de dispensatione tractatio, diversis paragraphis quaeremus: 1. Quis in quibus legibus dispensare possit. 2. Quae sint causae dispensandi. 3. Quo sensu dispensationem interpretari debeamus. 4. Quomodo dispensatio cesset. Cf. praeter scriptores infra citandos *Mazzotta* totam disp. 4 *de legibus*.

### § 1.

#### *Quis in quibus dispensare possit.*

I. Duplex distinguitur potestas dispensandi: propria et delegata.<sup>255</sup> Prior exercetur ab ipso superiore in *suis* legibus (vel etiam in legibus antecessorum aut inferiorum); posterior ea est, quae inferiori ab ipso superiore communicata est.

II. Superior seu legislator in iis rebus, in quibus propria potestate utitur, valide potest dispensare sine causa; qui vero delegata utitur potestate, nihil potest nisi secundum concessionem sibi datam, neque, quando iusta causa deest, valide dispensat.

**Explicatio.** 1. Sine ulla causa dispensare ipsi superiori illicitum est, sed in supremo superiore, qui in sua lege dispensat, secluso scandalo aliisve gravibus malis, non est nisi venialiter malum: *S. Alph.* H. Ap. tract. 2, n. 46, cum *Sanchez*, De matrim. l. 8, c. 18, n. 7; *Laym.* l. 1, tract. 4, c. 22, n. 13, aliis. — Subditus igitur, qui sine fraude talem dispensationem petit, etiam venialiter tantum peccat; qui vero sine petitione ultro ea dispensatione donatus est, ea sine ullo peccato uti potest (nisi forte extrinsecus ratio scandali etc. accedat), *S. Alph.* I 178; *Suarez*, De leg. l. 6, c. 18, n. 13 et c. 19, n. 14; *Salmant.* tract. 11, c. 5, n. 69 etc.<sup>1</sup>

2. Quae autem dispensatio ex stilo curiae vocatur «data ex causa sine causa», seu «ex certis et rationalibus causis», non datur prorsus sine causa, sed sine tali, quae alias ut legitima censetur quoad dispensationes a *delegato* impetrandas.

3. Qui delegata facultate utens sine iusta causa dispensationem dare tentat, quando de praecepto gravi agitur, *graviter peccat*, atque etiam subditus, qui talem dispensationem petit, aut ea scienter utitur. Cf. *S. Alph.* I 180.

4. Attamen illa «iusta causa» sic intelligitur, ut in dubio de sufficiente causa (i. e. si causa quidem cernitur, sed dubitatur, sitne sat gravis), et subdito liceat, re sincere exposita, dispensationem petere, et delegato, eam concedere. *S. Alph.* 186 et 192.

5. Immo si bona fide utriusque actum est, tam diu saltem standum est pro dispensatione, donec postea defectus causae clare pateat. Quod si fit, dispensatio, quae successivum tractum habet, ut dicunt, corruisse censenda

<sup>1</sup> Communiter tamen dispensatio non conceditur, nisi ex causa, quam subditus exposuit. Quo in casu necessario causa vera esse debet.

est; quoad eam, quae semel pro semper effectum producit, videndum est, utrum absolute censi debeat concessa, an secus. (Vide infra n. 268 sqq de cessatione dispensationis, et *S. Alph.* I 181 et 182; III 251.)

6. Si subditus tantam causam pro se habeat, ut dubitet, num casus dispensatione indigeat, seu sine dispensatione ratio excusans adsit, si modo vere positiva ratio est, ex qua probabiliter iudicari possit, adesse causam excusantem: dispensatio, quamquam consulenda est ad cautelam, absolute necessaria non est. *S. Alph.* n. 192. S. Doctor l. c. de illis adiunctis, in quibus tanta causa adest, ut dubium sit, num casus indigeat dispensatione, ita dicit: «sive dubium sit positivum sive negativum, potest subditus uti sua libertate: consultius tamen est tunc adire praelatum, qui declaret vel dispense, cum in tali dubio bene possit etiam *praelatus inferior dispensare sine concessionem legislatoris.*»

257 III. Quare ne Papa quidem sine iusta causa dispensare potest in votis et iuramentis (aliud est in votorum *sollemnitate* tantum), aut in iis legibus divinis, quae eius potestati dispensatoriae concredita sunt; potest autem valide in omnibus legibus ecclesiasticis dispensare. Episcopus insuper nequit sine iusta causa dispensare in ulla lege Ecclesiae generali neque in legibus a provinciali concilio statutis, sed solum in legibus suis dioecesanis. Quinam autem in quibus rebus delegata potestate dispensandi fruuntur, tum ex *speciali* concessionem a superiore facta, tum ex consuetudine sumendum est.

Quare singulos praelatos ecclesiasticos considerare convenit, ut breviter, in quibus singuli dispensare possint, notetur.

258 I<sup>a</sup> quaestio: Quid possit *Summus Pontifex*. Papam dispensare posse in omnibus legibus ecclesiasticis, etiam Concilii generalis, immo in stricte apostolicis, per se cum luce clarius sit: solummodo quaeritur, quid possit S. Pontifex in legibus divinis.

Notandum est, quaedam iura divina, etiam positiva, secundum Dei voluntatem ita immutabilia esse, ut omni, etiam Pontificiae potestati subtracta sint; alia vero esse, quae non sint omnino immutabilia, sed quae in certis circumstantiis certis quibusdam causis dissolvi posse probetur. Quoad ea igitur iura seu leges, quae aliquando solubilia esse aliunde probatur, recte dicitur, etiam S. Pontificem vi supremae suae potestatis, occurrente iusta causa, ea solvere posse, sive: vota, professionem religiosam, matrimonium ratum tantum, matrimonium infidelium post alterutrius coniugis conversionem. Nam: 1) in singulis illis iuribus praxis Ecclesiae potestatem ostendit, ut suis locis notabitur; 2) verba Domini apud Mt 16, 19: «Quodcumque solveris etc.», eam amplitudinem habent, ut, quidquid pro gubernatione Ecclesiae et fidelium utilitate convenire possit, ex iusta causa S. Pontifex solvere valeat, modo ne Deus, absoluta indissolubilitate statuta, iudicaverit, id numquam convenire; at quae aliunde probantur secundum concessionem divinam aliquando re ipsa solvi, absolute indissolubilia non sunt, eaque in aliis quoque circumstantiis solvi, conveniens pro Ecclesia et fidelibus esse prorsus potest; ergo in iis circumstantiis concurrentibus secundum Pontificis iudicium dispensatio seu solutio concedi potest.

2<sup>a</sup> quaestio: Quid possit *episcopus*.

259

In remotioribus regionibus episcopi non raro ampla et amplissima privilegia vi facultatum *quinquennialium* et *triennialium* accipiunt: quorum tenorem quisque pro se videre debet, cum complures et diversae sunt formulae facultatum hoc modo communicatarum.

Seclusis illis privilegiis, alia iam possunt vi muneris sui ex consuetudine et consensu S. Pontificis, quem consensum in quibusdam rebus, ut conveniens servetur dioecesis gubernatio, sane dare debet. Re ipsa ita possunt dispensare in sequentibus cum subditis suis, quando particularis ratio occurrit:

1. In legibus communibus, quae frequenter occurrunt, ut in praeepto abstinendi ab operibus servilibus, audiendi Missam, ieiunandi etc.
2. In aliis, quae ad *cotidianam gubernationem* dioecesis spectant (cum clericis), nisi S. Pontifex ea sibi reservavit.
3. In omnibus legibus, in quibus cautum est: «donec dispensetur».
4. In votis et iuramentis, exceptis iis, quae S. Pontifex sibi reservavit.
5. In rebus gravioribus et rarioribus aliquando, vel etiam in iis, quas S. Pontifex sibi reservavit, si necessitas urget neque recursus ad S. Pontificem haberi potest. Vide *S. Alph.* I 190 191.

Cum vero dispensandi potestas, quam vi muneris episcopalis exercent,<sup>200</sup> ad subditos dioecesanos per se restringatur, videndum superest, quid possint ex consuetudine et consensu sive Rom. Pontificis, sive aliorum praelatorum erga peregrinos.

Ad hoc respondendum est: 1. Nulla est difficultas, si illi advenae in episcopi dioecesi habent *quasi-domicilium*; nam tum non tam peregrini sunt quam vere subditi. *S. Alph.* I 158, sent. 4.

2. Probabiliter etiam cum stricte peregrinis dispensare potest episcopus in votis et iuramentis. In communibus Ecclesiae legibus, a) si causa dispensandi transitoria est et quodammodo localis, dispensatio pro illo solo tempore dari certo potest, quo peregrinus est in dioecesi dispensantis; b) si causa est personalis et perdurans, probabiliter dispensari potest pro quocumque loco, modo ne causa ad externum forum spectet. Cf. *S. Alph.* ib. prima sent., et *Castropal.*, De leg. disp. 6, p. 7, § 2, qui quoad substantiam consentit; *Marc*, Instit. Alph. n. 235<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Videlicet multi hanc quaestionem solvunt ex eo, quod peregrini transitorie in alieno territorio versantes ex ipso ad hunc locum accessu superiori loci subditi evadant et ad loci leges teneantur, proin etiam ut habitualiter subditi dispensationem a legibus quibuscumque accipere possint. Ita *Suarez*, De leg. l. 3, c. 33; l. 4, c. 19 (cf. supra n. 235) et nostra aetate *Bouquillon* ib. laudatum. Quam quidem sententiam supra non sum secutus, immo reiendam esse censeo; nam certissimum est, peregrinos non evadere vero et *pleno* sensu subditos superioris territorii illius alieni. Attamen probabile est ex tot tantorumque virorum auctoritate, peregrinos quoad dispensationem a legibus communibus frequentioris usus sese superiori loci subicere posse, seu episcopos locorum, ubi peregrini versantur, cum episcopo domicilii peregrinorum pro horum superioribus transitorie posse haberi; ac proin horum superiorum facultatem dispensandi in eiusmodi rebus fieri saltem ex consensu Ecclesiae practice tutam, ex doctrina de iurisdictione probabili et de Ecclesia supplente planum fit.



281 3<sup>a</sup> quaestio: Quid *episcopus* possit *relate ad regulares*.

Cum generale principium sit, dispensari non posse nisi cum iis, qui aliquo modo subditi sint: difficultas in hac quaestione ex eo petitur, quod regulares (plerique) sunt a iurisdictione episcoporum exempti, neque ipsi volentes episcopo se subicere possunt, sicut per se possunt peregrini, siquidem exemptio regularium non tam singulorum favor est, quam in favorem Ordinis et in favorem S. Pontificis est data.

Unde id revera deduci debet, episcopum nullam dispensationem regularibus concedere posse nisi cum consensu superioris regularis, aut cum expresso consensu S. Pontificis. — Cum consensu autem superioris episcopum id posse, adeoque S. Pontificem non repugnare, quominus, servata debita subiectione et disciplina regulari, episcopus regularibus in sua dioecesi degentibus favores dispensatione concedere possit, etiam fatendum est. Sed cum hac in re praelati regularium vi privilegiorum id possint *personally* cum subditis suis, quod episcopi cum suis: propterea id fere solum relinquitur, ut regulares (superiores) eas dispensationes etiam pro se suaque domo accipere possint, quas episcopus generatim *pro tota dioecesi* concedit.

Cur autem sensu explicato facultas illa adesse censeatur, hae sunt rationes: 1. ne privilegium sit in odium privilegiatorum; 2. ne regularibus, occurrente necessitate, non sit satis provisum; 3. ex speciali concessione Mendicantibus a SS. Pontificibus data: *v. Laymann*, Conclusiones canon. de iurisdictione c. 2, n. 35; *Mazzotta* tract. 1, disp. 4, q. 1, c. 3, § «Quaeres quarto»; *Reuter* I, n. 244; item S. Offic. 20 Dec. 1871.

282 4<sup>a</sup> quaestio: Quid possint *praelati regularium*.

1. Possunt dispensare cum suis subditis, etsi *speciale* privilegium non adest, in legibus Ecclesiae communibus, ut ieiunio, abstinentia, observatione festorum aliisque rebus frequenter occurrentibus, etiam in votis (exceptis reservatis): sicut episcopus vi muneris sui cum suis subditis dispensat. Vide *Mazz.* l. c. c. 2, § «Quaeres quinto».

2. Id tamen nequeunt nisi in *singulis* causis, non possunt cum tota communitate, cum ne episcopi quidem id possint nisi ex *speciali* facultate a S. Sede data. Cf. S. C. Congr. 15 Dec. 1725; *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1310.

3. Ii, qui in casibus frequenter occurrentibus dispensare possunt, non solum mediati superiores sunt, sed etiam locales seu immediati superiores domorum seu conventuum, modo ex parte altiorum superiorum communicatio, si qua in certis ordinibus praescribitur, rite facta sit.

283 5<sup>a</sup> quaestio: *Parochi* quid possint.

Parochi solummodo ex consuetudine dispensare possunt cum suis parochianis in ieiunio ecclesiastico, et alicubi ad laborandum die festo, ut notat *Mazzotta* l. c. — Si quam vero habent maiorem facultatem, v. g. circa vota, hanc per delegationem ex parte episcopi se accepisse, probare debent. Cf. etiam *Marc*, Institut. Alphons. n. 234.

Interdum etiam omnibus *confessariis* ab episcopo tribuitur facultas amplius relaxandi legem ieiunii et abstinentiae. Alias, nisi episcopus hanc potestatem vere tribuit, hi dispensandi facultatem non habent, sed tantum declarandi, num adsit ratio per se excusans.



## § 2.

*Quae sint causae dispensationis.*

I. Quamquam, ut supra dictum est, ipse superior in sua lege va-<sup>264</sup> lide sine causa dispensat; id eum fecisse, non est sumendum. Si autem non «*ex motu proprio*», ut dicitur, sed «*ad instantiam partis*» dispensat — quod communiter fit —, ipsa petitio veritate niti debet, nisi in certis causis aliter statutum sit.

II. Invalida fit dispensatio, si falsitas vel error commissus est: 1. in alleganda re seu *obiecto* dispensationis; 2. in alleganda *causa motiva*; 3. in iis, quae ex stilo curiae in certis dispensationibus pro essentialibus habentur. Vide *Mazzotta* l. c. q. 2, c. 1.

III. Valor non tangitur, si petitio vera fuit eo tempore, quo dispensatio re ipsa datur, etsi tempore petitionis vera non fuit. (Vide *Pyrrh. Corrad.*, Praxis dispens. Apostol. l. 7, c. 6, n. 24.)

**Explicatio.** 1. Quam accurata obiecti determinatio ad valorem requiratur, melius exponitur, quando suis locis de certis dispensationibus quaestio instituetur. Hic solum notandum est, non valere dispensationem, si falso res *alterius speciei* allata est, etsi talis sit, in qua difficilius dispensetur, v. g. si in petitione dicitur adesse consanguinitatem, cum re adsit affinitas. Si in *eadem rerum specie* res gravioris momenti pro leviore allata est, dispensationem complures dicunt valere, ex eo quod minus contineatur in maiore; sed re ipsa ne id quidem constat: exemplum habes, si secundus gradus exprimitur pro tertio. *Certo* non valet dispensatio, si tertius dicitur pro secundo.

2. Causa, quae affertur, alia est motiva, alia impulsiva. *Motiva* est, quae<sup>265</sup> ipsum obiectum, a quo dispensatio petitur, circumstat, ita ut pro illa persona, quae dispensationem petit, legis obiectum cum maiore difficultate, incommodo, vel boni notabilis carentia coniungatur; quo fit, ut conditio huius personae ab aliorum subditorum conditione dissimilis evadat, ac dispensationem rationabilem reddat. — Causa *impulsiva* non est obiectiva et interna ratio dispensandi, quae dispensationem rationabilem et convenientem faciat, sed ea, quae superiorem impellat, ut id, quod aliunde est rationabile et conveniens, re ipsa velit et exsequatur, cum etiam nolle possit, aut ut libentius id exsequatur. Ita v. g. probitas, paupertas per se non sunt causae motivae, sed impulsivae; declinatio infamiae, inimicitiarum, scandali, quibus dispensatione occurritur, causae motivae sunt.

Porro commune principium est: Error vel falsitas in causa impulsiva per se irritam non reddit dispensationem; quamquam qui ad dispensationem impertiendam in certa causa delegatus est, si falsitatem deprehendat, ante dispensationem datam, ut licite dispensare possit, communiter recurrere denuo ad superiorem debet.

Similiter invalida non est dispensatio, quando in petitione aliquae causae motivae falso additae sunt, modo una causa motiva vera fuerit, *aeque talis*, quae in re, de qua agitur, pro causa canonica ex stilo curiae et consuetudine habeatur.

## § 3.

*De dispensationis interpretatione.*

I. Facultas dispensandi generalis (v. infra de privilegiis) seu non pro<sup>266</sup> certa et determinata tantum persona data large est interpretanda, tam-

quam res favorabilis. Ita *Suarez*, De leg. l. 6, c. 17, n. 11, qui eam dicit communem sententiam iuris canonici interpretum.

Quapropter ille, qui habet generalem facultatem dispensandi, quamquam delegatam, *si eam habet ut superior erga suos subditos*, etiam sibi ipse dispensationem ex causa iusta concedere potest. Vide *Filliucci* tract. 10, c. 10, n. 295 etc.; *Lacroix* l. 1, n. 799; *Reuter* I 247.

Ut vero, qui ex delegata potestate dispensat, dispensandi facultatem alteri subdelegare possit, requiritur aut 1. *expresse data* facultas subdelegandi, aut 2. delegatio ad totum officium ordinarium alterius supplendum, seu aliis verbis *delegatio ad universalitatem causarum*, ut officium vice-parochi, Vicarii vel Delegati Apostolici etc.

II. Ipsa dispensatio per se *strictae* interpretationis est, atque ita etiam ea potestas dispensandi, quae non est facultas dispensandi habitualis, sed potius commissio et mandatum dispensandi in certa et singulari causa. *Suarez* l. c. n. 7 sqq.

Ratio est, quia dispensatio, utpote contra legem communem, tamquam odiosum quid consideratur, et *vulnus legis* dicitur.

Attamen excipitur ab hac stricta interpretatione, et large sumitur

1. dispensatio, quae a legislatore datur «*motu proprio*»;
2. dispensatio, quae *ad bonum commune* seu publicum conceditur;
3. dispensatio, quae utcumque *communitati* datur, non singulari personae;
4. dispensatio quaelibet, si qua est, *corpori iuris inserta*.

Cf. *Mazzotta* tract. 1, disp. 4, q. 1, c. 1; *Salmantic.*, De leg. c. 5, p. 4, § 3 in fine; *S. Alph.* I 194.

III. Dispensatio praesumpta locum habere nequit, sed vere debuit esse data aut expresse *aut saltem tacite*. Nam obligatio legis vere debuit esse soluta; quod fit sola voluntate superioris: ergo voluntas superioris vere intercedere debuit. — In rebus autem minoris momenti facilius per modum epikiae aliquando procedi potest.

#### § 4.

##### *De cessatione dispensationis.*

267 Dispensatio, sicut a superioris voluntate pendet concedenda, ita etiam conservanda. Quare:

I. Dispensatio cessat revocatione a proprio legislatore *utcumque facta*; revocatione eius, qui ex delegata potestate dispensationem concesserat, tantummodo si *ex iusta causa* fit, secundum quod ei ab altiore superiore concessum est.

Legislator ipse nimirum, sicut non tenebatur dispensationem concedere, ita etiam pro arbitrio et libitu eam valide revocare potest. Ut vero licite id faciat, aliqua iusta causa requiritur. — At delegatus nequaquam sine iusta causa dispensationem legitime datam revocare potest<sup>1</sup>: siquidem, quod

<sup>1</sup> Si tamen ex potestate iurisdictionis similem actum *sua* auctoritate praecipere potest et praecipit, habes, quod fere aequivalet dispensationis revocationi, et subditus *vere ligatur*.

dedit, nomine delegantis dedit, cuius donum revocare nequit nisi secundum illius voluntatem; sed arbitrariam et irrationabilem revocationem doni nequaquam secundum eius voluntatem esse intelligi debet. — Neque ea dispensatio, quae unico actu totum obligationis vinculum penitus aufert, revocari potest. — Sequitur etiam, dispensationem a voto legitime et sensu absoluto concessam a nullo revocari posse.

II. Cessat dispensatio renuntiatione eius, qui dispensationem accepit, modo illa renuntiatio a superiore accepta sit.

Nisi enim superior *renuntiationem acceptaverit*, impossibile est, per subditi voluntatem vinculum legis iterum induci.

III. Cessare potest dispensatio, cessante fine.

208

Nimirum dispensatio, etsi iam data est, eiusve usus inceptus, *si tractum successivum habet*, cessat cessante totaliter causa motiva. Habet tractum successivum, si in singulis vicibus, quibus legis observatio per se urget, causa iusta adesse debeat, ut is, qui dispensatus est, a legis obligatione licite eximatur.

Si vero effectus dispensationis indivisibilis uno actu productus est, propter causam motivam cessantem dispensatio ipsa non corrumpitur; immo in omnibus casibus, quando dispensationem absolute datam esse iudicari debet, etiam, postquam causa motiva cessavit, dispensatio persistit.

Quare: 1. dispensatio a ieiunio propter infirmam valetudinem, si totaliter infirmitas evanuit, non amplius subsistit. — Simile quid dic de dispensatione a recitando divino officio propter infirmitatem.

2. Dispensatus ab impedimento matrimoniali consanguinitatis dispensatus manet, etsi postea, ante initum matrimonium causa motiva cessavit; similiter qui dispensatus est ab irregularitate ex causa motiva paupertatis. Nam supponere debemus, legislatorem velle, modo tempore dispensationis causa subsistat, absolute irregularitatem, impedimentum ecclesiasticum auferre; neque reviviscit vinculum sublatum sine nova voluntate superioris declarata. Cf. *S. Alph.* I 196; *Suarez*, De leg. l. 6, c. 20 et l. 8, c. 30; *Laymann* l. 1, tract. 4, c. 22, n. 15 16; *Reuter* I 249 250.

*Suarez*, *Laymann*, alii id eodem modo dicunt de voto v. g. castitatis<sup>269</sup> dispensatione sublato. Quod universim non approbo, quamquam externa adest probabilitas. Nam in hoc casu puto plane videndum esse utrum causa totaliter cessaverit necne. Si v. g. dispensatio facta est a voto castitatis ad ineundum matrimonium cum puella a petente dispensationem violata et gravida facta, mortua prole subsistit dispensatio, si causa dispensandi erat tum proles legitimanda tum honor puellae servandus — quod communiter obtinet —; non amplius subsistit, meo iudicio, si sola causa fuit proles legitimanda; quare et votum castitatis reviviscet neque matrimonium licebit inire. Minus etiam subsistit relaxatio a voto, si puella fuerit mortua; immo si ex quacumque causa ad ineundum *certum* matrimonium a voto dispensatur, generatim sic dispensatur, ut post matrimonium coniuge mortua votum reviviscat. In hac enim causa iudicari non licet sicut in lege mere humana, liberalitati principis convenire beneficium absolute concedere neque donum collatum retractare. Nam si agitur de votis, versamur in causa iuris divini; neque videtur potestatis humanae esse obligationem iuris divini relaxare nisi dependenter a causa iusta, ita ut onus perpetuum neque conditionate tantum

assumptum relaxari non possit, nisi causa et existente *et perdurante*. Ita consentio cum *Th. Sanchez*, De matrimonio l. 8, disp. 30, n. 14; *Coninck*, De matr. disp. 33, n. 99 et 102; *Bonacina* disp. 1, q. 2, p. 10, § 1, n. 5.

Dictum est «causa motiva *totaliter* cessante». Quando enim causa ex parte manet, dispensatio in omni causa, etiam in ea quae habet tractum successivum, debet persistere: aliter enim res innumeris scrupulis exponeretur; neque eam esse superioris voluntatem putandum est, ut, antequam causa exemptionis plene desinat, obligatio iterum incipiat.

\* \* \*

270 Scriptores non omnes conveniunt in assignanda regula, qua discernatur utrum, cessante causa motiva, dispensatio etiam cesset necne.

Regula haec a multis proponitur: «Si dispensatio *absolute* concessa est, dispensatio permanet; si vero hypotheticae seu *continuo dependenter a sua causa*, cum causa motiva corruiit.» — Quae regula verissima est. At difficultas est in eo, ut discernatur, quando absolute data sit dispensatio, quando non item. Ad aliquale criterium statuendum id servit, quod supra dictum est cum *Suarez*, absolute datam censi eam dispensationem, cuius effectus indivisibilis sit et unico actu producat. Tamen semper attendendum est ad mentem legislatoris aut expressam aut prudenter intellectam.

### *Articulus III.*

#### De legis abrogatione et derogatione.

271 *Abrogatio* est totalis legis revocatio a superiore facta, *derogatio* vero particularis eius revocatio. Aliquando tamen distinctio illa non tam stricte attenditur. Abrogatio seu derogatio potest aut ab ipso superiore oriri, aut a subditis materialiter oriri et a superiore compleri.

De utroque modo pauca notanda sunt.

#### § 1.

##### *De abrogatione, quae ab ipso superiore oritur.*

I. Solus superior, qui legem condere potest, potest eam abrogare. Quare legislator suas leges, leges antecessorum et subditorum abrogare valet: nemo autem potest leges sui superioris abrogare.

II. Abrogatio potest fieri explicite, aut implicite seu tacite. De posteriore, quatenus per leges supervenientes fit, haec observa:

1. Lex particularis, in iure communi non contenta, lege generali contraria non abrogatur, nisi derogationis particularium legum expressa mentio fit. Ratio est, quia legislator illas particulares leges non censetur omnes cognovisse, neque earum convenientiam et necessitatem: quare nisi expresse eas aboleat, eas in suo vigore relinquere censendus est. V. g. lex generalis, quae prohibeat pluries in die celebrare, non abolet particularem aliquorum locorum legem, qua liceat ibi in die Omnium defunctorum celebrare pluries.

2. Neque *ullae* leges particulares, quae speciali quodam pacto aliove robore firmatae sunt, generali aliqua legum vel legum particularium abrogatione comprehenduntur, nisi illarum *expressa* mentio fit, v. g. per clausulam «non obstantibus legibus et iuribus ullis *etiam speciali mentione dignis*».



3. Leges priores in tantum abrogantur lege posteriore, in quantum lex posterior iis contradicit. In quantum ergo sensus utriusque legis sine violenta interpretatione servari potest, in tantum utraque lex subsistere dicatur oportet.

III. Quamquam inferior leges superioris abrogare nequit, conceditur tamen aliquando, ut earum obligationem pro tempore suspendere possit, ut iam supra dictum est n. 217.

## § 2.

### *De abrogatione, quae a populo incipit, seu de desuetudine.*

I. Praeter abrogationem a superiore solo perfectam locus est alteri<sup>272</sup> abrogationi, quae consuetudine populi nimitur. Consuetudo enim et legem condere et legem abrogare potest, idque non vi solius consuetudinis, sed accedente superioris consensu. Verum consensus minime requiritur expressus, sed ille consensus *generalis* sufficit, quo superior diuturnos populi seu communitatis mores, etsi sibi non cognitos, approbat, modo certis conditionibus muniti sint. Qui consensus *legalis* dicitur.

II. Ut igitur consuetudo legi contraria seu desuetudo legem abroget vel ei derogat, sequentes requiruntur conditiones<sup>1</sup>:

1. ut sit consuetudo *rationabilis*,
2. ut sit a *communitate*, i. e. a maiore vel potiore parte introducta,
3. ut procedat *ex opinione iuris* aut existentis aut acquirendi,
4. ut sit *satis diuturna*.

De quibus cf. *S. Alph.* I 107—110; *Salmantic.* tract. 11, c. 6 et tract. 13, c. 5; *Suarez*, De leg. l. 7; *Mazzotta* tract. disp. 3; *Bouix*, De principiis iuris can. p. 2, sect. 6.

III. Singulae conditiones explicandae sunt.

273

1. Ut consuetudo sit *rationabilis*, non sic intelligitur, quasi ex omni parte rationabilis esse debeat, expers ab omni peccato; id enim non requiritur, sed sufficit, ut sit rationabilis *in se*, seu in se communitati conveniens.

<sup>1</sup> Similiter, ut consuetudine lex inducatur, haec requiruntur:

1. ut sit *honestae et utilis*, quia ad rem non honestam vel ad inutilem obligatio existere nequit;
2. ut introducta sit a *communitate*, non a paucis tantum;
3. ut *libere* introducta sit cum animo se obligandi; ergo neque ex errore, quia subditi putabant se iam aliunde ligatos esse; neque ex mera devotione, nolentes obligationem veram contrahere. Immo in dubio standum est pro libertate, scil. voluisse subditos ex sola devotione quaedam observare.

Attamen si agatur v. g. de inducendo aliquo festo, atque populus communiter de iis paucis, qui forte diem illum non observent, male sentiat, atque etiam superiores id graviter ferant: negari nequit, haec esse indicia tam gravia, ut intentionem producendae obligationis probent.

4. Ut sit *diuturno tempore observata*. Communiter assumitur decennium pro tempore, quod requiratur et sufficiat.



Difficilius haec conditio verificatur, si lex omnem contrariam consuetudinem pro futuro tempore prohibet, eamque irrationabilem declarat. Attamen ex iis, quae docent *Suarez*, *Salmant.*, *S. Alph.* II. cc., haec statuenda videntur:

1) Si lex tantum *prohibet* consuetudinem futuram contrariam, nondum fit, ut, si re ipsa tamen consuetudo illa oriatur, ea legem abrogare nequeat.

2) Si declaratur insuper consuetudo contraria *irrationabilis* eo sensu, ut sit *contra legem naturalem* vel *divinam*, eiusmodi consuetudo numquam fieri potest rationabilis, neque legem abrogare unquam valet.

3) Si declaratur irrationabilis propter temporum conditiones: relinquitur, ut, mutatis temporibus, evadere possit rationabilis. Quare, etsi difficilius, tamen revera potest eiusmodi consuetudo legitima fieri adeoque legem abrogare eive derogare. (Cf. *S. Alph.* I 107 et 108.)

Numquam vero censetur ea consuetudo rationabilis teste *Bened. XIV*, Constit. «*Declarasti*» 16 Martii 1746 § «*Parochi postremo*» et «*Praescriptionem*», quae induceret exemptionem a lege exorbitantem, seu talem, quam legislator nemini unquam concedere consueverit.

2. Secunda conditio (ut sit consuetudo a communitate producta) propterea requiritur, quia aliter non habetur mos populi, quem legislator sartum tectumque servare velit.

274 3. Conditio tertia a diversis diverso modo intelligitur. Quidam sunt, qui putent, consuetudinem legis abrogantem non fieri, nisi populus *sciens* legi se subducere nisus sit, adeoque ab initio peccando seu *mala fide* legem infregerit: ita *Suarez*, De leg. l. 7, c. 18, n. 8. Alii contra *per modum praescriptionis* rem considerantes *bonam fidem* exigunt, ita ut populus non possit nisi legem nesciens eius abrogationem perficere. At nequaquam cum praescriptione seu cum iuris per praescriptionem acquisitione legis abrogatio aequiparanda est. Quare id tandem statui debet, *sufficere utrumlibet*, sive mala sive bona fide lex diu observata non fuit cum animo obligationi non subiacendi. Ita *Lessius*, De iust. etc. l. 2, c. 6, n. 45<sup>1</sup>, et clarius *Tambur.*, In decal. l. 8, tract. 1, c. 4, n. 11, cum *Lugo*, De iustit. et iur. disp. 7, n. 96.

4. Quarta conditio est temporis spatium sufficiens. Secundum *S. Alph.* I 107 probabile est, legem etiam ecclesiasticam decenniali desuetudine abrogatam esse, si nihil nisi temporis diuturnitas adsit, ex quo legis abrogationem perfectam esse iudicari possit: si vero ex aliis indiciis de consensu tacito legislatoris constat, tempus etiam brevius sufficere posse.

Multi quidem scriptores spatium quadraginta annorum ad legem ecclesiasticam abrogandam requirunt, sed innixi *falsa* comparatione praescriptionis cum legis abrogatione. Quae si vera esset, ad legem a Rom. Pontifice latam, ut facile aliquis concludere posset, requireretur spatium centum annorum; tot enim anni ad praescribendum contra bona ecclesiae Romanae requiruntur. At nemo est, qui de tam diuturno temporis spatio cogitet.

275 IV. Consuetudo non tantum legem ut immediate in conscientia obligantem abrogare potest, sed etiam legem irritantem: vel consue-

<sup>1</sup> *Lessius* quidem ib. n. 46 *bonam fidem* requirit in ea consuetudine, quae *per modum praescriptionis* vim obtineat, aliter in ea, quae inducatur sciente superiore. Verum negandum est, consuetudinem, etsi nitatur in solo consensu superioris *legali* sine eius cognitione speciali, regulas sequi debere praescriptionis.

tudo potest actus per legem irritos validos reddere, et validos irritos facere.

NB. Fieri etiam potest, ut, manente legis obligatione, desuetudine poena legalis auferatur; quia consuetudo sicut contra totam legem, ita contra eius partem tantum oriri et perfici potest. Vide *S. Alph.* I 108. Aut e contrario legem mixtam desuetudo in mere poenalem commutare potest, aut legem obligantem in mere directivam non per se sub culpa obligantem convertere. Vide *Salmant.* tract. 11, c. 6, n. 40 et tract. 15, c. 5, n. 163; *Marc* n. 261.

#### Articulus IV.

##### De cessatione legis propter finem cessantem.

Cum abrogatione legis per consuetudinem effecta cohaeret cessatio<sup>276</sup> propter finem cessantem. In utroque enim casu fit, ut lex non iam utilis existat; in priore extrinsecus quodammodo utilis esse desinit, intrinsecus in altero. Si vero intrinsecus inutilis facta est, conditione essentiali deficiente, ipsa lex deficere debet.

Ut vero rite intelligatur illa legis cessatio, haec attendi debent:

I. Cessante fine legis *totaliter* pro communitate, lex ipsa utpote inutilis cessat. *Reuter* I, n. 201.

II. Cessante fine legis ex parte tantum, lex ex hac ratione nullatenus cessat, siquidem inutilis non evasit. *Elbel* I, n. 415.

III. Cessante fine legis totaliter pro aliquo subdito singulari, ne ille quidem a legis observatione eximitur, nisi forte lex cessat «*in contrarium*», i. e. nociva et nimis difficilis evasit: *Reuter* n. 2 cum *communiore sententia*, ita ut contraria sententia «*in praxi vix locum habere possit*».

Quare ex hoc solo principio (III) nullatenus illi libros prohibitos legere<sup>277</sup> licet, qui sibi nullum periculum timet. Nam 1. quisnam ab omni periculo se liberum existimare potest? 2. Attamen si sit ita, obstat regula modo data, siquidem lex fertur et viget pro omnibus communitatis membris, quamdiu utilis est *communitati*; 3. neque periculum, quod vitandum sit, sola ratio est, cur Ecclesia libros quosdam prohibere possit et prohibeat: in solum odium auctorum potest eos prohibere.

Hinc ne ii quidem scriptores, qui putant, cessante legis fine in particulari, etiam legis obligationem cessare, audent asserere, licitam esse librorum prohibitorum lectionem iis, quibus periculum non sit pertimescendum: atque merito talis opinio, quae illam licitam esse statuat, ut improbabilis et laxa reicitur.

Ceterum in iis rebus, in quibus *vere adaequatus* finis legis cessat, in extraordinariis circumstantiis fieri posse, ut obligatio in particulari causa non amplius urgeri debeat (quodammodo per epikiam), *S. Alph.* I 199 auctor est: «Si vero aliquando casus accideret, quod aliquis omnino certus et securus esset, abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem, (eam) sententiam (quae putat, cessante fine adaequato in casu particulari, legem cessare) improbare: sed huiusmodi casus rarissime poterit evenire.»

Recentius quidem nata est quaedam opinio viris doctis v. g. theologis professoribus et scriptoribus, qui nosse debeant aliorum errores,

tribuendi facultatem legendi libros alioquin prohibitos. Eos per se a lege ecclesiastica eximi, dici nequit; attamen ratio urgens est, cur petentes recipiant legendi facultatem; immo impossibile non est, ut evadat lex vel consuetudo, qua cum ipsa institutione canonica in officium docendi simul legendi istos libros facultas intelligatur concessa.

### Caput V.

#### De praecipuis legum speciebus generalis tractatio.

Praecipuas legum species supra cap. I enumeratas habes. Quae de legibus universim spectatis hucusque diximus, ad singulares species suo modo applicanda sunt: quarum applicationum complures iam in superioribus capitibus invenies. Verum restat, ut pauca peculiariter notanda addamus.

#### § 1.

##### *De lege aeterna et naturali.*

278 Ad Deum Eiusque voluntatem omnem demum legem reduci cap. I ut indubitatum sumpsimus, atque pro scopo nostro sufficere duximus, rationem philosophicam et theologicam breviter indicare.

##### A. De lege aeterna:

I. Lex aeterna dicitur ordinatio divinae voluntatis, qua pro sua sapientia et sanctitate hypothetice necessario creaturas certo modo, earum naturae consentaneo, ad Se tamquam finem dirigi et gubernari, ab aeterno constituit. — Providentia ipsa divina hanc normam ab aeterno conceptam in tempore exsequitur atque ad singulas creaturas et facta applicat.

II. Lex aeterna nondum est sensu completo lex quoad nos; ex parte Dei legislatoris autem omnia legis elementa adsunt, quibus perfectissime sine ullo defectu ordo recti statuitur atque comprehenditur.

III. Haec lex aeterna fundamentum est et fons primo quidem legis naturalis, dein omnium aliarum legum; quae ut vere sint leges, ad legem aeternam debent posse suo modo reduci. Cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 93, a. 2.

279 I. Deus scilicet, cum omnia, quae in tempore fiunt, iam ab aeterno apud se concluderit, in creandi voluntate libere concepta etiam velle debuit, ut omnes creaturae secundum propriae ipsarum naturae convenientiam ad Se tamquam ad finem dirigerentur atque ordinem suae sapientiae et sanctitatis servarent. Quae divina voluntas irrationabilibus creaturis indeclinabilem necessitatem pro natura statuit, rationabilibus creaturis, sumimus hic hominem, libertatem sic reliquit, ut illae, prout se libere divinae voluntati conformaturae aut ei restiturae essent, *suae ipsarum* felicitati aut miseriae consulerent, *Dei* consilia atque fines ultimos non eluderent. — Nihilominus Deus primo et per se eam ordinis rectitudinem vult, qui cum hominis felicitate coniungitur, ordinem vindicativae iustitiae tantummodo per accidens atque consequenter ad ordinem rectitudinis laesum intendit.

Lex aeterna quidem (quae utique non una solum lex, sed potius legum est complexus) dicitur etiam de illis legibus divinitus praeconceptis, quas

creatix atque gubernatrix Dei sapientia irrationabilibus creaturis praestituit: attamen praecipue dicitur ea, quae moralem ordinem ab hominibus servandum respicit.

II. Legem aeternam non esse quoad nos sensu completo legem, ex eo<sup>280</sup> patet, quod ad legem requiratur promulgatio communitati, cui lex fertur, facta. Verum haec in lege aeterna, qua aeterna est, non habetur, neque haberi potest: consistit enim in sola mente divina.

Elementa igitur legis ex parte solius legislatoris adesse possunt eaque adsunt perfectissime; nondum adsunt elementa, ut more scholastico loquar, ex parte termini, ad quem lex aeterna tendit. Quod ut intelligatur, sufficit attendisse ad definitionem legis a S. Thoma datam: «lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata».

Nimirum habes 1) *rationis* ordinationem, i. e. rationis divinae sapientissimae; 2) *ordinationem* rationis, quae voluntatis imperium includit, Deus enim sanctissima voluntate vult et plane velle debet servari ordinem, idque vult ab aeterno; 3) ordinationem eius, *qui habet curam communitatis*, i. e. supremam curam atque absolutum dominium totius universitatis, quae tota in unum finem collimare debet; 4) *promulgatio* sola terminative nondum adest, at *causaliter* utique iam existit, siquidem eadem voluntate creatrice, qua Deus ab aeterno libere decrevit, ut mundus cum rationali creatura fieret in tempore, etiam ordinis recti servandi necessitatem cognoscibilem atque manifestam fieri voluit.

Praeterea lex aeterna perfectissime ordinem rectum exhibet, utpote in mente divina existens; neque in minimo a norma veri et recti deficere potest, cum Deus ipse divinaque mens omnis recti et veri indeficiens fons sit atque norma.

III. Legem aeternam fundamentum et fontem esse legis naturalis, nihil<sup>281</sup> aliud est dicere, nisi legem naturalem reduci debere ad divinam mentem et voluntatem, unde hauriat vim vere et perfecte obligandi. Quod ita esse cuilibet consideranti per se manifestum est, cum Deus *omnis Esse*, et physici et moralis, indeficiens fons sit atque origo.

Immo ne Deum quidem fateri in antecessum opus habet, qui legis naturalis fundamentum quaerit, sed ex ipsa legis naturalis perceptione, ut Deum esse cognoscat et fateatur, adigitur. Nam in comperto est, hominem ratione utentem saltem quaedam ita concipere ut mala, ut ea mala non esse etiam volens iudicare nequeat, neque ea ipsa sibi illicita atque prohibita esse negare possit. Quae iudicia, cum a nullo, qui humanae naturae particeps est, possint excuti, necessario indicant superiorem, qui in omnes homines totamque rationalem creaturam indeclinabile imperium exercent: qui est Deus sub conceptu legislatoris.

Quo fit, ut iisdem fere verbis invenias legem aeternam et legem naturalem descriptam. Vide *S. Aug.*, Contra Faust. l. 22, c. 27 (ML 42, 418): «Lex aeterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, et perturbari vetans.»

At etiam omnium aliarum legum lex aeterna est fundamentum. Nam in naturali lege omnes leges aliquo modo niti debent, ut c. I expositum est; ergo cum lex naturalis in aeterna lege fundetur, omnes leges positivae sive divinae sive humanae, modo vere sint leges, ab aeterna lege dependent.



## 282 B. De lege naturali:

Lex naturalis, cum ad elementa legis aeternae hanc determinationem additam habeat, ut sit in natura rationali et per eam manifestata, eo ipso a perfectione summa aeternae legis deficit. Creatura enim rationalis lumen divinae rationis perfecte exhibere seu reflectere nequit: quo fit, ut, quod intellectu nostro ex nostra natura, quantumvis cogitemus, colligimus, non in omnibus rebus difficillimis divinae mentis regulis respondeat, sed in multis obscurum aut ignotum manere debeat. Quae igitur pro humana mente prorsus insolubilia manent, neque divina fortasse ope praestita re solvuntur, radicaliter quidem ad legem naturalem pertinere possunt, formaliter non pertinent, eo quod deest sufficiens promulgatio. Id quod alii fere sic exprimunt, ut dicant, ea pertinere posse ad legem Dei antecedentem, non vero ad consequentem.

Ceterum de lege naturali, qua, natura duce, intrinsecus mala prohibita, necessaria bona praecepta esse cognovimus, fusiora vide in philosophia seu ethica naturali. Pauca tantum de eius cognitione deque eius immutabilitate hic notanda occurrunt:

283 I. *Ignorantia legis naturalis* quoad prima principia proximasque conclusiones in homine evolutae rationis saltem diu invincibiliter atque inculpabiliter existere nequit; existere tamen potest quoad conclusiones non tam obvias; immo in conclusionibus valde remotis omnis ignorantia vix potest abesse.

1. Aliqua summa principia legis naturalis non cognoscere impossibile est, sicut impossibile est, hominem ignorare summa principia veritatis theoticae. — Aliquae etiam sunt conclusiones valde propinquae, quae diu inculpabiliter ignorari nequeunt, cum sponte sese offerant cum stimulo conscientiae saltem dubitantis et dictantis obligationem non temere procedendi. Cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 93, a. 2 et q. 94, a. 6. At harum veritatum oblivio vel obliteratio per ipsa crimina criminumque consuetudinem fieri potest, ut ex ep. ad Rom c. 1 *S. Thom.* l. c. infert.

Cf. Rom 2, 14: «Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.» Ergo etsi positiva lege divina careant, naturali lege eos convincente non carent.

*S. Ambros.*, Epist. 73, n. 3 (ML 16, 1251): «Ea lex non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua praecipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur.»

284 2. *Practica quaestio* circa ignorantiam legis naturalis esse potest, num homo rudis, *qui malitiam externi operis* (v. g. fornicationis) *novit*, invincibiliter (i. e. ita ut ne sufficienter quidem dubitaverit) ignorare possit malitiam peccati mere interni circa tale opus.

Qua in re dicendum est, talem ignorantiam, saltem si agitur de efficaci desiderio, admitti non posse: quare practice in confessionibus excipiendis confessarius praesumere debet, cognitionem confusam sufficientem adfuisse. — Verum si quaeris de meris cogitationibus pravis vel quodam desiderio inefficaci seu velleitate: non semper quidem fidendum est, sed neque semper diffidendum poenitentis rudis testimonio dicentis, se haec non habuisse pro



graviter illicitis. Cf. *Lacroix* l. 1, n. 35; *S. Alph.*, De consc. n. 9; *Gury* I, n. 123.

Ceterum si de ipsis externis actionibus illicitis agitur, rudes homines sane ignorare possunt, quae aliis sunt obvia. Ita ignorari potest malitia mendacii officiosi; a puero pollutionis malitia potest nesciri etc. (Vide etiam *Bouquillon*, Theol. mor. fund.<sup>3</sup> n. 79.) Immo in multis eiusmodi rebus ignorantia esse potest apud eos, qui christiana et ingenua educatione numquam imbuti sunt.

II. *Immutabilitas legis naturalis.* Lex naturalis in se immutabilis<sup>285</sup> est et universalis, neque dispensationem proprie dictam patitur: fieri tamen potest, ut, mutata materia, desinat aliquid esse legis naturalis, quod alias esset. Cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 94, a. 5.

1. Ex ipso scilicet conceptu legis naturalis (siquidem ea dicitur, quae necessario praecipienda prohibendave esse ex rationali natura colligatur), plane sequitur, legem naturalem tam late patere, quam patet rationalis humana natura. Natura autem immutabilis est et universalis; ergo etiam lex naturalis tum ad omnes homines pertinet, tum immutabilis semper manet.

Idem colliges ex eo, quod lex naturalis legis aeternae proxima applicatio sit. Quare sicut lex aeterna, ita naturalis immutata manet, summum mutari potest maior minorve legis naturalis *cognitio*.

Impie errant, qui bonum et malum obiectivum et immutabile nihil agnoscunt, sed omne bonum et malum in mutabili conditione et consuetudine hominum reponunt: hi ex vano errore atheismi et materialismi vel evolutionismi aut proficiscuntur aut ad eum prolabantur.

2. Hinc etiam fit, ut dispensatio proprie dicta, ne dicam ab ullo homine, ne a Deo quidem concedi possit: Deus enim neque malum morale ullum committendi licentiam dare, neque, quod intrinsecus malum est, pro sua voluntate non malum reddere potest.

Quare, si qua exempla quandam dispensationem prae se ferre videntur, prorsus alia explicatio danda est, nimirum *mutationem obiecti* legis esse factam. Quod ut magis intelligatur, attende, tria esse genera obiectorum, quae legis naturalis prohibitioni subsunt:

- 1) Sunt obiecta, quae in se et propter se mala sunt; — haec igitur numquam evadere possunt non-mala, nec licita.
- 2) Sunt obiecta, quae in se quidem, at non propter se, sed propter<sup>286</sup> periculum coniunctum mala sunt atque illicita; — haec, si periculum auferri vel diminui potest, evadere *possunt* non-mala.
- 3) Sunt obiecta, quae in se et propter se quidem mala sunt, at non absolute et immediate, sed propter conexum ius alienum; — quare qui in illud ius potestatem habet, eandem actionem materialem, quae alias illicita esset, licitam reddere potest; immutata manente lege naturali, quae solum prohibet alienum ius, quamvis ius manet, laedere.

Ex qua observatione patet, Deum potuisse vel posse bona unius, hoc etiam invito, alteri tradere; posse longe ampliore potestate, quam humana ulla auctoritas vindicandi causa potest, in hominis vitam et necem dominium exercere sive per se, sive per alterum. Neque haec (cf. *Koch*, Moralth. § 21) dispensationem a lege naturali dicunt.

Quomodo explicetur permissio divortii et polygamiae in lege Mosaica, vide in tractatu de matrimonio vol. II.

3. In tertio genere obiectorum ipsa humana auctoritas aliquid potest, non pro arbitrato quidem, sed pro exigentia boni communis. Unde etiam facile intelligitur, legem naturalem, si *permittentem* sumimus vel quae libertatem singulis tribuat ad certos quidem actus, mutari utique seu restringi posse per auctoritatem publicam.

## § 2.

### *De legibus, quae iuris gentium dicuntur.*

287 Ius, etsi potius id dicit, quod alicui competit adeoque quod facultatis est, quam quod est obligationis: tamen, quia cum unius facultate obligatio alterius conexa est, ius etiam ad ea, quae obligationis sunt, extenditur: quare ius obiective sumptum pro complexu legum intelligitur, quibus, quid possint, quid debeant homines, determinetur. Nos hoc loco ius gentium sub hoc respectu consideramus, quatenus obligationes quasdam sive directe sive indirecte imponit.

I. Ius gentium alii aliter intelligunt. Historicum conceptum iuris gentium recentiores iurisperiti a Romanorum consuetudine repetentes dicunt, ius gentium fuisse collectionem iurium, quae Romani secundum aequitatem gentibus subactis, quas ad civitatem Romanam non admittebant, concedere consueverint: *Puchta*, Institutionen § 85. At philosophicum conceptum inquirentes aliqui *ex materia*, de qua agit, illud definiunt atque ea dicunt esse iuris gentium, quae iura omnibus ubique fere communia expriment aut mutuam inter gentes relationem determinant: adeoque leges atque iura internationalia fere cum iure gentium convertunt. Quod hodiernis scriptoribus praeplacet.

Quodsi sumis hunc sensum, ea quae sunt iuris gentium, formaliter non distinguuntur a naturali iure aut a positivo iure humano, sed ad unum aut alterum referenda sunt; circa mutuam enim inter gentes relationem ius naturale certissime aliquid praescribit, neque repugnat, positiva additione haec praecepta aucta esse.

288 II. Alii non negant, ius gentium ad utrumlibet **ius** aut naturale aut positivum ultimatim reduci, atque fatentur, materiam iuris gentium eam esse, quae aut gentium mutuam aut hominum communem utilitatem respiciat; tamen formale discrimen, saltem imperfectum, a lege seu iure naturali atque etiam a reliquis legibus positivis existere docent: siquidem *proximus* fons obligationis adeoque proxima auctoritas praecipiens non sit plane eadem. Nimirum ius gentium dicunt 1) non *immediate* fundari in *necessitate naturae humanae*, ut legem naturalem, sed in voluntate humana; 2) ita tamen a reliquis legibus humana voluntate inductis distingui, ut aut non per legislatorem impositum, sed usu et consuetudine inductum et implicita pactione universim receptum vim legis obtinuerit, aut, si per legislatorem impositum, tamen non pro arbitrato, sed cogentibus eiusmodi rerum adiunctis et factis, quae pro singulis quidem hominibus a libertate pendent, sed in genere humano ex eius conditione et moribus ubique necessario oriuntur. Quare aut mediata quadam et morali necessitate, aut summa convenientia ex ipsa humana natura huius iuris gentium regulas profluere fatentur, ita ut natura duce omnes quasi in illas leges conspiraverint. Quae fuit veterum doctrina. Cf. *S. Thom.* 1, 2, q. 95, a. 4; *Soto*, De iust. l. 3, q. 1, a. 3; *Suarez*, De leg. l. 2, c. 19; *Rebell.*, De iustitia p. 1, l. 1, q. 2, sect. 4; *Reiffen-*

*stuel*, Ius can. prooem. § 2, n. 30; *Pichler*, Ius. can. proleg. n. 17, etiam *Bouix* p. 1, sect. 1, c. 5.

At observari licet, secundum explicationem hanc ex sensu veterum scriptorum theologorum datam non omnes leges eodem modo iuris gentium esse, neque eodem modo eas iuris positivi dici posse. Si enim ea consideres, quae propter conditionem humani generis ubique existituram fieri *debuerunt*, ea certo quodam sensu iuri naturali potius quam positivo adnumereres, e. g. divisionem bonorum. Eiusmodi leges *Pichler* l. c. expresse vocat iuris gentium «*improprie talis*»: apud *Rebell*. vero invenies, veteres dicere consuevisse, *illas leges esse indicative seu imperativae iuris naturalis, exsecutivae a iure gentium positivo*<sup>1</sup>.

Quamquam igitur complura praecepta iuris gentium ius positivum et conventionale dicuntur, tamen non omnia sic vocari vero et proprio sensu licet. Immo etiam in iis praeceptis, quae veteres scriptores conventionalis iuris esse fatentur, cave ne hanc vocem eodem sensu accipias, sicut moderni scriptores, quando ius gentium distinguunt in necessarium et conventionale. Conventionale enim hi dicunt, quod formali conventione inter multas civitates constitutum sit circa mutuum earum atque civium relationem; «necessarium» autem non de solis legis naturalis praeceptis circa hanc relationem mutuum intelligunt — immo plures ne agnoscunt quidem hanc necessariam naturalem legem —, sed de iis, quae ad faciliorem hominum convictum necessaria communiter visa sunt atque fere ab omnibus recepta. Ita *Bluntschli*, *Völkerrecht*, Einleitung et Buch I, § 1.

III. Ius gentium igitur, in sensu n. II sumptum, non in omnibus, ut 289 lex naturalis, prorsus est immutabile. Usus enim et consuetudinem id, quod ea firmatum sit, etiam abolere, impossibile non est, et id, quod pro humano genere universim sumpto necessarium est, pro peculiari quadam communitate potest non esse necessarium.

Nihilominus maiorem stabilitatem habet quam habent reliquae leges positivae. Nam augeri quidem leges iuris gentium usu et consuetudine facilius possunt, quo magis singulorum iura protegantur et bona eorum intacta maneant (quod enim ex formali conventione paucarum civitatum ortum ducit, usu communi paulatim communis regula atque lex evadere potest); verum obligationem aliquam in communem utilitatem longo usu agnitam aboleri umquam, vix credibile est.

Dein quae statuta sunt propter conditiones ipsius generis humani, utut libere, tamen certo certius orituras, a singulis civitatibus universim aboleri non possunt. Neque possunt ea, quae communi usu semel inter gentes et civitates mutuo recepta sunt, desereri a singulis. Lex enim naturalis fidelitatem exigit post factam conventionem sive expressam sive tacitam. Et re quidem vera, quamquam ea, quae usu adeoque tacite solum admissa sunt, facilius a quopiam negari possit habere *sibi* vim verae conventionis, vel fidelitatis obligationem: tamen practice aliorum iura vix non semper perturbarentur, si qua civitas in sua relatione ad alteram recedere vellet ab aliqua norma iuris gentium communiter agnita, quam naturali lege necessariam non esse constet:

<sup>1</sup> Ceteroquin de *iure gentium* cf. *V. Cathrein*, *Moralphilos.* I<sup>4</sup>, 8. Buch, 6. Kap.

quae perturbatio plane est contra legem naturalem. — Nihilominus si quid iuris praeter naturalis legis exigentiam a gentibus vel civitatibus mutuo concessum est, id non valet in favorem etiam rebellium vel eorum, qui aggressionem clare iniustam contra aliam gentem vel civitatem exercent.

290 IV. In particulari vero, quae sint iuris gentium, modernae theoriae fautores vix certum quid respondent. Neque hoc mirum est apud eos, qui omne ius tandem ab hominis mutabili voluntate derivant.

Ceterum iuris gentium saltem censentur esse: plura quae sancita sunt de bello modoque bellandi; receptio atque inviolabilitas legatorum; commercium litterarum; liber mercatus cum alienis nationibus, similia; hodie accedit communiter prohibitio omnis servitutis stricte dictae; prohibitio laedendi bona privata in bello — nisi forte quaedam excipiantur in bello navali; libera in quovis mari navigatio.

Ex falso conceptu necessarii et conventionalis iuris gentium, quem moderni scriptores sibi fingunt, sequitur etiam de iuris gentium mutabilitate seu immutabilitate falsa doctrina. Quando igitur supra locutus sum de iure gentium non plane immutabili, multum abest ut sensu moderno mutabilitatem eam admittam seu intelligam, quam *Bluntschli* l. c. Buch 1, § 13 et 14 admittit. Ille enim, ut ex definitione ib. § 1 ab ipso data et ex prooemio patet, in omni iure publico et internationali non admittit immutabilitatem ullam, sed omnis iuris summam vim in *agnitione populorum* reponit (Buch 1, § 1) atque contra conceptum veterum auctorum de iuris naturalis immutabilitate suam de perpetuo iuris progressu doctrinam commendat: quo etiam fit, ut ex *naturali evolutione politica* nationum facultatem repetat et ius pacta iuramento firmata prociendi atque infringendi (ib. Vorwort p. vii). Quae omnia logica conclusione ad humani generis apotheosin ducunt aut ex ea oriuntur: neque mirum est, ab auctoribus ita morigeratis, quid re ipsa iuris sit, disci non posse.

### § 3.

#### *De lege positiva divina.*

291 Lex positiva divina cum doctrina de revelatione intime cohaeret; siquidem sine revelatione lex positiva divina impossibilis est.

I. Deus ante legem Mosaicam seu veteris foederis certum quidem legum complexum, qui ad hominum societatem ut talem gubernandam spectaret, non tulit; nihilominus singulas quasdam leges vel praecepta etiam primaeva illa aetate positive a Deo lata esse constat.

II. Lege Mosaica Deus positive sanxit leges morales, caerimoniales, iudiciales; quae qua positivae obligationis erant, gentiles numquam obligarunt, neque post constitutam Christi Ecclesiam ullum hominem re ipsa seu obiective obligant.

III. Christus Dominus in Lege Nova sua divina auctoritate leges morales naturales positive confirmavit, alias obligationes ex ipsa christiana revelatione Ecclesiaeque institutione conaturaliter sequentes induxit, alias leges per se primo caerimoniales atque consequenter morales tulit: quae omnes plane universales sunt, atque ad omnes homines suo modo diriguntur.



**Explicatio. I. De legibus antemosaicis:** 1. Primo loco occurrit praeceptum protoparentibus in paradiso datum: quod dicendum est, futurum fuisse praeceptum pro tota progenie, si Adam in statu iustitiae originalis perseverasset: nam cum ab illa lege immortalitas atque supernaturalis vita universae posteritatis penderet, nulla est ratio, cur soli Adamo legem illam datam dixeris, neque cur posterius ab illa libertatis suae probatione fuerint exempti.

2. Certum est etiam, ex ordine supernaturali a Deo instituto statim ab initio hominem obligationem habuisse per actus supernaturales, praecipue per fidem, spem, caritatem in Deum tendendi: quae obligationes in positiva quidem et liberrima Dei voluntate fundantur, tamen, instituto illo supernaturali ordine, naturaliter sine nova lege consequuntur.

Haec supernaturalis ordinis institutio cum obligationibus consequentibus post lapsum perseveravit pro toto humano genere, atque etiam transiit in fidem et spem futurae redemptionis, quam Deus statim post lapsum protoparentum poenasque iis inflictas promisit sollemnibus illis verbis Gn 3, 15 *protoevangelii* nomine insignitis: «Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius». Neque umquam Deus defuit, quominus homines, si voluerint, potuerint absolute necessaria et credere et facere, gratia divina ad auxilium parata: verum reliquit fere singulis privatim aeternae salutis curam.

3. Ad primitivam legem positivam reduci debet etiam id, quod vocatur *sacramentum naturae*, quo parvuli per fidem parentum exterius manifestatam a culpa originali ad statum gratiae sanctificantis transmitti poterant: quod usque ad legem baptismi perseveravit iure. — Videlicet eiusmodi remedium, quo etiam parvuli infantes in statum gratiae transferri poterant, exstitisse, indubium est. Sed quoniam, quale fuerit, nullibi reperitur, primum est concludere, non fuisse signum externum *determinatum*, sed signum libere assumptum in protestationem fidei redemptionis futurae. De quo *Suarez*, De sacram. disp. 4, sect. 1, n. 5 dicit, tale remedium a Deo institutum exstitisse, docere omnes theologos absque ulla controversia aut opinionum varietate, adeoque certum et indubitatum hoc dogma apud illos fuisse. Cf. *Sasse*, De sacram. I 13 sqq.

4. Primitiva lege institutam esse matrimonii perfectam unitatem et indissolubilitatem, habemus ex verbis Christi Mt 19, 4 sqq. Quo sensu hae conditiones legis naturalis sint, quo sensu et quando quaedam relaxatio concessa vel tolerata sit, ex iis, quae in tract. de matrimonio dicturi sumus, colliges.

5. Post diluvium etiam Noachitis praeceptum aliquod datum esse, habes ex Gn 9, praecipue ne carnes cum sanguine ederentur (v. 4): quod tamen aut temporaneum ex se fuisse, aut obliteratione vim suam apud gentes amisisse videtur iam longe ante Christiana tempora.

**II. De lege vetere seu Mosaica:** 1. Eam qua talem numquam gentes respexisse, sed obligasse solos Iudaeos, ex tota ratione, qua lata et promulgata, et qua populus Iudaicus electus est, plane patet.

2. In hac lege Deus primo sollemniter positive promulgavit legem naturalem moralem, ut ex decalogo habetur. Qua positiva confirmatione nova



obligatio specifica non videtur esse inducta; eatenus tamen novam obligationem Israelitis impositam esse dici potest, quod legis violatio *intensive* gravior fuerit propter auctoritatem magis immediate et sollemniter illis observantem, quae proin cum graviore reatu spernebatur, quam si gentiles respicimus, quibus obiciebatur divina auctoritas per solam rationem obscurius monstrata.

3. Leges iudiciales cum gentis Iudaicae dispersione plane cessasse clarum est; caerimoniales autem leges, quae per se religiosae erant, Novo Foedere Christiano abolitae sunt, atque ita quidem, ut a morte Domini et prima Evangelii promulgatione mortuae tantum, postea vero etiam mortiferae et superstitiosae evaserint: siquidem Deus illo cultu coli amplius non vult. Quae fusius ostenduntur in dogmate et apologetica.

295 III. De lege Christiana: 1. Christus Dominus leges naturales morales decalogi expresse confirmavit Mt 5, 17: «Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere», atque revera diversa praecepta l. c. ita perficienda declarat, ut non solum actus pravi, sed ipsi affectus cohibendi sint, atque malum contrario bono vincatur. Harum igitur observatio Christianis etiam ex positiva lege Christi incumbit: quapropter etiam Christiani, etsi eas violantes specificam malitiam non contrahant diversam a malitia ex ipsa *naturalis* legis violatione oriundam, tamen, sicut antea dictum est de Israelitis, *intensive* gravius peccant propter spretam Christi auctoritatem immediate praecipientis. Insuper cf. infra n. 332, ubi malitia peccatorum hominis Christiani aliorum peccatorum malitiam superare ostenditur.

2. Praeter leges naturales morales lex Christiana alia *praecepta* divino-positiva *immediate* moralia non continet, nisi quae ipsa natura duce ex revelatione ac fine supernaturali et Ecclesiae in concreto institutione consequuntur. Nimirum ex revelatione supernaturali enucleatius facta obligatio oritur plura nunc explicite credendi quam antea; atque etiam spei et caritatis praecepta clariora evaserunt.

3. Etsi *praecepta* immediate et per se moralia per christianam legem aucta non sint, tamen *consilia* moralia Christus plura dedit, eaque veteris legis perfectionem longe superantia.

4. Dein Christus tulit plures leges, quas vocari licet immediate caerimoniales, et *consequenter* morales, quae scil. versantur circa sacrificium et sacramenta, ritus illos sacros divinum cultum et media salutis humanae eximio modo continentes. Ex quorum institutione obligationes morales illos sacros ritus peragendi atque participandi consequuntur.

5. Reliqua autem, quae ad Christianum populum gubernandum pertinent, Christus ipse particulatim non instituit, sed Ecclesiae suae, quam potestate plena instruxit, constituenda reliquit. Quare leges iudiciales, quas dici licet immediate divinas, ad hanc unam revocari possunt: «*subiectus esto Ecclesiae*».

296 6. Discrimen inter Legem V. et N. non in sola posterioris *perfectione* longe maiore consistit, sed etiam in *efficacitate*, cum gratiam divinam per se conciliet, et in *universalitate*, quippe quae tam late pateat, quam patent generationes et tempora humana: cf Mt 28, 18—20;

Mc 16, 15 16: «*Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*» — «*Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*» Qua lege universalior et strictior obligatio exprimi nequit. Quare praecepta a Christo immediate et absolute data omnes ligant; ecclesiastica praecepta omnes ligant *postquam legem Christi impleverint Ecclesiae sese aggregandi*. Quoniam vero Ecclesia seu summus eius pastor est non solum legifer, sed etiam divinae legis infallibilis interpres, per Ecclesiam cognoscuntur etiam leges immediate divinae, quae, saltem post cognitam veritatem, omnes ligant, sive ad Ecclesiam sese aggregaverunt, sive non.

Quaeri quidem hoc loco potest, quandonam inceperit haec universalis<sup>297</sup> L. N<sup>o</sup> obligatio, obligatio scilicet sese Ecclesiae aggregandi atque illis mediis utendi, quae Christus Dominus ad salutem consequendam instituit. Quod rite ut intelligas, attende, ad fidem in Christum ut Messiam et Redemptorem in eiusque divinitatem obligatos fuisse et esse omnes, cum primum harum veritatum credibilitatem certo cognoverint, sive Iudaeos sive ethnicos; id enim lege naturali necessarium fuit. Non idem est de iis quae *positiva* lege Christus constituit. De tempore igitur quaeritur, ex quo haec agendi et vivendi norma fuerit universalis pro omnibus, ita ut sola ignorantia a subiectivo peccato excusaret. Quod sane non obtinuit ante Christi mortem. Lex enim Nova est per modum testamenti instituta (Hebr 7, 12—22; 8, 9 sq); verum «ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est» (Hebr 9, 16 sq). Immo ex morte quidem Christi salutifera N. Legis instituta vim suam hauserunt et hauriunt, at nondum ilico cum ipsa morte Christi evaserunt obligatoria: quaedam eorum sunt, quae Christus ipse demum post mortem et resurrectionem suam constituerit; quoad omnia autem promulgatio ad legem necessaria nondum erat perfecta. Haec die Pentecostes publica per Apostolos praedicatione facta accessit, atque hac ipsa die S. Petrus aggregationem ad Ecclesiam per baptismum necessariam esse declaravit. Nam cum auditores compuncti, quid sibi faciendum esset, quaererent, respondit: «Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum».

Atque hac promulgatione N. Legis vel N. Testamenti facta, cessavit plane obligatio Legis Veteris, quae tamen non ilico, sed procedente tempore evasit mortifera. Utrum vero cum illa promulgatione die Pentecostes facta cessaverit statim etiam efficacia eius sacramenti naturae, de quo n. 293 dixi, magis dubium est. (Cf. de cessatione Legis Veteris et Novae Legis initio *Wilmers*, De religione revelata n. 471—486.)

#### § 4.

##### *De lege (positiva) humana, speciatim de ecclesiastica.*

Esse auctoritatem humanam legiferam tum civilem tum eccle-<sup>298</sup>siasticam, supra c. 3 dictum est. De civili potestate habes effatum S. Scripturae Prv 8, 15 16 et Rom 13, 1 sqq: «Omnis anima pote-

statibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt . . . Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est» etc. Quibus verbis S. Apostolus aperte loquitur 1. de summa auctoritate in rebus temporalibus, cui competat ius gladii seu ius vitae et mortis; 2. de auctoritate, cui plane oboediendum sit sub poena aeternae damnationis, adeoque de auctoritate, quae in conscientia praecipere, iubere possit. Quod fusius prosequi non est necesse.

In Ecclesia Romanum Pontificem esse summum pastorem et legislatorem, ex dogmate et iure ecclesiastico licet omnino sumere. Quare hic solum noto, quomodo S. Pontifex, supremus Ecclesiae princeps, sive per se sive per alios delegatos legiferam vel praecipivam potestatem re ipsa exercere consueverit.

299 I modus maxime sollemnis est, si, convocato Concilio universali, R. Pontifex adhibito Patrum suffragio decreta seu fidei seu disciplinae edit.

II modus proxime accedens est, si R. Pontifex ex se sollemni constitutione ad universos fideles directa legem aliquam condit.

III modus, si S. Pontifex particularem legem pro certa provincia, regno, religioso ordine constituit. Neque per se quidquam interest, utrum id in II et III modo fiat per Bullam, an per Breve aliudve edictum.

IV modus, si per Congregationes Romanas variae leges vel decreta eduntur: quae tamen, si *suprema* S. Pontificis confirmatio et decretorum promulgandorum iussio accesserit, plane eadem auctoritate fruuntur atque decreta a S. Pontifice condita, sive *suprema* illa, qua universam Ecclesiam adstringat, sive paulo inferiore, qua certam tantum provinciam liget.

Nimirum complures coetus Cardinalium constituti sunt, qui pro diversis Ecclesiae negotiis R. Pontificem in regimine iuvant atque subordinatam quidem, sed ordinariam, non mere delegatam potestatem exercent; quo fit, ut proprio nomine pro facultate sibi tradita sententiam dicere, decreta facere possint; alias autem, i. e. plerumque in gravioribus rebus, R. Pontificem adeant, ut ipse supremo suo oraculo rem decernere velit, petituri. Quod ex forma decreti apparere solet.

Diversae Congregationes earumque competentia disci debent ex Constitutione Pii X *Sapientis consilio* d. d. 29 Iunii 1908, quae vim habet a 3 Nov. eiusdem anni.

Secundum huius Constitutionis verba *Congregationes* Romanae Curiae sunt hac:

300 I. *Congregatio Sancti Officii*: 1. Haec Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praesest, doctrinam fidei et morum tutatur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Haec S. Congregatio fuit et manet *suprema* Congregatio in rebus fidei et morum, atque doctrinalia etiam decreta condere solet.

At, licet ipse S. Pontifex eius sit praeses, non omnia decreta, quae per S. Officium fiunt, sunt stricto sensu Rom. Pontificis decreta, etiamsi per eum approbantur. Neque

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum Congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta *de disciplina Sacramentorum*, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi, quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

II. *Congregatio Consistorialis*: 1. Duas haec Sacra Congregatio, easque 301 distinctas, partes complectitur:

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxii novae dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; episcopos, administratores apostolicos, adiutores et auxilios episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *Petitionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum, quae ab episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos [Rom. Pontificem] delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia, quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia seminariorum pertinent.

4. Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

5. Huius Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales a *secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accensentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censuerit.

---

S. Officii decreta doctrinalia infallibilia sunt, nisi in rebus fidei et morum ad universam Ecclesiam diriguntur atque a S. Pontifice specialiter non in ordinaria forma, sed in *forma specifica* approbantur, ita ut appareat, S. Pontificem *suprema sua auctoritate* rem decretam facere suam. Nihilominus etiam aliis decretis subiecto et oboedientia debetur: quae qualis esse debeat, vide infra n. 419.



6. A secretis semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Adessoris* nomen, qui idem fungetur munere a secretis Sacri Collegii Patrum Cardinalium, et sub ipso sufficiens administratorum numerus.

7. Consultores huius Congregationis erunt *Adessor* Sancti Officii, et a *secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere: quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

302 III. *Congregatio de Disciplina Sacramentorum*: 1. Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa caerimonias, quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio proles; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorundem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel Sacrae Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quae sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum *secretario* aliisque necessariis ministris et consultoribus.

303 IV. *Congregatio Concilii*: 1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populi Christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare, ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari, quae parochos et canonicos spectant; item quae pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eandem pertinent ea omnia, quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae



seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

V. *Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium Praeposita*: 1. Haec Sacra 304 Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad sodales religiosos utriusque sexus tum sollemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

VI. *Congregatio de Propaganda Fide*: 1. Sacrae huius Congregationis 305 iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullae, etsi hierarchia constituta, adhuc incohatum aliquid prae se ferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiectas esse volumus.

2. Itaque a iurisditione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus — in *Europa*: ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem; — in *America*: provincias ecclesiasticas domini Canadensis, Terrae Novae et Foederatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quae ad haec loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorundem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquae ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisditioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quae Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiare alias Congregationes deferat quaecumque aut fidem attingunt aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

6. Unitam habet Congregationem *pro negotiis Rituum Orientalium*, cui integra manent quae huc usque servata sunt.

7. Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverendae Camerae Spoliorum*, ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione coniungitur Coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium*.

306 VII. *Congregatio Indicis*: 1. Huius Sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere et exemptiones concedere, sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denuntiare, ad normam Const. *Officiorum*, 25 Ian. 1897.

2. Cum porro librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, Administrati secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

307 VIII. *Congregatio Sacrorum Rituum*: 1. Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi<sup>1</sup> ea omnia, quae sacros ritus et caerimonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disciptetur.

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caerimoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus quam localia et perpetua, quae ad

<sup>1</sup> Habuit haec Congregatio facultatem nova statuendi atque in rebus ritualibus leges ferendi, etiam non consulto Pontifice neque approbante: quamquam in rebus gravioribus curare solebat S. Pontificis approbationem. Quam facultatem, quae sine dubio ei hucusque inerat, videtur Constitutio Pii X ipso illo verbo «statuendi» confirmasse et denuo contulisse; attamen id dubium est, atque abhinc semper approbatio Pontificis expetitur.

Exstat decretum d. 23 Maii 1846, a Pio IX d. 17 Iulii eiusd. anni in omnibus approbatum et confirmatum (Coll. Gardel.<sup>3</sup> n. 5051 ad 7). Videl. ad Dubium: «An decreta a S. Rit. Congregatione emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae eandem habeant auctoritatem, ac si immediate a S. Pontifice emanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae.» Resp. «*Affirmative*». — Verum inde ne inferas, omnia responsa esse leges, neve omnia decreta esse universalialia. Sapienter autem ipsa S. R. C. (Coll. Gard.<sup>3</sup> n. 5465): Ad Quaesitum «Num sola decreta sive formaliter sive aequivalenter generalia omnes obligent», respondit: «Consultat probatos auctores».

Adverte etiam: Collectio quidem decretorum etiam S. Rit. C. sub titulo «Decreta authentica Congregationis Sac. Rituum», annis 1898—1901 Romae edita, facta quidem est iussu et auctoritate Leonis XIII et *authentica* declarata. Attamen singulorum decretorum natura nullatenus mutata est; sed id solum de novo S. Pontifex decrevit, ut decreta alia eousque vulgata *in iis, quae a decretis in illa collectione contentis dissonant*, habenda sint *pro abrogatis*.

Aliae S. Congregationes *certo* non possunt ex se, sed ex mandato et approbatione S. Pontificis leges condere. Possunt etiam, salva approbatione S. Pontificis, leges *authentice declarare* seu interpretari. Quae interpretatio si *extensiva* est, i. e. a *propria* et *usitata* verborum significatione recedit, etiam promulgatione indiget (cf. supra n. 242). Possunt etiam leges sine approbatione Pontificis declarare *iuridice* in casibus particularibus atque ita ius facere inter partes. Cf. *Acta Ap. Sed.* III 99.

sacros ritus vel caerimonias pertineant, elargiri et cavere, ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

4. Huic Congregationi adiunguntur Coetus *liturgicus*, Coetus *historico-liturgicus* et Coetus *pro Sacro Concertu*.

IX. *Congregatio Caerimonialis*: Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi<sup>308</sup> tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caerimoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

X. *Congregatio pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis*: In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

XI. *Congregatio Studiorum*: Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenaea, seu quas vocant Universitates, seu Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

### § 5.

#### *De lege directiva, poenali, mixta.*

Quae hucusque de legum diversitate diximus, ad diversam earum<sup>309</sup> *originem* referuntur. Quoad *diversos effectus* praecipue quaedam observanda sunt circa leges poenales et leges irritantes.

Lex *directiva* a diversis diverso sensu accipitur. Alii eam opponunt poenali, ita ut directionem etiam conscientiae *obligantem* intelligant: quo sensu fatentur, etiam superiorem, qui poenae non subiaceat, legi propriae — etsi imperfecte tantum — subiacere. Ita *Suarez* constanter sumit vocem «directiva». — Alii directivam cum *consulente, suadente* convertunt, ut excludant veram et strictam conscientiae obligationem; quo sensu multi loquuntur de pluribus rubricis, de regulis religiosorum etc. Quare semper attendi debet, quem sensum scriptor suis locis intelligat.

Lex *poenalis tantum* quo sensu dicatur, supra explicatum est n. 239: ubi videris, nequaquam *omnem* obligationem in conscientia vel *ad culpam* excludi, sed *tantum immediatam*.

Lex *mixta* dicitur, quae immediate obligat ad actum faciendum sive omittendum, et insuper contra violantes legem poenam statuit.

I. Lex naturalis non continet leges mere poenales. Quod ex eius<sup>310</sup> conceptu constat. Nam: a) Lex naturalis versatur de intrinsece malis et de bonis necessariis; poenam autem solvi, numquam est *per se* ex natura rei necessarium, *nisi propter delictum*. b) Lex, quae versatur

circa intrinsece mala et circa bona plane necessaria, haec ipsa obiecta immediate et absoluto modo tangit sive evitanda sive ponenda; at lex mere poenalis illa obiecta non absolute et immediate urget, sed disiunctive tantum, vid. aut ipsum obiectum aut poenam. Ergo lex naturalis mere poenalis esse nequit.

- 311 II. Legislator humanus potest in multis rebus, utpote neque intrinsece malis neque ex se iam inter absolute necessaria collocandis, legem mere poenalem statuere: nimirum non tenetur semper perfecto modo potestatem legiferam in certa quadam materia exercere. Sicut videlicet rem etiam gravem imperfecte praecipere potest *sub culpa veniali*; ita etiam saepe non repugnat, quin contentus sit altero modo imperfecto, exigens solam poenam a transgressoribus. Cf. *Suarez*, De leg. l. 5, c. 4; *Ballerini-Palm.*<sup>3</sup> I, n. 291; *Noldin*<sup>7</sup> I, n. 160 sq; *Biederlack* in Zeitschrift für kath. Theol., Innsbr. 1899, p. 155 sqq; *Göpfert*<sup>5</sup> I, n. 81; contra *A. Koch* in Theol. Quartalschrift, Tübing. 1898, p. 655 sqq; 1900 p. 204 sqq.

Verum in ecclesiastica disciplina leges mere poenales raro inveniuntur, atque eas mixtas et *sub perfecta obligatione* latas esse, praesumi debet, donec contrarium probetur. In iure autem civili leges illas mere poenales facilius invenies.

Haec quidem de quaestione iuris. Difficilior est quaestio facti, num et quae leges re ipsa sint mere poenales. Id obtinere, quando legislator hunc obligandi modum expresse intendat et clare exprimat, planum est. At ita leges mere poenales constitutas vix habes nisi complurium ordinum religionum regulas.

- 312 Inquirenda igitur et statuenda sunt *signa*, ex quibus leges mere poenales re existentes dignoscantur. In quem finem nota:

1. In lege ecclesiastica pro axiomate habetur, ex gravitate poenae additae concludendum esse ad gravitatem praecepti, ita ut poena gravis arguat peccatum mortale. — Quare excommunicatio, suspensio totalis vel saltem gravis, eiusmodi interdictum etc. indicant, praeceptum sub gravi latum esse; verum levior suspensio nondum arguit, rem sub gravi praeceptam esse, sed hoc aliunde eruendum est. *S. Alph.* I 146. Immo si poenae etiam gravioris alicuius censurae *ferendae sententiae* statuuntur in aliqua re, hanc quidem rem sub gravi a superiore urgeri posse constat, verum antequam insistat et poenam minetur, nondum constat ex sola poena, rem per se sub gravi fieri debere. *S. Alph.* ib. n. 147 cum aliis.

2. In lege civili poena valde gravis, quae ad legis transgressionem proportionem non habet, indicat non tam delicti gravitatem, sed potius legem esse mere poenalem: cf. *S. Alph.* III 616 et I 147, ubi ex multorum sententia, ut *Nav.*, *Caiet.* etc. confirmat, dicentium aequum non esse, aliquem pati et poenam temporalem gravissimam et aeternam, neque id in intentione rationabili legislatoris situm esse; proinde pro minimo esse standum.

3. Cui opinioni eo magis nostris temporibus accedi posse puto, quod legislatores (sume coetum deputatorum) de obligatione vera in conscientia sub reatu gravi coram Deo vix cogitant: id quod iam monuit S. C. de Prop. F. in *instructione* d. d. 23 Iunii 1830, ut habes in *Collect. Mission.* n. 1186.



Quare non iam ex formali intentione legislatoris, sed ex ipsa re seu *materia legis* eruendum erit, quae et qualis sit obligatio. Verum quidem est, multas leges debere immediate in conscientia seu sub culpa obligare: neque necessarium est, legislatorem id expresse intendere (alias enim ethnicorum imperatorum leges raro immediate sub culpa obligarent. — quod sane cum S. Scriptura non videtur concordare). At verum etiam est, pro multis rebus sufficere plane, ut urgeantur immediate sub poena, quae ipsa lege constituitur. Neque tum deesse omnem obligationem in conscientia, ex supra dictis habes.

In praxi tamen generatim attendi debet, quid communi sensu et recepta consuetudine, aut iudicio complurium virorum doctorum habeatur pro lege poenali, quid pro immediate morali: et secundum hanc communem vel probabilem interpretationem legum singularum obligatio intelligenda est.

III. Exsistunt, imprimis in iure ecclesiastico, leges statuentes poenam, <sup>313</sup> quae ipso facto incurratur: quod tum maxime fieri potest, si lex poenalis est spiritualis. Sic ante omnem sententiam *censoe* incurruntur.

Si vero consistit poena in privatione alicuius iuris *acquisiti*, vel si infamiam secum ferret, etsi «*ipso facto*» statuitur poena, tamen requiritur *sententia iudicis* non condemnatoria quidem, sed *declaratoria* saltem commissi criminis. Nam haec *criminis* declaratio etiam tum requiritur, si lex statuit poenam «nulla exspectata declaratione»: quod sic intelligitur, ut *poenae quidem* declaratio exspectari non debeat, exspectetur tamen declaratio criminis. Ita S. *Alph.* I 148 cum innumeris aliis; *Suarez*, De leg. l. 5, c. 8.

At poena, quae in privatione iuris *acquirendi* consistit, ut «non faciendi fructus suos», vel ut communius etiam tenetur, inhabilitas ad beneficia ecclesiastica, incurritur *ante omnem sententiam*. S. *Alph.* I 149. Cf. *Thesaurus*, De poenis eccles. p. 1, c. 5.

IV. Si poena est *exorbitans*, quae ipso facto sine iudicis interventu incurrenda proponitur, ex S. *Alph.* VII 351, qui in suum sensum allegat S. *Thom.* I, 2, q. 65, a. 8 et *Nav.*, Manuale c. 27, n. 174, tenere licet: ignorantia non solum legis prohibentis, sed etiam solius poenae ab ea contrahenda in foro conscientiae excusat, siquidem ne in confuso quidem in poenae causam *ut talem* transgressor consenserit; quod videtur requiri. — Aliud est, si poena non est inusitata vel exorbitans; nam qui legem violat, se convenientem poenam contrahere non potest ignorare.

### § 6.

#### *De lege irritante.*

Lex irritans dicitur, quae actum, qui in genere suo valide exer- <sup>314</sup>ceri potest atque novum ius fundare, in certis circumstantiis invalidum esse pronuntiat.

I. Ipsa naturalis lex quosdam actus irritat, nimirum quando 1. ius illud, quod homo isto actu acquirere vult, vel potius huius iuris usus ob rerum adiuncta continuam contineat inhonestatem, v. g. matrimonium inter matrem et filium; 2. fortasse etiam — quod tamen ita



clarum non est — quando actus iste, si validus esset, ius *alienum* inevitabiliter et irreparabiliter laederet<sup>1</sup>.

II. Lex positiva, sive civilis sive ecclesiastica, aliquando efficere potest, ut actus alioqui validi invalidi reddantur. Nimirum si ad commune bonum necessarium est, publica potestas iura privata atque libertatem restringere potest, idque ut aptis mediis efficaciter fiat facultatem habere debet. Efficaciter autem commune bonum non semper in tuto positum esset, *nisi irritans* lex statueretur.

Exemplum habes ex *Trid.* de matrimoniis clandestinis sess. 24. Cf. etiam discussionem huius rei et potestatis in Concilio factam (*Pallavicini*, Historia Conc. Trid. l. 22, c. 4 sqq), ex qua apparet, pro certo habitum esse a Patribus, publicae auctoritati ut tali hanc potestatem in sua materia competere.

315 III. Nihilominus in singulis legibus probe videndum est, I. utrum lex ipso facto actum irriter, an irritandum (scil. sententia iudicis) esse statuatur; 2. utrum ipso facto fiat actus irritus simpliciter et in conscientia, an civiliter tantum, ita scilicet ut iudicialis actio quidem omnis negetur neque lex civilis tali actui sive contractui ullatenus assistat, naturalis tamen actus subsistere pergat.

Videlicet si aut legis verba, aut etiam extra obvium verborum sensum consuetudo legum interpretes id patiuntur, ille sensus intelligi debet, qui libertatem magis intactam relinquit; modo finis legis sic *possit* obtineri; neque verba «actus talis et talis *nullus* sit» continuo intelligi debent de nullitate omnimoda etiam in conscientia. Cf. de hac quaestione eruditum opus *Van Gestel*, De iustitia et lege civili, Groningae 1896.

316 Post iudicis sententiam huic etiam in conscientia standum est, modo ne sit iniusta.

IV. Ignorantia legis irritantis ex se non impedit, quominus actus nullus sit. — Quodsi lex in poenam delicti irritat, ea ignorantia, quae a culpa excusat, excusat etiam a lege: num solius poenae ignorantia, sume ex paragrafo praecedenti.

Etiam metus gravis damni a lege, *qua irritans* est, communiter non excusat: nisi forte lex irritans sit in favorem tantum privatum, qui in speciali casu in gravius incommodum verteretur. Cf. *Rebell.*,

<sup>1</sup> Videtur abs re non esse, notare discrimen inter leges irritantes, prout est lex naturalis aut positiva. Actus illi, qui dicuntur irriti lege naturali irritante, numquam valide fieri possunt neque umquam potuerunt; eiusdem generis quidem existunt actus, qui sint validi, *invalidi* autem sunt actus *huius infimae speciei*. Quod ex ipso conceptu legis naturalis necessario sequitur, utpote quae cum homine oriatur et de solis necessariis aliquid statuatur: pugnat enim secum, aliquem actum *umquam valide* exerceri posse, et eundem *necessario* esse *invalidum*. Sed actus illi, qui lege positiva irritantur, sane ante illam legem validi erant et valide exercebantur: lex enim positiva, saltem humana, *supervenit* post homines humanamque societatem constitutam. — Immo generatim notari debet quoad leges positivas, eas per se in actus *praeteritos* vim suam non exercere, neque quoad poenam neque quoad actuum irritationem: id quod expresse effertur, ita ut numquam contrarium statui possit, in iure Americano (Americ. Sept.): «No . . . ex post facto law shall be passed» (art. I, sect. 9, 3), et: «No state shall . . . pass any . . . ex post facto law, or law impairing the obligation of contracts» (ib. sect. 10, 1)

qui De iust. p. 2, l. 2, q. 11, n. 20 affert huius sent. fautores: *Paludan.*, *Angel.*, *Sotum*, *Ostiens.* etc. Cf. etiam reg. iuris in 6 reg. 61. — Alias ob solum damnum commune ex legis observatione impendens irritatio legis in particulari casu censetur suspendi.

V. Num lex irritans sit simul prohibens, tum ex ipsis legis verbis tum ex subiecta materia colligi debet. Nisi enim prohibitio clare addatur, ii saltem actus, qui naturaliter validi manent et civiliter tantum redduntur invalidi, per se nondum sunt prohibiti; possunt tamen ansam peccati dare seu fraudulentæ actionis erga alterum.

### § 7.

#### *De privilegio.*

Privilegium dicitur lex quaedam privata, beneficium particulare<sup>317</sup> continens. Effectum cuiuslibet legis proprium, obligationem dico conscientiae, privilegium indirecte tantum producit, prohibens, quominus ille, cui privilegium datum est, ab aliis perturbetur<sup>1</sup>.

**Divisio et explicatio.** 1. Privilegium distinguitur *praeter legem* et *contra legem*: prout a lege subditum eximit, aut talem exemptionem non continet, sive quia res, sive quia persona privilegiata non cadit sub legem: v. g. privilegium oratorii in aedibus privatis, quo Missa possit celebrari, est privilegium contra legem; privilegium, quod dicitur *altaris*, est praeter legem.

2. Privilegium *mere favorabile* et *odiosum*. Scil. odiosum vocatur, quod, dum uni favet, alteri onus, incommodum imponit, aut iuri communi, statutis vel consuetudinibus particularibus contrarium est: quare privilegium *contra legem* odiosum esse censetur. Si nihil horum obtinet, favorabile dicitur.

3. *Reale* et *personale*, prout immediate rei et hac mediante hominibus conceditur; aut immediate particulari personae confertur, v. g. propter eius merita, personalem dignitatem, excellentiam.

Reale autem putatur non solum, quod rei materiali inhaeret, vel templo, loco, sed etiam quod muneri seu dignitati, coetui, communitati, religioso ordini datur.

Aliqui distinguunt etiam *locale*, at hoc vere reale est; alii addunt *mixtum*, sed vix indigemus hac distinctione, cum privilegium in hominem semper aliquo modo redundare debeat.

4. Privilegium *gratosum*, *remuneratorium*, *onerosum* (quod etiam dicitur *per modum pacti*): prout datur aut ex mera gratia et liberalitate, aut ex gratitudine ad remuneranda officia praestita, aut per modum alicuius iustitiae vel fidelitatis obligationis.

5. Privilegium *ex motu proprio* et *ad instantiam partis* concessum: quorum sensus per se intelligitur. Id autem discriminis adest, quod

<sup>1</sup> Cf. *S. Alph.*, De privil. c. 1; *Wirceb.*, De leg. c. 5, a. 3; *Mazzotta* tract. 1, disp. 5; *Salmantic.* tract. 18; *Suarez*, De leg. l. 8, c. 1 et 22.

privilegium priori modo concessum non fit invalidum ex defectu eorum, quae ex iure in concessione expressa esse debent, insuper praesumptionem subreptionis excludit.

6. Privilegium *primo* et *per se* concessum et *ad instar* (alterius) datum; dein «ad instar» datum est aut *aeque principaliter*, aut indirecte vel «*accessorie*». Nimirum privilegium «ad instar» explicandum est secundum privilegium alteri iam concessum; verum si «aeque principaliter» datur, non iam subit mutationes, quas fortasse privilegium primitus datum subiturum est, ita ut per se neque crescat cum illo neque decrescat vel pereat; si «accessorie» vel «indirecte tantum» concessum est, ita pendet a privilegio primitus et per se dato, ut cum eo augeatur, diminuatur, pereat.

### 318 Interpretatio privilegiorum.

1. Privilegium mere favorabile est late interpretandum. Verum fac attendas, privilegium contra legem seu ius commune per se censi odiosum.

2. Privilegium odiosum personale est strictae omnino interpretationis, nisi tamen datur «ex motu proprio».

3. Privilegium reale, aut corpori iuris insertum, aut motu proprio datum latae interpretationis est, in quantum deroget iuri communi, sed non in quantum alterius iuri praeiudicet.

4. Privilegium causae piaae, locis piis, ordini religioso concessum semper latae omnino interpretationis est, etsi deroget legi communi etc. vel contra alias personas praeiudicium inferat.

Exempla strictae interpretationis habes: si illegitimo conceditur privilegium «ad ordines suscipiendos», et intelligitur de ordinibus *minoribus tantum*; si privilegium ad accipiendum «ecclesiasticum beneficium» intelligitur beneficium *simplex tantum*; si per privilegium aliquis eximitur ab «oneribus suae civitatis» intelligendo onera *extraordinaria*, non ordinaria. — Verum nunc est mos, ut *talis* restrictio ultra communem verborum sensum, si intenditur, exprimatur.

Exempla latae interpretationis sunt: si quod conceditur regularibus, intelligitur etiam novitiis et monialibus datum; si facultas «per vicarium specialiter deputatum exercenda» sic intelligitur, ut non requiratur deputatio in singulis casibus, sed tantum illius facultatum generis fieri debeat specialis expressio, etc.

### 319 Cessatio privilegiorum.

1. Privilegium cessare potest per abusum, per renuntiationem (acceptam), per praescriptionem contra illud factam, per revocationem.

Sola ultima hic breviter explicatur: alii modi rarius obtinent atque facilius intelliguntur.

Privilegia in corpore iuris inserta pro *legibus* habentur. Quare, *condita contraria lege*, sine alia addita revocatione *haec* privilegia censentur abrogata, eaque sola, non alia privilegia, novae legi cedere debent. — Similiter si in qua constitutione additur clausula, «non obstantibus *legibus* contrariis», illa privilegia in corpore iuris inserta, quae novae constitutioni cuilibet obstant, revocantur. — E contrario, si sine

eiusmodi clausula «non obstantibus legibus contrariis» *privilegia* quaedam revocantur, in hac revocatione privilegia in corpore iuris contenta non habentur pro revocatis, eo quod instar *legum* sunt.

2. Communis clausula revocatoria «non obstantibus privilegiis» sufficit ad revocanda illa privilegia, quae non habent *specialem* firmitatem.

3. Specialem firmitatem vero habent:

- 1) privilegia religiosorum, et aliquatenus quaelibet remunerativa privilegia;
- 2) privilegia, quae alias hanc clausulam continent, ut pro revocatis non habeantur, nisi eorum specialis mentio fiat;
- 3) privilegia a Concilio generali concessa;
- 4) privilegia onerosa.

Quare ut haec revocata habeantur, requiritur, ut in revocatione privilegiorum dicatur; «non obstantibus privilegiis, quibuslibet», aut: «etiam speciali vel specialissima mentione dignis», aut: «ex plenitudine potestatis, motu proprio, ex certa scientia», paucis, ut addatur aliquid, quo legislator (S. Pontifex) mentem suam clare exprimat.

Immo privilegia onerosa, quae per modum pacti data sunt, in revocatione nomine *privilegiorum* non comprehenduntur, sed nomine *conventionis*: de quibus confer *Suarez* l. 8 De leg. c. 37.

Videlicet eiusmodi conventiones re ipsa non raro ineuntur inter S. Sedem et gubernia civilia. Obiecta autem sunt concessionibus mutuae. Ex parte S<sup>ae</sup> Sedis concedi possunt per modum cessionis iura ecclesiastica alienabilia, v. g. possessiones temporales, quae acquiri et alienari possint ab Ecclesia: haec possunt esse obiecta circa quae fiant pacta vel contractus ex stricta iustitia. Sed concedi etiam possunt ab Ecclesia iura quaedam spiritualia vel usus certorum iurium. Quae a S. Pontifice non ita concedi possunt, ut ea a se abdicet, siquidem divinitus et inseparabiliter cum munere Pontificis plenitudo omnis iuris et jurisdictionis ecclesiasticae coniuncta est. Exercitium et usus horum iurium, ut etiam per alios fiat, sane concedere potest S. Pontifex, semper tamen precario modo et dependenter a se, ita ut nunquam non pro suo arbitratu hoc exercitium ad se revocare valide possit. Eiusmodi usus iurium ecclesiasticorum concessio ratione rei privilegium est, ratione modi fieri potest *per pactum*, quo promittitur, ne sine causa urgente fiat revocatio. Quare intelligitur, haec privilegia non intelligi nomine privilegiorum purorum, quando de privilegiorum revocatione fuerit sermo. Cf. *Wernz*, Ius decret. <sup>2</sup> I, n. 173; *Laurentius*, Instit. iur. eccl. <sup>2</sup> n. 983.

#### Usus privilegiorum.

1. Privilegio communiter aliquis non tenetur uti; per accidens tamen <sup>320</sup> caritas aliave virtus ad id potest obligare.

2. Privilegii usus nihilominus a superiore, etiam non supremo, imperari potest: immo plura sunt privilegia ordinibus concessa, quae, si acceptata sunt ab ordine vel communitate, pro singulis sunt norma obligans.

3. Privilegii *localis* usus etiam conceditur peregrinis in loco illo existentibus.

## TRACTATUS III.

DE DISCORDIA ET CONCORDIA  
CUM REGULA ACTUUM HUMANORUM  
SEU DE PECCATI REATU ET BONORUM  
OPERUM MERITO.SECTIO I.  
DE PECCATO.

Lex, ut supra dictum est, obiectivam constituit normam actionum humanarum, quam qui sequitur, moraliter bene, qui negligit, moraliter male agit; eademque vinculum inducit morale, i. e. necessitatem ad utrumlibet, ut scilicet aut impleatur, quod lex requirit, aut reatus culpae cum iis, quae culpam sequuntur, incurratur. Vis igitur legis consideratione reatus culpae seu peccati illustratur. Quid vero sit reatus culpae, seu quae natura peccati, eo magis considerari oportet, quia a theologo et confessario, qui in aestimandis et diiudicandis peccatis plurimum versari debet, cognitio legis praecipue desideratur, quo melius ad dignoscenda peccata iuветur.

Quapropter antequam singulas leges et praecepta, quibus vita moralis dirigitur, attentius tractemus, de *peccatis in genere* agamus oportet.

*Caput I.*

## De notione et malitia peccati.

## § I.

*Explicatur peccatum eiusque malitia generatim.*

Peccatum ex prima sua notione est legis, quatenus moralis est, voluntaria laesio. Haec est obvia et quodammodo materialis definitio. Si vero peccati naturam seu essentiam definitione clarius indicare volumus, peccatum recte dicitur *creatae voluntatis contra divinam voluntatem obligantem oppositio seu divinae voluntatis obligantis neglectus*.

Distinctio seu divisio fit inter:

1. Peccatum *actuale* et *habituale*. Definitio antea data solum actuale peccatum consideravit; habituale igitur est peccatum actuale moraliter perseverans — ita *Suarez*, De peccatis disp. 8, n. 11 14 15; *Lugo*, De poenit. disp. 7, n. 48, aliique. Perseverat autem moraliter tam diu, quamdiu aut condonatione aut perfecta satisfactione, si possibilis est, deletum non fuerit.

2. *Personale* et *originale*: posterius peccatum mysterium revelatae religionis supponit, quo docemur, peccatum Adami ut capitis totius



humani generis in eius posteros transiisse; personale vero est, quod aliquis individua sua actione committit vel contrahit.

Ad quam doctrinam probandam et explicandam remitto ad dogmaticos. Indicatam eam habes Rom 5, 19: «Per inoboedientiam unius hominis, *peccatores constituti sunt multi*», scil. «in quo *omnes* peccaverunt» (ib. 5, 12); et *Trid.*, quod sess. 5, decr. de pecc. orig. anathema dicit in eos, qui negant Adamum per inoboedientiam suam «transfudisse in omne genus humanum peccatum quod est mors animae», aut qui asserunt, «per baptismum non tolli totum id quod veram et propriam rationem peccati habet». De personali peccato loquuntur loci innumeri.

3. *Mortale* et *veniale*, prout aut pacem et amicitiam divinam atque<sup>321</sup> cum ea sanctificantem gratiam et ius aeternae beatitudinis destruit — proin spiritualem mortem animae infert; aut omnia haec dona et iura substantialiter intacta relinquit atque ex natura sua venia dignum est. (Cf. infra n. 334 sqq.)

4. *Formale* et *materiale*, prout ab agente vere et voluntarie obligatio laesa est, aut obiectum quidem vel actio in se obiective sive secundum suam materiam spectata contra legem est, sed homo agens nesciens et nolens legem violavit.

Praeter has distinctiones, quae essentielle discrimen statuunt, aliae adsunt distinctiones, quae accidentales sunt, diversum gradum malitiae aut diversam materiam, in qua peccatur, pro fundamento distinctionis assumendo:

5. Peccata *malitiae*, *infirmittatis*, *ignorantiae*; *malitiae*, quae ex mera voluntatis electione sine ulla ignorantiae illusionem atque sensuum affectionem; *infirmittatis*, quae ex impulsu passionis et tentationum sollicitationem; *ignorantiae*, quae ex *culpabili* ignorantia ortum ducunt: at omnia ea peccata ex hac ratione non censentur characterem mortalis peccati exuisse.

6. Peccata *deliberata* et *subreptitia* (semideliberata), prout cum plena advertentia plenoque consensu voluntatis fiunt, aut propter advertentiae plenae defectum vel voluntatis negligentiam potius quam ex consensu committuntur, atque actus plene humani esse desinunt. — Quare peccata semideliberata, in re etiam gravi, mortalia non sunt.

Distinguuntur aliquando a peccatis semideliberatis ulteriore divisione peccata indeliberata. Quod nomen si quid designat, quod peccati formalis rationem aliquo modo retineat, sic solummodo intelligi potest, ut ipsa actio, quae peccatum denominetur, in se sine ulla advertentia facta sit (ut distractio in oratione), sed ex praecedenti aliqua negligentia prodierit. Quod si obtinet, tota peccaminositas in *praecedenti* negligentia sita est, neque subsequens effectus in se formaliter peccatum est, sed in causa et denominative.

7. Peccata, quae homo committit *contra Deum*, *contra se ipsum*, *contra proximum*, designant obiectum seu personas, quae *proxime* laeduntur; alioquin enim, ut dictum est, contra Deum offendit peccatum quodcumque.

8. Peccata *spiritualia* et *carnalia*, prout bona illa, quae proxime violantur, seu quibus peccata proxime opponuntur, mere spiritualia sunt, aut sensibilia seu corporalia.

9. Peccata *cordis, oris, operis*, prout sola mente concluduntur, aut verbis prolatis committuntur, aut externa actione perpetrantur.

10. Peccata *commissionis* et *omissionis*, prout fiunt prohibitae actionis exercitatione aut praescriptae actionis neglectu.

322 De lege agentes diximus, non esse legem ullam perfectam, nisi ultimo recurratur ad divinam legem, ut omnium aliarum fontem ac fundamentum. Neque igitur datur peccatum veri et proprii nominis nisi ratione divinae legis seu voluntatis obligantis laesae; aliis verbis: transgressio legis humanae propterea tantum verum est peccatum, quia Deus praecipit, ut legitimis superioribus oboedientia praestetur — transgressio vero naturalis legis propterea, quia Deus, naturae auctor, naturalem rectitudinem servari et vult et velle debet.

Neque tamen haec ita intelligenda sunt, quasi *oppositio contra divinam voluntatem* totam malitiam eamque radicalem semper explicet. Antequam enim divinam voluntatem praecipientem vel prohibentem cogitamus, iam quaedam malitia et contra rectitudinem oppositio in iis concipitur, quae sunt contra legem naturalem, immo haec ipsa oppositio est ratio, cur necessario cogitemus, Deum voluntate sua sanctissima eadem etiam prohibere. Attamen nisi accedat haec ipsa divina voluntas prohibens vel praecipiens, perfectum vinculum, quod nos constringat, non aderit, neque malitia plena seu mortalis in ordinis transgressione concipi poterit. Vide *Lugo*, De incarnat. disp. 5, n. 75, cum *Lessio*, De perf. div. l. 13, c. 26: «Ante prohibitionem divinam consideratur in illis (peccatis) quaedam malitia obiectiva et materialis, quatenus isti actus sunt dissoni naturae rationali, ita ut non possint recte appeti ab homine rationis compote; consideratur etiam in illis aliqua malitia formalis, non tamen mortifera, donec accedit contemptus legis et auctoritatis divinae.»

Sed operae pretium est, diversas illas malitias penitus considerare, quae in peccato sive antecedenter ante divinam voluntatem aliquatenus, sive consequenter ad divinam voluntatem praecipientem aut omnino aut ut completum reperiuntur.

323 Ante omnia hic notandum est, malitiam non esse proprie aliquod Esse seu aliquam entitatem, ut philosophi loquuntur. Videlicet quamquam in aliquo actu adeoque in aliquo Esse reali et physico malitia inest, immo aliquando in tali actu necessario et inevitabiliter inest: tamen non est ille actus malus *propter suum Esse reale* et physicum, sed propter Esse rationis et relationis, quod continet, scil. propter relationem disconvenientiae seu oppositionis cum rectitudinis ordine; immo ne hoc quidem Esse relationis tam positivum est quam negativum: cf. *Suarez*, De bonitate et malitia act. hum. disp. 7, sect. 5, n. 13; *Vasquez*, In 1, 2, disp. 95, alios. Quando nimirum homo peccat, tendit in obiectum quidem sub ratione boni — sub ratione enim mali in rem ullam tendi a quopiam nequit —: verum simul satis videt, illud bonum inferioris esse ordinis, immo coniunctum cum malo ordinis superioris; et quamquam id videt et eo ipso percipit, se illud malum conexum multo magis aversari debere quam prosequi istud bonum, atque tendentiam in hoc bonum inferius et tantum apparens a se esse cohibendam neque libere sustineri ullatenus posse, nihilominus, *quod debet facere, non facit*, i. e. volens nisum a se conceptum non cohibet, neque malum illud

conexum satis aversatur, atque ideo male agit seu peccat. Hinc disharmoniam seu ordinis recti perturbationem, quae in peccato est, non per aliquod positivum, sed per aliquod negativum et *per defectum* intelligimus. Quare peccatum recte non τῶ esse, sed nihilo adnumeratur, vel potius infra nihilum ponendum est <sup>1</sup>.

Multiplex vero est illa perturbatio et rectae hominis relationis <sup>324</sup> laesio, quam peccatum quodlibet secum fert, maxime mortale. Id enim hic statim monendus est lector, ea, quae nunc dicturi sumus, per se *mortali* peccato competere, veniali peccato quaedam nullatenus, quaedam sensu diminuto inhaerere, ut fusius infra dicemus.

Prima igitur deordinatio est *contra ipsam rationalem naturam*, qua peccator propriam dignitatem laedit atque foedare audet.

Secunda: sequitur, ut, quoniam rationalis natura ad totum genus humanum spectat, etiam *bonum universale et commune humani generis* laedatur. — Quae duae deordinationes, quamquam in se malum quoddam sunt, et ut evitentur ipsa ratio postulat: vinculum tamen, quo homo ex hac sola causa ligatur, valde imperfectum est, ac proin non nisi imperfecto modo laesio seu peccatum exinde oriri potest.

Tertia, eaque gravissima, *deordinatio contra Deum* committitur, i. e. divinae voluntatis obligantis contemptus est, qui ipsius est legislatoris contemptus.

Nam eo ipso, quod homo concipit, hoc et illud sibi esse illicitum, etiam id sibi prohibitum esse considerat a supremo legislatore, cuius voluntati obliganti se sentit subiectum, sed quam transgrediens contemnit.

Porro contemptus ille tot diversos respectus seu malitiae rationes <sup>325</sup> habet, quot sunt tituli, quibus homo Deo eiusque sanctissimae voluntati subordinetur. Tot enim rationibus contra rectum ordinem atque ipsum Deum delinquit, qui divinae voluntati resistit. Tituli autem illi brevi compendio enuntiantur, si dicimus Deum supremum Dominum omnium atque gubernatorem universi, principium et finem omnium rerum. Singula sunt perpendenda <sup>2</sup>.

I. Primo igitur consideranti occurrit titulus universalis gubernatoris, quo Deus per supremam suam iurisdictionem et gubernationem homini praecipit; — hunc titulum peccator *oboedientiae laesione* negligit.

<sup>1</sup> Verum num malitia actus intrinsecus mali ita in aliquo negativo vel privativo ponenda sit, ut non ipsa illa actus positiva tendentia debeat dici mala, acute et fuse disputat *Frins*, De act. hum. II, n. 344 sqq.

<sup>2</sup> De his et subsequentibus malitiis, quas in peccato inesse dicturus sum, ne ultra veritatem exaggerentur, id observari debet, inesse quidem has malitias, at *per se* potius indirecte vel in causa tantum, atque ab homine peccante, cum valde in confuso tantum has malitias advertat atque mente concipiat, eas, non ut in se sunt, sed secundum hanc confusam cognitionem contrahi. — Toto igitur coelo distant hae malitiae, prout in *quolibet* mortali peccato inveniuntur, ab ea malitia, quae habeatur in directo et formali contemptu Dei, odio Dei etc.: sine comparatione enim peius est directe et formaliter eam malitiam velle, quae alias latens tantum adest atque in quodam germine admittitur. — In confuso scii. rem percipio, si non clare et distincte, ut notis suis distinguitur ab aliis, sed notis magis genericis, vel si *cum* seu *in* alio eam cognosco: attamen *confusa* ea cognitio gravem malitiam non tollit, si *plena* huius est *attentio*.

Hanc oppositionem ad *legislatorem* S. Iacobus 2, 10 effert his verbis: «Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus»; et S. Paulus Rom 4, 15: «Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.» — Ceterum in V. T. apud prophetas nihil sollemnius est quam populum peccantem *praevaricationis* et spreti servitii Dei arguere; Ier 9, 2: «omnes adulteri sunt, coetus praevaricatorum», et ib. 2, 20: «A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam.»

326 2. Supremam illam iurisdictionem Deus tenet summo et absoluto modo, quoniam absolutus est omnium rerum Dominus atque in ipsum etiam hominem plenissimum dominium exercet, quo se abdicare tanquam fons omnis Esse prorsus non potest. Unde fit, ut omnia, quibus homo utitur, atque ipse homo totus minus sui ipsius sit quam Dei. Hoc dominium peccator abusu rerum, quae Dei sunt, laedit, atque ita quandam *iniustitiam* contra Deum committit.

Hunc abusum creaturarum et iniustitiam quandam contra Deum eo graviorem esse intelliges, si perpendis, Deum quasi cogi, ut in ipsis peccaminosis actibus concursus physicum praestet. Summo igitur iure Deus conqueritur Is 43, 24: «Servire me fecisti in peccatis tuis.»

3. Qua summus Dominus et supremus gubernator Deus excedit infinite omnem magnitudinem et perfectionem, quam cogitare possumus; ac propter summam illam excellentiam et maiestatem supremus honor ei debetur atque adorationis cultus, qui per virtutem religionis ei praestatur. Peccator vero contra hunc honorem offendit, Deum dehonorat atque contemnit, ideoque implicite quandam *irreligiositatem* committit. Quae dehonoratio augetur propter Dei omnipraesentiam: quo fit, ut peccator ei quodammodo in faciem resistat atque *contumeliam* irroget.

Quam dehonorationem et contumeliam Deo per peccatores illatam effert S. Paulus Rom 2, 23: «Per praevaricationem legis Deum inhonoras», et addit rationem ex qua ista contumelia augetur: «Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.» Similiter Ez 36, 22: «Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis», et Nathan propheta ad David 2 Rg 12, 14: «Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini . . . filius . . . morte morietur.»

327 4. Ut principium omnium rerum Deus nobis insuper continuo ante oculos ponit profusissimam suam liberalitatem atque beneficentiam, qua tot donis et bonis, quibus utimur, nos instruxit: immo longe maior illa beneficentia per ea manifestatur, quae fides nos docet de redemptione, sanctificatione, glorificatione. Hanc igitur summam beneficentiam spernens atque despiciens peccator foeda *ingratitude* peccat.

Ingratitudinem, quam peccator committat, vivide describit Nathan propheta loco mox laudato 2 Rg 12, 7 sqq: «Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem supra Israel, et ego erui te de manu Saul . . . dedique tibi domum Israel et Iuda: et si parva sunt ista, adiciam tibi multo maiora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?» Quae multo magis applicari debent ad christianos peccantes. Deus enim ad ingentia beneficia, quae praestitit, adiecturus est longe maiora vocando et adiuvando ad possessionem bonorum aeternorum.



Conferri merentur *Improperia* quae dicuntur, quae in officio divino Feriae VI in Parasceve Ecclesia publice iubet cantari.

5. Relatio Dei ut *finis* ultimi in aliis quidem attributis iam continetur, at ex oppositione peccati ad Deum ut finem ultimum formaliter nova quaedam malitia apparet, eaque tanto gravior, quod summa benignitate Deus in intuitiva et beata sui visione supernaturalis finis noster ultimus voluit esse. Omnis igitur nostra actio ad id tendere debet, ut sit praeparatio et accessus ad Deum in beata fruitione possidendum. Verum peccator in alia re seu creatura quiescit, suam beatitudinem in ea quaerit; quo hoc committit, ut et ipse Deum tamquam beatum suum finem implicite et interpretative spernat, et demeritorie a Deo ut *suo* fine excidat: — delinquit *contra concupiscentiae amorem* erga Deum, de quo n. 440 et 441.

Conferri potest Phil 3, 18 sq, ubi S. Paulus emphatice significat, peccatorem creaturam cui inhaereat sibi quasi Deum et idolum constituere: «Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est.» Ceterum in V. T. saepissime peccatum ut idolatria et apostasia a Deo exhibetur.

6. Sed etiam contra finem ultimum absolute sumptum peccator<sup>321</sup> delinquit, quem amore benevolentiae erga Deum prosequi tenemur. Hac caritate in Deum, quae propter supernaturalem unionem cum ipso vera amicitia est, omnia quae Dei sunt, nostra facimus, ac vicissim nosmetipsos totos in Deum transfundimus. Peccator autem hanc amicitiam solvit, quae imprimis eam affectuum unionem postulat, ut cum divina voluntate eiusque mandatis nos conformemus. Loco amicae mentis, ad quam provocari debet tot rationibus, quot irr Deo perfectiones summe amabiles concipere licet, erga Deum inimicum animum gerit, ea amplectens, quae Deus summo odio prosequitur — delinquit igitur *contra amorem caritatis inimicitia* et quadam interpretativa ratione *odio* contra Deum.

Maxime in Psalmis peccatores describuntur ut inimici Dei, qui adversus Deum se extollant, atque Deum odio habeant. Ita Ps 74, 5: «Dixi iniquis: Nolite inique agere, et delinquentibus: Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem», et Ps 73, 23: «Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.» — Simili modo Christus Dominus eos, qui non *cum* ipso coniungantur, esse *contra* ipsum (Lc 11, 23), atque mundi peccaminosi amatores odio in suos adeoque in se ipsum moveri. Io 15, 18 sq: «Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis . . . propterea odit vos mundus.» — Praeterea expendi merentur querelae quasi amicae, quas Deus effundit contra populum suum ob neglectam et spretam suam amicitiam. Quantumvis exhibeatur populus tamquam uxor infidelis et adultera, nihilominus Deus iterato invitat: «Tamen revertere ad me, . . . et ego suscipiam te. . . Ergo saltem amodo voca me: Pater meus et dux virginitatis meae tu es» (Ier 3, 1 4).

7. Deus quidem semper *suum* finem, gloriam externam, consequitur,<sup>330</sup> at non eo modo, quo antecederet vult, sed quo consequenter ad



peccata commissa. Consequenter enim ad peccata vult peccatorum poenas et condemnationem, quam minatur peccanti severissimam. Nihilominus peccator sciens, hanc in Deo inesse atque ab eo exerceri iustitiam distributivam et vindicativam, divinam iram parvi pendit et despectui habet — contra illa Dei attributa *audacia et temeritate* delinquit. Cf. Is 33, 14; Sap 3, 2—15.

331 A rationibus hucusque expensis, quae ex ipsa divinitate petuntur, transire possumus ad eas, quas mysterium incarnationis et redemptionis ex parte Dei incarnati nobis suppeditat. Hac igitur ratione

8. peccata re ipsa causa sunt, cur Christus Dominus turpissimam et crudelissimam mortem subire debuerit. Qui igitur, cum haec sciat, nihilominus peccat, volens se causam facit passionis et mortis Dei incarnati, atque hoc sensu *Deicidii* reus est.

Nam revera «vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra . . . et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum» (Is 53, 5 sq). «Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum» (1 Petr 2, 24). Atque aliquo sensu ad quodlibet peccatum transferri potest, quod S. Paulus dicit de apostasia Hebr 6, 6: «Rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, et ostentui habentes.»

332 9. Christi Domini redemptione novum foedus inter Deum et homines initum est; quare sicut Iudaei propter laesam legem foederis violati incusabantur, ita hominem christianum peccantem *foedifragum* et *fidei laesae* reum recte dicimus.

Foederis laesi Deus populum suum quam frequentissime accusat per prophetas, v. g. Ez 2, 3: «Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me: ipsi et patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc.» Verum longe peiorem esse conditionem laesi foederis novi habes ex Hebr 10, 28 sq: «Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.»

Attamen haec circumstantia, cum veri voti Deo facti rationem secum non ferat, sed firmioris tantum propositi exsequendarum earum obligationum, quae aliunde iam adsunt, malitiam specie distinctam inducere non videtur, nisi attendas ad consequentem (10), videlicet:

10. Hoc foedus consecratione quadam confirmatum est, qua Christus fideles suos sibi intime univit, atque spiritualibus donis, sacramentali caractere, ipsoque Spiritu Sancto consignavit: quare homo christianus peccans se ipsum et animam suam Deo consecratam laedens actionem certo quodam sensu *sacrilegam* committit.

Ad quod refertur 1 Cor 3, 17: «Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos», et ib. 6, 15 sqq: «Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. . . . An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est?» Cf. 2 Cor 6, 16.

Quod vero in se ipsum atque ad suam perniciem peccator com-<sup>333</sup>mittit, novos porro respectus aperit, qui peccati malitiam demonstrent. Igitur ratione effectuum, quos peccatum inducit, peccator committit:

11. Propriae animae foedam exspoliationem, immo *spirituale quoddam suicidium*: cum demeritorie exstinguat plerosque supernaturales habitus et dona, praecipue vero caritatem et gratiam sanctificantem, in qua supernaturalis vita consistit, qua deficiente, anima coram Deo mortua est.

Ita verissimum est, quod dicitur Tob 12, 10: «Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animae suae»; et 1 Io 3, 14: «Qui non diligit, manet in *morte*»; sed «qui non inventus est in libro *vitae* scriptus, missus est in stagnum ignis» (Apc 20, 15).

12. Accedit, quod homo in statu peccati existens *servus diaboli constituitur*, atque abundantiore modo eius infestationibus se obnoxium reddit.

Nam «Qui facit malum, ex diabolo est» 1 Io 3, 8, et «Omnis qui facit peccatum, servus est peccati» Io 8, 34.

## § 2.

### *De distinctione inter peccatum mortale et veniale.*

Peccatum veniale vi vocis illud peccatum designat, quod per se a<sup>334</sup> vitae aeternae consecutione non excludit, ideoque veniam meretur; mortale vero illud, quod, nisi deletum fuerit, per se ab aeterna vita excludit.

I. Esse eiusmodi diversa peccata, S. Scriptura cum Traditione manifeste demonstrat, et ratio ipsa probat.

1) E. gr. S. Paulus 1 Cor 6, 10 enumerat longam seriem eorum, qui, ut molles, fures, ebriosi, maledici, rapaces, *regnum Dei non possidebunt*. Iac 3, 2 vero commemorantur *offensiones*, quae iustitiam non excludunt.

2) Tota doctrina catholica de gehenna et de purgatorio insistit in distinctione peccatorum mortalium et venialium; alia testimonia ex Traditione afferre hic non vacat.

3) *Trid.* sess. 14, c. 5 hanc distinctionem aperte tradit. Postquam enim dixit, «oportere a poenitentibus *omnia peccata mortalia* . . . in confessione recenseri», addit: «Nam *venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur* . . . taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt».

4) Ratio vero ipsa probat a) ea peccata, quae *ex imperfecta deliberatione*<sup>335</sup> procedant, a divina gratia et regno coelorum excludere *non posse*; nam sanctitati et iustitiae divinae non convenit, eum a se perfecte separare, qui ipse se non separavit a Deo, siquidem actus imperfecte humanus talem separationem plenam continere nequit. b) Ratio etiam probat, res ipsas, in quibus delinquitur, non ex sola imperfecta deliberatione, sed ex se seu ex obiecto suo posse esse tam *exiguas*, ut ex se vinculum pacis et amicitiae inter Deum et hominem non praecidant, sicut etiam inter humanos amicos quaedam leves laesiones existere possunt, quae solvendae amicitiae causae esse nequeunt. — Et quamquam, ut docet *Suarez* De peccatis disp. 2, n. 9, Deus absoluto suo dominio si uti vellet, quamlibet rem levem, maxime

distributive sumptam, sub gravi praecipere potest, propterea tamen distinctio inter obiectum graviter et venialiter malum non tollitur; nam si Deus ita praeciperet, res sic praecepta non *ex se*, sed *ex praecepto positivo* libere addito graviter mala evaderet; alia vero obiecta, *ex se* gravia, necessario a Deo ut gravia praecipi vel prohiberi debent, adeoque propter voluntatem Dei necessariam mortalia peccata efficiunt. Aliis verbis, ut exemplum proponam, si Deus sub gravi prohiberet mihi mendacium iocosum: mendacium, quod committerem, non tam esset mortalis mendacii, quam *mortalis inoboedientiae* peccatum.

- 336 II. Intrinsicum autem et essentiale discrimen inter peccatum mortale et veniale in eo consistit, quod peccatum mortale sit contemptus pacis et amicitiae divinae, ac proin simul contemptus divinae inimicitiae, veniale solummodo neglectus quidam divinae displicentiae levioris; vel quod mortale peccatum ea sit deordinatio circa finem ultimum, ut evadat plena ab eo aversio, veniale vero deordinatio quaedam circa media ad finem ultimum, quae ipsum finem nullatenus subvertat.

Videlicet eo ipso, quod praeceptum aliquod grave est, vel ut grave concipitur, homo aliquo modo concipit, divinam auctoritatem tota vi ac toto pondere exigere huius praecepti observationem, ideoque eius violationem tamquam huius divinae auctoritatis plenum neglectum et despectum non considerare non potest. Tota vero auctoritatis vi aliquid praecipere nihil aliud dicit, nisi plenam iram, pacis concordiaeque plenam dissolutionem ei minari, qui praecepto inoboediens fuerit. Cum hac autem consideratione diversae illae malitiae supra expositae saltem virtualiter et in confuso menti occurrunt.

Veniale autem peccatum non est tanta malitia, qua Deus moveatur ad concipiendam iram et plenam displicentiam ipsius personae peccantis, quae aliis verbis statum inimicitiae inducat, sed solum ad concipiendam displicentiam illius actus, ipso homine agente in amicitia retento.

Ex quibus id efficitur, ut peccatum veniale a mortali toto coelo distet, nec solum *specie*, sed *toto genere* sit diversum.

- 337 Haec de peccato *in se* considerato. Quod iam transferamus ad peccatum *subiective* spectatum, seu ut contrahitur ab homine peccante.

I. Ut peccatum aliquod utcumque committatur, requiritur aliqua actualis mentis advertentia atque aliquis mentis consensus.

II. Ut vero peccatum aliquod mortale fiat, requiritur per se 1. obiectum seu materia gravis<sup>1</sup>, 2. attentio perfecta ad rei gravitatem, 3. plenus voluntatis consensus.

III. Ad peccatum veniale requiritur, ut aut materia levis sit, aut perfecta absit deliberatio; sufficit autem, ut aliqualis, quantumvis imperfecta, adfuerit deliberatio.

IV. Per accidens vero id, quod alias est peccatum mortale, evadere potest peccatum veniale, non solum I. ex parvitate materiae, 2. ex imperfecta advertentia, 3. ex imperfecto consensu, sed etiam 4. ex conscientia erronea.

<sup>1</sup> Materia hic dicitur omne id, in quod voluntas tendit, non solum obiectum abstracte sumptum, sed etiam omnes circumstantiae, quae obiectum moraliter mutare possunt, ut finis, scandalum, periculum coniunctum, tempus, locus etc.

V. E contrario peccatum alias veniale fieri potest mortale 1. ex conscientia erronea, 2. ratione pravi finis seu intentionis, 3. ratione periculi seu occasionis proxime in mortale peccatum labendi, 4. ratione scandali, 5. ratione pravi affectus, quo aliquis rei ex se levi adeo inhaereat, ut pro illa Deum graviter offendere paratus sit, 6. ratione inobedientiae formalis seu legislatoriae auctoritatis contemptae.

**Explicatio uberior. I. De advertentia ad peccatum universim.**<sup>338</sup> Mentis advertentia eo sensu eaque extensione necessaria est, ut nulla malitia contrahatur formaliter seu subiective, quae plene ignorata vel non animadversa fuerit. At si substantialis malitia actus non ignoratur, et accidentalis illa, quae ex quibus circumstantiis accedere possit, *habitualiter* scitur, vix umquam in actu peccati ea advertentia ad circumstantias aberit, quae ad malitiam etiam illam accidentalem contrahendam sufficit. V. g. si quis in ordine sacro constitutus contra castitatem peccaret, rideretur iure merito, ut iam dixi, si defectum advertentiae ad statum suum pro causa allegaret, cur sacrilegii reum se non esse putaret. Et ita fortasse aliquorum opinio sustineri vel potius benigne explicari potest, qui ad contrahendam culpam sufficere putant, ut homo *debuerit et potuerit* advertere, quamquam non adverterit. Id enim si de substantiali malitia dicitur, nullatenus potest admitti; de accidentali, sensu explicato. Nam si debuit advertere, videndum tandem est, num forte re ipsa ad obligationem maioris considerationis adverterit. Quod si fecit, neque tamen maiorem considerationem re adhibuit, tunc temporis peccavit et subsequentis legis violatae reum se constituit, utpote in causa, i. e. in culpabili negligentia voluntaria. De cetero *prima* mentis advertentia non est in hominis libertate posita: quapropter si *nulla* advertentia antecessit, quia non potuit, neque debuit advertere.

**II. De dignoscendo peccato mortali et veniali.** In qua re recenter<sup>339</sup> quaestio repetita est<sup>1</sup>, utrum retinenda sit communis praxis theologorum, secundum quam imprimis attendatur obiectum peccaminosae actionis, quo iudicetur de peccati gravitate eaque mortali aut veniali, an in hac gravitate diiudicanda non tam obiectum quam agentis animus animique dispositio sit consideranda. At in hac quaestione ita ponenda periculum est, ne vera cum falsis misceantur.

Nam extra controversiam esse debet, malitiam genericam seu specificam malae actionis seu malitiam in abstracto consideratam esse ex ipso obiecto petendam. Quod nihil aliud est nisi dari obiectivam malitiam.

Eodem modo extra controversiam esse debet, subiectivam malitiam pendere plane ab animo agentis eo sensu, quod malitia in concreto nulla adsit, nisi a subiecto agente seu eius voluntate aliquo modo attingatur: tota enim malitia est in voluntate. Verum non est in voluntate sine obiecto; sed obiectum ipsum malum est, quod voluntatem hominemque inficiat. Aliis verbis: voluntas liberique voluntatis actus moralitatem, sive bonitatem sive malitiam, habent ex ipsa voluntatis tendentia seu imprimis ex intentione vel fine. «Obiecta autem actuum», ait *S. Thomas* I, 2, q. 73, a. 2, «sunt fines eorum.»

<sup>1</sup> Cf. *H. Gerigk*, Wesen und Voraussetzungen der Todssünde; *A. Koch* § 43, p. 134, correctius tamen in ed. 2, p. 141. — Ceterum falsos hac in re conceptus *Kleutgen* contra *Hirscher* refutavit atque egregie discrimen inter peccata mortalia et venialia exposuit et vindicavit (Theol. der Vorzeit II<sup>2</sup>, p. 404 sqq.).



Falsissime igitur sentis, si sententiam illam, imprimis considerandum esse animum agentis, sic intelligis, ac si non ipsum obiectum eiusque a voluntate libera appetitio peccatum mortale a veniali discernat, sed *habitualis* mentis affectio — quasi ille peccaret mortaliter, qui firmata voluntate malum appeteret et ex malitia peccaret, is e contrario venialiter, qui labilitate animi, ex transeunte concupiscentia peccatum infirmitatis committeret.

Nam re ipsa peccari mortaliter potest etiam ex momentanea concupiscentia animique infirmitate; immo *homines ita peccant communiter*, at peccant mortaliter, si concupiscentes obiectum graviter malum id libere volunt, concupiscentiam non refrenantes. E contrario etiam ea obfirmata voluntate atque consuetudine altissime radicata, peccari potest venialiter tantum, si videlicet obiectum est tum in se tum cum omnibus circumstantiis leviter tantum malum. Nihilominus ceteris paribus peccata cum sobria deliberatione sine affectu impellente ex solius voluntatis determinatione commissa longe graviora sunt in genere suo quam peccata ex impetu passionis profecta, idque tum de peccatis mortalibus valet, tum de peccatis venialibus.

340 Ceterum ad mortale peccatum in concreto seu in subiecto constituendum requiritur et sufficit, ut voluntas plena advertentia plenoque consensu velit obiectum quod a praelucente intellectu ut grave consideratur. Quodsi igitur intellectus recte iudicat seu homo recta utitur conscientia, i. e. ea quae secundum obiectivum rerum ordinem iudicium ferat, ad peccatum mortale constituendum et obiectum mortaliter malum seu materia gravis et plena ad gravem malitiam advertentia plenusque consensus, ut supra dictum est, requiritur.

Hinc in dignoscendo peccato mortali et veniali occurrunt duae quaestiones. *Prima quaestio* est de determinando obiecto, seu quandonam *obiectum seu materia gravis* dici debeat. *Altera quaestio* est de diiudicanda *advertentia*. In qua denuo duo consideranda sunt: 1) quomodo *advertentia plena* ab imperfecta discerni possit; 2) *ad quid* homo *advertere debuerit*, ut gravem malitiam apprehendisse censeatur.

341 I. Prima quaestio quoad *obiecti* seu materiae gravitatem in legibus *positivis*, maxime humanis, solvenda est secundum ea, quae diximus n. 240 sqq de legum interpretatione. In lege vero *naturali* aut *positivo-divina* ante omnia videndum est, num S. Scriptura, Ecclesiae definitiones, S. Patrum testimonia certum aliquid statuunt, vel quae sit theologorum communis sententia: quibus certum veritatis criterium habemus. Alias autem pro generali regula haec servire possunt:

Ex *genere suo*, aut toto aut non toto, *gravia* peccata sunt:

- 1) quae directe Deo divinisve attributis opponuntur, ut infidelitas, desperatio, blasphemia etc;
- 2) quae in gravem perniciem humani generis vel societatis vergunt, ut luxuria, rebellio;
- 3) quae proximum in diversis bonis notabiliter laedunt.

Dicuntur peccata *gravia* ex genere suo *toto*, quando genus illud parvitatis materiae incapax est, et solus defectus plenae deliberationis vel consensus veniale peccatum reddere potest; — ex genere suo, *sed non toto* ea dicuntur *gravia*, in quibus materia ita parva esse potest, ut mortale peccatum desinat, v. g. in furto etc. *Reuter* I, n. 374—376; *Lacroix* l. 5, n. 198—204.



*Ex genere suo venialia* peccata sunt, quae in appetitu rei in se<sup>342</sup> quidem honestae vel indifferentis consistunt, attamen in appetitu *immoderato*, ut vana gloria, gula etc. (appetitus inordinatus propriae aestimationis, rerum ad vitam necessariorum . . .) — quae ut evadant mortalia, novam malitiam sibi per se extraneam induere debent. Cf. *Reuter* I, n. 377; *Lacroix* l. 5, n. 205.

Sub hac enuntiatione *pleraque*, non tamen *omnia* comprehenduntur, quae sunt venialia ex genere suo.

Ceterum haec pro generali tantum regula statuuntur: cum in singulis praeceptis officium nostrum sit inquirere, quandonam gravis, quando levis eorum laesio committatur.

2. In secunda quaestione quoad *advertentiam*.

343

A. Videndum est *quoad rem ad quid* attentio hominis ferri debuerit, ut mortale peccatum commisisse censeatur (cf. etiam, quae de conscientia dubia dixi n. 123). Ad quod respondendum est:

1) Aliquo modo concipi debuit actus commissus tum ut *Dei legislatoris* laesio, tum ut *gravis* eius laesio.

2) Neutrum vero, ut conceptu formali et reflexo menti obiectum fuerit, requiritur. Nam Dei legislatoris laesio eo ipso in confuso, *quantum satis est*, cognita habetur, quod homo se obligatum esse sentiat, atque rem aliquam *ut absolute sibi illicitam* apprehendat. Hac ratione ipsi etiam infideles et athei satis numen divinum eiusque legislationem apprehendunt atque stimulum conscientiae ut Dei existentis et obligantis nuntium et praeconem non possunt non advertere, eumque si spernunt, inexcusabiliter spernunt. Cf. quae dicta sunt supra *de lege* cap. 5, § 1.

*Ut gravis* vero Dei laesio res concipitur, si eam *rationi* seu naturae rationali *graviter contradicere* iudicatur.

Hinc si agitur de homine pleno usu rationis fruente, et si modo res ipsa in se ut graviter inhonesta ab eo concipitur, practice numquam admitti potest talis Dei ignorantia vel inadvertentia, quae a peccato *ut mortali* excuset. Hoc sensu habes thesin 2 ab *Alex. VIII* 24 Aug. 1690 damnatam ut scandalosam etc. et *erroneam*: «Peccatum philosophicum seu *morale* est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et *mortale* est transgressio libera divinae legis: philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, *neque peccatum mortale* dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.»

3) Attamen in homine christiano, qui pio et christiano more vivere consuevit, communiter, si advertentia ad gravem malitiam adest, etiam expressa cogitatio de *Dei inimicitia* incurrenda, de *poenae aeternae* reatu contrahendo vel *similibus* aderunt.

B. *Quoad modum* attendendi discrimen inter perfectam et imperfectam<sup>344</sup> advertentiam vix aliter assignari potest, quam comparationibus quibusdam et coniecturis.

1) *Non requiritur* ad perfectam advertentiam iterata reflexio vel temporis diuturnitas, immo sufficit sola directa advertentia (non reflexa) ad obiecti malitiam.

2) *Positive* declarari potest plena advertentia tamquam ea, qua homo plene sui compos, i. e. vigil neque distractione abreptus, ad negotium sat magni momenti attendere solet.

3) *Comparative* ad imperfectam advertentiam vel consensum non plenum. Signa scil. imperfectae advertentiae haec afferri possunt: a) Si quis semidormiens, vel semiebrius fuit; b) si *quasi* semidormiens rem levi et tenui cogitatione tantum apprehendit; c) si vehementi passione vel distractione turbatus fuit; d) si post factum rem melius considerans statim iudicat, se omnino non fuisse facturum, si antea ita rem apprehendisset.

345 Insuper ex parte consensus non pleni haec signa addi possunt: a) si quis *plene* advertens ad tentationem eam statim repulit, is antea non dedit plenum consensum; b) item si quis plenius advertens statim angitur; c) si quis facile procedere potuerit ad actum externum nec fecit, supponi potest, non fuisse plenum consensum *in desiderium actionis malae*; d) si quis habitualiter paratus est potius mori, quam Deum graviter offendere, in dubio omnino in eius favorem iudicandum est: immo tale iudicium est *moraliter certe* rectum; si enim ille vere plenum consensum dedisset, non dubitaret. E contrario autem qui *laxae* conscientiae est, in dubio potius dici debet consensisse, ut notatum est *de conscientia* n. 139. Cf. *Lacroix* l. 5, n. 226; *Reuter* I, n. 373 et Neo-Confess. n. 244 265; *Billuart*, De pecc. d. 8, a. 3, § 3.

346 3. Ex his confessarius facile colliget, quae ad rectum iudicium de peccato poenitentis formandum interrogare debeat, scil. utrum, cum primum ad gravem malitiam attenderit, cogitationes expulerit et ad orationem confugerit necne; num melius rem considerans statim territus fuerit etc. . . . Quae et similia si dubie tantum affirmare vel negare potest poenitens, ex eius habituali statu pro eo vel contra eum iudicabis; attamen non facile peccati gravis eum reum pronuntiabis, sed aliquando Deo iudicium relinqui debet.

Invat hic afferre notam ex *Reuter*, Neo-Confess. n. 267, 8: «Contingit non raro, ut homo, qui ante assuetus erat peccatis in materia venerea, aut cuius phantasia ex diuturnis tentationibus infecta est speciebus venereis, ilico abripiatur in delectionem veneream putetque se consentire, mox autem se retrahat atque horreat timens ne consenserit. Verum ne iudicet se consensisse. Licet enim appetitus sensitivus delectationem conceperit, et aliqua etiam conaturaliter voluntatis complacentia consecuta sit, haec non fuit libera. Habitus enim antiqui conaturaliter operantur primum motum, neque potest homo eum reprimere, priusquam adsit. . . . Ex eadem ratione notant auctores, saepe fieri, ut homo, qui coepit serio converti, diu inhaereat cogitationi, nec tamen consentiat; quia habitus acquisiti operantur, neque potest homo aliis intentus animum tam cito advertere ad resistendum. Concors quoque est multorum sententia, quod ratio per importunas incidentias saepe etiam in delectationem perveniat, idque satis longa mora, antequam sui ipsius per maturam deliberationem plene compos fiat, et in

talibus boni homines [i. e. timoratae conscientiae] peccatum mortale metuere non debent. Si huiusmodi homines postea [nam in actu tentationis id nequaquam faciendum est] se examinent, et primo videantur sibi non consensisse, aut tantum dubitent vel timeant de consensu, praesumant se non consensisse nec recedant ab hac resolutione.»

Immo etiam relate ad actiones externas *Laymann* l. 1, tract. 3, c. 5, n. 13 ait: «Id etiam in iis locum habere potest, quae per se mala sunt, ut animus in vehementi passione irae vel tristitiae adeo absorbeatur cogitatione commoditatis vel incommoditatis, ut vel nihil omnino vel valde tenuiter attendat ad operis malitiam seu inhonestatem; quo casu vel nullum, vel dumtaxat imperfectum ac veniale peccatum erit; quod arbitrario interdum evenire iis, qui nimia tristitia absorpti sibi ipsis necem inferunt.»

*Less.*, De iust. et iure l. 2, c. 29, dub. 2, n. 10 *perfectam advertentiam gravis peccati* adesse ait, «quando mens sui compos non abrepta aliis cogitationibus reflectit se super suum actum, et considerat illum in materia notabili divinae legi esse contrarium, vel saltem de eo dubitat».

4. Ultima verba insinuant, ad peccatum mortale constituendum<sup>347</sup> sufficere, ut homo dubitans de mortali venialive malitia illudque dubium non deponens agat. Quod verum est, modo sit verum et fundamentum dubium, ut verbis *P. Laymann* utar, «intellectus iudicantis, non merae apprehensionis».

Si dubium illud ut non satis fundatum concipitur, confer, quae in mitiorem sententiam dicta sunt *de conscientia* n. 123.

Hinc potiore iure assumitur, ut l. c. dictum est, hominem non laxae conscientiae, quando solum ad malitiam generice conceptam attendit, nihil advertens ad gravem aut venialem malitiam, communiter venialiter tantum peccare, nisi de peccatis ita certe gravibus agatur, ut eorum malitia, qua gravis, mentem considerantis fugere nequeat.

5. Ad consensum plenum, qui ad mortale peccatum sufficiat, pertinet etiam deliberatio perfecta de eo dando vel denegando in re gravi. Qui enim id vere *in deliberationem ducit*, eo ipso dicit, *posse* in tali re creata latere tantum bonum et commodum, quod divinae amicitiae praeferre paratus sit: quod manifeste idem est, ac Deum creato bono postponere, seu mortaliter delinquere (vide *Reuter*, Neo-Confess. n. 372, 2). — Si vero deliberatio non fuit perfecta, sed tantum quaedam negligentia in cogitationibus et affectibus pugnantibus expellendis vel sedandis, peccatum veniale non exceditur.

## Caput II.

### De distinctione peccatorum quoad species et numerum.

Cf. imprimis *Lugo*, De poenit. celebrem disp. 16; *Lacroix* l. 5, n. 113 ad 182; *Scavini* I<sup>10</sup>, n. 780 sqq; *Müller* I, § 127 sq.

#### Articulus I.

##### Generales regulae huius distinctionis.

Notum est, ad confessionis integritatem spectare, ut peccata accusentur secundum speciem et numerum; atque ideo confessarii esse,

in hoc onere poenitentem, si opus fuerit, instruere et iuvare. Quare ipse ante omnia hanc distinctionem scire debet. At tota haec distinctio non physica exactitudine sumitur, maxime si numericam distinctionem consideramus, sed morali quadam aestimatione, ita ut saepe multos actus physice distinctos sub *uno* peccato concludere liceat.

### § 1.

#### *Specificae distinctionis generales regulae.*

348 Quamquam infima specifica distinctio in singulis praeceptis explicandis suo loco tradenda est, tamen hoc loco norma quaedam communis notari debet, secundum quam postea accurata distinctio fiat.

1<sup>a</sup> regula, quam *Scotus* primam habet (in 2 dist. 33): Peccata species distinctas sumere ex honestate qua privant, seu virtute, cui opponuntur; ideoque peccata specie distincta haberi, si virtutes diversae violantur, aut eadem virtus modo moraliter (secundum prudentem aestimationem) notabiliter diverso.

2<sup>a</sup> regula, quam *Vasquez* praefert disp. 98, c. 2: Peccata specie distincta sunt, si leges, quae violantur, sunt formaliter diversae: siquidem peccatum proxime est oppositio contra legem; quare ubi lex est formaliter diversa, oppositio contra eam formaliter diversa est.

3<sup>a</sup> regula, quam ex *S. Thoma* colligere licet (1, 2, q. 17, a. 2 5; q. 72, a. 1 2): Peccata specie distincta sunt, si obiecta, circa quae versantur, sunt diversa formaliter: omnis enim actus suam speciem sumit ex obiecto; unde diversa obiecti bonitas bonitatem diversam actui tribuit, diversa obiecti malitia malitiam diversam.

Omnes illae regulae idem fere dicunt (cf. *Bucceroni*, Institutiones theol. mor.<sup>5</sup> I, 298); pro diversa tamen re modo una, modo altera magis obvia est ad specificam distinctionem inveniendam. Cf. *Suarez*, De bon. et mal. act. hum. disp. 7, sect. 7. Immo *Laymann* l. 1, tr. 3, c. 2 regulam *Vasquez* dicit esse commodam pro peccatis, quatenus praeceptis *positivis* repugnent, alias duas pro iis quatenus repugnent legi naturali. Recte *Müller* § 127 regulas illas sic iunctas exprimi posse arbitratur: «Specifica peccatorum distinctio desumitur ex obiectis, motivis et circumstantiis moraliter diversis, id est, quae praeceptis formaliter diversis seu, quod idem est, quae diversis virtutibus aut diversis eiusdem virtutis actibus repugnant.» Ceterum cum de suprema tantum formula agatur distinctionis peccatorum: tanti momenti non est, diutius in ea re immorari.

Ad 2 et 3 regulam id tantum adverte, non omnem legum aut obiectorum diversitatem peccatorum distinctionem secum ferre, neque omni eorum identitate eadem peccata esse demonstrari. V. g. si lex divina, lex ecclesiastica, lex civilis furtum prohibet, furtum non diversam, sed eandem malitiam habet et retinet. Contra, si lex ecclesiastica, superior religiosus, confessarius ieiunium praescribunt, non idem peccatum est, prout unum aut alterum praeceptum violatur. Scil. videnda est ratio motiva seu causa, ob quam praeceptum feratur, vel *in quam virtute* res praecepta ut obiectum necessarium



collocetur: quae si diversa est, obiectum, quod idem est materialiter sumptum, formaliter idem non est. Cf. *Reuter* I, n. 340—347.

## § 2.

### *Numerica distinctio.*

Ante omnia advertere, in ordine ad confessionem instituendam tot<sup>349</sup> peccata numerari debere, quot *communis hominum ratio* numero diversa distinguit; sic enim confessionis legem, quae ad omnes dirigitur, latam esse rationabiliter interpretamur. Porro imprimis ex modo dictis patet, tot numerari peccata *quot species* malitiae diversae in actu inveniuntur. Hic ultra quaeritur, quomodo *numerentur* seu multiplicentur peccata in eadem specie. Quod duobus modis fieri potest:

1. Si actus numero plures sunt; 2. si in uno eodemque actu (qui numero et forte etiam specie unus est) plura obiecta attinguntur.

*Ex actuum pluralitate* numerica distinctio pro confessione sumitur secundum sequentes regulas:

Ante omnia distingui debent: 1) peccata mere interna seu quae interne consummantur sive complentur (scil. delectationis morosae et desideria inefficacia). 2) Peccata interna quidem, sed quae tendunt ad externam executionem, seu proposita externi peccati. 3) Peccata externo actu completa. Quibus praenotatis, sit:

1<sup>a</sup> regula. Peccata, quae interne consummantur, toties multiplicantur, quoties homo, post deliberatam cessationem ab actu, illum denuo repetit. Cf. *S. Alph.* V 38; *Marc* n. 327; *Ballerini-Palm.* I, n. 652 sqq.

Unde concluditur: *Brevis omnino interruptio non voluntaria* non obstat, quominus actus peccaminosus *numero idem* produci censeatur.

Qui vero per totum diem internis illis peccatis inhaeret, tamen aliquoties censetur peccatum numero auxisse, cum impossibile videatur, ultra 2—3 horas idem numero peccatum protrahere. In praxi vero sufficit indicasse spatium dierum vel hebdomadarum, si sic quasi continenter pravae cogitationes fovebantur, quia eo ipso confessarius numerum probabilem seu verisimilem concipit, nec plus exprimi potest.

2<sup>a</sup> regula. Peccata interna cum relatione ad opus externum seu<sup>350</sup> *proposita* externe peccandi (a quibus tamen ipsa executio non processit sive propter diuturnam moram forte interiectam sive propter retractationem) toties multiplicantur, quoties, voluntate prava deposita seu mutata, eadem denuo assumitur. Cf. *Ballerini-Palm.* I, n. 655 sqq; *S. Alph.* V 38 sqq; *Laymann* l. c. cap. 3, n. 4.

Deponitur autem illud pravum propositum: a) formali retractatione; b) retractatione implicita, vid. actione aliqua, quae proposito illi perseveranti repugnat (ut v. g. vera et sincera amica hominis receptio repugnat voluntati eum interimendi); c) deponi etiam potest spatio temporis diuturniore (sic propositum externae actionis numero idem non iam censetur, si *plures* dies elapsi sunt neque ad executionem aliquod paratum fuerit).



Non obstat unitati numericae interruptio non voluntaria etiam diuturnior; neque interruptio per actus naturales somni, aliorumque negotiorum; neque multorum dierum intervallum, si interim exsecutio parata vel coepta est. Tunc enim praecedentia proposita, quorum unum ab altero pendeat, cum sequenti executione in unum peccatum uniuntur; temporis diuturnitas circumstantiam aggravantem constituit. Si vero proposita saepius repetita in tali morali unione non erant, etsi postea exsecutio sequitur, tamen ut peccata distincta accusari debent.

351 3<sup>a</sup> regula. Peccata externe consummata toties numero distinguuntur, quoties obiectum in se completum habent. Media, quae aut *in se* indifferentia sunt, aut, si peccaminosa, tamen in eadem specie cum completo peccato atque eiusmodi, quae natura sua intelliguntur adhibita, separatim accusentur non oportet: secus, si *in se* peccaminosa sunt neque per se in peccato completo inclusa intelliguntur. *S. Alph.* V 41 sqq; *Laymann* l. c. n. 5.

Hinc: 1. Qui intenderat ab initio fornicationem, non tenetur distincte confiteri verba, tactus praecedentia (quia sunt media, quae natura sua intelliguntur adhibita); immo neque approbationem vel tactus immediate subsequentes, quia ad eundem aestum libidinis referuntur atque quodammodo peccata facti continuationem et complementum constituunt.

2. Tenetur confiteri, quae modo dicta sunt: a) si sequuntur post aliquod intervallum a peccato completo; b) si non erat prima intentio fornicationis, sed tactus tantum (quia, si ita erat, tactus non erant media ad ulteriora, sed peccatum in se completum — quapropter *singula* peccata specie distincta explicanda sunt).

3. Qui intendens necem inimici, quo melius id exsequatur, illi aut alteri insuper damnum in bonis fortunae infert, sese inebriat etc., omnia haec peccata distincte confiteri debet, quia haec sunt media in se peccaminosa neque media, quae cum nece accusata necessario adfuisse intelliguntur.

352 Ex *pluralitate obiectorum*, quae unico actu attinguntur, numerica distinctio sumitur secundum regulam sequentem:

Si obiecta illa plura sub conceptu confuso multitudinis concipi poterant et concipiebantur, *numerum distinctum*, etsi scitur, declarari opus non est, sed sufficit accusari obiectorum *multitudinem* seu pluralitatem; si vero obiecta illa plura distincte concepta sunt atque voluntas vel actio mala in singula ut distincta dirigebatur, distinctus numerus in confessione accusari debet. *Laymann* l. 1, tract. 3, c. 3, n. 2; *Lugo*, De poenit. disp. 16, n. 126 sqq; *Suarez*, De poenit. disp. 22, sect. 5, n. 34; *Ballerini-Palm.* I, n. 630 sqq.

Hinc: 1. Qui coram pluribus alicuius honori detraxit, satisfacit legi confessionis, si dicit se coram pluribus detraxisse.

2. Qui communitati qua tali detrahit, satisfacit exprimendo *communitatem* laesam esse, etsi distinctum numerum membrorum scit; expedit scire, fueritne parva an magna.

3. Qui plures uno ictu occidit, debet numerum explicare, si singulos, ut erant singulae personae, occidere volebat; secus, si tantum ut in pluralitatem voluntatem et actionem dirigebat (ut v. g. qui totam aliquam exercitus

cohortem interemit, navim cum vectoribus demersit, agmen curruum viae ferratae in profundum egit).

4. Qui plura et diversa infortunia optat inimico, illa explicare non debet, quia omnia haec sub eodem conceptu mali optat; aliter, si optasset, diversa mala inimico *inferre*. Nam in ultimo casu obiectum peccaminosi desiderii sunt aliae actiones peccaminosae, quae, si sunt aut numero aut specie distinctae, totam suam specificam et numericam malitiam transfundunt in illud unum pravum desiderium: idem sane, si per alios inimicum laedi cupit.

5. Qui optat plures homines occidere, numerum declarare debet aut non debet, prout in executione numerus declarandus foret aut non. Ceterum si desiderium pravi operis est desiderium *inefficax seu velleitas*, facilius quam in ipsa executione accidit, ut abstrahi possit a distincti numeri declaratione; aliter, si est voluntas efficax seu verum propositum. Quod applicari potest ad desideria luxuriosa circa plures personas etc.; cf. *Lugo* l. c. n. 135 sqq et 558 sqq.

## *Articulus II.*

### De peccatorum interiorum specifica distinctione.

Paulo superius iam notatum est, peccata interna, quae pro obiecto <sup>353</sup> aliquod peccatum habent, ab ipso suo malo obiecto desumere specificam malitiam. Haec autem doctrina in se certissima fusius explicari debet pro diversitate interiorum peccatorum. Vide *Reuter* I, n. 383 sqq.

I. Peccata interna distinguuntur: delectatio morosa, desiderium, gaudium. *Gaudium* refertur ad peccatum praeteritum seu antea commissum; *desiderium* est de peccato futuro seu perpetrando; *delectatio morosa* dicitur de obiecto malo vel actione peccaminosa menti per cogitationem et imaginationem exhibita, ut cogitanti appetibili et *cum complacentia accepta*.

Dicitur *morosa* delectatio non propter temporis diuturnitatem, quae non requiritur, sed quod post advertentiam rationis voluntas nihilo minus in illa re sibi complacendo immoratur; est igitur idem ac delectatio libera seu deliberata.

Desiderium potest esse aut *efficax*, i. e. talis voluntatis affectus seu tendentia, quae ad effectum seu operis complementum procedere vult, brevi *propositum*; aut potest esse desiderium *inefficax* seu velleitas, quae ad verum propositum rem exsequendi non procedat. Desiderium inefficax est voluntas, quae secundum tendentiam suam in rem peccaminosam fertur conditionate, ita tamen, ut *affectus ad rem malam* adsit, sed sunt circumstantiae aliae rationes, quae ab operis prosecutione retardant. Quare per se *specificam* malitiam *obiecti* eandem contrahit, ac desiderium efficax. Expediit tamen in confessione audienda intelligere, fueritne annon desiderium efficax verumque propositum peccati externi perpetrandi, ut occasiones fugiendae atque remedia adhibenda melius cognoscantur. — Ceterum de *integritate* confessionis loquens *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1032 de pravis desideriis ait: «neque opus est addere, utrum actus circa obiectum fuerit absolutus an conditionatus. *Aversa* q. 10, sect. 10, § 2.» At desiderium inefficax est, ut dixi, actus

conditionate obiectum suum amplectens, efficax desiderium absolute in obiectum fertur.

354 II. Gaudium induit per se specificam malitiam totalem illius actionis, de qua versatur, i. e. non tantum malitiam specificam obiecti in se sumpti, sed etiam diversarum circumstantiarum, si ex illis nova specifica malitia actionis oriebatur. Ratio est, quia gaudium approbat actionem concretam, uti posita erat, ac proin *omnem* eius malitiam. Ita saltem frequenter et per se accidit, modo in confuso aliqua ratione diversae circumstantiae menti gaudentis obversentur. Quodsi hoc plane non fit — ut facilius evenire potest in gaudio de alieno peccato —, illarum circumstantiarum malitia non contrahitur.

III. Desiderium etiam induit malitiam tum obiecti in se sumpti tum diversarum circumstantiarum. Ratio est, quia desiderium tendit in actionem ponendam, seu individuum et concretam, eamque amplectitur: porro individua actio quaelibet circumstantiis concretis et determinatis constituitur; qui igitur hanc actionem vult, vult omnes eius circumstantias, seu omnem etiam eam malitiam, quae ex circumstantiis oritur.

Haec saltem valent de desiderio efficaci; sed etiam de inefficaci, *si* circa actionem quandam individuum versatur; si vero desiderium inefficax concipitur circa actionem in abstracto sumptam, mens et voluntas potest a quibusdam circumstantiis abstrahere.

IV. Delectatio morosa (de re intrinsecus et absolute mala) peccaminosa est atque obiecti sui speciem continet: diversarum circumstantiarum, quando circa eas quoque delectatio seu approbatio versatur, etiam malitiam contrahit, alias harum malitia non contrahitur.

Num vero totius obiecti malitia secundum *infimam* speciem semper contrahatur, infra fusius discutiendum est.

355 Fusior explicatio. I. De delectatione in genere. De delectatione et gaudio ut rectum iudicium feratur, plures affectus distinguendi sunt.

Delectatio prava morosa et prava cogitatio saepe convertuntur, idque practice recte, cum una cum altera cohaereat, atque, una intellecta, altera etiam communiter intelligatur. Attamen per se cogitatio rei pravae multiplex distinguitur, neque omnis cogitatio rei pravae prava cogitatio est, neque omnis delectatio ex eiusmodi cogitatione capta recte prava delectatio appellatur.

I. Alia est delectatio *de cogitatione* rei malae, alia delectatio *de re* mala cogitata. Prima *per se* mala non est, sed est delectatio *sciendi*. Quae scientia rei malae, ex qua spiritualis de scientia delectatio sequitur, ut accuratius dicam, a) si ex rationabili causa utilitatis vel necessitatis comparatur, nullum peccatum, sed bona est; b) si ex vana curiositate eiusmodi cogitatio suscipitur, ex se veniale peccatum est; c) si vero cum ea coniungitur — id quod saepe fit — grave periculum incidendi in *approbationem rei graviter malae*, mortale peccatum generatim est: idem, si coniungitur in re venerea cum periculo gravi pravi motus eiusque consensus, malitiam contrahit huius delectationis venereae voluntariae, non tamen malitiam omnem rei cogitatae eiusque circumstantiarum.

Delectatio vero *de re mala* cogitata, si voluntarie capitur, ut approbatio rei malae peccatum est, idque grave peccatum, si res approbata graviter mala est, atque malitiam specificam ipsius rei cogitatae et approbatae habet.

Vel ut alio modo exponam, quae *Lacroix* (l. 3, p. 1, n. 895 etc. l. 5, n. 93 etc.) notat de luxuria (cf. etiam *Cardenas*, Crisis theol. disp. 42, c. 2):

a) esse potest cogitatio *speculativa*, quae res vel actus etiam pravos eorumve delectabilitatem considerat in abstracto et ut obiectum scientiae: quae si peccatum est, non est ex se, sed ex periculo coniuncto;

b) alia est cogitatio *practica*, quae considerat rem actumve pravum ut cogitanti convenientem et appetibilem, hinc eo modo, qui proxime aptus sit ad ciendam in cogitante turpem concupiscentiam — a qua cogitatione distingui potest *consensus in eam*;

c) proxime coniuncta cum cogitatione practica rei venereae est ipsa commotio seu *delectatio venerea*, atque *consensus in eam*.

Relate ad peccaminositatem

356

a) certe mortale peccatum est consensus in delectationem ipsam veneream seu in veneream commotionem, cum in re venerea non detur parvitas materiae.

b) Semper etiam mortale peccatum est, *consensum dare practicae cogitationi*; practice etiam mortale peccatum censendum est, voluntarie cum plena advertentia practicum cogitationem de re venerea *sustinere*, postquam practicus eius character cognitus est, nisi forte gravis causa et conatus practicum characterem removendi excuset secundum mox dicenda sub d). — Videlicet *consensum dare practicae cogitationi* idem est ac rem pravam *vere approbare*: quod nemo dixerit sine peccato fieri posse. Ceteroqui causa per se efficax pravae *commotionis* ponitur. — Quatenus vero ab illo consensu distinguitur voluntariam practicae cognitionis moram trahere, seu mentem occupare circa cogitationem appetibilitatis rei pravae, hoc eum, qui ita agit, saltem reum facit gravissimi periculi temere suscepti ipsam rem actumve pravum approbandi, aut saltem incidendi in veneream commotionem eiusque consensum.

c) Periculosum est, ac propterea saepe mortale peccatum, cum plena deliberatione ex mera curiositate de rebus graviter obscenis speculativas cogitationes fovere, quia grave periculum subitur, idque sine causa, incidendi in practicum cogitationem et veneream delectationem eiusque consensum. Si vero propter circumstantias eiusmodi grave periculum abesset aut non adverteretur, a gravi peccato excusatio adesset.

d) Qui vero ex necessitate de rebus turpibus cogitans conatur speculativam tantum cogitationem habere, et a consensu in delectationem veneream procul abest: etsi aliquando practica cogitatio oriatur quam a speculativa non possit satis distinguere, non est facile inquietandus, siquidem *consensus* in practicum cogitationem videtur non adfuisse, vel saltem non cum plena advertentia.

2. Alia est delectatio de *re mala*, alia delectatio de *modo lepido* 357 vel ingenioso in se non malo, quo res mala peracta est. Posterior per se culpa caret, vel si otiosa est, per se venialem culpam non excedit.

Si autem modus *in se* malus est, de eo delectari seu eum approbare, peccatum esse patet. Similiter peccatum extrinsecus aliquando



accedere potest ratione scandali aut periculi, v. g. si quis delectetur de modo ingenioso, quo proferuntur verba obscœna. Vide *Reuter* I, n. 389.

Cavendum etiam semper est, ne gaudium vel delectatio de modo transeat in gaudium de ipsa re mala.

358 3. Alia est delectatio de re vel actione mala, alia delectatio et gaudium de *effectu*, qui ex peccato secutus est.

Si igitur effectus non malus, sed bonus est: de effectu semper gaudere possum, numquam vero de peccato, quod illum effectum produxit.

At possumne fortasse de re obiective mala, sed sine subiectiva malitia effecta gaudere propter effectum bonum, quem produxit?

R. distinguendo: si, defectu advertentiae et voluntatis non obstante, actus in se obiective malus manet, de eo actu obiective malo gaudere non licet; si vero propter defectum voluntarii actus ipse obiectiva morali malitia destituitur, quamquam malum inferioris ordinis in se continet, subdist.: si proportio est inter effectum bonum et malum atque ita v. g. ordo caritatis laeditur, iterum non licere dico; si nihil eiusmodi obstat, gaudere licebit, quamquam gaudium referri non licet ad violationem legis qua talem.

Exempla rem declarabunt:

1) De pollutione nocturna innaturali gaudere non licet, etsi de effectu id aliquando liceat; de eiusmodi pollutione naturali etiam non licet propter voluptatem rei insitam gaudere, licet tamen propter tentationis mitigationem inde orituram.

2) De refectioe ex ignorantia ieiunii praecepti sumpta gaudere licet, non ut est legis obiectiva laesio, sed ut est virium corporis restauratio: facile tamen eiusmodi gaudium ob aliquam gulam veniale peccatum evadere potest. Hic igitur nota discrimen: gaudium de esu, etsi fit simul approbatio voluptatis esui insitae, aut nullum aut veniale peccatum est, quia esus est in se res indifferens; gaudium vero de pollutione etiam naturaliter exorta, si propter voluptatem insitam fovetur, grave peccatum est, quia approbatio est *delectationis graviter prohibita*.

3) De morte patris gaudere non licet propter hereditatem acceptam, quia ordo caritatis non servatur: a fortiori damnandum est — ut damnavit *Innoc. XI* thes. 15 — «gaudere de parricidio parentis in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas».

359 II. De gaudio et affectibus conexas. I. Ad gaudium de re vel actione mala accedit *tristitia de bono*.

Si igitur tristitia concipitur non de opere qua bonum est, sed de molestia operis boni, immo de opere bono ut molesto, communiter erit peccatum veniale torporis, nisi concipiatur vera aversatio a re vel opere bono ad salutem vitae aeternae instituto, vel adsit voluntas (vel grave sit periculum) omittendi opus bonum sub gravi debitum.

Quare si quis deliberate tristitiam conciperet de voto emisso propter difficultates, quas in eo implendo reperit, graviter peccaret, si tanta inde resultaret animi remissio, ut gravi periculo sese exponeret votum



frangendi; alias vero, si retinet voluntatem votum implendi, non peccat nisi venialiter: immo si temere votum emisisset, de hac temeritate tristando nullatenus peccat. — Grave peccatum utique esset ex tristitia de pugna et labore transire ad tristitiam de ipsa amicitia divina cum pugna conservanda; de vocatione ad futuram beatitudinem per labores acquirendam. Cf. infra *de acedia*.

2. Ad gaudium de actione mala refertur etiam *iactantia de peccato* <sup>360</sup> commisso; quamquam in se non est idem, sed potius supponit gaudium de peccato patrato. Quare facile accidere potest, ut iactantia de peccato multas in se malitias contineat (*S. Alph. H. A. tract. 9, n. 9*), easque in re gravi mortales: sunt 1) gloriatio de offensa Dei, 2) gaudium et approbatio peccati praeteriti, quo omnes specificae malitiae peccati facti contrahuntur, 3) scandalum, quo alii facile pertrahuntur ad peccatum.

3. De gaudio circa peccata praeterita concepto et admissio expedit poenitentes interrogare: 1) si sese iactarunt de peccato; 2) si perpetrarunt peccata externa, quae aut magnam voluptatem afferunt, aut magnum terrenarum rerum, ut bonorum fortunae, honoris etc., emolumentum contulerunt. Nam tunc facile fit, ut propter effectum, qui placet, ipsum illorum effectuum fontem et originem saepius approbent.

4. Qui igitur gaudium peccaminosum conceperat de peccato luxuriae, de malo inimicis illato etc., in confessione per se declarare debet quamlibet circumstantiam, quae peccatum illud externum, de quo gavisus est, malitia gravi specificè diversa affecerat, v. g. circumstantiam cognationis, matrimonialis vinculi etc.

Idem observa in pravis desideriis, saltem si efficacia erant; aut si utcumque ad distinctas personas dirigebantur: nam in iis peccatis nequit abstrahi a circumstantia cognationis, vinculi matrimonialis, sacri status eius personae, in quam pravum desiderium ferebatur, etsi haec circumstantia ex se ad desiderium non impulerit.

III. De desiderio. In hac re praecipua quaestio solvenda occurrit <sup>362</sup> circa desideria conditionata, eorumque sive licitatem sive peccaminositatem.

1. Desiderium igitur inefficax seu conditionatum actus prohibiti sub ea conditione «si liceret» per se loquendo peccatum non est, si conditio apposita omnem malitiam ab obiecto aufert, et si insuper omnis affectus pravus pro praesenti abest.

2. E contrario eiusmodi desiderium conditione non obstante peccatum est, 1) si conditio malitiam obiectivam non aufert, 2) etsi ab obiecto in se spectato malitiam aufert, si desiderium ex *praesenti affectu illicito* procedit.

Quare: 1. Peccaminosa sunt desideria: fornicarer, si licitum esset; vindictam sumerem de inimico, si Deus non prohiberet; blasphemarem, si permitteretur. Quamquam — modo excipias ultimum exemplum, quod praesentem affectum mortaliter malum eumque voluntarium erga Deum involvere omnino videtur — qui eiusmodi desideriis non vere cuperet, ut actus illi liciti evaderent, sed tantum exprimere vellet suam *involuntariam* vitiosam

inclinationem, secundum *S. Alph.* a *gravi* peccato excusandus est. Graviter tum demum aliquis peccat, quando voluntarie praesentem affectum erga tales res peccaminosas sustinet.

2. Insuper grave peccatum est desiderium copulae carnalis, quod aliquis fovet sub conditione: si non esset sacerdos, si haec mulier ipsius uxor esset; nam licet conditio ab *obiecto* malitiam auferat, tamen *praesens affectus* fertur in rem propter praesentem statum illicitam inducitque periculum actualis libidinis. Quare per se a peccato gravi non excusatur. Habes hic ea, quae supra de practica cogitatione dicta sunt, nimirum res venerea pro praesenti statu illicita *hic et nunc placet*, utut non placeat *pro nunc*; quare habes consensum practicae cogitationi hic et nunc praestitum, et nisi sit consensus ipsius turpis motus et delectationis, saltem huius consensus atque delectationis proximum periculum.

3. Idem fere dic de gaudio circa actiones praeteritas, quae tunc temporis licitae erant, nunc autem licitae non sunt. Videlicet si actualis delectatio peccaminosa est, eiusmodi cogitationes et gaudia prorsus prohibita sunt, e. g. viduae morosa cogitatio et delectatio de usu matrimonii praeteriti. Quamquam si simplex est approbatio voluntatis, haec ex sese non statim peccati damnari potest; nihilominus propter periculum praesentis voluptatis excitandae interdicienda est. — Si igitur in rigore loqui volumus et accurate, *gaudium* (quod est solius voluntatis approbatio) de voluptate habita viduae non est *ex se* peccatum, sed facile fit propter periculum, si in illo gaudio immoratur; *delectari* autem nunc de praeterita voluptate *ex se* peccatum ei est.

4. Non peccaminosa autem sunt desideria sequentia: si religiosus non essem, eleemosynam darem; si per sacros ordines mihi liceret, in iusto bello adversarios prosternerem; si Deus mihi ius concederet, haec bona aliena occuparem: quamquam haec et similia desideria saepe saltem otiosa sunt.

5. Similiter si desiderium conditionatum «si liceat» versatur circa res *extrinsecus* tantum malas, i. e. malas, quia sunt prohibitae positiva lege: ille affectus illudve desiderium per se peccaminosum dici nequit, e. g.: si non esset feria sexta, carnes ederem.

363 IV. De specifica malitia delectationis morosae, imprimis venereae conclusio practica. Circa delectationes morosas in re venerea multum discrepant scriptores in assignanda specifica malitia, quam poenitentes expriment seu confessarii interrogent oportet.

1. In hoc igitur conveniunt omnes, neque ulla ratio negandi suppetit, debere nimirum peccatum ipsum, quod menti obversetur, tum secundum obiectum suum quoad infimam speciem, tum quoad circumstantias speciem obiecti seu personae mutantes declarari, si morosa delectatio ita fovebatur, ut esset affectus voluntarius ad opus ipsum. — Verum *talem* affectum non videmur distinguere debere a desiderio inefficaci, et poenitentes videntur etiam talem affectum ut *desiderium* accusare, si de desideriis interrogantur.

2. Quando igitur in opus ipsum affectus non fertur, sed simplex est complacentia in venerea delectatione: specifica distinctio in se adesse non videtur, prout haec delectatio capitur ex diversarum rerum turpium repraesentatione; saltem sufficere videtur indicasse seu interrogasse, ut Reuter II, n. 209 dicit, de quo supposito morosa delectatio versata esset, utrum de altero sexu, an de eodem, an de aliis

peccatis contra naturam (quae certe non omnia semper distincte interrogari licet), siquidem omnes eiusmodi cogitationes et delectationes *tendant* in actum completum, ex quo malitiam suam sumant; neque communiter de circumstantiis personarum, ut cognitione etc., delectatio versari consuevit.

Et quamquam — ut *S. Alph.* V 15 recte notat — ex periculo gravi incidendi in ipsum desiderium merae eiusmodi delectationes etiam malitiam omnium circumstantiarum facile contrahere possunt: attamen, ut ex hoc periculo malitiae illae *subjective* contrahantur, requiritur, ut poenitens animadverterit, se etiam *propter tale periculum* sub gravi teneri ad cogitationes illas expellendas; quod a plerisque adverti non videtur.

Ut autem de probabilitate practica huius doctrinae constet, necessarium duxi 364 plures scriptores afferre, quorum auctoritate confessarius niti possit, ne in re illa lubrica, in qua quaelibet interrogatio non necessaria mala est, quidquam non necessarium inquirat.

1. *Arriaga*, De peccatis disp. 47, sect. 4 late defendit, in eiusmodi delectationibus communiter non dari consensum determinatum in hoc et illud obiectum cogitatum, sed consensum indeterminatum in aliquam copulam in communi.

2. *Reuter* II, n. 209: «Communis confessariorum, quorum multos in theologia bene versatos desuper interrogavi, praxis habet, ut non iubeant poenitentes edicere obiecta venerea, de quibus simpliciter et nude sunt delectati. . . . Licet sint diversa obiecta adulterium, incestus, fornicatio; attamen simplices delectationes de iis non ut talibus, sed praecise ut sint carnalis copula, specie non differunt: iam vero delectationes venereae simplices videntur ordinarie ferri praecise in delectabilitatem ortam ex motu seminis. . . . quae eadem est, sive ex hoc sive ex illo obiecto cogitato oriatur: proinde videntur non differre specie morali.

«Obiecta in delectationes simplices malitiam non refundunt, nisi in quantum delectant; atqui non videntur delectare, nisi in quantum vim habent commovendi. . . . semen; haec autem vis non videtur esse specie morali diversa. . . .

«Delectationes simplices de oculis, amplexibus, tactibus venereis ex natura sua tendunt et ordinantur in voluptatem ultimam, obtusa saltem cognitione propositam; proinde semper speciem ab ea participant. . . . hac autem intellecta satis intelligitur species peccati. . . . Unde videtur saltem satisfacere confessarius, si poenitentem interrogat, circa qualem personam vel suppositum fuerit delectatio, an circa hominem, marem vel feminam, seipsum etc. [cave, ne omnia haec semper distincte interrogas]: sic enim intelligitur actus ultimus. Et quia ordinarie tendit (delectatio) in naturalem copulam, puto, nisi aliud circumstantiae indicent, non esse anxie indagandum, praesertim cum minus malum sit, confessionem non esse exactam omnino, quam poenitentem scandalizari.»

3. *Diana* (ed. secundum ord. antiq.) p. II, tract. 3 *miscellan.*, resol. 34, laudatis scriptoribus *Vasq.* in 1, 2, t. II, disp. 112, c. 2; *Suir.* in Clav. reg. l. 8, c. 7, n. 19; *Val. Reginald.* t. II, l. 12, c. 2, sect. 3, n. 13, dicit: «Complacentiae simplices sine affectu ad opus sunt unius speciei, cum sint eiusdem malitiae, utpote oppositae uni tantum virtuti castitatis, ac eodem modo, nimirum per turpitudinem veneream, in qua absolute versantur»; dein simplices delectationes non differre plerumque specie, prout persona cogitata fuerit cognata, coniugata, sacra: probabile etiam dicunt *Lessius*, *Bonacina*, *Emm. Sa*, *Salas*.

Quare etsi cui *Dianae* solius auctoritas tanta esse non videatur, cui ex se fidat, saltem eorum scriptorum, quorum in hac re sequacem se ostendit, auctoritas sperni non potest. — Consentit re ipsa aliquatenus *Vasquez* l. c. c. 2; *Azor*, Instit. mor. l. 4, c. 6, q. 3; *Castropal.* tract. 2, p. 10, § 4. Idem habet *Bucceroni* I<sup>5</sup>, n. 291.

Quibus consideratis, practice id consulo: 1) ut, plenius excussis numero et specie pravorum desideriorum (quae raro aberunt, si poenitens saepe

inhaeserit cogitationibus), interrogetur de simplici delectatione ex cogitationibus et imaginationibus concepta, deque numero, addito: «nonne cogitationes de altero sexu?» 2) Expleto examine de peccatis contra castitatem, interroga poenitentem, num aliud quid restet in hac re, quod putet declarandum esse. Nimirum si specialis aliqua circumstantia atque delectatio *de ea* adfuerit, et poenitens distinctam malitiam adverterit, occasionem habet id declarandi: confessarius autem neque debet, neque potest omnia possibilia interrogare.

## SECTIO II.

### DE MERITO ACTUUM HUMANORUM.

De concordia actuum humanorum cum eorum regula post tractatam discordiam acturis, per se dicendum esset primo de virtutibus. Verum de iis postea, quando de *singulis* virtutibus disseremus, melius dicetur. Quare hic pauca notare proposui de bonorum operum *sequela*: quod quidem circa peccata singulari capite tractare necesse non erat, sed sufficere poterit, quod malitiam peccati explicando adieci.

Neque hic de actionum bonarum sequela dicturi multi esse possumus, cum proprius locus haec tractandi in theologia dogmatica sit. Quoniam autem practica quaedam circa meritum theologiam moralem spectant, de hac re agere plane supersedere minime nobis licet.

#### *Caput I.*

#### Summa capita ex theologia dogmatica collecta.

365 Ante omnia in mentem revocandum est, in hoc ordine meritum veri nominis, quod coram Deo acquirere possumus, solum esse supernaturale: proin de veri nominis merito solos theologos disserere posse.

1. Meritum in genere ita refertur ad bona opera, ut ad peccata refertur poena; est igitur consecutio boni, quod Deus bene operantibus impertitur, sicut male operantibus malum pro poena infligit, seu est praemium, quod Deus pro bonis operibus hominibus largitur, vel potius huius praemii habendi ius quoddam et titulus.

Unde non quodlibet bonum, quod Deus homini dat, meriti rationem habet; sed illius boni collatio, ut meritum sit, *retributio seu compensatio* esse debet boni actus, quem homo ad Dei laudem et honorem operatus est. Neque sufficit, ut Deus sola ratione impetrationis seu titulo misericordiae et gratiae bonum quoddam largiatur.

2. In honorem autem et laudem Dei omnes actus boni, qua boni sunt, referuntur: quare ex hac parte nihil obstat, quominus quodlibet opus bonum meritorium esse possit. At quoniam supernaturale meritum altioris ordinis est, amplius aliquid requiritur.

3. Immo ipsum supernaturale meritum distinguitur *condignum* seu strictum, et meritum *congruum* seu latum. Congruum est illud, quod ex congruentia quadam et liberalitate bono operi datur; condignum, quod secundum ipsius operis dignitatem et quodammodo ex iustitia



tribuitur. Quod ut melius intelligatur, conditiones meriti stricti seu condigni accuratius perpendi debent: quarum si qua deest, meritum tantummodo congruum est.

4. Ut meritum sit *condignum*, debet adesse:

1) dignitas personae merentis, 2) dignitas operis, 3) promissio divina. Quodsi aut dignitas personae, aut promissio divina certa et determinata deest, opus aut in se, aut relate ad hoc et illud bonum supernaturale consequendum meritorium dicitur tantum *de congruo*.

5. Singulas condiciones declarabo.

1) Ad *personae dignitatem* pertinet, ut homo sit in *statu gratiae*: qui enim divino odio et aeterna poena dignus est, supernaturali praemio, quod in visione Dei intuitiva et adoptione filiali perfecta aut consistit aut ad eam ordinatur, dignus esse plane nequit; quare de condigno eum quidquam mereri, impossibile est.

2) Ad *operis dignitatem* pertinet, ut actio fiat ex *influxu supernaturalis gratiae*, atque opus in se sit supernaturale. Quod ut obtineat, requiritur ex parte Dei concursus supernaturalis, immo, ut theologi docent, etiam praevia motio excitantis gratiae; ex parte hominis requiritur consensus in gratiam datam et oblatam, atque operatio ex *motivo aliquo supernaturali*.

Requiri motivum supernaturale, et sufficere quodlibet supernaturale motivum, est sententia satis communis theologorum. Quae doctrina praeterquam ex textu Hebr 11, 6: «Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit», etiam ex Rom 2, 7 confirmari videtur: «Iis qui . . . gloriam, et honorem, et *incorruptionem quaerunt*, vitam aeternam (reddet).» Cum enim tanta emphasi *S. Paulus* «iis qui *incorruptionem quaerunt*» vitam aeternam reddendam esse dicat, sane iis solis eam reddendam esse docet, atque id effert, quod necessarium sit, ut meritum coram Deo habeatur, nimirum «*quaerere incorruptionem*». Porro vox *quaerere* certe indicat, quo ferri debeat *intentio*; *incorruptio* autem bona *coelestia* dicit seu *supernaturalia*, similiter *gloria* et *honor* intelligitur apud Deum, seu coelestis; nam aliam quam coelestem gloriam quaeri, *S. Paulus* ne ferre quidem poterat. Cf. *Cornely*, Commentar. in ep. ad Rom. in hunc locum. — Ex Hebr 11 autem eandem doctrinam summopere commendari ex eo patet, quod Apostolus 1) accessum ad Deum, qui fieri nequeat sine fide, intelligat non de primo tantum accessu seu de prima dispositione ad iustificationem, sed de omni gressu ulteriore ad Deum seu quolibet iustificationis augmento, exempla ducens ex serie hominum iustorum, qui actione propter fidem laudata certe iustificationem non primo adepti sunt sed auxerunt (sume Abel eiusque sacrificium, Noe et arcae aedificationem); 2) certe Apostolus fidem necessariam videtur exhibere non ut rem iustificationi plane extrinsecus coniunctam et quasi arbitrarium ornamentum, sed ut rem quae vitali quasi influxu iustificationem praeparet et *ex qua* tum incipere tum crescere et augeri iustificatio debet. Quod idem est ac dicere, ad quodlibet iustificationis seu meriti augmentum necessarium esse, ut homo *ex fide agat* seu assumat motivum ex fide sibi propositum et eatenus supernaturale.

Consonat omnino doctrina SS. Patrum. Ex quibus sufficit attulisse testimonia pauca eorum, qui in hac re auctoritate excellent. *S. Augustini* est brevissima et clarissima sententia: «Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit» (In Psalm. 31, n. 4; ML 36, 259). — *S. Leo Magnus*,



Sermo 7 de Quadrag. cap. 3 (seu Sermo 45 ord. nov.; ML 54, 296) de operibus misericordiae et de ultima iudicis sententia locutus, ita pergīt: «Quid hoc opere fructuosius? Quid hac humanitate felicius? Quae utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturae communionem iuvando hominem ab homine praestaretur. Sed *quia quod non ex fidei pro-cedit fonte, ad praemia aeterna non pervenit*; alia est conditio operum coelestium, alia terrenorum.» Quibus verbis motivum fidei requiri, ut opus alioqui bonum praemium coeleste habeat, nec sufficere motivum naturale amicitiae et humanitatis, evidens est.

Quapropter etiam Conc. Trid. sess. 6, c. 10 iustificationis incrementum bonis quidem operibus attribuit, sed «*cooperante fide bonis operibus*».

369 Aliqui tamen rationem meriti ad solam caritatem referunt, alii ad quodlibet opus bonum hominis iusti, etiam non supernaturalis motivi, extendere videntur, nixi quibusdam *S. Thomae* textibus; quos tamen aliter intelligi posse, immo forte debere, collatio cum aliis eiusdem *S. Doctoris* effatis videtur innuere. Cf. etiam *Bouquillon*, Theol. mor. fundam.<sup>3</sup> n. 396.

Nimirum si cuilibet operi bono hominis iusti *S. Doctor* meritum quoddam adscribit, ut 2, dist. 40, q. 1, a. 5: «ergo omnis actus habentis caritatem vel est meritorius, vel est peccatum, et nullus indifferens»: id sic intelligi potest, ut sentiat, hominem iustum, si bene agat, necessario ex supernaturali motivo agere, siquidem ad quamlibet tendentiam in ultimum finem — ut manifestum est ex 1, 2, q. 68, a. 2 ad 2 — censet *S. Thomas* hominem iustum indigere quodammodo et revera potiri instinctu divino per dona Spiritus Sancti: qui motus et instinctus certissime supernaturalia motiva subministrat. Adde, ex eius mente augeri caritatem *dispositive* 2, 2, q. 24, a. 6.

Si vero aliquando *S. Thomas* soli caritati meritum attribuit, hoc ideo fit, quia quaelibet supernaturalis affectio, maxime si excitatur per dona Spiritus Sancti, ad caritatem ut ad eius *radicem* et *regulam* reducitur, ut expresse habes ex 1, 2, q. 68, a. 8. — De reliquo *S. Doctor*, si caritatem ad merendum requirit, solum virtuales requirit influxum, quem multo *latius* extendit, quam posteriores theologi de illo influxu loquentes consueverunt. — Ceteroqui *Conc. Trid.* sess. 6, c. 16 influxum quidem actualis gratiae requirit, de actualis caritatis influxu autem silet, immo innuit contrarium, cum nullum opus bonum *in Deo factum* a merito eximat.

370 3) *Promissio divina* quodammodo complet operis dignitatem relate ad praemium atque certum aliquod praemium statuit.

Videlicet opus ipsum in se antecedenter ad Dei promissionem intrinsecus condignitatem *quandam* habet, ut accipi *possit* in ordine ad ipsum illud praemium supernaturale (gloriae augmentum), ad quod assumitur. At promissio divina facit, 1) ut *re ipsa* ad hoc accipiatur et ita quidem, ut homini certo quodam modo gloria *debeat*: id enim, nisi divina promissio accessisset, debitum non esset; siquidem Deus infinitis titulis nostra obsequia postulare, ut supremus dominus de iis disponere, eaque ut conditionem conservandae gratiae acceptae exigere potuit. 2) Promissio divina facit, ut certa et *determinata mercedis mensura* bono operi respondeat: neque enim dici potest, opera iustorum supernaturalia esse intrinsecus tanti valoris, ut, si adaequate iis mercedem Deus dare velit, minorem, quam re ipsa stacult, statuere non potuerit. Immo ratio mercedis, quae non pura merces, sed etiam *praemium* est, id habet, ut non in aequalitate operis, sed in *proportionem* operis ad praemium nitatur.

6. *Meriti condigni obiectum* ad solum operantem restringitur: consistit in augmento gratiae sanctificantis, et consequenter in augmento coelestis gloriae; ut ex *Conc. Trid.* l. c. can. 32 colligitur: «Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum: A. S.»

7. *Meriti congrui obiectum* sunt gratiae et auxilia Dei actualia ad diversos fines conferenda; eaque et nobismetipsis et aliis de congruo mereri possumus, proin obiecta meriti congrui sunt:

1) gratiae uberiores, et efficaces ad recipiendam gratiam sanctificantem, 2) ad eam conservandam atque tentationes vincendas, 3) ad gratiam sanctificantem augendam; 4) finalis perseverantia; 5) forte etiam reparatio iustitiae post lapsum, si futurus fuerit; 6) pro aliis certe etiam ipsa prima gratia actualis, quam pro nobis nos mereri impossibile est.

Ceteris tamen paribus facilius nobis quam aliis de congruo meremur. Meritum congruum intime cohaeret cum *impetratione*, aliquo tamen discrimine. Nam in impetratione ratio largiendi dona Deo non est ullo modo dignitas actionis orandi, sed sola sua misericordia vel liberalitas et promissio propter Christi merita; in merito autem congruo ratio largiendi dona est cum misericordia etiam dignitas quaedam operis ab homine oblata, quam Deus simul respiciat. Inde tamen patet, cum impetratione saepe meritum aliquod congruum coniungi, maxime in homine iusto, atque ipsam impetrationem per coniunctum meritum faciliorem evadere.

8. Meritum congruum, ad quod opus aliquod bonum assumitur,<sup>372</sup> nullatenus minuit meritum eius condignum, ut apud theologos certissimum est. Neque enim ex eo, quod opera nostra bona Deo offeramus ad impetrationem gratiae alicuius promovendam, minus coelestis gloriae accepturi sumus; immo quo caritas nostra latius patet atque nos impellit, ut pro aliis oremus, atque voce et opere oremus, eo melius opus est, quod facimus, eoque abundantius erit praemium coelestis vitae, quod Deus nobis reponet. Quare utilissimum est bonas nostras actiones ad certos fines per divinum auxilium attingendos offerri.

9. Immo, ut omnes fructus supernaturales bonorum operum recensentur, opera bona hominis iusti praeter vim *meritoriam* et *impetratoriam* (vel meritoriam de congruo) etiam *satisfactoriam* vim habent, qua pro poenis alioqui in purgatorio solvendis satisfacere possimus, sive pro propriis peccatis sive pro alienis: neque haec satisfactoria virtus meritum ullatenus minuit, eaque maculam poenae ab anima detergens hominem orantem Deo reddit magis acceptum, atque impetrationem ipsam iuvat et promovet.

*Caput II.***Practica documenta circa meritum.**

373 1. Quoniam meritum aeternae vitae summi momenti est, fideles circa meritum bonorum operum maxime instruendi sunt, atque imprimis monendi, ut curent conservare gratiam sanctificantem, aut si infeliciter lapsi fuerint, statim eam recuperare: quod actu caritatis et contritionis perfectae consequi possunt. Nam nisi homo in statu gratiae est, pro aeterna vita directe aliquid mereri nequit. Dein nihilominus etiam ipsi peccatores monendi sunt, ne propter statum peccati, ex quo se tam cito resurgere non posse putant, bona opera negligant; quae, etsi non ipsius coelestis gloriae meritum, tamen de congruo plenius et citius gratiam conversionis, modo ne ipsi sibi desint, possunt mereri.

2. Meritum autem bonis operibus non solum indebitis seu supererogatoriis alligari, sed etiam iis, quae ex obligatione exerceri debent, modo reliquae conditiones adsint, doctrina fidei est ex *Trid.* l. c. c. 16. — At ut certi simus de merito actuum, qui ex se seu sua natura supernaturaliter boni non sunt, subiciatur motivum fidei seu *bona intentio* quam vocant, actionem ad Deum finemque supernaturalem referens.

Quam bonam intentionem formaliter reformare cotidie mane circa totum diem eiusque actiones et casus in genere, etsi obligationis esse non probatur, tamen pius christianorum mos est, sedulo inter fideles fovendus; immo conandum est, ut saepe formaliter hanc bonam intentionem renouent, quo plenius et abundantius impleatur, quod Spiritus Sanctus per Apostolum monet: «Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite» (1 Cor 10, 31). Quod quo sensu *praeceptum* dicatur, *S. Thom.* declarat, necessarium non esse, ut omnia in Deum *actu* referantur, sed *virtute et habitu caritatis*, nisi quando necesse sit actum caritatis elicere. Cf. 1, 2, q. 100, a. 10.

374 3. Immo, ut augeatur meritum perfectione operum bonorum, summum debet esse hominis studium.

Eo maius autem est meritum: 1) quo dignior est persona operans per gratiam sanctificantem maiorem; 2) quo dignior est ipsius operis intrinseca perfectio, i. e. quo perfectius in se est motivum quo agitur, et quo perfectius seu intensius ex eo homo interne agit seu motivum obiectivum voluntate amplectitur. Ad hunc finem quantopere motivum caritatis alia motiva etiam supernaturalia superet, cogitatu vix assequimur.

Quare si quis augendi meriti cupidus est, brevem methodum sibi comparet diversorum actuum ferventis caritatis in Deum et propter Deum in omnem Eius familiam adoptivam, qui uno quasi intuitu vel brevissimo tempore elici atque invicem coniungi possunt. Neque necesse est in sola caritate consistere: si enim caritas alios etiam actus, maxime religionis, imperat et producit, id sine dubio eius valorem et meritum

auget, immo nisi producat, se languidam esse probat, siquidem pro humana nostra natura id particulatim facere debemus, quod puri spiritus uno quodam actu complectuntur.

4. Ex vitis et scriptis hominum sanctorum apparet, eos consuevisse<sup>375</sup> opera sua simul offerre pro impetratione diversorum finium supernaturalium et gratiarum divinarum sibi et aliis comparandarum: quod certe apprime convenit cum imitatione Salvatoris, qui non solam mortem suam cruentam qua veri nominis sacrificium perfecit, sed omnia alia opera sua atque actus aeterno Patri dicavit in summam Eius gloriam et maiestatis recognitionem, ad referendas gratias pro omnibus bonis sibi aliisque concessis et concedendis, ad expiationem peccatorum cuiuscumque hominis, ad efflagitanda et comparanda omnis generis bona, quae ad salutem generis humani utcumque referrentur.

Verum ratio meriti, etiam congrui, bonis operibus humanis inest, etsi homo non expresse certi alicuius boni flagitationem adiungat: nam Deus ipsum opus eiusque valorem respicit atque habitualementem hominis iusti aut peccatoris poenitentis novit, qua ille cupiat, ut abundantius et securius iuветur in negotio aeternae salutis; immo etiam alia iusta et bona desideria Deus, cui omnia patent, attendit. Nihilominus praestat, certas aliquas gratias etiam expresse per bona opera petere, maxime si quis desiderat aliis de congruo bona quaedam mereri, immo etiam si sibi certum aliquod auxilium conciliare proponit; sic enim cum merito congruo perfectius orationem iungit; orationi autem seu impetrationi, existentibus debitis conditionibus, infallibilitas effectus, i. e. obtinendi desiderata, potius quam merito congruo competit.

5. Operum bonorum vim impetratoriam et de congruo meritoriam<sup>378</sup> non possumus totam in alios transferre, quoniam ipsi nos divinae gratiae auxiliis continuo egemus, eaque implorare nobis tenemur. Aliud autem est de vi satisfactoria quoad poenas temporales: hanc, si volumus, totam in alios, praecipue in animas sanctas in purgatorio detentas transferre nobis licet; immo id facere, cum sit eximium caritatis exercitium, condignum meritum et impetrationem nobis proficuum multum auget. Et quamquam aliqui putavere, caritatem, qua nosmetipsos in Deo amare debemus, postulare, ut maculam reatus poenae, quae sit res Deo aliquo modo displicens, in nobis ipsis exstinguamus potius quam in aliis: ille scrupulus sane removetur cuilibet fidei per sollemnem illam approbationem et summas laudes atque immensa fere indulgentiarum dona, quibus R. Pontifices affecerunt actum illum *heroicum* qui vocatur, erga purgantes animas, quo aliquis omnes satisfactiones per se vel alios umquam comparandas vel etiam post mortem offerendas animabus defunctorum cedit, ut per manus B. M. V. illae citius liberentur Deumque in coelis glorificare possint, etiam sub conditione quod ipse diutius in purgatorio sit passurus. Cf. *Rescripta auth. S. C. Indulg.* n. 392. (U. et O. per *Pium IX* 30 Sept. 1852 et 20 Nov. 1854 declar. et confirm.; item per *Leon. XIII* d. 19 Dec. 1885.)





# THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS.

---

## PARS I.

DE VIRTUTIBUS ET OFFICIIS VITAE CHRISTIANAE  
EORUMQUE LAESIONE.



Theologiae moralis generalis erat, principia communia ratione per 377  
fidem illuminata declarare, ex quibus actionum humanarum moralitas  
profluat atque diiudicetur; specialis theologiae moralis est, in diversis  
relationibus, quas homo in toto vitae christianae ambitu habet vel  
habere potest, moralitatem seu normam rectitudinis investigare, con-  
formitatem cum divina voluntate et cum humana natura intimius per-  
spicere, difformitatem eiusque gradum et mensuram definire, paucis,  
mores christianos singulos exponere atque simul media declarare, qui-  
bus homo, ut in officio suo contineatur, adiumentum accipiat.

Porro *virtutibus* universa morum honestas continetur, ex iisque ut  
ex sua regula pendet. Verum, cum non omnis honestas eiusque plenitudo  
in homine necessaria sit, ne ordinem recti laesisse dicatur —  
alias ne profectus quidem in honestate et sanctitate conciperetur — :  
regulam honestatis *necessariae* ac proin discriminis inter honestatem  
et inhonestatem arctius circumscribi oportet. Necessaria igitur honestas  
seu officia hominis ex singularibus *legibus* tam naturalis quam positivi,  
tam humani quam divini iuris, ut ex sua regula pendent.

De utraque ergo regula agi debet. At agentes de moribus hu-  
manis et christianis, utramque, puta virtutes et leges, nos seiunctim  
tractare impossibile est, nisi multa repetere velimus. Nam omnia, quae  
*lege* statuta sunt, ad aliquam *virtutem* pertinent, quamquam non om-  
nia, quae ad virtutem aliquam spectant, lege comprehenduntur. Ne-  
que leges et officia rite intelliguntur, nisi perspiciatur, cuinam virtuti  
speciali seu cuinam boni moralis speciei hoc et illud officium, hoc et  
illud legis obiectum adscribendum sit; neque virtutes singulas aliquis  
recte intelliget, nisi simul, quae ex necessitate huius virtutis ideoque  
ex officio et lege agenda sint, intellexerit. Insuper laesio legis seu  
peccata ex oppositione contrariarum virtutum illustrantur et perfectius  
intelliguntur. Quare sic universam theologiam moralem specialem di-  
vidimus, ut hic

I<sup>a</sup> parte agamus de Virtutibus et Officiis vitae christianae eorum-  
que laesione; dein sequenti tomo

II<sup>a</sup> parte de Adiumentis vitae christianae.

Porro omnis vitae humanae, ideoque etiam christianae, virtutes  
et officia versantur circa bona *divina* et circa bona *humana*<sup>1</sup>. Circa

---

Quamquam fide edocti sumus, nos etiam ad beatos spiritus certam relationem  
habere eosque etiam officiis nostris attingi, tamen ea, quae de eorum relatione nobiscum  
nostraque relatione mutua dicenda occurrunt, cum pauca sint, ad bona divina et humana  
per quandam similitudinem referri possunt.

bona divina duplicis generis virtutes versantur, quibus similia officia respondent:

1. Virtutes, quae *Deum immediate* pro obiecto habent—virtutes *theologicae*.

(Hae vero simul omnibus virtutibus et officiis, quae homo sive erga Deum, sive erga se, sive erga alios habet, quasi praesident iisque novum splendorem tribuunt; quare merito omnis tractatio theologiae moralis specialis a virtutibus theologicis incipit.)

2. Virtus, quae *cultum divinum* pro obiecto habet—virtus *religiosis*; quae est una ex praecipuis virtutibus *moralibus*.

Virtutes et officia, quae bona humana spectant, sive propria ipsius agentis bona, sive aliorum hominum, commodius *secundum diversa obiecta* dividuntur; quare praemissa accuratiore notione earum virtutum moralium, quarum est curae bonorum humanorum praesidere, obiectorum ordinem sequemur, acturi

1. de virtutibus *moralibus*;

2. de singulis *objectis*, circa quae officia nostra versantur: bonum *sociale*; bonum *individuale* primarium, i. e. ipsam personam humanam et vitam corporalem; bonum *coniugale*, quod proxime complet bonum individuale fundamentale; bona *externa*, ut fortunae, famae.

Hac ratione id commodi etiam habetur, ut fere *secundum ordinem decalogi* officia singula et peccata explicare possimus. Neque id in opere practico theologiae moralis, quod confessariis maxime usui esse debet, negligendum esse censui, quominus eundem ordinem, quantum commode fieri potuit, in officiis et peccatis tractandis sequeretur, quem tum in excipiendis confessionibus tum in institutionibus christianis sequi oportet.

## Liber I.

### De virtutibus et officiis circa Deum et divina bona.

#### TRACTATUS I.

#### DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

378 Notiones praeviae. Virtus per se sensu philosophico et theologico significat habitum operativum bonum, ideoque semper respectum ad certos actus habet. Hos actus theologia moralis natura sua praecipue considerat. Distinguitur vero virtus *naturalis sive acquisita* et virtus *supernaturalis sive per se infusa*. Naturalis seu acquisita est, quae repetitis actibus acquiritur, et dat inclinationem atque facilitatem ad certos actus exercendos. Supernaturalis et per se infusa ea est, quae hominem reddit aptum ad actus, qui facultatem mere humanam

seu naturalem excedunt, quaeque hominem ad finem supernaturalem, humanas et creatas vires excedentem, disponit. Hae supernaturales virtutes non tam facilitatem tribuunt, sed ipsam facultatem sive aptitudinem conferunt, ut homo ad finem supernaturalem destinatus actibus huic fini convenientibus sese disponere possit.

Principalem locum tenent virtutes theologicae, quae ipsum Deum immediate attingunt, eiusque attributa pro immediato motivo seu obiecto formali habent. Eiusmodi theologicae virtutes a theologis tres enumerantur: fides, spes, caritas. Fides et spes incohant hominis elevationem, caritas eam complet utpote inseparabiliter coniuncta cum gratia sanctificante, quae supernaturali et quodammodo divina natura ipsam animae essentiam transformat et immutat.

Nobis in tractandis et definiendis virtutibus ad habitus respicere opus non est, sed actus virtutum agnovisse sufficit.

## Caput I.

### De fide.

Hac de re praeclare: *S. Thom.* I, 2, q. 1—20; *Lugo*, De fide disp.<sup>o</sup> 25, praeterea *S. Alph.* II 1—19; *Suarez*, De fide; *Laym.* l. 2, tract. 1; *Sporer-Bierb.* tract. 2, n. 1—105; *Scavini*<sup>10</sup> II 864—948; *Pruner* n. 213—230; *Müller* l. 2, § 1—12; *Ballerini-Palmieri*<sup>8</sup> II, n. 1—108; *Simar*, Moralth. § 86 sqq.

#### § 1.

#### De fidei notione.

Fides actus supernaturalis est, quo homo iis, quae Ecclesia ut re-879 velata proponit<sup>1</sup>, super omnia firmiter assentitur propter auctoritatem Dei summe veracis revelantis<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Merito quidem assensum privatae revelationi datum, saltem ab eo, cui haec revelatio facta fuerit, praestantissimi theologi ad eandem fidei virtutem revocant; nihilo minus si de fide, ut omnibus necessaria est, de fide catholica, sermo instituitur, eius obiectum, quod in definitione assumpsi, ad ea restringitur, quae ab Ecclesia ut revelata aliquo modo proponuntur.

<sup>2</sup> Contra hanc fidem theologiam et catholicam protestantes liberius sentientes atque hodierni modernistae fingunt longe aliam notionem fidei, vocem fidei usurpantes pro opinione, immo ne pro opinione quidem ex ratione profecta, sed pro sensu quodam animi vago seu instinctu, quem rationali intelligentiae et scientiae opponunt, fidem religiosam dicentes sensum quandam innumum *roß* divini et infiniti, exortum ex sensu indigentiae, et experientiam quandam, vel potius recordationem et retentionem illius experientiae, qua homo se sentiat coniunctum et unitum cum Deo, cuius realitatem, ut aiunt, ignorat quidem et ignorabit scientia, at subiectivus sensus sibi fingit sub formis mutabilibus, rudioribus vel sublimioribus pro conditione subiecti eiusque animi cultura. Quo etiam fit, ut, fatentibus istis distortae fidei asseclis, ipsis absona sit distinctio inter fidem veram et falsam vel superstitiosam, cum, quidquid subiectivo sensui congruat, pro statu huius subiecti sit verum.

At haec non sunt theologumena, sed commenta hominum pantheistarum, atheorum, scepticorum, qui obiectivam veritatem eorum quae supra sensus sunt negant, Deum personalem et supramundanum horrent, sub specie pietatis et religionis summam exercent impietatem atque «veritatem Dei in iniustitia detinent» (Rom I, 18). Quae refutare



I. Fides igitur I. non assentitur doctrinis quia intelligit, sed quia Deus eas revelavit, seu, ut Concilium Vaticanum dicit sess. 3, c. 3: «virtus supernaturalis est, qua Dei aspirante et adiuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest». Quo sensu recte dicitur fides «argumentum non apparentium» Hebr 11 1; et Christus eam fidem postulat quae non nitatur in iis quae videntur: «Beati qui non viderunt, et crediderunt», Io 20, 29. Est igitur fides actus cognitionis, cum C. Vatic. l. c. c. 4 dicat «duplicem esse ordinem cognitionis... in altero naturali ratione, in altero *fide* divina *cognoscimus*», i. e. assensum intellectualem praestamus Deo loquenti seu revelanti.

380 2. Fides super omnia firmiter assentitur: a) firmitus omni etiam angelica auctoritate, ita ut S. Paulus Gal 1, 8 assensum adeo firmum postulare potuerit, qui ne tum quidem concutiatur, si—quod impossibile fuerit—angelus de coelo contraria docuerit; b) firmitus ipso sensuum nostrorum testimonio, quod fortasse intelligitur 2 Petr 1, 19, cum propheticum sermonem, quem fideles fide divina certum habebant, proprio suo visu et auditu *firmiorem* vocet: «Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis...: et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat»; c) firmitus ipsius facti revelationis cognitione et scientia, ut ex thesi 19 ab *Innoc. XI* confixa apparet: «Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.»

381 3. Ad fidem requiritur tamen notitia Dei revelantis certa (nam ut thesis thesi 21 ab eodem *Innoc. XI* damnatae contradictoria nos docet: «Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem *non* stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus»); attamen illa certitudine supposita, in ipso actu fidei ipsa notitia Dei divinaeque revelationis maiore firmitate quam antea apprehenditur.

Fides igitur actus *liber* est. Nam quamquam est assensus intellectualis, ille assensus qualis datur et dandus est, imperatur a libera voluntate, et libera Deo oboedientia seu obsequium erga auctoritatem Dei loquentis per fidem praestatur, cum possit homo 1) aut omnino dissentire, 2) aut assentiri ex alio motivo quam propter Dei auctoritatem, 3) aut assentiri non super omnia firmiter. Conc. Trid. sess. 6, c. 6 dicit: «*libere* moventur in Deum, *credentes*, vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt». — Item fortasse etiam clarius Conc.

---

non huius loci est, sed est officium sanae philosophiae; commemorasse autem ista iuvat, quo melius et in tractandis heterodoxis attendatur semper quid illi sibi velint nomine fidei, et in monendis instruendisque catholicis circa fidem conceptus falsus eliminetur (cf. Litt. encyc. *Pii X* «Pascendi» d. d. 8 Sept. 1907).

Vatic. sess. 3, c. 3: «Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo oboedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.» — Neque mira sunt haec Conciliorum dicta, cum S. Paulus 2 Cor 10, 5 de fide dicat «in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi».

II. Ut breviter indicem viam et modum, quo homo ad fidem perveniat, haec noto:

Homo audit ex instructione, narratione, praedicatione, Deum nobis plures veritates revelasse. Hanc revelationem vere factam esse eamque vere esse divinam, colligitur ex certis et indubitatis argumentis, quae saltem pro captu suo quisque ita intelligit, ut omne prudens dubium de revelatione divinitus facta excludatur. Miracula, vaticinia, olim facta et historice certa; religionis in se sanctae tam mira propagatio et in universum mundum extensio; Ecclesiae inter mille pericula et persecutiones omnisque generis adversitates perpetua conservatio atque dilatatio; huius religionis et Ecclesiae a tot hominibus doctis et indoctis, pauperibus et rerum abundantia affluentibus, nobiles et abiectionis eadem professio atque caritatis inter eos unio: haec argumenta et documenta sunt, quae ipsi infantes, quando ex auctoritate parentum et magistrorum historicam veritatem edocentur, pro suo captu satis perspiciunt, et quae homines, quo exultiores evadant, eo maiore vi et efficacia revelationis divinitatem invicte probare intuentur.

Intellecto igitur facto revelationis, quam Deus ad totum genus humanum direxit, et simul idea Dei ut summe veracis et summe colendi concepta, sponte *primo* oritur *iudicium* de *credibilitate* et de *obligatione credendi* seu, ut aiunt, de *credenditate* revelationis christianae: quod iudicium opitulante gratia divina supernaturale efficitur.

Eadem gratia porro influente, homo, si cooperatur, concipit *se-* *cundo* *pium voluntatis affectum*, quo libere se determinat ad firmiter amplectendas veritates a Deo revelatas, et sibi ipsi imperat illum intellectuale assensum, qui concipiendus est. Porro ad hunc saltem *pium voluntatis affectum* gratiam requiri, *de fide est*; ratio vero theologica id comprobans et plenissime evincens ea est, quod meritum actus fidei ex hac libera voluntatis subiectione necessario repetendum sit, ad omne autem meritum supernaturale gratia stricte dicta requiratur.

*Tertio* tandem, stante imperio voluntatis et gratia persistente, impossibile est actum fidei non sequi: at ille actus liber est et manet (non formaliter, siquidem nullus actus, ut actus est, minus etiam actus intellectualis formaliter est liber, sed denominative), quia istud voluntatis imperium cohibere in hominis potestate est. In intellectu igitur actus fidei formaliter efficitur; at pendet a libera voluntate. Et quoniam actus imperans et imperatus eiusdem ordinis esse debent, etiam ad actum ipsum fidei ab intellectu eliciendum supernaturale Dei adiutorium seu gratia est necessaria.

384 III. Ut igitur fides *primo* concipiatur, necesse est, ut *formaliter et explicitè* hominis cogitatio ac iudicium prius in Dei veracitatem et in factum revelationis feratur: aliter enim impossibile est fidem nasci. At qui consuevit veritatibus revelatis propter Dei auctoritatem adhaerere, verum actum fidei exercere potest et exercet, etsi formaliter de Dei auctoritate non cogitat. Sufficit enim, ut *ratio, cur* assentiat, vere sit Dei auctoritas, id quod esse potest sine formali illius auctoritatis cogitatione.

Bene in hanc rem Suarez (*De voluntario* disp. 8, sect. 3, n. 4) ait: «Experientia docet, infirmum velle medicinam etiam amaram, etsi nihil cogitet de sanitate, tamen non vult illam [medicinam] propter se: nam saepe in illa non est ulla ratio volendi illam. [Ergo, concludit, potest homo unum propter alterum velle, etsi illud alterum non attendit neque intendit formaliter]. . . . Alias numquam quis amaret proximum vera caritate, nisi actu cogitaret de Deo, propter quem debet eum diligere. *Similiter numquam quis crederet actu verae fidei, nisi actu cogitaret de prima veritate revelante, propter quam credit.*» Adeo certum igitur erat eximio illi scriptori, posse aliquem *vera fide* doctrinam, quam ut revelatam consuevit considerare, actu admittere, etsi nunc actu non cogitet de Deo revelante, ut inde sumat argumentum, quo thesin generalem clare demonstret statuentem, unicam rationem, propter quam aliud appetatur, non necessario debere formaliter menti observari.

Quod probe notandum est, ut recte intelligantur ea, quae infra de obligatione actus fidei dicenda sunt. Alii eiusmodi fidei actum vocant actum fidei implicitum, in se fortasse minus recte dictum, quia impossibile est, actum fidei implicite in altero actu contineri, quamquam in aliquo actu fidei, qui *explicitè circa unum obiectum* versatur, *implicitè etiam alterum obiectum* contineri et assumi potest.

385 IV. *Ratio, cur* veritatibus propositis in actu fidei assentiamur, *obiectum formale* dicitur, ipsae *veritates, quibus* assentimur, eius obiectum *materiale*. Obiectum ergo materiale fidei omne id est, quod Deus nobis revelavit. Obiectum formale est ipsa *Dei loquentis summa auctoritas*, seu divina revelatio Deique summa veracitas. Et quamquam non una est theologorum sententia, quando explicant, quomodo obiectum hoc formale ipsum actum fidei ingrediatur eumque interne afficiat: id sine dubio admittendum est, illud obiectum formale non ut praevis intellectum et inferioris gradus assensu affectum, sed aliquo modo *ut certitudine summa et divinitus elevata affirmatum* interne actum fidei informare eumque actum fidei divinae super omnia firmæ efficere.

Fusior huius rei explanatio theologis dogmaticis relinquenda est. Idem valet de quaestione controversa, utrum sola divina auctoritas formale obiectum dicendum sit, revelatio autem necessaria tantum conditio, an utrumque elementum — ut indicavimus — obiectum formale recte dicatur. Cf. hac de re *Wilmers-Lehmkuhl*, De fide divina, Ratisb. 1902.

NB. Ex definitione obiecti materialis iam facile patet, id quod formale obiectum fidei est, alio actu etiam ut obiectum materiale assumendum esse, quia inter ea, quae Deus revelavit, certe etiam illa veritas continetur, Deum scilicet locutum nobis esse, eumque summe veracem existere.

## § 2.

*De excellentia et necessitate fidei.*

I. Fides in se sola spectata est obsequium intellectuale Deo libere<sup>386</sup> praestitum, ac propterea, si aliae conditiones adsunt, valde meritoria; immo ut *Trid.* sess. 6, c. 8 dicit, «fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis», ac proinde etiam radix et fundamentum omnis meriti.

II. Fides ergo ad iustificationem hominis adulti, seu qui ad usum rationis pervenerit, omnino necessaria est, idque *necessitate medii*, ita ut, nisi quis vero fidei actu erga Deum moveatur, neque supernaturalem relationem suam ad Deum incipere neque eam perficere seu dolorem de peccatis ad iustificationem aptum et sufficientem concipere possit. Cf. Hebr 11, 6.

Quomodo vero cum tali absoluta fidei necessitate relate ad eos, qui de facto ad veram Ecclesiam nondum pertinent, possibilitas aeternae salutis consequendae consistat, theologo explicandum est quoad eos solos, qui *inculpabiliter* ad notitiam verae Ecclesiae non pervenerunt. Porro illi sunt aut bona fide asseclae haereticae sectae — hi possunt veritates omnino necessarias actu verae fidei credere et per hunc actum ad alios actus necessarios duci —; aut sunt non-christiani, notitiam tamen Dei eiusque providentiae habentes; quam notitiam si hauserunt et tenent ex revelatione, *supernaturaliter credere* absolute possunt. Quodsi ne eius quidem revelationis reliquiae recognoscibiles exstant, reliquum est, ut, si homo facit, quod potest, Deus aut speciali sua providentia fidei praeconem mittat, aut singulari quadam gratiae illustratione, quae per modum divinae locutionis fiat, hominem ad actum fidei concipiendum et ita porro ad alios actus necessarios eliciendos iuvet.

III. At praeter necessitatem illam, quae summam fidei praestantiam<sup>387</sup> commendat, alia etiam ratione fides maximopere commendatur. Sicut enim fides supernaturalem vitam incohat, ita eam etiam promovet et excolit.

Nam omnibus officiis virtutibusque christianis fides ita praeest, ut illis motionem suppeditare debeat, atque omne meritum, quod supernaturalium virtutum exercitio colligitur, fide innitatur. Cf. quae supra dicta sunt de *merito* n. 367 sqq. Quapropter christiano homini nihil utilius, quam ut fidem frequentissime exercent et materiale et formale eius obiectum perpendendo, ut ex fide vivat seu fidei doctrinas pro motivo assumat, quo cotidianis suis actionibus pretium et valorem omni nostro cogitatu superiorem conciliet. Neque illi, qui alios ad christianos mores formare debet, aliud quid magis necessarium est, quam ut de fidei necessitate et merito frequentissime eos moneat.

## § 3.

*Necessitas fidei quoad obiecta credenda.*

Fidem esse omnino necessariam modo dictum est, atque eam implicitate saltem omnia amplecti debere, quae Deus hominibus revelavit, etiam in confesso esse debet. Nam si quis unam solam veritatem a Deo propositam admittere detrectat, violatae Dei auctoritatis et veritatis reus est atque ita se nullam veram fidem habere demonstrat.



Verum oportetne a singulis omnes veritates *explicitè* sciantur et admittantur? Id plane dici nequit, cum in deposito revelationis tot veritates contineantur, quarum multae viris etiam doctissimis obscurae maneant. Deus enim ut auctor supernaturalis ordinis non minus profusa quadam liberalitate utitur, quam qua utitur ut auctor ordinis naturalis. Nam non necessaria tantum, sed etiam utilia et convenientia naturae providit. Ita etiam in supernaturali ordine atque in supernaturali revelatione non necessitatis solum, sed etiam maioris convenientiae rationem habuit, neque ea tantum, quae re ipsa homines in suam utilitatem convertunt vel conversuri sunt, sed multo abundantiora suppeditavit. Implicite tamen omnes veritates quilibet admittit, qui Ecclesiam Christi magistram veritatis agnoscit eiusque definitionibus sese subicere paratus est.

Quasdam autem veritates explicitè sciri et explicitè credi debere etiam manifestum est; siquidem explicita tandem fide obsequium intellectus, quod Deo praestare debemus, completur, atque ea sola finem a Deo intentum assequimur, ob quem voluit ad dirigendas actiones nostras nobis revelationem concedere. Quae necessitas explicitè credendi duplex distinguitur: necessitas medii una, altera necessitas solius praecepti.

389 *Necessitas medii* est earum veritatum fide credendarum, sine quarum notitia et expressa fide iustificatio ac proinde aeternae salutis assecutio (in homine adulto seu rationis compote) numquam contingit. Necessitas medii vocatur, quia huius fidei ope homo sibi aliquid ad salutem prorsus necessarium acquirit, quod si non acquisiverit, sive culpabiliter sive inculpabiliter id non acquisivit, aeternam beatitudinem non consequetur. Necessitas medii est igitur simul etiam necessitas praecepti, siquidem praeceptum est, ut media ad salutem necessaria adhibeantur.

At *praecepti necessitas* ad alia etiam extenditur. Est igitur solius praecepti necessitas illa, quae consequens est ad praeceptum, non quod aliquid ad salutem spectans assequi debeamus, sed quia, posito praecepto, necesse est, praeceptum non infringere, ne gratiam sanctificantem et ita salutem aeternam amittamus: quare sola culpabilis (graviter culpabilis) legis laesio, seu harum veritatum ignorantia culpabilis, salutem impedit.

390 I. *Necessitate medii* necessaria certo est fides explicita in 1) Deum unum 2) eumque remuneratorem bonorum et — quod consequens est — vindicem malorum. Hebr 11, 6 et thes. 22 ab *Innoc. XI* damn.: «Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.»

Quamquam probabile prorsus est, fidem explicitam harum tantum veritatum requiri, non est tamen certum, non requiri ulterius explicitam fidem 3) in mysterium SS. Trinitatis et 4) in mysterium Incarnationis et Redemptionis.

1. Haec necessitas medii intelligitur de iis, qui actibus suis ad iustificationem acquirendam conferre debent. Qui vero ante usum rationis bap-



zati sunt, certissime sanctificantem gratiam non amittunt, nisi mortalem culpam personalem contraxerint. Et quamquam voluntarius neglectus addiscendi veritates necessarias talem culpam gravem constituit: negari tamen nequit, hanc obligationem cognitionis rerum revelatarum sibi comparandae non ita alicui temporis momento adnexam esse, ut non possit contingere, ut aliquis, qui brevi post usum rationis habitum moriatur, sine explicita quidem hac Dei eiusque providentiae notitia, at etiam sine gravi culpa decedat ac proinde aeternam salutem assequatur.

2. Certum est, explicitam fidem de SS. Trinitate ante Christum neces-<sup>391</sup> sariam non fuisse, sed confusam quandam redemptionis notitiam suffecisse, qua credebatur, Deum aliquo modo providere vel providisse, ut humano generi peccatis lapsa atque iis, qui quod possent facerent, subveniretur. Neque videtur firma ratio asserendi, post Christum illam absolutam medii necessitatem mutatam esse. At, cum plures graves scriptores contrarium contendant, *practice* id omnino agendum est, ut nemo ad baptismum admitatur vel absolvatur, multo minus ut aliquis decedere sinatur, nisi expressam fidem etiam illorum mysteriorum secundo loco allatorum pro captu suo edoctus sit eaque saltem habitualiter teneat. Si vero de moribundo agitur, quem ulterius instruendi nulla apparet possibilitas, sine dubio hypothetice sacramento donandus est, etsi forte haec mysteria nesciat, ut magis patebit ex iis, quae dicturi sumus de sacramentis eorumque administratione: i. e. hypothetice («si capax es») absolvendus; baptizandus tamen, si de baptismo conferendo agitur, absolute, si modo de sufficienti intentione seu voluntate indubie constat. Nihilominus, si postea fieri potest, qui sic sacramento donati sunt, omnino sunt porro iuvandi, eo quod de eorum iustificatione non constet; immo in tanta inscitia eius qui baptizatur aliquando dubitandi ratio prudens esse potest de sufficienti intentione baptismi recipiendi: cf. S. Offic. d. d. 10 Martii 1703 et 30 Martii 1898, *Annal. eccl.* VI 186.

Sed ne quis minus recte necessitatem illam explicitae fidei concipiat, aliqua notanda sunt, tum quoad obiectum quod credi debeat, tum quoad modum quo debeat credi.

3. De SS. Trinitate sane sufficit rudi modo utrumque tenere, 1) tres<sup>392</sup> esse distinctos, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, quorum unusquisque sit Deus; 2) nihilominus non esse tres Deos, sed tres illos esse unum eundemque Deum. Modum vero, quo una persona ab altera distinguitur, scire, ita necessarium non est, cum quam plurimorum captum superet.

Circa Incarnationem autem obiectum, quod credi explicite debeat, non est nudum Incarnationis mysterium, sed etiam, idque praecipue, munus Redemptionis a Filio Dei incarnato assumptum, scilicet Filium Dei hominem factum sua morte nos a peccatis redemisse, eumque redivivum in coelis regnare omnesque homines esse iudicaturum.

Modus igitur, quo tum SS. Trinitatis, tum Incarnationis mysterii veritates credi absolute debeant, si amplius a me explicandus est, ille sufficit, ut homo rudis, sensu harum veritatum intellecto, divina fide eas assumat, etsi interrogatus ulteriorem rationem reddere non possit.

II. *Necessitas praecepti* comprehendit omnes praecipuas veritates<sup>393</sup> christianae religionis, quae ad vitam homine christiano dignam apte ducendam requirantur.

Summa eorum, quae credenda et scienda sunt ab homine christiano, nisi, ut cum *Busenb. S. Alph. II 3, 1* approbat, impotentia excusetur, continetur in Symbolo Apostolico, in doctrina de sacramentis, in oratione Dominica, in decalogo. Nam, licet oratio Dominica et decalogus regulas *agendi* contineant, tamen utpote divina revelatione nobis data etiam obiectum sunt, quod *credamus*.

Quare secundum communem doctrinam theologorum, de qua cf. *Lugo*, De fide disp. 13, n. 60—152 et *Suarez*, De fide disp. 13, sect. 4:

1) Gravis obligatio est substantiam eorum scire, quae Symbolo Apostolico continentur —; memoriter symbolum ipsum teneri obligatio quidem est, sed venialis. Cf. etiam *Elbel* p. II, n. 22.

2) Idem de oratione Dominica teneto; nam hanc ipsam orationem memoria tenere et posse recitare certe obligatio est, de obligatione gravi vero non constat. *S. Alph. l. c. n. 3, 2*; *Suarez l. c. n. 12*; *Lugo l. c. n. 132*. Gravis autem omnino obligatio est sciendi, Deum esse orandum cum certa fiducia, ut nobis conciliemus auxilia necessaria ad evitanda peccata, paucis omnia bona ad salutem conducentia sive supernaturalia sive naturalia. *Ib.*

3) Circa decalogum certe dicendum est, eum quoad substantiam plane sciri debere sub gravi: verum suo ordine eius praecepta ex memoria recitare posse minor etiam obligatio est, quam dictum est de symbolo.

4) Relate ad sacramenta gravis obligatio est cognoscendi ea, quorum susceptio est necessaria, ideoque maxime (baptismum,) poenitentiam, Eucharistiam; reliqua saltem suo tempore.

394 Fusior declaratio eorum, quae a fidelibus sciri debent in singulis articulis Apostolici Symboli, habetur passim apud theologos; scilicet:

1 art. *Credo in Deum* — credendum explicite 1) esse unum Deum, 2) hunc Deum esse trinum, i. e. tres esse, quorum unusquisque est Deus, neque tamen tres Deos esse, sed unum eundemque Deum; atque tres illos vocari: Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. — Modus autem processionis in divinis sciri non debet a rudibus christianis.

*Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae* — explicite credenda est creatio rerum, ac inde Dei omnipotentia.

2 art. *Et in Iesum Christum, Filium eius unicum Dominum nostrum* — credendum est explicite, Iesum Christum esse hominem et Deum, sc. Filium Dei Patri aequalem; etiam credendum est, eum esse unum Dominum, ut dicitur in symbolo Constantinopolitano, non duos sensu Nestoriano: quod tamen satis praestatur eo ipso, quod error Nestorianus non habetur.

3 art. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto* — miraculosa conceptio certe explicite credenda est: num sub mortali, dubito.

*Natus ex Maria Virgine* — perpetua B. M. virginitas credi quidem explicite debet, at de *gravi* obligatione non constat. *V. Lugo* n. 70—75.

4 art. *Passus sub Pontio Pilato — crucifixus, mortuus* — sub gravi sciri debet mors Salvatoris, atque modus mortis per crucifixionem: *Lugo* n. 78; circumstantia «sub Pontio Pilato» non ea est, ut rudibus propter illam ignoratam peccati scrupulum inicere debeamus.

*Et sepultus.* 5 art. *Descendit ad inferos* — quae non sunt circumstantiae, quarum notitia expressa sub gravi requiratur. *Lugo* n. 82.

*Tertia die resurrexit a mortuis* — resurrectio explicite credenda est sub gravi; circumstantia temporis «tertia die» non ita sub gravi.

6 art. *Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis* — sufficit rudibus credere, Christum gloriosum regnare in coelo, gloria, quae ei ut Deo-homini super omnes competit. *Lugo* n. 89, *Suarez* aliique.

7 art. *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.* — Sciri debet sub gravi, universale iudicium a Christo exerceri: quid autem sibi velit «vivos et mortuos», difficilius est expresse sciri.

8 art. *Credo in Spiritum Sanctum* — vide, quae sub art. 1 dicta sunt.

9 art. *Sanctam Ecclesiam Catholicam* — sub gravi scienda est necessitas manendi in unione Ecclesiae.

*Sanctorum communionem* — gravis obligatio non potest ostendi explicite sciendi plus quam quod ex conceptu «Ecclesiae» seu congregationis fidelium in unum quoddam corpus per se in confuso colligitur. Venialis autem obligatio est sciendi nos et per Sanctorum intercessionem iuvari, et nostris suffragiis iuvari posse animas in purgatorio detentas.

10 art. *Remissionem peccatorum* — est gravis obligatio sciendi, quomodo possimus in Ecclesia peccatorum remissionem per baptismi et poenitentiae sacramentum sive in re sive in voto suscipiendum obtinere.

11 art. *Carnis resurrectionem* — explicite credendum sub gravi, mortuos resurrecturos esse.

12 art. *Et vitam aeternam* — sub gravi explicite credenda est remuneratio sine fine duratura, sive praemium pro bonis in supernaturali beatitudine, sive poena pro malis interminabilis. *Lugo* n. 115.

Eodem fere modo singula *praecepta in decalogo* enuntiata sciri et credi<sup>395</sup> debent, ita tamen, ut sufficiat sic ea scire, ut interrogatus aliquis respondere possit, ea per decalogum iuberi aut prohiberi. *Lugo* n. 126. Quod tamen non intelligo de conclusionibus paulo remotioribus, sed de iis quae formaliter in decalogo enuntiantur aut *facili et proxima* conclusione eruuntur. Addi debet obligatio sciendi communia *Ecclesiae* praecepta.

Circa *orationem Dominicam* aliquam obligationem communiter scriptores agnoscunt memoriae illam tradendi; eiusque signum colligunt ex praxi Ecclesiae, quae ordinarie a catechumenis plane postulat notitiam tum symboli tum orationis Dominicae, antequam eos ad baptismum admittat. Addi potest, requiri a quolibet fidei sub gravi, ut sciat actus fidei, spei, caritatis, contritionis elicere: formulam certam scire optimum est, obligatio stricta non est. — Plane etiam decet orationi Dominicae adiungi salutationem Angelicam; eam autem memoria non tenere, per se peccatum, sc. veniale, esse non certo constat, nisi culpabilis socordia et negligentia subsit.

*Sacramentum* poenitentiae a quolibet cognosci debet quoad necessitatem<sup>396</sup> praecepti et medii atque quoad effectum recuperandae gratiae, idque sane antequam in necessitatem inciderit; siquidem periculum labendi in peccatum pro nullo non adest, neque satis provisum esset implendae obligationi et legi divinae, nisi antecederet ad lapsum haec cognitio adesset. *Lugo* n. 117.

Quoad *Sacramentum Eucharistiae* sciri debet: 1) realis Christi, i. e. totius Christi, praesentia, ita ut cognoscatur hostiam consecratam iam non esse panem, sed corpus Christi etc. atque Christum integrum et vivum continere; 2) ratio sacrificii, quae in Ss. Sacramenti confectione continetur, quo satisfieri possit integre legi divinae et ecclesiasticae Missae assistendi. Accuratio-

modus tum sacramenti tum sacrificii hominibus rudibus non est ita scitu necessarius. *Lugo* ib. n. 119 sqq cum *Bañez, Suarez*.

## § 4.

*Necessitas fidei quoad actus eliciendos seu de obligatione actus fidei eliciendi.*

897 I. Obligatio actus fidei eliciendi aut *per se* adest, aut *per accidens*. Quia vero illa designatio «per se» et «per accidens» non semper eodem modo a scriptoribus intelligi videtur, explicandum est, quo sensu hic sumatur.

*Per se* dicitur obligatio adesse, si communiter et pro omnibus adest, ex communi hominum conditione, non ex peculiari singulorum quorundam hominum conditione, temporum circumstantiis oriunda: quod ultimum si obtinet, obligatio dicitur *per accidens* adesse.

Porro utraque obligatio tum ea, quae per se adest, tum quae per accidens, potest aut *propter ipsam fidem* eiusque honestatem oriri, aut *propter aliam obligationem*, cuius implendae actus fidei medium est vel necessaria conditio.

898 II. *Per se* obligatio actus fidei adest:

A. *Propter ipsam fidem*: 1. Aliquoties in vita. Quod colligitur ex thesibus 16 et 17 ab *Innoc. XI* damnatis: «Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se»; — «satis est actum fidei semel in vita elicere». Praeterea idem ex natura fidei et divinae auctoritatis elucet. Cum enim fides ex natura sua sit intellectualis oboedientia, quis est, qui neget, Deo, quando hominibus loquitur, deberi illud obsequium positive praestandum? seu aliis verbis, hominem debere aliquoties saltem divino magistro et institutori re ipsa auscultare, eius auctoritate discere eique assentiri?

2. Praecipue vero, quando homo primo concipit certam notitiam revelationis divinae factae, quia tunc quodammodo occurrit illi divina auctoritas, sicut rex, qui subditis suis se publice ostendit, cui nisi positive reverentiam exhibent, contemptum irrogant. *Lugo*, De fide dist. 13, n. 23. Ideoque actus fidei eliciendus est:

a) Quando infideli revelatio divina proponitur et innotescit.

b) Quando homo christianus ad perfectum usum rationis pervenerit. (*Mazzotta*, De virt. theol. c. 1, § 1 id ita exhibet: «Quilibet in primo instanti morali usus rationis, si sit sufficienter instructus et ad hanc obligationem advertat, tenetur ex praecepto divino hos actus elicere... ita ut, si notabili tempore differt, graviter peccet contra hoc praeceptum.»)

c) Idem dicendum est, quando homini christiano nova fidei definitio proponitur. Nam, hac audita, non positive assentiri, esset irrationabiliter sibi vim inferre vel periculo se exponere positive oboedientiam Deo et Ecclesiae detrectandi, et esset iniuriam Deo inferre, sicut iniuriam regi infert, qui eum publice prodeuntem et sibi occurrentem non honorat.

3. Circa tempus mortis instantis, quia obligationes, quas erga Deum habemus et quae cultum Deo ex natura sua debitum continent, si ali-



quando, maxime circa illud tempus, quo vita praesens finienda est, urgent. Ita communius, vide *Elbel* p. II, n. 27; quamquam, si saepe alias in vita fidei obligationi satisfactum est, non ita constat de *speciali* hac obligatione, nisi forte accedat periculi et tentationum ratio, quas tunc temporis diabolus quam maxime excitare consuevit, et contra quas homo scuto fidei sese praemunire debet, aut obligatio aliorum actuum supernaturalium, quae certe adest, et quae sine fide impleri nequit. Haec omnia autem ad alterum obligationum ordinem, ut patet, pertinent.

B. *Ut medium propter alia* adhibendum: 399

1. Quoties actus alicuius supernaturalis obligatio urget. Huiusmodi enim actui satisfieri ab homine non potest, nisi actu fidei motivum supernaturale mente concipiat.

2. Praesertim diu differre non licet exercitium fidei, quia moraliter impossibile est homini omnia peccata vitare, omnesque tentationes graves vincere, nisi supernaturalium motivorum consideratione se munit; id quod — ut dictum est — sola fide fit. Quare vix excedunt in statuenda obligatione, qui putant, saltem singulis mensibus fidem elicendam esse ex hac sola ratione. Nam propter obligationem orandi, dies festos colendi etc. longe frequentius necessitas exercendi fidem instat.

III. *Per accidens* obligatio actus fidei adest: 400

A. *Propter ipsam fidem:*

1. Si quis in haeresim lapsus est. Tunc enim formalem actum fidei, si non quam primum elicere, saltem non diu differre debet, cum iniuria, qua Deum affecit, hanc reparationem exigat. Neque tamen propterea peccata quolibet momento multiplicantur dilatione, sed, qui fidem non elicit, in eodem peccato moraliter permanet sicut ille, qui damnum alteri illatum reparare differt.

2. Si quis gravem tentationem contra fidem patitur, quam indirecte satis impugnare non possit. In homine enim timorato saepe expedit, eiusmodi tentationes et dubia involuntaria contemptu superare potius, quam positivo fidei actu.

B. *Ut medium propter alia* adhibendum: 401

1. Si aliae tentationes superari nequeunt sine fidei motivo. Et sane id quod modo iam notavi, graves tentationes aliter superari non possunt, nisi homo oret et ad aeternas veritates mentem convertat: quae fidei actum supponunt; neque ullam tentationem homo, nisi fide nitatur, salutariter vincit atque profligat.

2. Si quis sacramenta suscipere, aut

3. Si quis orare vult, etsi haec voluntas non ex necessitate et obligatione concipitur. Nam quoties aliquis sacramenta recipere aut orare vult, haec debito modo fiant oportet; quod sine aliquo fidei actu impossibile est.

Obligationes, quae sub II B 1 et III B 1 2 3 referuntur, non exigunt nisi eum fidei actum, quem aliqui, etsi minus accurate, implicitum vocant, de quo supra n. 384 dictum est.



402 IV. Illud autem discrimen est inter obligationem fidei, quae sive per se sive per accidens, tamen *propter ipsam fidem* existit, et eam obligationem, quae ad fidem solummodo ut medium ad alia obligat, ut, qui priorem obligationem laedat, *speciale peccatum contra fidem committat*: qui posteriorem obligationem negligat, non speciali modo contra fidem peccet, sed contra eam virtutem vel legem, ad quam implendam medium necessarium, i. e. fidem, non adhibuit.

Multi autem scriptores putant, actum fidei propter se aliquoties in anno sub gravi praecipi: quod utique probabile est. Si enim annua Communio a multis habetur pro eius obligationis determinatione, quae fere id, quod ipsa lex divina postulat, clarius exprimat, neque tamen agitur nisi de exercitio, quod extrinseca institutione Dei cultum et humanae salutis medium continet: a fortiori lex divina exercitium eorum actuum idque saepius exigit, qui Dei cultum et humanae salutis medium intrinsecus necessarium constituunt.

Neque leve pondus auctoritatis huic sententiae accedit ex thes. 6 ab *Innoc. IX* damnata: «Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.» In cuius thesis explicatione *Viva* animadvertit: 1) non esse disparem conditionem caritatis et fidei; 2) in eiusmodi condemnatione fere idem valere de annua atque de quinquennali dilatione; rationem enim, cur reiciatur illa thesis, esse dilationem *diuturnam*; at in morali aestimatione diuturnum tempus etiam annum censi.

Sed cum lex divina certos obligationis terminos non fixerit, id concedendum est, ut dicatur, eum, qui uno tempore frequentius eiusmodi actus internos elicit, facilius excusari a gravi legis laesione, etsi alio tempore diutius ab illis abstinet.

### § 5.

#### *De obligatione fidem externe confitendi.*

403 I. De fidei negatione. Numquam licet externe fidem negare. Id enim, etsi interne fides retineatur, gravissimum peccatum semper visum est.

De malitia negatae fidei si quaeritur, haec observa: Potest quaedam veritatis divinae detractio inesse, quam summe iniuriosam Deo esse, evidens est. At non semper necessario haec falsitatis ac fallaciae exprobratio contra Deum fidei negatione continetur: vide *Lugo*, De fide disp. 14, n. 31 et 32: semper vero erubescencia inest, qua homo Deum erubescit, quae eo magis iniuriosa est, quo homo vilior, excellentior Deus, qua maiore dependentia homo a Deo dependet, qua maiore liberalitate et amore Deus hominem prosecutus est.

II. Positiva fidei professio. Aliquando etiam praeceptum grave est fidem positive profitendi (Mt 10, 32; Lc 9, 26), videlicet in iis circumstantiis, in quibus taciturnitas aut negationi aequivaleret aut contineret erubescencia fidei aut grave scandalum crearet. Quod alii aliis verbis exprimunt: quando professio aperta necessaria est ad avertendam magnam iniuriam a divino honore vel a causa religionis, ad divinum

honorem multum promovendum, ad spiritualem ruinam proximorum praecavendam eorumque utilitatem multum promovendam.

Taciturnitatem, quae aequivaleat negationi, habes v. g., si, pluribus de fide interrogatis, aliqui negant quemquam ex ipsis christianum esse, aliqui tacent; vel si alter pro altero respondet, ipsum non esse catholicum: in quibus circumstantiis taciturnitas esset implicitus negationis consensus.

Erubescencia saltem generatim continetur, si quis a publica auctoritate interrogatus tacendo vel ambigue loquendo responsum declinet, v. thes. 18 ab *Innoc. XI* damnata: «Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.» — Ergo per se peccaminosum est; ideoque si a publica auctoritate in causa fidei in iudicium vocor et de fide interrogor, ingenue fateri debeo: summum *per accidens* taciturnitas evadet non peccaminosa, quando nimirum taciturnitas pro confessione fidei aequivalenti habetur a praesentibus. — Fidem scilicet non fateri vergeret in odium fidei. — Cf. *Viva* in hanc thes. n. 2 sqq.

Si quis vero homo privatus me interrogat, a diversis circumstantiis pendet, utrum tacere vel responsum declinare erubescenciam scandalumve contineat necne; facilius enim fieri potest, ut responsi declinatio non tam fidei erubescenciam, quam interrogationis contemptum exprimat.

III. De fidei occultatione. Quando eiusmodi obligatio non urget, <sup>404</sup> fidem etiam occultare licet ex gravi causa, seu dissimulare.

Immo si ex una parte obligatio nulla fidem positive et palam profitendi adest, ex altera parte ex eiusmodi professione magna damna, ut perturbatio, fidelium vexatio, secutura esse praevidentur, fidei occultandae obligatio est, eaque gravis potest existere.

Occultari autem potest tum verbis, tum signis, tum aliis quibusdam actionibus, in quorum usu, si de licetate et illicetate iudicandum est, id spectari debet, utrum ex se vel ex circumstantiis directam fidei negationem erubescenciamve contineant, an potius audientibus atque spectantibus rationem solum praebeant suspendendi iudicium, ita ut neque affirmare neque negare possint, illum hominem esse catholicum.

1. Quaedam notanda sunt *quoad verba*, quibus uti liceat, aut non liceat. Scil. 1) numquam licet uti verbis, quorum sensus sive per se, sive prout percipiuntur ab interrogante, immediate significant falsae religionis professionem, verae negationem: aliud est, si haec professio vel negatio verbis omnino non continetur, sed solum ab interrogante temere ex iis deducitur. 2) Si vox «christianus» ex circumstantiis non religionem significaret, sed *gentem* tantum seu *politicum coetum*, negans se christianum esse, utique fidem non negaret. *Lugo* disp. 14, n. 33.

2. Quoad usum vestium et similium rerum tria genera distinguunt (v. *Lugo* l. c. sect. 5; *S. Alph.* II 15 cum *Busenb.*, *Tambur.*, In decal. l. 2, c. 1, § 3). Primum est genus vestimentorum quod infideles materialiter a reliquis distinguit, i. e. quo incolae certae regionis, qui infideles sunt, utuntur. Horum usus non continet fidei negationem, sed per se tantum fidei occultationem, quare ex gravi causa licitus est.

Secundum genus est, quod distinguit infideles formaliter a fidelibus, scil. institutum ad *dignoscendos infideles*; e. g. olim flavus pileus in ditone Ponti-

ricia Iudaeis tum praescriptus, vestis usu distinctivus Judaeorum Polonorum, similia. Horum usus non ita illicitus est, ut causa, omnino gravior tamen, eum licitum reddere non possit. Quamquam enim communiter nemo nisi infidelis iis utitur, tamen eorum usus aliis necessario transitum ad infidelitatem non indicat, sed incertum relinquit.

Tertium genus est eorum vestimentorum et signorum, quae instituta sunt non tantum ad dignoscendos infideles a fidelibus, sed *ad profitendam falsam religionem*, v. g. vestimenta sacerdotalia idololatrarum, quibus in suis functionibus superstitiosis utuntur — vel similiter signa distinctiva francorum: quibus uti nullo modo licet, nisi forte circumstantiae positive demonstrent, falsae sectae professionem abesse, atque causa prorsus alia cur adhibeantur palam fiat, e. g. extrema necessitas et nuditas, exhibitio in publicis spectaculis. — A fortiori eadem illiciteas in iis vestibus utendis invenitur, quae in se honorem indebitum idolo, pseudo-prophetae etc. exhibent.

406 3. Quoad alias quasdam actiones: Esus carnum diebus prohibitis per se licet, si quis inter haereticos versatur et ita fidem suam occultare et *graves vexationes* evitare potest; per se enim non continet acatholicismi professionem. — Attamen sola erubescencia non esset causa sufficiens, cur liceret legem ecclesiasticam non observare. — Neque umquam liceret carnes edere, si haeretici ad illum esum provocarent tamquam ad signum acatholicismi, vel in odium fidei ad illum esum cogere minis gravibus propositis. — Neque illi, qui iam cognitus est ut catholicus, liceret ad maiorem vexationem declinandam, carnes edere; quia in hisce circumstantiis aut si levior tantum causa subesset, aut si maior vexatio impenderet, haec coactionem in odium fidei factam contineret, atque esus carnum positivam erubescenciam catholicae religionis denotaret. Immo si quis catholicus ex aliis rationibus excusatus vel dispensatus est ab abstinentiae lege, quando pro catholico agnoscitur, ad evitandum scandalum, se alias causas habere non raro explicare debet; neque nostris temporibus nisi rarissime accidit, ut gravis vexatio timenda fidei occultationem atque propter eam carnis esum licitum faciat.

Nutus, motus, compressio digitorum, similia signa, quae ex conventionem determinata sunt ad professionem falsae sectae vel falsi cultus exprimendam, omnino illicita sunt. Nam continent unice falsae sectae professionem, neque eorum usus ab hac significatione abstrahere potest. Quare recte *Lugo*, De fide disp. 14, n. 92 93 ea verbis comparat falsam sectam profitentibus, non aliis signis et actionibus quae ambiguum sensum habent.

Accessus ad templa, ad ritus haeticorum, si ex circumstantiis profitendae haeresis suspicio, falsi ritus communicatio abest, peccaminosus *ex se* non est, secus peccaminosus est. Ad nuptias vero vel sepulturam heterodoxi accedere, cum pro honore civili tantum habeatur, communiter licet. — Attamen etiam in his actionibus attendendum est, num adsit propter circumstantias scandalum, perversionis periculum, specialis prohibitio. Cf. etiam *Marc* I, n. 432.

407 4. Quod dictum est de illicito usu signi vel verbi infidelium distinctivi, non eodem modo intelligitur de omissione alicuius signi fidelium distinctivi. Id enim non gerere ex se est tantum fidem *occultare*. — Neque si tyrannus iuberet omnes catholicos certum signum gerere, huic edicto obtemperare tenerentur. Nondum enim urget obligatio palam coram publica auctoritate fidem profitendi: quae per se tunc demum incipit, quando singularis fit inquisitio et in ius vocatio.

NB. Multo facilius licet occultare specialem aliquam conditionem seu statum inter christianos, ut sacerdotium vel statum religiosum. Immo haec negare *per se* non est peccatum *mortale*. Cf. *Lugo*, De fide disp. 14, n. 32, cum *Suarez*, *Sanchez* in Decal. l. 2, c. 4, n. 10, aliis.

## § 6.

*Obligatio lege ecclesiastica inducta professionis fidei publice emittendae.*

Cum haec publica fidei professio, ab Ecclesia certis personis prae-<sup>408</sup> scripta, ex se ad fidei virtutem eiusque exercitium pertineat: non est abs re, hic breviter illos recensere, quos haec lex adstringat.

Videlicet Concilium Trid. et Pius PP. IV fidei professionem sub formula quae vocatur *Professio Tridentina* praescripserunt:

1. Provisis de beneficio curato; Canonicis vel Dignitatibus eccles. cathedr., Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis in prima synodo provinciali; Prae-  
latis regularibus.

2. In universitatibus iubentur Rectores vel Praefecti curare, ut initio cuiuslibet anni scholaris magistri et doctores sollemne iuramentum fidei emittant. Immo Pius IV voluit, ut ad hanc fidei professionem omnes tenerentur qui sive publice sive privatim se magistros quarumcumque artium vel disciplinarum profiterentur. (In his sane videndum est, quae sit consuetudo legitime praescripta.)

3. Verum haec lex noviter inculcata et certo modo extensa est per *Motu*<sup>409</sup> *proprio* Pii X d. d. 1 Sept. 1910 (Acta Ap. Sed. II 655 sqq). Hac igitur Constitutione ad emittendam fidem Tridentinam et *iuramentum* a Pio X praescriptum tenentur:

- 1) Clerici maioribus ordinibus initiandi.
- 2) Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati, et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.
- 3) Parochi, Canonici, Beneficarii ante ineundam beneficii possessionem.
- 4) Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.
- 5) Adlecti concionibus habendis per Quadragesimae tempus.
- 6) Officiales omnes in Romanis congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel secretario eiusdem congregationis vel tribunalis.
- 7) Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium. (Quod ipsa Constitutio de omnibus Doctoribus seminariorum et universitatum catholicarum intelligit.)

NB. Quamquam huius iuramenti emissio semel facta pro simili casu sufficere possit: tamen 1) Sacrorum Antistites ius habent denuo postulandi iuramentum; 2) saltem singulis Antistitibus, coram quibus iuramentum per se fuerit emittendum, exhibenda est testificatio iuramenti iam alia vice emissi. (Cf. S. Congr. Consist. 24 Maii 1911, Acta Ap. Sed. III 181.) Ita enim statutum est: Propositis dubiis . . . 2) «utrum iuramentum praestandum ante susceptionem sacrorum ordinum a Motu proprio 1 Sept. 1910 praescriptum emittendum sit ante singulos ss. ordines, vel solummodo ante s. subdiaconatum» — Resp.: «Sufficere ut praestetur ante ineundum s. subdiaconatum, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat».

Circa *modum* autem praestandi iuramenti a compluribus nota: «sufficere, ut, formula iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur» (Acta Ap. S. II 857).



## § 7.

*De peccatis contra fidem.*

410 Brevi catalogo peccata specificè distincta contra fidem hic numero; quae omnia ex genere suo mortalia sunt, pleraque ex genere suo toto.

1. Professionem fidei ab Ecclesia praescriptam non facere.

2. Actum fidei lege divina necessarium non elicere, saltem quando fides propter se suamque internam honestatem praecipitur. (Laedit obsequium Dei loquentis auctoritati debitum negative.)

3. Negligere sufficientem instructionem in rebus fidei. (Praeterquam quod ille, qui haec negligit, peccat contra caritatem sibi ipsi debitam, indirecte laedit etiam divinum cultum modo negativo, se aptum non reddens ad Deum debite colendum per fidem et alios actus.)

4. Fidem suam lectione, conversatione etc. periculo exponere<sup>1</sup>.

5. Fidem externe negare vel erubescere, negando, tacendo, aliquid agendo; vide supra.

411 6. Suborto dubio de propriae sectae sive religionis acatholicae veritate, aut revelatione cum probabilitate proposita, non amplius inquirere; quo constituitur peccatum *infidelitatis privativae*, i. e. culpabiliter in infidelitate haeretur vel omittitur cultus divinae veracitati debitus *remoteurgens*.

Ad quod peccatum constituendum sane requiritur, ut homo sibi satis conscius fiat obligationis gravis ulterius inquirendi. Ex huius conscientiae defectu saepe excusari possunt acatholici christiani, dum catholicismum quidem sua secta meliorem agnoscunt, satis bonam autem etiam propriam suam sectam, quae necessarios fidei articulos retineat, neque ulteriorem obligationem plene percipiunt.

412 7. Revelata veritate sufficienter, i. e. certo, proposita, fidem detrectare, quo habetur peccatum maxime proprie contra fidem, quam-

<sup>1</sup> Propter huiusmodi pericula lege ecclesiastica complura prohibentur:

1. Lectio librorum haereticorum vel haeresim continentium; 2. disputatio cum haereticis; 3. communicatio cum haereticis et infidelibus.

1. De librorum haereticorum lectione vide postea, quando de censuris ecclesiasticis tractaturi sumus.

2. De disputatione cum haereticis in rebus religionis adverte, publicam disputationem interdicti sine expressa licentia S. Sedis S. C. C. 8 Martii 1658: siquidem experientia constat, eiusmodi disputationes in meros clamores et tricas degenerare solere. Disputatio privata laicis per se quidem ab Ecclesia interdicta est, ne aut religio despectui exponatur aut disputantes fideles ipsi periculum incurrant. At haec prohibitio tum urgente necessitate avertendi scandalum ab aliis per se cessat, tum in locis, ubi haeresis impune grassatur, contraria consuetudine abrogata censeri potest, maxime cum vix possibile sit, in itinere aliis circumstantiis omnem disputationem vitare. Cf. Müller II, § 10, n. 6; Reuter II, n. 54; Reiffenstuel II, tract. 4, disp. 4, q. 4, n. 44 etc. Verum naturalis lex evitandi periculum et servandi dignitatem religionis plane servari debet, praecipue si quis impares vires se habere veretur. — Sacerdos autem, ut recte Müller notat, vix silere potest, si de religione sermo instituitur. Cf. etiam Marc n. 449.

3. Communicatio cum haereticis etc. illicita est aut ut religiosa aut ut periculum inferens; de qua vide plura de cooperatione. Cf. Scavini<sup>10</sup> II, n. 915 sqq.



quam non uno tantum modo committi potest: — vocatur *infidelitas positiva*. Diversi modi, quibus ita peccari potest, sunt:

a) Si quis directe negat divinam veracitatem; quod vix umquam videtur accidere, sed si fieret, cum horrenda *blasphemia* coniunctum esset talis infidelitatis peccatum.

b) Si quis divinam veracitatem in se quidem non negat, negat autem factum revelationis, vel contra clara et sufficientia argumenta asserit, sibi de revelatione non constare, doctrinam aliquam sibi pro revelata non probari: quo fit, ut veracitati divinae, prout homini in concreto sese exhibet, cultus debitus denegetur, atque positive iniuria irrogetur, sicut regi, qui clare et certo regem se esse probat, iniuria irrogatur a subdito, qui pertinaciter non vult eum pro rege agnoscere et honorare.

c) Si quis neque divinam veracitatem neque divinam revelationem negat neque veritatem doctrinae revelatae in dubium vocat, at hanc nihilominus non *propter* divinam auctoritatem admittit, sed propter solum rationis intuitum: quo peccato directe laeditur pia voluntatis affectio et honor divinae veracitati necessario exhibendus.

Cave tamen, ne infidelitatis malitiam peccato contra cultum Deo debitum <sup>413</sup> satis describi et exhauriri putes, atque ita eam ad solam irreligiositatem deprimas. Nam malitia peccati desumenda est non solum ex eo, quod erga Deum omittitur et sic quasi contra Deum mediate oritur, sed maxime ex ea divina perfectione, quae laeditur, et ex modo, quo laeditur. Quoniam vero fides, quam infidelis Deo denegat, non solum communem cultum Dei, sed certum colendi modum atque ipsum Deum eiusque veracitatem immediate attingit, infidelitas *veracitatem Dei* impetit, eique immediate opponitur, videlicet aut veracitati Dei in se sumptae, id quod rarius fit, aut veracitati divinae, prout hominibus sese *in loquela Dei* manifestat iisque obversatur.

Infidelitas positiva, quae peccatis n. 7 a) et b) explicatis committitur, in homine, qui fidem iam receperat, aut *haeresis* aut *apostasia* est, prout particulares tantum fidei articuli negantur aut tota christiana vel catholica doctrina reicitur.

Apostasia ab haeresi specie per se non distinguitur. Nam sive in obiecto fidei materiali plus sive minus reicitur, id speciem peccati non mutat; siquidem obiectum formale seu divina in loquendo auctoritas eodem modo violatur. — Si quis autem a vera religione ad falsam aliquam sectam desciscit, pro diversitate *falsi cultus* seu sectae, ad quam transit, peccata specie distincta contra religionem committit. Nam contra res sacras aut cultum divinum in diversis sectis diversa peccata committuntur: quae peccata aut ipsa executione aut voluntatis proposito ille committit, qui tali sectae se adiungit. Cf. *Lugo*, De poenit. disp. 16, n. 290 sqq.

Infidelitas positiva hominis, qui fidem nondum assumpserat, a peccato haeresis vel apostasiae non videtur specie differre. Etenim quod aliquos ad distinctionem specificam sustinendam movet, quasi-pactum videlicet in baptismo cum Deo initum, non videtur esse nisi circumstantia aggravans, cum veram aliquam voti promissionem in baptismo fieri non probetur, sed firmum vitae propositum sollemniter factum admittere sufficiat. Ceterum haec opinionum diversitas practice vix ullius momenti est, cum infidelitas hominis non baptizati materia confessionis esse nequeat.

414 Alia controversia movetur circa specificam distinctionem infidelitatis. positivae et privativae, seu peccati n. 6 et 7 propositi. Positiva infidelitas *directe* laedit veracitatem divinam atque cultum illi debitum, privativa *indirecte*: priore peccato dicitur: «Nolo me divinae veracitati submittere»; posteriore ipse impedimento sum, quominus hanc submissionem Deo ostendam vel ostendere possim. — *Lugo*, De poen. disp. 16, n. 187 sq negat, esse vere specificè distinctam malitiam; *Vasquez*, quamquam in aliis praeceptis seu virtutibus voluntarium directum et indirectum specie diversum non esse fatetur, hic tamen discrimen specificum statuit, cum aliud sit *positive* inhonorare, quod est infidelitatis positivae, aliud potius *negative* non-honorare, quod facit privativa infidelitas. In confessione de infidelitate privativa accusanda sermo esse nequit, nisi agatur de homine aut in infantia aut sine omni vel sine vera fide baptizato. In accusatione autem sacramentali sane distinguenda sunt, saltem propter diversas sequelas et poenas, peccata infidelitatis positivae (quae in eo casu haeresis aut apostasia erit, ut supra dixi) et infidelitatis privativae, quae haeresis proprie dicta per se non est, cum homo, quamdiu inquisitio ulterior facta revera non fuerit, *credere nequeat*. — Id tamen addendum, in uno aliquo casu hunc inquisitionis neglectum veram haeresim continere, scilicet si homo hic et nunc ita paratus est, ut nolit se submittere, etsi certitudinem revelatae doctrinae haberet. — Ceterum si eiusmodi homo converti velit et confiteri, semper opus erit saltem *ad cautelam* absolvi ab haeresi.

415 Scholion 1. Ex dictis facile colligitur, quo sensu haeresis definiatur: *error liber et pertinax contra fidem, in eo, qui fidem susceperat*. Videlicet haeresis formaliter consummatur in intellectu, quapropter error est; causatur vero a voluntate, atque in eius actu malitia formaliter consistit, quapropter error *liber* dicitur. *Pertinax etc.* declarat specificam voluntatis malitiam, sufficit autem ea pertinacia, qua quis post doctrinae revelatae sufficientem cognitionem seu manifestationem a contrario errore recedere non vult.

Scholion 2. Immo ad veram haeresim efficiendam sufficit, dubium veritatis revelatae deliberatum admisisse. Quod qui admittit, eo ipso erronee iudicat, implicite saltem et virtualiter, doctrinam revelatam non esse certam, seu non esse certo veram.

Scholion 3. Ergo qui in falsa seu haeretica secta eruditus, in eaque veritates maxime necessarias edoctus est et de suae sectae veritate non dubitat, 1) non est haeticus vero sensu, sed *materialiter tantum*. Immo quamdiu sibi persuasum est de veritate suae sectae et doctrinae tamquam certo divinitus revelatae, tam diu ne inquirere quidem et dubitare licite potest.

2) Quando autem, id quod ex natura atque ipsa doctrina diversarum sectarum et ex divina providentia facile fit, serium dubium de veritate ipsius sectae oritur, quod excutere nequit, inquirere tenetur et divinum lumen implorare; quod si negligit culpabiliter, reus quidem est infidelitatis privativae, haeresis nondum, modo negligentia ex levitate tantum et incuria similive ratione vel etiam ex timore inveniendi veritatem committatur, quam post cognitionem non audeat respuere.

3) Si vero ita negligit inquisitionem vel ex ea ratione omittit, *quia non vult se submittere* neque amplecti interne catholicam veritatem, etsi eam agnosceret, haereticus formalis est.

\* \* \*

Tandem peccatorum, quae contra fidem committi possunt, catalogum <sup>416</sup> concludere iuvat enumeratione et brevi explicatione eorum, quae committuntur defensione vel approbatione thesium inferiore nota quam nota haeresis a SS. Pontificibus reprobatarum; habent enim quandam cognationem cum peccatis fidei contrariis et secum ferunt dispositionem quandam ad illa.

I. Propter doctrinam damnari consueverunt theses non solum ut haereticae, sed etiam ut erroneae, haeresi proximae, errori proximae, temerariae.

*Erronea* opponitur thesi thelogice certae seu illi, quae mediante altera veritate naturaliter certa ex doctrina revelata certo consequitur.

*Haeresi proxima* opponitur thesi fidei proximae, seu ei, quae a multis, quamquam non ab omnibus, pro revelata habetur, plerumque vero aliunde plane certa est; immo non consuevit affici aliqua thesis nota «*haeresi proxima*», nisi sit *simul* certo *erronea* sensu mox explicato.

*Errori proxima* opponitur ei, quae probabilissime ex doctrina revelata colligitur.

*Temeraria* opponitur communi theologorum doctrinae, quae sine solidis rationibus atque ideo temere deseratur.

His notatis, observa: 1. qui sustinet doctrinam erroneam, est *suspectus* <sup>417</sup> *de haeresi* et *praesumitur* haereticus. Et revera plerumque haeresis peccatum interne committit, siquidem veritatem naturaliter certam et evidentem ordinarie non negaverit: quod si non facit, nihil relinquitur, nisi ut alteram doctrinam fide certam neget. Quare merito suspectus de haeresi habetur.

2. Qui thesim inferiore nota damnatam tenet, *intrinsicus* contra virtutem intellectualis temperantiae seu studiositatis peccat malitiamque temeritatis seu intellectualis intemperantiae contrahit, cum temere, levi ratione contra communem doctrinam et fere certas propositiones aliquid statuat (v. *Suarez*, De fide disp. 19, sect. 6; *Lugo*, De fide disp. 20, n. 132 etc.); *extrinsecus* vero etiam contra fidem delinquit, cum sibi periculum creet incidendi in haesim et labefactandi fidei fundamenta. Qui vero eiusmodi doctrinas *docet*, eatenus etiam contra fidem extrinsecus peccat, quatenus periculum illud fidem labefactandi haeresimque inducendi pro aliis excitat.

II. Non tam propter doctrinam, quam propter enuntiationem damnari <sup>418</sup> possunt theses ut *scandalosae*, haeresim vel errorem *sapientes*, *piarum aurium offensivae* etc.

Quod si fit neque re ipsa theses illae sensum *falsum* continent: condemnatio fertur aut propter *irreligiositatem* aut propter sensum *ambiguum*, quem theses prae se ferunt.

Ille igitur, qui eas theses profert vel docet, peccat aut peccato irreligiositatis aut contra eam virtutem, quam laedit periculum vel scandalum aliis creando. — Quodsi sub verbis ambiguis sensum falsum tenet, peccatum quod committit ex iis, quae modo dicta sunt, satis intelligitur.

III. Hucusque supposuimus theses a supremo fidei iudice ac totius Ec-<sup>419</sup>clesiae magistro Romano Pontifice et definitiva, si opus fuerit, atque infallibili sententia condemnatas.

Non raro autem accidit, ut quaedam, quae ad doctrinam pertinent, praecepta dentur non suprema S. Pontificis auctoritate, sed per Sacras Congregationes, quibus R. Pontifex curam vigilandi in doctrinae puritatem mandavit, et quorum decreta ipse, non infallibili tamen sententia, approbat.

Qui ergo eiusmodi decretis inoboediens proscriptam doctrinam tenet, praescriptam non tenet, *per se* peccatum illud temeritatis, quod modo explicatum est, committit; nam ex sola illa condemnatione tanta habet rationum momenta tantamque securitatem, ut per se temerarium plane sit, praeceptis non acquiescere.

Dico *per se*; nam 1. accidere potest idque non raro, ut aliunde *plane probetur*, doctrinam reprobam esse contra catholicam doctrinam atque fidem revelatam: neque Congregationem Romanam aliud fecisse, quam manifestam reddidisse hanc discordiam; quod si obtinet, *graviorem malitiam* committit, qui reprobam doctrinam tenet.

2. E contrario plane impossibile non est, R. Congregationem a vero aberrare; quare temerarium quidem est, id sine novis et hucusque non allatis neque perpensis rationibus vel saltem sine diligenti rationum examinatione assumere; attamen si viro docto gravissimae appareant rationes, non ilico quidem illis assentiri debeat, *sed sine temeritate assensum tunc liceat suspendere*, doctrinam reprobam non affirmando neque positive negando, donec recursus ad altiore auctoritatem, sc. Rom. Pontificis infallibile iudicium, factus sit.

Haec de *interno assensu* decretis doctrinalibus S. Congregationum debito. Multo vero evidentius est, eiusmodi decretis deberi *externam oboedientiam*, ne quidquam contrarium doceatur, defendatur, dicatur. Quae obligatio per se adesse potest, etsi auctoritas praecipiens sit fallibilis; vix enim aliquid mali inde oritur, quod aliquando non omnem veritatem edici liceat; aut si interdum leve quoddam malum inde oriatur, multa et gravia mala ex veritate temere prolata ortum ducere possunt.

## Caput II.

### De Spe.

Cf. S. Thom. 2, 2, q. 20 et 21; Suárez, De spe disp. 2; Laymann l. 2, tract. 2; Sporer-Bierbaum tract. 2, n. 106—125; S. Alph. II 20 et 21 etc.; Ballerini-Palm. § II, n. 109—133.

#### § 1.

##### Quid sit spes.

420 Fides, cum secundum S. Paulum Hebr 11, 1 sit «sperandarum substantia rerum (ἐλπίζομένων ὑπόστασις)», id in quo spes nitatur et ex quo spes exurgat, natura sua ducit post ipsam consideratam fidem ad spem considerandam.

Est autem spes affectio viatoribus specifica, ideoque specificè *humana*. Qui in via est, tendit ad terminum. Ita nos non habentes *hic manentem civitatem futuram* coelestem *inquirimus* (cf. Hebr 13, 14). Quod praestamus spe, per fidem facti ad id parati. Quis enim tendit ad aliquid, nisi quod aut scit aut saltem sperat se adepturum esse! Scientiam



autem seu certitudinem singuli de singulorum salute seu coelesti gloria consequenda non habemus, cum possimus deficere; habemus atque habere debemus spem, quam qui retinet atque ordinatam retinet, non confundetur. *Spe salvi facti sumus* (Rom 8, 24).

Et revera in omnibus negotiis humanis spes est, quae vires acuit, quae labores minuit, immo gravissimos labores sine molestia docet sustinere; spes est, quae magna perficit, ad alta se extendit. Tolle spem: sustulisti stimulum ad laborandum, omnia languescent, omnia iacebunt.

Quodsi in negotiis humanis spes tanti momenti est, longe maioris est in rebus supernaturalibus et divinis. Nam ex una parte longe certius spes divina perducit ad ea, quae sibi attingenda proposuit; ex altera parte longe magis homo spe indiget atque auxilio alieno, divinum dico, quod spe tenet, ut revera sperata sit assecuturus.

Nobilitate autem spes illa, quae ad supernaturalia bona nos ducit, longe superat spem humanam, idque non solum propter illa bona ad quae ducit, sed etiam in se spectata. Immo ex ipsa illa bonorum supernaturalium celsitudine, qua bona illa omnem captum humanum atque cuiusvis purae creaturae superant, ratio petitur, cur ipsa spes divina in se spectata superioris seu supernaturalis ordinis esse debeat, supernaturali Dei influxu atque operatione in et cum nostra voluntate producenda.

Verum haec fusius explicanda sunt in theologia dogmatica. Hic sufficere debet succinctus conceptus.

I. Spes est virtus theologica, qua homo Deum ut beatitudinis suae<sup>421</sup> finem desiderat atque in Deo auxiliante, qui benigna et fideli sua promissione potentissimum auxilium suum praesens nobis fecit, innixus, animum firmum illius finis consequendi concipit.

Ut igitur vera spes concipiatur, animus firmari debet a) bonitate seu benignitate, qua Deus ad auxiliandum nobis propendet, b) potentia, qua auxiliari valet, c) fidelitate in promissis, qua revera auxilium nobis laturus est.

II. *Obiectum ergo materiale* spei id omne est, quod per auxilium divinae gratiae nos consecuturos esse confidimus, scilicet:

obiectum *primarium* ipse Deus in altera vita visione beatifica possidendus;

obiectum *secundarium* omnia, quae ad hunc finem assequendum necessaria sunt et conferunt: gratiae actuales ad vincendas tentationes, ad cavenda vel delenda peccata, opera bona perficienda; alia dona gratiae habitualia eorumque augmentum, quae futurae beatitudinis sunt praeparatio et praelibatio; immo etiam alia bona spiritualia et corporalia, aeterna et temporanea, quatenus ad finem nostrum ultimum eiusque praeparationem conferant; specialis Dei providentia in avertendis malis et in bonis procurandis.

III. *Obiectum formale* ab aliis quidem aliter assignatur. Contro-<sup>422</sup>versia tamen non est tantopere in re quam in concipiendi et loquendi

modo, cum alii Dei bonitatem, alii Dei potentiam et Dei promissionem, alii omnia haec simul pro formali obiecto assignent. Scilicet ratio dissensus ex eo petitur, quod spes non pro simplici omnino animi affectione sumitur, sed plures affectus aut continet aut supponit. Alii igitur spem concipiunt ut *desiderium* alicuius rei *simul cum* illis animi affectionibus, quae illius desiderii securam et firmam tendentiam efficiunt; alii potius, supposito rei desiderio, spem collocant in *sola illa subsequenti affectione*, qua animus contra difficultates in desiderio efficaciter prosequendo *erigitur*. Pro illis diversis opinionibus diversum obiectum formale spei statuunt. Priores enim virtutem spei latiore sensu sumunt, quatenus refertur ad omnes actus qui ab habitu spei procedunt; strictiore sensu eam sumunt posteriores, videlicet in ordine ad unum actum primarium qui est spei specificus. Nitide hac de re disputat *Laymann* l. 2, tract. 2, c. 1, atque spem strictioris sensus secundum definitionem scholasticis communem describit n. 6: «*expectationem certam beatitudinis ex Dei gratia et nostris meritis*». Practice autem dubium nullum esse potest, omnes illos actus seu affectus requiri, ut actus verae spei adsit, sive spem formaliter completam constituunt, sive eam praeparant et incohant. Quare si integrum complexum actuum sumimus, obiectum formale est:

1. Summa *Dei bonitas*, seu Deus, quatenus a nobis aliquando possidendus nosque summe beatificans. Bonitas igitur hic non pro singulari aliquo attributo benignitatis sumitur, sed dicit totam Dei perfectionem, qua ens summum est *nostra summa beatitudo*.—Hoc obiectum est formale illius desiderii, quod supponitur et desiderium spei vocatur.

2. Quatenus vero respicimus fiduciam animique erectionem quae proprie spes vocatur, seu quatenus illud nostrum summum bonum, nostris solis viribus impervium quidem, divino tamen auxilio nos consecuturos esse confidimus, singularia illa divina attributa obiectum formale constituunt, quae potentissimum Dei auxilium nobis certum et praesens reddunt, i. e.: *omnipotentia*, qua Deus et per illum nos omnibus difficultatibus superiores sumus; *benignitas vel misericordia*, qua Deus ad nos iuvandos pronus est; *promissio et fidelitas* in promissis, qua certi sumus, hanc nos iuvandi promptitudinem ex parte Dei vere efficacem fore.

423 IV. Conditions spei necessarias si breviter perstringere volumus, sufficit dixisse, eam debere esse ex parte sua certissimam et *firmissimam*, ex parte vero nostra eam *non excludere omnem timorem*.

Alia conditio, nimirum eam debere esse *supernaturalem*, per se patet; debet enim, ut aliae virtutes christianae, imprimis autem ut virtutes theologicae, supernaturalis esse tum quoad *motivum* suum, quod fide concipitur et divinum attributum est, tum quoad *principium*, cum ex sese nequeat ullus actus, qui confert ad salutem, ita fieri ut oportet, seu ita ut re ipsa ad salutem conferat, sine supernaturali Dei gratia; ergo neque spes christiana sine tali gratia concipi potest.

Certitudo igitur spei alia est *externa*, alia *interna*. *Externa* vero formaliter est in iudicio intellectus, quo spes dirigitur et nititur. Quod cum sit iudicium supernaturalis fidei, consequens est, ut certissime et firmissime mens humana inhaerere debeat illis veritatibus, in quibus spes pedem figit: firmissime igitur credere homo debet, Deum et posse et velle nos adiuvari in finis nostri prosecutione, neque eum in promissis suis falli aut fallere posse; *dubium omne* denique funditus excludi debet.

*Interna* certitudo, seu firmitas est affectio illa voluntatis, qua non solum Deo ut summo bono nostro summopere adhaereamus, sed etiam per auxiliatricem Dei virtutem *omnem timorem — quantum ad Deum spectat —* radicatus pellamus. Hanc firmissimam fiduciam et *S. Iacobus* commendat orantibus (Iac 1, 6 7): «Postulet autem in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur: Non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino», et *S. Paulus* (Hebr 6, 18 19) extollit: «ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam et firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis etc.»

At quamquam Deus nobis deesse nequit, nos Deo deesse possumus, neque tamen ipse solus sine nobis nos vult salvare. Hinc est, cur considerantes propriam infirmitatem et malitiam, merito timere possimus, immo debeamus, ne spes in falsam securitatem abeat. Nihilominus timor ille debet esse moderatus, cum tandem verissimum sit, plane apud nos esse, seu in nostra potestate per Dei gratiam positum esse, ut finem nostrum beatum attingamus, modo ipsi velimus. Qui ergo usque ad finem veram spem christianam retinuerit, quippe quae seriam voluntatem cum Dei gratia cooperandi eiusque mandata servandi includat, certissime salutem aeternam consequetur. «Spes autem non confundit» (Rom 5, 5).

Notionem et officium spei clare et succincte exhibet *Laymann*, ut supra innui. Quare daturus sum totam quam exhibet definitionis explicationem l. 2, tract. 2, c. 1, n. 6.

«Superest, ut explicemus definitionem spei theologicae iuxta strictiorem eius acceptionem traditam a scholasticis cum *Magistro* in 3 dist. 26: *‘Expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia et nostris meritis.’*

1. Cum dicitur *expectatio*, nota, hos voluntatis actus subordinatos esse, qui sunt amor, desiderium, intentio, *expectatio*. Nam amor latius patet quam desiderium: amamus enim cum absentia tum praesentia, desideramus tantum absentia. Desiderium latius patet intentione et *expectatione*: quia desiderium boni absentis aliud est *simplex*, quo desideramus etiam ea quae valde difficilia et impossibilia acquisitu iudicamus, ideoque desperamus nec consequi intendimus, quomodo reus supplicio afficiendus vitam longiorem desiderat, quam tamen desperat, et interdum obtinere non intendit; aliud vero est desiderium *efficax* boni absentis seu nondum possessi; quod, quatenus per media acquisita possibile iudicatur, dicitur *intentio*; quatenus vero arduum, tamen re ipsa acquirendum iudicatur propter mediorum efficacitatem, seu propter facultatem propriam aut alterius adiutoris, dicitur *expectatio*. Ex quo apparet, quod actus *expectationis* seu spei modum quandam firmitatis superaddat actui intentionis, propter perspectam obtinendi facultatem.

2. *Beatitudinis* [*expectatio*], in Dei clara visione consistentis; quandoquidem hoc est primum materiale obiectum spei, ad quod reliqua sperata referuntur, ut explicavi supra et docet *S. Thomas* 2, 2, q. 17, a. 2 ad 2.

Nota hic, perinde esse, sive dicas *Deum* esse obiectum spei *ut a nobis comprehendendum*, sive dicas obiectum spei esse *comprehensionem fruitionemque Dei*. Nam Deus est *obiectum quod*, comprehensio *obiectum quo*; quandoquidem amor concupiscentiae, in quo spes veluti in subiecto fundatur, non fertur in obiectum nisi in ordine ad comprehensionem adeptionemque: v. g. miles desiderat et sperat pecunias ad apprehendendum seu praedandum.

426 3. *Certa* [exspectatio] seu infallibilis, quia fundatur in infallibili Dei promissione, quam per divinam itidem infallibilem fidem accepimus. Ad quem modum apostolus Rom 4, 20 de patriarcha Abraham dixit: ‚In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia‘, eiusque rationem mox adiungit: ‚sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere‘.

Nota autem hoc loco, quod *certitudo* et infallibilitas, si proprie loquendum, ad intellectum pertinet, ideoque fidei propria affectio est; voluntati autem et actui eius, quae est exspectatio, convenit secundum quandam participationem (ut loquitur *Durandus* cit. disp. 26, q. 3, a. 1 et *Richardus* art. 4, q. 2 in corp.), et aliud non est quam *firmitas et constantia* voluntatis adhaerentis et prosequentis bonum, iuxta illud Ps 72, 28: ‚Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.‘ Et apostolus Hebr 6, 19 vocat spem ‚*ancoram animae firmam*‘ propter voluntatis adhaesionem seu determinationem, et ‚*tutam*‘, quia, ut dicitur Rom 5, 5, ‚spes non confundit‘. — Porro eiusmodi certitudinem, seu potius firmitatem, in humani auxilii promissione, quippe suapte natura incerta et fallibili, collocare non possumus. Id enim esset confidere in mendacio ac vanitate, atque maledictioni Dei se subicere, quia ‚maledictus homo, qui confidit in homine‘ (Ir 17, 5) et (Ps 145, 2 3): ‚nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus‘, i. e. a quibus certa salus non provenit, cum ob inopiam suam non possint se ipsos nec nos adiuvere, et ob inconstantiam aut malitiam interdum nolint adiuvere. Similiter neque in propriis viribus neque in ulla alia re creata, tamquam ex se sufficienti ad beatitudinem conferendam, spes collocari sine gravi praesumptionis scelere potest; sed in solo Dei omnipotentis ac fidelis promisso auxilio.

4. Denique additur: *Ex gratia Dei et propriis meritis*. Circa quae verba aliquae doctrinae explicandae sunt:

427 Prima. Spes omnis circa bonum *arduum* versatur, ut docet *S. Thomas* 1, 2, q. 40, a. 1 et 2, 2, q. 17, a. 1 et 5 . . ., i. e. circa tale bonum, quod difficultatem obtinendi habet et tamen obtinendum iudicatur propter promptitudinem seu facultatem propriam vel alienam, ut expresse docet *S. Thom.* 1, 2, q. 42, a. 3 ad 3 (licet contrarium placuerit *Vasquez* 1, 2, disp. 40, c. 2). At vero spes theologica cum circa beatitudinem aeternam ac supernaturalem versetur, respicit arduum ut alterius, videl. Dei, auxilio assequendum. Beatitudinem, inquam, obventuram nobis speramus non naturae nostrae viribus aut facultate, sed Dei potentia, gratia ac misericordia, convenienter illi Os 13, 9: ‚Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.‘

428 Altera. Licet haec duo, *gratia Dei et propria merita*, coniunctim ad ultis necessaria sint, velut media a Deo ordinata ad aeternam beatitudinem assequendam, tamen principalior est Dei gratia, quae per merita Christi nobis communicatur, quandoquidem ab ea merita nostra dependent, vim et efficaciam accipiunt. ‚*Deus est enim*‘, inquit apostolus Phil 2, 13, ‚*qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate*‘ seu beneplacito, et Christus apud



Io 15, 1 sqq: *‘Ego sum vitis vera: et Pater meus agricola est . . . vos palmites . . . sine me nihil potestis facere’*, quod vel ad iustitiam coram Deo vel ad vitam aeternam consequendam utile sit: item apostolus ad Rom. et ad Gal. saepe inculcat, hominem nec iustificari nec salvari posse sine fide in Christum et gratia Dei per Christum. — Exinde etiam intelligitur, quomodo in nostris operibus sperare seu confidere possimus, vid. non quatenus praecise ex nobis aut viribus naturae sunt; sed confidere aliquo modo possumus in nostris bonis operibus, quatenus ea ex Dei gratia proficiuntur ideoque et ipsa Dei dona sunt, ac media misericorditer ordinata ad vitam aeternam, sicut docet *S. Augustin.*, De gratia et lib. arbitrio c. 6 (ML 44, 890), et De verb. apost. serm. 13 (ML 38, 855sq), et *Trident.* sess. 6, c. 16: *‘Licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, . . . absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel gloriatur, et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.’* Qui enim ita confidit in creatura, quatenus est instrumentum sive medium salutis nostrae a Deo assumptum, is in Deo potius confidit, sicut qui homines amat propter Deum et in eorum salute laetatur propter gloriam Dei, is Deum ipsum potius amat.

Tertia: Cum Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigit, ut <sup>429</sup> vita aeterna non sit tantum gratia, sed etiam merces et corona iustitiae (Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit’, 2 Tim 2, 5): hinc consequens est, quod certitudo spei seu infallibilis expectatio beatitudinis non sit absoluta (‘Nemo’, inquit *Trid. conc.* sess. 6, c. 13, sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur’). Quia spes et expectatio nostra tanquam fundamento nititur promissione Dei, quae nobis facta non est absolute, sed conditionate: *‘Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata’* (Mt 19, 17); item: *‘Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit’* (Mt 10, 22). At vero nemo, sine speciali revelatione, certus est, se in gratia Dei constitutum legis mandata observare, et nullo etiam occulto peccato teneri. . . . Similiter perseverantiae dono nemo hominum sine peculiari revelatione certus esse potest. . . .

Ex quibus denique consequens est, absolutum iudicium hoc: ‘Certa ac infallibili fide credo, me vitam aeternam consecuturum’ non esse actum fidei theologicae, sed falsam haereticorum nostrorum persuasionem, in qua non theologica virtus spei, sed inanis praesumptio fundatur. . . .

Attamen tanto firmiorem persuasionem, et interdum *quasi moralem certitudinem*, et, quae inde nascitur, maiorem spem et consolationem quisque fidelium habere potest, quanto tum Dei singularem circa ipsum providentiam, gubernationem ac spiritualia beneficia, tanquam signa praedestinationis animadvertit, tum vero nullius mortalis peccati, in quo animus haereat, sibi conscius, firmiter Deo etiam in posterum serviendi propositum in se experitur.»

## § 2.

### *De spei necessitate.*

I. Circa spem eadem necessitas distinguenda est atque circa fidem, <sup>430</sup> medii et solius praecepti necessitas.

II. Spem necessariam esse necessitate medii eruitur I. *positive* ex doctrina *S. Pauli* Hebr 11, ubi necessitatem fidei praecipue ad *res sperandas* refert atque ita in fidei necessitate necessitatem spei includit,

ut v. 1: «*Est autem fides sperandarum substantia rerum*» et v. 6: «*Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remuneratur sit.*»

Quod confirmatur ex 1 Io 3, 3. Nam cum dixisset: «*Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est*», pergit: «*Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est*» quasi innuens spei et vim et necessitatem: vim et vigorem, quia impelli et urgeri dicit eum, qui spe imbutus est, ad omnimodam sanctitatem et similitudinem quam maximam cum Christo his in terris, cuius similitudinem sperat in gloria et beatitudine; necessitatem spei, quia hunc nisum et strenuum laborem maioris in dies sanctitatis acquirendae et necessariae sanctitatis retinendae ex ipsa spe repetit, ac si sine spe hominem inermem dicat et debiliorem ad pugnam christianam.

2. *Et revera ex natura rei* spes necessaria est, tum ut homo adultus iustificetur, tum ut iustificationem seu gratiam sanctificantem illaequam servet. Primum fieri nequit, nisi homo sive explicite sive implicite proponat, efficaciter tendere in Deum ut finem suum ultimum et abstinere ab omni gravi peccato. At seposita quaestione, num homo moraliter possit sola caritate in Deum ut finem ultimum tendere, nisi vel antea vel simul desiderio propriae beatitudinis in eum tendat: certe *propositum* efficaciter in tota vita per mandatorum Dei observantiam ad finem ultimum tendendi concipere nequit nisi firmiter confidens in divino auxilio, siquidem per proprias vires homo omnino impar est.

*Servare* vero iustitiam eo minus homo sine spe divini auxilii potest, quo difficilius est executio, quam propositum. Nequit enim, ut dogmatice constat, homo diu servare gratiam sanctificantem atque in tentationibus victor evadere, nisi gratiae auxilia sibi orando comparaverit. At orare, sicut oportet, impossibile est, nisi quis habeat et exerceat veram spem in Deum. Cf. Iac. 1, 6 et 7, ubi oratio, qua certo bona nobis necessaria impetremus, dicitur debere esse cum firma fiducia esse coniuncta. Quod nihil aliud est nisi *spei* necessitatem edicere. «*Postulet autem in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur: non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.*»

481 III. Praecepti vero necessitas non iisdem plane limitibus circumscribitur; siquidem spes *etiam per se et propter se* aliquando praecipitur. Id enim simili ratione ex divinis perfectionibus atque debita erga eas reverentia eruitur, sicut supra dictum est de obligatione fidei.

IV. Si igitur et medii et solius praecepti necessitas sumitur, obligatio actus spei eliciendi adest aut per se aut per accidens, aut propter ipsam spem eiusque intrinsecam honestatem aut propter rationem medii ad aliud consequendum necessari.

Obligatio spei *per se et propter se* est:

1. saltem aliquoties in vita; cf. dicta de fide supra n. 398;

2. in exordio vitae moralis hominis;

3. circa vitae exitum (eo sensu et cum ea restrictione, ut *de fide* notavi);

*per se, sed non propter se*: quoties adest communis et generalis obligatio ad actum, qui sine spe poni nequit;

*per accidens propter se*: quando tentatio contra spem sola indirecta oppugnatione vel contemptu vinci non potest;

*per accidens, sed propter aliud*: 1. si aliae tentationes urgent, quae aut ipsa spe aut oratione vincendae sunt; 2. si quis libere actum vel exercitium supernaturale assumit, quod sine oratione et spe debite perfici nequit.

Breviter: Fere omnia ad spem applicari possunt, quae de fide dicta sunt.<sup>432</sup> Id discriminis tamen addam: actum spei frequenter elici ad eum finem, ut a terrenis atque peccaminosis desideriis quis retrahatur maneatque in firmo a peccato gravi abstinendi proposito, id non absolute sed morali tantum quadam necessitate necessarium dici potest. Cuius rei haec est ratio, quia motiva quidem supernaturalia, immo, ut postea dicitur, ipsius caritatis motivum frequentius perpendi necesse est; verum praeter spem alia supernaturalia motiva per fidem proposita adsunt atque caritatis motivum spe ipsa fortius urget: quare singularis *spei* necessitas *hac* ratione non ita *absolute* probatur. Attamen si hominis infirmam naturam spectamus, nihil convenientius est nihilque fortius movens, quam propriae beatitudinis desiderium. Unde revera moraliter fieri nequit, ut homo, si consistere vult in bonis propositis, non frequenter actus spei exercere debeat. Insuper alia ratio prorsus evincens spei frequenter exercendae necessitatem invenitur in necessitate orandi et nitendi in divinae gratiae auxilio, quod iam supra inuimus.

### § 3.

#### *De peccatis contra spem.*

I. Primum peccatum, quod contra spem committitur, est *omissio*<sup>433</sup> *actus spei*, quando praeceptus est, saltem si per se et propter se obligat.

Non facile interrogandi sunt poenitentes de peccato per omissionem actus spei commisso, quia aut non satis constabit de obligationis frequentia, neque poenitentes, si qua obligatio erat, ad eam attenderunt; aut peccatum illud iam aliunde satis cognoscitur et declaratur. — Etenim illa malitia, quae contrahitur, quando homo, etiam extra specialem tentationem contra virtutes theologicas, earum actus diu non exercet, intelligitur in poenitente locum habere, quando diutius in plena Dei oblivione vixit, neque quidquam oravit. Tunc enim laesit obligationem religionis (orationis), fidei, spei, caritatis.

II. Commissione autem peccari potest *primo desperatione*. Despe-<sup>434</sup> ratio autem consistit in fuga a Deo ut auxiliatore et a prosecutione ultimi finis, eo quod desperans iudicat, beatitudinem sibi comparari impossibile esse.

Desperatio igitur *incipit a iudicio*, quo quis libere iudicat, beatitudinis prosecutionem eiusque assecutionem sibi esse impossibilem;

completur autem *formaliter fuga voluntatis*, qua homo se avertit a beatitudine eiusque prosecutione.

Iudicium illud homo concipere potest a) iudicando Deum nolle necessaria media concedere, vel b) iudicando cooperationem propriam tandem a Deo requisitam sibi fore difficiliorem, cum nolit sibi necessariam vim inferre,—primum haeresis est, alterum ignavia.

Fuga autem voluntatis fieri potest a) per tristitiam, qua homo se avertit ab ultimo fine, qui cum difficultatibus coniunctus est (aversatur formaliter difficultates, materialiter finem; *retinet sterilem affectum* circa ipsam beatitudinem); b) per odium beatitudinis seu Dei beatificantis, odio non inimicitiae, sed abominationis, ita ut Deus, qua finis ultimus, ab homine ut suum malum consideretur; considerat enim eum huiusmodi desperans non ut beatificatorem, sed ut vindicem et punitorem; *non retinet affectum* erga Deum ut nostram beatitudinem: quod Dei odium, etsi desperationem summo gradu *continet*, in se tamen potius *directe caritati opponitur*, quamquam nondum pessimo illo modo, quo ei contrarium est odium inimicitiae.

Nihil enim mali est in Deo; ipsa haec relatio Dei ad peccatorem, qua vindex est, peccati quidem odium movere debet, immo etiam poenae odium recte excitare potest, ut effectus peccati, sed per summam tantum iniuriam caritati contrariam transfertur odium in ipsum Deum.

435 **Explicatio.** 1. Desperatio per odium Dei est post odium inimicitiae peccatum omnium gravissimum atque haeresi ipsa gravius esse plane videtur.

Desperatio per tristitiam est *in se* peccatum haeresi inferius, cum non opponatur divino attributo absolute spectato, sed relative tantum, i. e. in relatione ad hominem; potest autem illa desperatio haereticum iudicium *includere*.

2. A desperatione proprie dicta distinguendus est timor nimius atque diffidentia quaedam, quae spem non vere abicit, sed nimia consideratione propriae infirmitatis occupatur, atque contra eam in divino auxilio remedium quaerere viresque et animum concipere *nimis negligit*; — quare, qui ita dispositus est, non tam positive quam negative contra spem eiusque exercitium delinquit, neque adeo facile graviter. Multo magis confessarius desperationis tentationem ab ipsa desperatione distinguere debet.

3. Contra desperationem et contra nimiam deiectionem remedia, quae iuvant quodammodo extrinsecus, sunt: specialis devotio erga Divinum Cor ac Dominicam passionem, devotio erga B. Virginem, quae a Patribus ut quoddam praedestinationis signum praedicatur, accessus devotus ad SS. Eucharistiae sacramentum; remedia intrinsecus cum spe cohaerentia: meditatio divinorum attributorum, quae obiectum spei formale constituunt, atque illorum attributorum insignis manifestationis tam abundanter factae, videlicet recordatio summorum beneficiorum, quae Deus humano generi re ipsa contulit, necnon factorum fere innumerabilium, quibus continentur misericordiae divinae exempla splendidissima, meditatio insuper parollarum, quae a Christo Domino in Evangelio proponuntur, e. g. de ove perdita, de filio prodigo etc. Haec igitur omnibus qui pusillanimitate laborant serio commendanda sunt.

4. Quo melius vero desperatio vel deiectio curetur, confessarius videat, undenam originem ducat, utrum ex inveteratis vitiis, maxime carnis, ex



acedia etc., an ex melancholia et diaboli tentatione. In posterioribus casibus remedia mox allata praecipue adhibenda sunt; in aliis insuper et prae aliis poenitens retrahendus est a vitiis et a peccatis, simul tamen fiducia in auxilium divinum, quo peccata caveri possint, excitanda est.

III. Demum commissione, sed modo omnino contrario, peccatur <sup>486</sup> *praesumptione* — quod dicitur peccatum quasi per excessum, videlicet homo *indebito modo* finis assecutionem intendit, vel indebito modo Deum sibi fore auxiliatorem exspectat; hinc diversa fit praesumptio:

1. ab eo, qui divinum auxilium sperat ad res illicitas: — quod vix sine haeresi, necessario cum magna fit *blasphemia*;

2. ab eo, qui propriis tantum viribus in negotio salutis innititur: — quod non fit sine *haeresi*;

3. ab eo, qui in sola divina misericordia nititur: — quod qui serio et deliberato iudicio facit, nolendo praecepta divina servare et nihilo minus se salvum fore iudicando, etiam ab *haeresi* non est immunis. Verum tale iudicium communiter non concipitur, sed practice homo ita agit, ac si illud iudicium haberet;

4. ab eo, qui misericordiam divinam sumit non pro ansa quadam, sed vere pro motivo sive perseverandi in peccato sive peccata peccatis addendi;

5. ab eo, qui sperat extraordinariam providentiam ultra divinam dispositionem, ita ut v. g. efficaci desiderio velit superare vel aequare sanctitatem B. M. V.; nam inefficax quaedam velleitas talis excellentiae, si fit cum subiectione erga divinam voluntatem, ex se non est mala, sed pro modo et circumstantiis potest esse valde bona et meritoria.

**Explicatio.** 1. Praesumptio pro diversis modis, quibus committi <sup>487</sup> potest, diversum etiam habet gradum malitiae. Ut ergo specificam malitiam secundum ordinem et gradum gravitatis, quo *contra ipsam spem* peccetur, recenseam, relicta omnino malitia haeresis, quae saepe cum illis peccatis coniungitur, ita statuendum videtur:

1) omnium gravissima est praesumptio primi modi, sperans divinum auxilium ad illicita, quia divinis attributis *contrarie* opponitur;

2) secundum gradum tenet alter modus, nitens in propriis tantum viribus, ut salus aeterna obtineatur, quia *totaliter recedit* a Deo auxiliatore;

3) tertium gradum tenet praesumptio nitens in *sola* divina misericordia, cooperationem propriam excludens, quia ipsum obiectum formale indebito modo concipit, quamquam non directe illud reicit, ut primus;

4) quartum gradum tenet ea quae ex misericordia Dei sumit *motivum peccandi*, quia in vero abusu circa obiectum formale consistit, quamquam non reicit illud ulla ratione: est malitia praecedenti modo cognata;

5) infimum gradum tenet quartus modus, extraordinariam providentiam ultra divinam ordinationem exspectans.

2. Duo posteriores modi praesumptionis admittunt parvitatem materiae, quod in eo, qui extraordinaria sibi expetit, facile per se patet,

nisi habeatur animus divinae dispositioni rebellis<sup>1</sup>. In altero autem, i. e. penultimo, modo eatenus parvitas materiae haberi potest, quatenus aliquis divinam misericordiam assumat ut motivum venialia peccata committendi, non mortalia.

438 3. Quod ipsum illum modum spectat, qui commune peccatum praesumptionis exprimit, quem homines aliquando accusant, quod praesumendo de divina misericordia peccata commiserint vel auxerint, sedulo videndum est, num, qui ita se accusant, fecerint verum praesumptionis peccatum. Nam, ut rite distinguunt *S. Thom.* 2, 2, q. 21, a 2 ad 3, *Suarez* l. c. s. 3, n. 2, *S. Alphons.* II 21 aliique, si quis ex fragilitate vel passione peccat *simul sperans*, fore ut veniam postea consequatur, ac proinde statuens saltem implicite *se postea velle converti et a peccato recedere*, non committit peccatum praesumptionis; immo, ut scriptores notant, peccatum potius diminuitur. Cf. etiam *Bucceroni* I, n. 374.

439 Scholion. Spes seu habitus spei destruitur illis peccatis, quae aut fidem destruunt, aut formali obiecto spei directe opponuntur idque reiciunt; ergo:

1) peccato desperationis;

2) peccato praesumptionis altero modo commisso, solis viribus propriis ad aeternam salutem nitendo;

3) destrui *potest* peccatis praesumptionis primo et tertio modo commissis, atque saltem tum re ipsa destruitur, quando illa fiducia quae cooperationem propriam excludit, aut ea quae ad illicita perpetranda auxilium Dei expectat, in haeretica mentis persuasionem nitatur;

4) denique destrui potest per aliquod desiderium perpetuo in hoc mundo vivendi. Sed hoc ultimum peccatum maiorem requirit considerationem.

Illud enim desiderium, nisi homo insanire velit, concipi potest tantummodo per modum alicuius velleitatis; siquidem versatur circa rem, quae ab omnibus sanae mentis hominibus concipitur ut impossibilis. Quae velleitas potest 1. manifestatio esse magnae inclinationis naturalis erga bona huius mundi, ita tamen, ut homo nihilominus ad futuram vitam adspiret eamque voluntate vera praeferat; 2. potest, eadem futurae vitae prosecutione permanente, velleitas illa esse fuga et timor incertitudinis, qualis vita in aeternum ducenda sit, beata scilicet aut infelix, ita ut velleitas sit, potius non moriendi quam periculum damnationis subeundi; 3. illa velleitas perpetuo hic vivendi potest consistere in eo quod praefertur voluptas praesentis vitae bonis aeternis atque possessioni Dei. Solus hic tertius modus ex se peccatum mortale est, idque contra spem atque eam destruens. Cf. *Mazzotta* tract. 2, disp. de virt. theol. c. 3, § «Quaeres primo».

<sup>1</sup> *A. Koch* § 85 cum aliis recenset inter peccata contra spem etiam *tentationem Dei*, qua quis sine iusta causa ad miraculosum Dei interventum provocat eumque expectat, ut ordalia committentes faciebant. Attamen si miraculosus quidem Dei interventus expectatur in causa salutis aeternae, inest sane in hac expectatione vel postulatione inordinatio quaedam contra spem theologicam; verum haec confundi non debet cum ipsa Dei tentatione. Quae et latius patet, cum committatur in quacumque re si sine iusta causa talis interventus Dei postuletur, et ex se constituit malitiam graviorem.

Addi debet, spem indirecte destrui omnibus iis peccatis, quibus fides destruitur; nam spes fidem necessario supponit; qua destructa, etiam ipsa corrumpat necesse est.

### Caput III.

#### De caritate.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 23—29; *Suarez*, De caritate; *Lessius*, De summo bono; *S. Bonav.*, Stimuli amoris; *S. Franc. Sal.*, Theotimus.

Caritas, quod spes desiderat et expetit, suo modo tenet et possidet eoque fruitur. Quare caritas maxime atque perfecte exercetur in patria coelesti, ubi sumus in termino et in plena Dei possessione. Verum his in terris hanc Dei possessionem atque cum eo unionem incohamus atque praelibamus. Immo caritas in his terris exercita, quoniam libera est, fundata in imperfecta Dei cognitione per fidem, medium est praeclarissimum, quo ad finem nostrum ultimum tendamus eiusque assecutionem quam abundantissimam nobis reddamus.

#### § 1.

##### *Notio et obiectum caritatis.*

I. Caritas virtus theologica est, qua Deum propter se ipsum suasque infinitas perfectiones super omnia amamus, atque nosmetipsos et proximum propter Deum diligimus.

Caritas est amor *benevolentiae* et *amicitiae*, cuius affectus sistit in ipsa persona amata propter se (*S. Thom.* 2, 2, q. 23, a. 5 ad 2 et q. 27, a. 3), atque ita distinguitur ab amore *concupiscentiae*, qui rem sive personam amat propter utilitatem quae amanti oritur, qui proinde in persona amata non sistit, sed ad amantem redit vel declinat. Posterior amor concupiscentiae est amor spei, si ad Deum eiusque possessionem refertur, atque minoris perfectionis est; quapropter amor spei seu concupiscentiae vocatur amor imperfectus, i. e. secundum speciem imperfectus; amor caritatis secundum speciem suam *perfectus amor* est.

Dixi caritatem esse amicitiae amorem; quae ratio in naturali amore erga Deum impossibilis est. Amicitia enim, ut locum habere possit, requirit aequalitatem quandam, quam inter Deum et hominem existere posse naturalis ratio ex se ne cogitare quidem potest; revelatione autem et fide eam per divinam gratiam revera adesse docemur.

In definienda et explicanda caritate, quae perfecta dicitur, in eaque ab imperfecta distinguenda a duobus scopulis cavendum est:

1. ne confundatur amor concupiscentiae cum caritate perfecta;
2. ne desiderium nostrae beatitudinis, quatenus *nostra beatitudo* est, per caritatem *excludi* putemus. Nam verum quidem est, si quaero meum bonum, ut mea beatitudo est per Deum obtinenda, ille amor Dei per se non est perfectus. Attamen: ille amor 1) cum caritate perfecta *simul* adesse potest, siquidem proprium bonum bono divino non est oppositum.

2) Etsi illum actum ad spem trahis, tamen ipsa caritas eum *imperare* potest, ut quemlibet alium actum bonum, maxime supernaturalem: de quo infra.

3) Ille amor imperfectus potest caritatis actum imperare, siquidem desiderium non excidendi ab aeterna felicitate voluntatem movere potest ad medium efficacissimum, actum perfectae caritatis, quo aeternam felicitatem consequar.

4) Immo si in mea beatitudine non tam considero, quod mihi bene sit, sed potius eam concipio, quatenus praesens intueri possim Deum omnibus bonis summe affluentem, atque ita in hac ipsa cognitione perfecta seu visione, vel potius in Deo ita viso, meum gaudium colloco, in se et per se actum perfectissimae caritatis exerceo. Nam tunc desidero quidem *id, quod* me summe beatum reddet, sed specialis ratio, *cur* et *sub qua* id desidero, potius ipse Deus est, quem sciam perfectionibus summis cumulatum. Videlicet omnis quidem actus voluntatis, adeoque etiam amor caritatis fertur in id, quod volenti convenit eumque perficit, atque sub hac ratione, qua volenti est conveniens, in illud fertur: iste enim est conceptus ipsius boni, quae sola est ratio, qua voluntas circa aliquid affici idque appetere *possit*. Verum si amore benevolentiae et amicitiae seu caritate in Deum feror, id ipsum, scil. Deo bene esse eumque omnibus bonis et perfectionibus esse praeditum, *tamquam bonum meum* volens et liber considero, idque ut magis mihi bonum et rationi conveniens approbo, quam propria bona, quibus ipse fruar.

Hinc Deum amari ut bonum nostrum vel ut beatitudinis nostrae obiectum pro diverso sensu, quo sumitur, aut extra actum caritatis est, aut ad actum caritatis pertinet.

442 II. Affectus, quibus actu amamus, plures sunt (cf. *S. Thom.* q. 27, a. 2):

*Complacentia*, qui est actus amoris omnium primus, quo amans erga perfectiones amatae personae bene afficitur eiusque praesentia ut talia respicit; *benevolentia*, qua amans amato bona desiderat, adeoque non tam bona eius praesentia quam non praesentia respicit, vel saltem non ut praesentia; *beneficentia*, quae, ut affectus est, vult ipse amato bona conferre, atque idcirco certus quidam modus benevolentiae est. Erga Deum vero benevolentia, quae sola re ipsa possibilis est, circa eius *externam gloriam*, augmenti et detrimenti capacem, versatur eamque promovere studet. Neque vero neque pleno sensu beneficentia est, sed potius eam quodammodo imitatur. Haec autem quasi-beneficentia eatenus amori divino necessaria est, quatenus firmam voluntatem denotat, qua homo saltem *ipse in se* divinam gloriam per mandatorum observationem promovere paratus est; nam et Deus hanc suae gloriae promotionem ab unoquoque exigit, et homo hac voluntate probare debet, se ut amicum divinam amicitiam velle retinere. Quapropter etiam *amor oboedientiae* vocatur.

Etsi alii actus enumerari possunt, qui ad caritatem pertinent, ut gaudium, fructio, unio: hi tamen facile reducuntur ad tres illos actus principales.

443 III. Obiectum *materiale* duplici sensu sumi potest: 1° pro persona, cui bene volumus seu quam amamus. Hoc sensu obiectum materiale primum ipse Deus est, secundarium nosmetipsi atque reliqui homines, vel illae rationales creaturae, quae ad consortium divinae amicitiae vocantur. Secundarium igitur obiectum, seu personae, quas



vera caritate praeter ipsum Deum amplectimur, omnes sunt, qui per gratiam sanctificantem vel beatificam visionem in divinam familiam transierunt, aut ad illius consortium divina destinatione et vocatione apti sunt. Vide I Io 4, 20 etc.; 5, 1 et 2; 3, 14.

Quomodo proximus etiam vera caritate theologica diligi possit et debeat, id fusius explicare dogmaticorum est. Pauca invenies infra l. 2, div. 1, c. 2.

Obiectum materiale sumitur 2° pro re, quam dilecto volumus vel desideramus: quo sensu omnes creaturas, quatenus in iis divina perfectio relucet, aut quatenus ad divinam gloriam manifestandam et promovendam conferunt, per caritatem ad Deum referre possumus. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 25, a. 3 et a. 11.

IV. Obiectum *formale* caritatis seu ratio motiva est *ipsa Dei* <sup>444</sup> *summa perfectio in se seu Deo summe bona*, quae sive in omnibus eius attributis simul sumptis, sive in singulis attributis, sive sunt attributa absoluta sive relativa, resplendet. Quidquid enim divinum est, summe perfectum et summe amabile est, atque ad summum amorem merito nos potest provocare. Neque ulla solida ratio afferri potest, cur attributa relativa, quae dicuntur, ab obiecto formali caritatis excludi debeant, immo cum *in se* sint divina, pro nobis autem eorum amabilitas facilius concipiatur, in praxi plerumque caritatis actus ex iis ortum ducit, ita saltem ut ab illis incipiat, etsi postea consideratione aliarum perfectionum producat et consummetur.

Ad plenioram intelligentiam nota: 1. Quamquam attributa Dei relativa <sup>445</sup> bene obiectum formale verae caritatis actus esse possunt, tamen dona a Deo profecta seu nobis collata non sunt. Neque cum caritate, quae ex attributo divino, v. gr. benignitatis, misericordiae, concipitur, confundendus est actus gratitudinis, poenitentiae, religionis. Nam hae virtutes, licet prope accedant atque facile ducant ad perfectam caritatem, in se tamen morales sunt, non theologicae, earumque ratio motiva non est ipsa divina perfectio, prout Deo bona est ipsumque summe perfectum et amabilem reddit, sed ratio formalis sistit in ipso bono naturae rationalis, quatenus Deum colere, Deo summe benefico gratum esse etc. rationali naturae consentaneum est atque eam perficit. Quod etiam magis fortasse elucet, si consideramus et dolorem peccatique detestationem, quae perfecta caritate concipitur, et eam, quae ex motivis religionis, gratitudinis etc. elicitur. Ex caritate eam concipio, si peccatum considero et detestor ut Deo, quem diligo, summe displicens et ut eius quoddam malum; ad gratitudinem refertur dolor, quo detestor ingratitude, quae in peccato est, atque id ipsum, quod est ingratum esse, ut turpe mihi et odibile abominor.

2. Quia vero ex gratitudine facillime et quasi sua sponte amor erga ipsum benefactorem benevolus oritur, ita ut ex beneficiis *ocasio* sumatur et impulsus, ex beneficentia vero et ipsa benefactoris perfectione *formalis ratio* amandi, atque actus exurgat, qui non solummodo commodum proprium ex beneficiis acceptum respiciat, sed ulterius progrediens ipsi benefactori bene velit et datori propter se ipsum magis quam eius donis inhaereat: propterea *amor gratitudinis* communiter dicitur ad perfectum caritatis amorem pertinere; quod nihil aliud est quam dicere, gratitudinem ex natura sua inclinare

ad actum verae caritatis imperandum, atque eum amorem, qui attributum divinae beneficentiae pro formali obiecto habeat, verae caritatis amorem esse. Quare cum haec via facillima sit, humanaeque naturae maxime accommodata, ille, qui alios ad contritionem perfectam (quae ex caritate concipi debet) disponere vult vel debet, optime agit, si, ducem Sacram Scripturam sequens, primo hominem ad gratitudinem ex toto animo excitare conetur, dein vero ipsum caritatis motivum suggerere in eoque insistere non omittat.

446 3. Tandem mea opinione omittendum non est, amorem erga Christum crucifixum facillime amorem esse caritatis, atque dolorem de peccatis ex eo motivo conceptum, quod mortem et acerbissimos cruciatus in Salvatorem congesserint adeoque tantum malum Dei incarnati existant, ad contritionem perfectam pertinere. Nam qui benevolentia erga Christum afficitur, quem scit et cogitat esse Deum — sicut vere omnes Christiani sciunt et cogitant —, illi nihil deest quoad *speciem* caritatis seu amoris perfecti; qui vero hoc amore permotus ea horret et cavere vult, quae Christi tantum sint malum, sane etiam caritatis et contritionis exercet *perfectum actum*. Malum enira, ut Christi malum est, detestari et fugere nequeo, nisi bonum Christi, ut Christo bonum est, mihi placeat: quod fieri non potest, nisi Christus ipse eiusque persona mihi placet. At persona Christi divina est et infinita: nec quidquam invenitur in Christo, quod, ut subsistens per divinam personam et ad eam pertinens, hanc infinitudinem et divinitatem non participet vel secum non trahat. Quidquid igitur est, quod me moveat in Christi persona ad eius amorem: si illud tamquam perfectionem Dei incarnati concipio atque ad amorem efficacem et super omnia progredior, non videtur fieri posse, quin aut directe et exclusive, aut concomitanter movear perfectione in se divina, divina infinitudine, divina excellentia et dignitate, divina amabilitate, paucis motivo, quod ad virtutem caritatis Dei spectat.

447 V. Ut igitur actus caritatis ad *speciem* perfecti amoris pertineat, sufficit, ut ex motivo modo indicato procedat; ut vero *in ratione actus* perfectus sit, atque simpliciter vocari possit actus (perfectae) caritatis, necessario hae conditiones inesse debent:

1. Debet esse non solum quaedam per modum velleitatis complacentia, sed per modum verae et absolutae voluntatis Dei ut personae amatae prosecutio.

2. Debet esse appetitive super omnia: alioqui voluntas non aestimat obiectum suum, sicut in se aestimari debet; immo hanc conditionem positive excludere gravissimum peccatum est, cum sit Deum alteri rei positive postponere.

Debet esse tendentia in Deum efficax seu, ut vocant, affective efficax, i. e. per voluntatem, quae non tantum divinas perfectiones super omnia aestimet, sed etiam *divinam amicitiam ut conservandam a nobis illaesam* omnibus praeferat, adeoque divina mandata saltem graviter obligantia, posthabitis etiam omnibus bonis vel malis, servare parata sit.

448 Ille affectus complacentiae in Deum, qui ad efficacem voluntatem nondum progressus est, atque adeo in se nondum continet eam vim et efficaciam, qua voluntas efficaciter avertatur ab omni re, quae divinae amicitiae obstat, germen quoddam et initium caritatis est, vocaturque a compluribus

scriptoribus *amor initialis*: qui certe ad iustificationem consequendam nondum sufficit. At aliqui e contrario usque eo progressi sunt, ut putarent, numquam caritatis actum satis perfectum esse vel ad iustificationem sufficere, nisi excluderet affectum omnem venialis peccati; quae opinio plane erronea est, quam prioris aetatis theologi ne in disputationem quidem vocaverunt. Distinxerunt autem in ipsa perfecta caritate plures gradus: *primum* habet, qui ita erga Deum afficitur, ut divinam amicitiam super omnia retinere decernat, ideoque ab omni mortali peccato voluntatem efficaciter retrahat; *secundum*, qui non solum ea super omnia aversatur, quae Deo ita displicent, ut ipse, qui ea agat, Deo plane displiceat atque divinam amicitiam amittat, sed etiam ea, quae Dei displicentiam et aversionem erga personam agentem non causant, at erga eius actus, i. e. peccata venialia; *tertium*, qui ita Deo eiusque amicitiae super omnia inhaeret, ut, quae magis Deo placent, super omnia quaerat, immo summam conformitatem cum Deo homine facto intendat eamque pro summa felicitate habeat. In confesso tamen apud omnes erat, primum gradum essentiam caritatis perfectae continere, eamque ad iustificationem etiam ante realem sacramentorum susceptionem consequendam sufficere. De quo sequenti § pauca addam.

## § 2.

### *De caritatis excellentia et necessitate.*

I. Caritatem esse homini necessariam omnibus manifestum est, et <sup>449</sup> colligitur ex 1 Cor 13; 1 Io 3. Postquam enim S. Paulus de gratiis, quae gratis datae dicuntur, locutus est, concludit: «Aemulamini autem carismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro». Quam excellentiorem et prae omnibus aliis necessariam viam demonstrat describens caritatem: «Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam: caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.» Similiter S. Ioannes 1 Io 3 et 4 caritatem Dei et proximi ut prae omnibus necessariam exhibet. Ita 1 Io 4, 16 sqq: «Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. . . . Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere. Et hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum», et 3, 14: «Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *Qui non diligit, manet in morte.*»

Et quamquam necessitas medii absoluta non circa actum caritatis, sed eius habitum infusum existit: tamen necessitas praecepti ad actum caritatis refertur, atque ipsa medii necessitas, quae hypothetica est, re ipsa saepe occurrit, in omnibus iis nimirum, qui sacramentum bap-

tismi, aut post gravem lapsum baptismo posteriorem sacramentum poenitentiae suscipere nequeunt.

II. Sicut in fide obligationem interni actus et externae manifestationis distinximus, ita etiam in caritate illa distinctio fieri potest; eaque tum in caritate erga Deum, tum in caritate erga proximum observanda est.

III. Manifestatio caritatis erga Deum seu externa probatio ita fieri debet, ut caveamus ab omni peccato gravi. Quae *animi praeparatio* ad ipsum internum actum necessario pertinet, revera id perficere est quodammodo caritatis professio. Io 14, 21: «Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.»

450 IV. Insuper caritatis obligatio est, ut aliquoties formalis actus caritatis eliciatur. Scil.: Obligatio *per se et propter se* 1) aliquoties saltem in vita secundum propositiones ab *Innoc. XI* damnatas. Quinta: «An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.» Sexta: «Probabile est, ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.» Septima: «Tunc solum obligat, quando tene-mur iustificari, et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.» (Quod si verum esset, omnem obligationem caritatis *propter se* eliminaret.)

2) In principio moralis vitae, ut dictum est de fide et spe.

3) Similiter circa finem vitae. — Illud autem, quod dictum est, aliquoties in vita obligationem propter ipsam caritatem existere, videtur omnino ita intelligendum esse, ut etiam in anno aliquoties obligatio asserenda sit: cf. n. 402. Nam tota hominis vita id pro scopo habet, ut ad Deum tendat in eumque ut finem suum ultimum se sua-que omnia dirigat; quod plene non fit nisi actu caritatis. Quis igitur ferat id negari, saltem quotannis una alterave vice ab homine eum actum exerceri debere, qui solus plenam dignitatem humanae vitae necessariam contineat? Cf. *Reuter II*, n. 88.

451 Obligatio caritatis non propter ipsam, sed *propter alia*, attamen *communis*, etiam frequentius urget, quod vix negari potest. Antea enim, cum de fide egimus, id prae ceteris efferebatur, hominem, nisi motivis fidei frequenter ducatur, inter tot illecebras et tentationes salvum non consistere: quod idem fere dici potest, nisi ipsum caritatis motivum sibi praesens sistat eoque moveatur. Illud enim omnium efficacissimum esse, quod tum ex se fortius movet, tum cum abundantiore auxilio divinae gratiae conectitur, nemo negabit. Immo motiva alia, nisi caritatis motivum accedat, non semper quidem, sed aliquando facile efficacia sua destitui, ex humana infirmitate et imbecillitate colligi potest, quae auxilii undique collectis sustentari debet, ne re ipsa succumbat. Quare non ita abs re erit, quod *S. Alphonso* praeplacet, asserere, videlicet videri sibi saltem quolibet mense praeceptum actus caritatis urgere. Vide etiam *Reuter II*, n. 89. Ceterum haec obligatio accurate definiri nequit.



Denique *per accidens* obligatio caritatis oriri potest: 452

1. Ex speciali tentatione, quam aliquis hic et nunc superare se non posse putat, nisi caritate Deo actu se coniungat.

2. Ex speciali necessitate, qua quis, statim indiget reconciliatione cum Deo (v. g. sacramenta administraturus), quam reconciliationem actuali sacramenti susceptione aut non potest aut non vult perficere.

V. Quamquam neque ad alia praecepta sine peccato implenda, neque ad meritum supernaturale colligendum caritatis actus necessarius est, tamen supra alias virtutes caritas incomparabiliter maius habet meritum atque eius dominium adeo late patet, ut omnes aliarum virtutum actus ex eius imperio fieri possint. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 23, a. 8.

**Ad pleniorē intelligentiam nota:** 1. In V. T. actus perfectae caritatis sola 453  
erat via salutis, atque etiam nunc pro omnibus, quibus possibilitas sacramenta baptismi vel poenitentiae suscipiendi deest, actus perfectae caritatis vel contritionis unicum medium est, quo remissionem peccatorum habere possint. Actum autem caritatis eam vim habere, ut hominem iustificet, adeoque etiam eum, qui in statu peccati sit, ex eo transferat in statum iustitiae et filiationis divinae, ex iis elucet quae postea vol. II de contritione perfecta dicenda sunt. Sufficiet hoc loco id ostendere ex verbis quibus ipsa S. Scriptura caritatem seu dilectionem Dei commendat. Nam S. Ioannes in 1 ep. 4, 7 brevissimis verbis dicit: «Omnis qui diligit, ex Deo natus est» — quod idem est ac divinam filiationem adoptivam in se recepisse. Praeterea Christus Dominus Io 14, 21: «Qui autem diligit me», inquit, «diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum», et v. 23: «Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus» — quae certe describunt statum amicitiae divinae et inhabitationis Dei, quae propria est animae iustae. Unde certum est, cum vero caritatis actu, quem homo eliciat et vi cuius paratus sit Dei mandata servare, coniungi remissionem peccatorum et infusionem habitualis gratiae, non efficienter quidem sed de congruo meritorie idque infallibiliter ex Dei infallibili promissione. Haec igitur via iustificationis in V. T. erat sola pervia, in N. T. certe non est oclusa, quamquam vim iustificativam ex voto sacramenti repetat, ut explicabitur in tractando sacramento poenitentiae. Verum in N. T. institutione sacramentorum Christus Dominus eatenus salutem faciliorem reddidit, quod *cum* sacramentis attritio seu imperfectus dolor sufficiat. Quo fit, ut eo magis abundantia gratiarum et salutis in N. T. appareat, cum caritatis *necessitas minor* facta sit, *facilitas vero longe maior*. Tanta enim in Novo Foedere sunt, quae ad reddendam Deo caritatem impellunt, infinita beneficia, exempla heroica, media amplissima et efficacissima, ut cum prioris aetatis adiumentis in comparisonem venire nullo modo possint. Ipse enim Salvator noster isque totus, sive quoad divinam personam sive quoad naturam humanam sumitur, sive in operibus suis et laboribus pro nobis exantlatis et in tormentis quae subiit, sive in miraculis suis et in gloria in qua nobis praecessit, consideratur: vere divinus ignis est e coelo in terram delapsus, qui omnium mentes illustret atque voluntates divinae caritatis ardore inflammet.

2. *Externi actus* caritatis erga Deum, quos dixi necessarios esse, con- 454  
sistunt in procurando illo bono divino, quod solum Deo accidere potest, et quod a creatura rationali Deus necessario requirere debet, i. e. gloria

externa atque imprimis ea, quam quilibet homo per semetipsum divina mandata servando praestare debet. Attamen caritas, cui insitum est, non tantum praecepta respicere, sed quaecumque Deo placent et honori sunt quaerere, quo maior est, eo magis impellit, ut homo et propriam perfectionem christianam et aliorum salutem et perfectionem strenue prosequatur.

Caritas erga proximum quomodo obliget tum ad actus internos tum ad externos, infra fusius exponetur.

455 3. Obligationi *internum caritatis actum* eliciendi tum erga Deum tum erga proximum homines christiani, qui timoratae conscientiae sunt, facile faciunt satis, sive orando sive sacramenta pie suscipiendo. Sed communiter neque illi, qui vitam christiano vere dignam non duxerunt, *specialiter* de peccato huius omissionis examinandi sunt, secundum ea, quae de neglectis actibus fidei et spei supra notavi in iis, qui diu Dei servitii obliiti et animae curam prorsus negligentes vixerunt. Confessarius igitur potius quam in indaganda vel explicanda illa peccata omissionis in id incumbere debet, ut hortatu poenitentes inducat, ut quam frequentissime sese in vero actu caritatis exercent, maxime si in peccatum aliquod mortale infeliciter lapsi fuerint. Atque ita etiam summopere laudandus est mos a SS. Pontificibus commendatus et in multis regionibus ex praecepto inductus, diebus Dominicis et festis post Missam vel publicum devotionis exercitium publice cum populo actus virtutum theologiarum recitandi: in quo id praecipue faciendum est, ut motiva seu obiecta formalia singularum virtutum rite exprimantur et a fidelibus concipiantur. Cf. Coll. Lac. VI, col. 151 et I, col. 348, ubi habes praecepta Conc. Rom. sub *Ben. XIII.*

### § 3.

#### *Peccata contra caritatem.*

456 I. Si vero peccata contra caritatem consideramus, sunt peccata contra Deum:

1. Omissio actus caritatis, quando ex obligatione elici debet, de quo supra satis.

2. Odium Dei, praecipue si homo non solum abominationem, sed etiam inimicitiam formaliter contra Deum animo volvit seu voluntarie aversionem erga ipsum Deum eiusque personam concipit, de bonis divinis, ut Deo bona sunt, tristatur, ut Deo malum accidere possit, optat. Quod peccatum omnium gravissimum est ac vere diabolicum, ideoque, ut evidens est, ex sola actus imperfectione seu defectu plenae libertatis veniale fieri potest. Hoc peccatum etiam multo magis directe contra caritatem esse quam odium abominationis, facile apparet. Nam abominatio *Deum* quidem *in se* odio habet, at *non quatenus Deus est et in se perfectissimus*; inimicitia autem sub hac formali ratione Deum odio prosequitur.

3. Quodlibet peccatum mortale aliquo modo contra caritatem est (quod non impedit, quominus formalis caritatis laesio speciem distinctam malitiae gravissimae contineat) et caritatis virtutem destruit atque expellit, etsi spes et fides salva maneant.

Ratio autem huius rei est: 1) quia qui graviter peccat, Deum ut *supremum bonum virtualiter et interpretative abicit*, adeoque formale

obiectum caritatis laedit; non autem quovis peccato gravi obiectum formale fidei vel spei, veracitas Dei suprema eiusve virtus auxiliatrix, reicitur; 2) quia, cum caritas amicitia sit inter Deum et hominem, quilibet, qui graviter Deum offendit, ex parte sua hanc amicitiam solvit ac proin divinum illud vinculum (demeritorie) destruit. *S. Thom.* 2, 2, q. 24, a. 12.

II. Contra proximum caritas graviter laeditur:

457

1. inimicitia eiusve manifestatione;
2. invidia;
3. qualibet gravi laesione proximi, quae frequenter etiam contra iustitiam est;
4. omissione opitulationis, quando spectata necessitate alterius et alterius facultate, sub gravi debita est;

5. ad n. 3 vel 4 praecipue pertinet, ut supra iam notatum est: scandalum sive directum sive indirectum et alieni peccati cooperatio.

Sed de his peccatis contra proximum suo loco fusius agendum est.

Appendicis gratia repeto peccata magis obvia contra virtutes<sup>458</sup> theologicas:

1. Neglectus actuum virtutum theologicarum culpabilis.
2. Culpabilis neglectus acquirendae doctrinae christianae necessariae.
3. Haeresis aut apostasia: ad quam etiam voluntarium dubium de articulo fidei pertinet.
4. Doctrinam utcumque reprobata tenere.
5. Fidem prava lectione vel conversatione periculo exponere.
6. Fidem negare aut, quando opus est, non profiteri.
7. Desperatio.
8. Praesumptio diversis modis concepta.
9. Odium abominationis erga Deum.
10. Odium inimicitiae erga Deum.
11. Varias laesiones erga proximum, ut modo dictum est.

## TRACTATUS II.

### DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Cf. *S. Th.* 2, 2, q. 81—100; *Suarez*, De relig., opus classicum 4 voluminibus constans; *Lugo*, De incarnatione disp. 33—37; *Sanchez*, In decal. l. 4; *Lessius*, De iust. l. 2, c. 34—45; *Wirthmüller*, Die Tugend der Religion, aliosque infra afferendos.

Virtutes theologicae fundamentum totius vitae moralis christianae<sup>459</sup> nobis panderunt. Illis enim vita novi omnino ordinis superstruitur, illis Deo coniungimur et unimur.

Immo in hac ipsa *unionis* relatione inter Deum et nos theologiarum virtutum intima natura consistit, unione illa, qua Deus ad se

ineffabili modo nos attraxit, ad intimum suum consortium vocavit atque incohative iam re ipsa transtulit. Hinc est etiam, ut obiectum formale earum virtutum sit aliquod divinum attributum, cui immediate per illam virtutem adhaeremus. Per fidem increatam veritatem suscipientes illi adhaeremus atque in eam quodammodo transformamur, cum super omnem creatam veritatem et cognitionem firmiter et certius divinae testificationi atque veracitati intellectum nostrum addicamus. Per spem naturae nostrae infirmitatem divina virtute ac fortitudine roboramus atque ipsi ad ea, quae cuilibet creaturae impervia sunt, attingenda reddimur capaces. Maxime vero per caritatem voluntas ad Deum attollitur, bonum increatum ut nostrum assumentes Deo nos tradimus, et vicissim a Deo in amicitiam assumpti deiformes reddimur, omnem cuiuslibet creaturae exigentiam et naturalem conditionem prorsus transgressi. Ut enim priore tractatu notatum iam est, virtutes supernaturales habitus non sunt, quos actibus nostris acquirere atque nostra agendi facultate naturali metiri possimus, sed novae quaedam facultates, quibus Deo plane supra omnem cogitatum et desiderium nostrum inserimur.

Habiles igitur reddimur iis ad nobilissimos actus; quo fit, ut eximia et gravissima officia iis respondeant, atque e contrario gravissima sint peccata, quae illis virtutibus officiisque opponantur.

460 Verum etsi virtutes theologicae cum sanctificante gratia in relationem intimae *unionis* cum Deo nos elevent eique similes reddant, tamen creaturae cum simus, manemus semper a Deo distincti atque infinite inferiores. In hac igitur relatione *distinctionis* a Deo et quasi oppositionis alia virtus fundetur necesse est, per quam et secundum quam actiones nostras cum hac infinita nostra infra Deum distantia plenaque ab eo dependentia componamus et, quid haec a nobis exigat, consideremus atque exsequamur.

Virtus illa, qua reddimur apti atque inclinamur ad exhibendum Deo, supremo principio et domino omnium, id, quod pro ipsius summa excellentia nostraque infinita inferioritate et dependentia illi debemus, *religio* vocatur<sup>1</sup>. Est autem id, quod ex conditione creaturae et

<sup>1</sup> Religio latiore sensu sumitur universim pro relatione quam homo ut rationalis creatura volens erga Deum init atque retinet. Quo sensu ad religionem ipsam spectant virtutes theologicae fidei, spei, caritatis; immo omnis cognitio et agnitio Dei earumque veritatum quae utcumque Deum divinasque res respiciunt. Ex hoc sensu potissimum religio dicitur vera aut falsa, prout doctrinae circa Deum resque divinas cum vero consonant aut ab eo abhorrent, atque ipse ille complexus doctrinarum, quae tenentur seu quas quis profitetur, nomine *religionis* insigniuntur. — Pressiore autem sensu *religio* dicitur de cultu Dei et de virtute, cuius definitionem habes supra in textu.

Hodierni modernistae atque liberioris notae protestantes, re ipsa homines increduli, etsi de fide suo sensu multum loquantur, cum fidei notionem (de qua vide supra n. 379) etiam *notionem religionis* plane detorquent atque pessumdant, idque, cum *suam* fidem adstruant fundamentum et initium omnis religionis, ex fidei depravatione necessario consequitur.

Religio igitur latiore illo sensu illis non est complexus *veritatum*, quibus mens imbuatur et ad plenissimam usque scientiam seu potius ultra eam vincatur (cf. Rom



summae inferioritatis Deo debemus, *specialis cultus*, quo divinam excellentiam nostramque dependentiam et subiectionem agnoscamus atque volentes manifestemus.

Religio igitur, si naturalem hominem sive cuiuslibet rationalis creaturae conditionem spectamus, virtutum omnium est praecipua, siquidem creaturam recte ordinet ad Deum; ceterae virtutes ei ordinem recti in inferioribus relationibus ad alias creaturas et ad se ipsam praescribunt. Verum in supernaturali ordine religio a virtutibus theologicis, maxime a caritate superatur. Neque tamen putandum est, in hoc supernaturali ordine religionis virtutem manere in naturali sua conditione. Nam praeter naturalem religionis virtutem *supernaturalis* existit, cuius habitus in iustificatione simul cum aliis virtutibus homini a Deo infunditur: quod commune est religioni cum omnibus reliquis virtutibus moralibus. Quid autem discriminis sit inter naturalem et supernaturalem virtutis eiusdem nominis actum, cum fusius postea de virtutibus moralibus agentes dicturi simus, hoc loco breviter sic declarari potest: Virtus naturalis suum motivum mensuramque ex ratione humana sumit, supernaturalis accipit ipsum suum motivum suamque normam ex fide. Vide *S. Thom.* I, 2, q. 63, a. 4.

Verum haec in antecessum dicta sufficiant. Plenius iam agendum est distinctis capitibus 1. de natura religionis atque intrinsicis eius actibus; 2. de actibus, qui extrinsecus religioni essentialiter et principaliter subiiciuntur sive obligatione sive prohibitione; 3. de iis actibus extrinsecis religionis, qui secundarie ad eam pertinent; 4. de exercitio religionis, quod ex sociali hominum natura oritur.

### Caput I.

#### De natura religionis atque de actibus, qui intrinsicus ad eam spectant.

I. Proximum obiectum, in quod religio tendit, esse cultum Deo debitum modo dictum est. Cultus vero seu *honoris exhibitio* in aestimatione alterius fundatur, cuius est significatio. Quae aestimatio, cum Deo eique soli suprema, singularis, ad neminem transferenda debeatur, etiam singulari modo erga Deum significari seu manifestari debet.

4, 21), sed est illis vagus et imperfectus sensus vagaque experientia interna, quae cogitando quidem per intellectum ad certas formulas redigatur, at ad eiusmodi formulas, quae non obiectivam veritatem expriment, sed sensui subiectivo mutabili et perfectibili respondeant et a cognitione scientifica ita sint seiungenda, ut, quod religio affirmet, omnino esse possit et saepissime sit scientificè falsum! — Hac ratione religionem re ipsa faciunt larvam religionis, et pro veritatum complexu complexum statuunt illusionum, ita ut religionem despectui et irrisioni tradant. Atque ex ipsis illis sunt, qui adversus Christum reverentiam quidem prae se ferant, vocantes eum virum singularem, perfectae religionis auctorem, immo filium Dei, verumtamen eum suae aetatis erroribus subiectum fuisse asserere audeant; quare si filium Dei eum vocant, id sensu faciunt pantheistico, se ipsos inter pro cultiore divinitatis portione habentes.

Contra hos omnes retinenda est genuinus religionis conceptus, secundum quem est *Dei certo cogniti ut supremi domini agnitio honorisque supremi erga eum exhibitio.*

Fundamentum sive ratio huius supremi cultus est *suprema Dei*, utpote primi omnium rerum principii, *excellencia*, qua nos infinite superat nobisque absolute dominatur, undequaue sibi devinctis. Haec enim excellencia, quatenus nobiscum relationem habet per creationem atque per innumerabilium bonorum communicationem, ratio est cur nos vicissim aliquid ipsi debeamus: nec quidquam aliud vel debere vel rependere possumus quam externam gloriam. Hoc enim bonum Dei externum, quod Deus in omni operatione ad extra neccssario sibi proponere debet, quodque suo modo non potest non consequi, a rationali creatura libere intendi et voluntarie supremi numinis agnitione et reverentiae exhibitione Deo praestari debet. Cultum Dei igitur sub hac ratione, quod sit alicuius summe *debiti solutio*, — quae solutio ab ordinis rectitudine sive honestate postulatur — religionis virtus appetit atque intendit.

463 Ille honoris Dei appetitus sive intentio est ipsissimus religionis actus, a virtute religionis *elicitus*; cultus autem ipse, quem vult, intendit, exhibet, est actus quidem religionis — immo maxime actus religionis vocatur — at per immediatum religionis actum *imperatus* tamquam eius *essentiale complementum*. Prior actus virtutis religionis *internus* dicitur, alii omnes dici possunt *externi* eius virtutis actus, non quod actus in se externi et sensibiliter apparentes esse debeant (nam possunt esse actus, qui plane mente et animo humano absolvuntur et intra latent), sed quia non sunt in se ipse affectus religionis, verum ab eo procedunt atque gignuntur. Melius fortasse ipsa res exprimitur, si priorem actum vel actuum speciem vocamus *actus religionis secundum ipsum affectum*, posteriores *actus religionis secundum exercitium*.

Quo fit, ut ii actus religionis secundum exercitium, qui immediate ab illo affectu procedunt suamque honestatem ab ipso motivo religionis naturaliter seu intrinsecus repetunt, a multis dicantur actus a religione *eliciti*, eo quod immediate ab affectu religionis informentur; ii soli a religione *imperati*, qui ex sua natura aliam honestatem iam habent magis immediatam, et proin per modum finis externi ad religionis exercitium assumuntur: quos *Suarez*, De relig. tr. I, l. 2, c. 3, n. 9 vocat actus «*mediate imperatos* a religione seu religionis actus *adventitios vel extraneos*»; alios vocari posse dicit «*actus immediate imperatos* a religione seu actus religionis *proprios* et conaturales».

464 Nimirum exercetur cultus Dei, seu exhibetur Deo summus honor sive summae aestimationis significatio aut actibus humanis internis aut externis et sensibilibus. Aliquando *debere* fieri ab homine etiam sensibilem aliquam suae erga Deum aestimationis significationem, ex hominis natura *composita* et ex eius *sociali* natura colligitur; *posse* vero saepe solis actibus internis cultum Deo exhiberi, ex eo patet, quod Deus intima nostra corda penetrat atque ea plane percipit, quae sola mente illi exhibemus.

Quodcumque ergo operamur in eum finem, ut exhibeamus Deo signum nostrae subiectionis, agnitionis supremae eius maiestatis, vir-

tutis religionis exercitium est. Quaelibet autem honesta et bona actio exerceri a nobis potest in signum, quo agnoscamus et protestemur supremam Dei supra nos maiestatem et dominationem nostramque summam dependentiam. Quare quamlibet cuiuscumque virtutis actionem assumere possumus tamquam exercitium religionis. Quod si fit, actionis meritum non parum augetur; ut autem fiat, *positiva voluntatis intentione* fieri debet.

At aliae sunt actiones, quae *ex natura sua* continent significationem illam nostrae subiectionis divinaeque excellentiae dominatus. Hi *proprii* dicuntur *actus religionis*. Nimirum alii actus praeeigunt aliquam honestatem, qua assumi possint tamquam religionis actus; illi ex hoc ipso, quod per se illam nativam significationem nostrae submissionis erga Deum eiusque superioritatis agnoscendae habent, in honestatis ratione constituuntur, sive aliam insuper honestatem habent sive non. De his actibus statim sequentibus capitibus agendum est; nam de iis, qui per se proxime ad aliam virtutem spectant, non est cur hoc tractatu plura dicamus.

II. Actus igitur religionis interni, quibus fertur voluntas in illud <sup>405</sup> rationale bonum, quod est in solvendo debito cultu supremo numini propter eius summam excellentiam, ita fere oriuntur, ut sit: 1) amor illius rationalis boni, 2) complacentia, 3) propositum exhibendi cultum, 4) electio medii seu signi, quod ad Deum tamquam expressio summae sui numinis aestimationis dirigatur.

Admiratio autem et reverentia erga ipsam summam Dei excellentiam potius externis religionis actibus accensetur, scil. supponit huius divinae excellentiae cognitionem et cogitationem, eius voluntariam agnitionem; qui affectus iunguntur simul cum quadam verecundia et pio recessu a divina maiestate, quo veremur ad Deum propius accedere: quod utique signum est, quo Deo contestamur, nos agnoscere vilitatem nostram ipsiusque excedentem altitudinem.

Attamen affectus illi, quibus voluntas mediantibus aliis actibus extrin-<sup>460</sup> secus accitis circa divinam excellentiam versatur, non semper eiusdem infimae speciei sunt. Videlicet hanc ipsam Dei excellentiam homo considerare potest, 1) quatenus Deus est supremum Esse nostrique et omnis Esse supremus fons, aut 2) quatenus Deus est supremus noster benefactor: utroque enim titulo honor supremus Deo *debetur*. Et quamquam ultima consideratio per se ad gratitudinis affectum incitat, gratitudo, quando erga Deum versatur, necessario conditionem illam induit, qua dirigatur ad Deum ut summe excellentem, cui longe aliter gratus animus honorem debeat quam cuilibet alii benefactori. Quare *gratitudinem* erga Deum tamquam specificum actum religionis considerare cum *Suarez* possumus (De relig. tract. 1, l. 3, c. 8).

In priore illa consideratione in Deum ferimur pure et simpliciter, ut religio postulat per se, atque ille cultus religioni maxime proprius *latria* vocatur.

Immo *Suarez* l. c. non improbabiler ad virtutem religionis etiam trahit 3) *fidelitatem* erga Deum, qua, quae Deo promissimus, praestamus. Licet enim non plane eiusdem speciei et honestatis sit, ut actus purae latriae,

tamen negari nequit, illam summam Deo essentialem excellentiam ita hominem in servanda fidelitate movere, ut haec ipsa honestas, qua Deo *supra omnes* servanda sit fides, communem illam honestatem promissa servandi quodammodo absorbeat.

- 467 Denique 4) virtutem *poenitentiae*, si sumitur pro illo virtutis actu, quam cum *Suarezio* plerique poenitentiam vocant, idem scriptor religionis virtuti sic attribuit, ut putet, illum actum ab ipso religionis habitu supernaturali elici, utpote non ad actus unius infimae speciei restricto. Nimirum poenitentia ex *Suarezii* doctrina intendit laesum per peccata divinum honorem reparare seu pro iniuria Deo satisfacere; intendit igitur id, quod honorat Deum, sub speciali ratione compensationis illatae offensae; cf. *S. Thom.* 3, q. 85, a. 3: quod ab eodem habitu virtutis, quae honorem Dei ut *per se debitum* vult, fieri posse non difficulter admittitur. — Poenitentia sic concepta in suo exercitio fere tam late patere potest quam religio simpliciter dicta. Videlicet ut religio simpliciter dicta quoslibet aliarum virtutum actus transformare et pro religionis actibus assumere potest, ut supra dixi: ita etiam fere poenitentia. Nam licet in poenitentiae opere ratio afflictivi habeatur, haec ratio vix ab ullo virtutis opere plane exsulat, spectata conditione corruptae nostrae naturae, cui quodlibet virtutis exercitium aliquatenus saltem grave evadit: quare haec conditio vix non semper impletur; aliunde autem nihil impedit, quominus homo alios virtutum actus *etiam* in hunc finem peragat, ut pro commissis peccatis Deo quandam compensationem atque satisfactionem exhibeat.

III. Ex iis, quae dicta sunt, facile colliguntur hae theses quibus praecipua doctrina de religione comprehenditur:

- 468 Thesis I. Religio, quamquam proxime circa Deum versatur, non est virtus theologica, sed est virtus moralis.

Nam ut virtus vocetur theologica, requiritur ut non solum sub formali ratione *divini* circa Deum ut obiectum versetur, sed etiam ut ipse Deus seu divinum aliquid sit obiectum quod immediate attingatur; aliis verbis, ut Deus non solum sit obiectum *formale sub quo*, sed etiam obiectum *formale quod*. Verum id non obtinet in virtute religionis. Versatur quidem circa excellentiam divinam supremumque eius dominium qua tale; attamen obiectum quod non est ipse Deus sed *cultus Dei* seu honor Dei *sub ratione debiti*.

Restat igitur, ut sit virtus *moralis*, pertinens ad ambitum *iustitiae*, estque potissima inter partes *potentiales* iustitiae; i. e. non est *iustitia* sensu proprio et adaequato, sed inadaequato, eo quod in praestando debito aequalitatem non spectat neque spectare potest.

- 469 Thesis II. Religio nihilominus est virtus nobilissima ac simpliciter superatur a solis virtutibus theologis; est autem ita universalis ut in omnes virtutes, ne exclusa quidem caritate theologica, imperium exercere possit.

Videlicet: Quaelibet virtus theologica virtutes morales quaslibet eo superat, quod propius et magis immediate Deum attingat cum Deoque ut ultimo fine hominem coniungat. Id a caritate quidem perfecto modo fit, a fide et spe incohative. Post eas autem proxime collocanda est virtus religionis, quae pro obiecto quidem non habeat ipsum Deum Deique internum bonum, at *bonum Dei externum*, eius honorem et cultum. Verum post bonum Dei



internum seu ipsum Deum aliud excellentius non est nisi bonum Dei externum, proin virtus religionis, quae hoc spectat immediate, post theologicas est virtus nobilissima.

Posse autem omnes plane virtutes sub imperio religionis constitui, hoc modo facile ostenditur, quod cuiuslibet virtutis actus potest ab agente in honorem et cultum Dei dirigi atque in hunc finem exerceri: quod si fit, hoc nihil aliud est nisi illum actum fieri ex imperio virtutis religionis. Ita autem fieri posse, elucet ex eo quod, quidquid boni seu honesti fiat, natura sua et obiective tendit in laudem Dei, qui fons est omnis boni et omnis Esse; verum id quod in rebus ipsis inest obiective, id sane potest ab agente subjective intendi. Ita igitur ipsum caritatis exercitium dirigi potest in cultum Dei; sicut e converso etiam religionis exercitia possunt ex caritate fieri seu a caritate imperari (Cf. *Suarez*, De relig. tract. 1, l. 3, c. 3 et 9; *S. Thom.* 2, 2, q. 81, a. 5 et 6).

Haec quidem, ut virtus religionis, qualis sit et qualem ordinem locumque teneat in tota serie virtutum, theoretice intelligatur.

Ex hac autem religionis nobilitate (sive sumis eam pro religione<sup>470</sup> simpliciter dicta, latrām dico, sive simul includis gratitudinem, fidelitatem erga Deum, poenitentiam) atque ex universali imperio, quo religio omnium virtutum actus ipsiusque actus caritatis iubere possit suamque honestatem illis communicare eorumque meritum augere, practica conclusio sequitur pro perfectione vitae christianae. Nimirum si convenienter agere velimus, virtus religionis secundum diversos suos actus quoddam continuum exercitium christianae nostrae vitae esse debet: quo fit, ut revera imitatores Christi simus.

Nam praeclarissimum summae religionis exemplum Christus Dominus sane nobis praebuit. Nihil sublimius cogitari potest quam affectus illi, quos Christus *ingrediens mundum* seu in ipso momento Incarnationis erga coelestem Patrem, se totum offerens in holocaustum, elicit (Hebr. 10, 5—7: «Ingradiens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocausta pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam»). Haec enim plena oblatio continet praeter purissimum *amorem* Dei alios actus ab amore progenitos, qui proxime ad virtutem religionis pertinent: 1) profundissimam *adorationem* et laudem divinae maiestatis, qua pro holocaustis antiquae legis se Deo dicavit; 2) intensissimam *gratiarum actionem* pro hypostatice unione et plenitudine omnium donorum, quibus humana Christi anima sese aspexit circumdatam; 3) acerbissimum *dolorem* de iniuriis et offensis, quibus intuebatur coelestem Patrem affici et affectum iri per totius generis humani atque omnium hominum peccata, simulque insatiabile desiderium ea compensandi et in ipsa sua innocentissima humana natura ulciscendi: quo et Deum placare et fratres suos salvare posset; 4) *submissionm* et *oboedientiam*, quam videtur voto similem Christus Dominus qua homo sponte elegisse, cum sibi — ut pluribus theologis placet — in primo momento Incarnationis libere peteret imponi praeceptum cruenta morte genus humanum redimendi: quo ne ille quidem religionis actus deesset, quem secundum ultimam speciem *fidelitatem erga Deum* vocamus. — Tota vero vita Christi mortalis nihil nisi huius perfectissimae oblationis exsecutio fuit.

Neque mirum videri debet, Christum imprimis in virtute religionis hominibus praeluxisse. Est enim religionis debitum illud, quod Deus praecipue et summo iure ab hominibus exigit atque exigere debet. Testem habemus Apostolum, qui pro causa summae ruinae humani generis violatum debitum religionis affert secundum Rom 1, 21 sqq: «Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. . . Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum . . . in passiones ignominiae.»

Sed iam ad ea devenimus, quae potius sequens caput spectant.

## *Caput II.*

### **De actibus, qui principaliter religionis exercitium continent.**

471 Proposuimus hoc capite agere tum de iis officiis, quibus religio exerceri debet, tum de peccatis, quae contrariis actibus adversus religionem committi possunt. Atque ita prosecuturi sumus materiam primi praecepti decalogi, ad quod iam suo modo exercitium virtutum theologiarum pertinere supra diximus.

#### *Articulus I.*

#### **De actibus positivis religionis, quibus hanc virtutem exercere iubemur.**

Positivi actus, qui secundum speciem suam aliquando praecepti sunt, ut religio revera exerceatur, hi recenseri possunt:

1. Adoratio, cum sacrificio, 2. oratio, 3. reverentia rerum Deo divinoque cultui dedicatarum. De primo tamen et de tertio actuum genere pauca dixisse sufficit, cum postea in tertio praecepto decalogi et in subsequenti theologiae moralis tractatione plura de illis dici necesse sit.

#### § 1.

##### *De adoratione et sacrificio.*

1. Adoratio actus est, qui pure et simpliciter id directe exercet, quod religio postulat, videlicet actus, quem rationalis creatura ad Deum dirigit ad significandam seu manifestandam agnitionem summae divinae celsitudinis propriaeque omnimodae dependentiae. Alii religionis actus, ut oratio, id *etiam* faciunt, sed non id solum, aut non directe et immediate.

2. Si autem haec manifestatio seu significatio solo mentali actu absolvitur, internus actus adorationis habetur; si externum, i. e. sensibile signum adhibetur, externa evadit adoratio. Veteres theologi plerumque de externo sensibili actu adorationem intelligunt, quo aliquis v. g. genuflectendo, thus adolendo supremam Dei maiestatem proficitur. Hanc externam adorationem ab homine aliquando fieri cum eius natura corporea maxime cohaeret.

3. Signa autem illa externa ex natura sua non sunt necessario singula eiusmodi, ut supremum cultum Deo soli debitum significant: nam ipsa v. g. genuflexio, quae plerumque divinam adorationem exhibet, tamen non talis est, quae ex adiunctis inferiorem cultum et honorem significare non possit.

4. Nihilominus sin minus absolute necessarium, saltem convenien-<sup>472</sup>tissimum est, aliquod etiam externum signum ita Deo reservare, ut praeter eum nemini sine idolclatria exhiberi queat. Tale signum in communi populorum acceptance *sacrificium* est, ita ut sacrificium iam dicat signum in recognitionem supremae numinis maiestatis certo modo exhibitum.

5. Est autem sacrificium — si hunc ritum omnibus ubique populis communem definire volumus — sensibilis alicuius rei ad humanam vitam pertinentis oblatio cum essentiali saltem ordine ad quandam destructionem publica auctoritate facta, in recognitionem supremi numinis eiusque absoluti domini in vitam et mortem. (Additur «publica auctoritate facta»; quia usu saltem et constitutione ad cultum *publicum*, non ad privatum pertinet.)<sup>1</sup> Cf. *Lugo*, De Euchar. disp. 19, n. 7—12; *Franzelin*, De Euchar.<sup>2</sup> p. 311 318.

Talem ritum hominibus summpere convenire, nemo non videt. Nulla enim re aptius supremum Dei in nos dominium atque supra omnia excedens maiestas exhibetur nisi ea actione, qua dominium in aliqua re vicaria maxime exercetur; quod fit non solum per usum cum exclusione omnium aliorum ab illa re eiusque usu, sed etiam, idque potissimum, per destructionem, quippe quae contineat et exclusionem aliorum ab usu rei et absolutam prorsus de re dispositionem. Immo non pauci eiusmodi rei oblationem et destructionem ita cum humana natura cohaerere putaverunt, ut legis naturalis praeceptum dicerent, ut Deus per sacrificia honoraretur. *S. Thom.* 2, 2, q. 85, a. 1 eatenus praeceptum legis naturalis esse rectissime affirmat, quatenus homo rebus sensibilibus in signum debitae subiectionis et honoris uti debet, neque aliud signum soli Deo reservatum invenitur aptius, quam ritus sacrificialis.

Quamquam autem ex sola lege naturali strictam obligationem oriri pro-<sup>473</sup>batu difficile est (nisi forte lege naturali etiam ea praecepta contineri contendas, quae Deus propter summam cum humana natura convenientiam statim ab initio generis nostri positive sanxerit): tamen re ipsa ubique ab omnibus populis sacrificialis ritus pro adoratione soli supremo numini *debita* habebatur, atque ita, nisi est signum naturale, saltem conventionale latriae evasit. Neque huic sacrificii acceptioni obstat, quod apud gentiles nisus atque consuetudo fuerit etiam heroes seu semideos sacrificiis colendi. Nam iste

<sup>1</sup> Recentiore tempore ex observatione rituum gentilium concludere aliqui voluerunt, potissimum vim sacrificii sitam esse in victimae manducatione, quatenus ea exhibeat convivium hominum cum Deo atque ita intimam cum Deo unionem. Verum: 1) ne gentilium quidem sacrificia id docent, etsi generatim sacrae epulae cum essentiali actu sacrificiali coniungantur ut res accessoria. 2) Recta notio sacrificii longe melius ex sacrificiis S. Scripturae eruitur, cum haec sacrificium a Deo volitum ideoque unice verum exhibeant: S. Scriptura autem certissime exhibet sacrificia etiam sine epulis, ergo in his essentia sacrificii collocari nequit. 3) Sacrificium crucis in se ipso spectatum certissime est verum sacrificium, neque coniunctas habet epulas.

nismus ex sacrilego illo affectu prodiit, quo proni homines erant, magnis viris *divinos* honores decernere atque divini numinis cultum per idololatriam in alios etiam transferre. Finis autem latriae veri nominis ita sacrificio insitus est, ut, etiam quando alii fines, ut placandi, exorandi Deum eive gratias agendi, accedunt et principaliter ad sacrificium impellunt, numquam exulare possit, immo semper maneat quasi internus finis operis principalis.

## § 2.

*De oratione.*

*S. Thom.* q. 83; *Suarez*, De relig. tract. 4; *S. Alph.*, Libell. de orat. Insuper cf. scriptores pluries citatos, qui de universa theologia morali tractant.

474 Oratio, quae homini christiano imprimis maxime cordi esse debet, quo loco sit habenda, quibusdam principiis breviter dein declarandis exponam:

I. Oratio est actus religionis.

II. Oratio est necessaria tum praecepti tum medii necessitate, quo videlicet homo ratione utens sibi secundum communem Dei providentiam gratias supernaturales conciliare debet, quibus efficaciter difficultates tentationesque occurrentes vincat atque in divina amicitia usque ad mortem perseveret.

III. Oratio debitis conditionibus vestita infallibilis efficaciae est relate ad ea, quae ad orantis salutem conducunt.

IV. Orare possumus et debemus pro omnibus necessitatibus, neque solum pro propriis, sed omnes homines in hac terra degentes et animas defunctorum in purgatorio existentes oratione iuvare possumus et debemus.

V. Oratio proprie et per se ad Deum dirigitur, attamen imploratio intercessionis ad Sanctos atque etiam ad animas in purgatorio patientes utilissime fertur.

VI. Oratio, etsi per se et propter se etiam praecipitur, tamen — ut praecepta est — ab eo exercetur sufficienter, qui obligationem orandi per accidens existentem fideliter adimplet.

I. *Quid sit oratio et quomodo sit actus religionis.*

475 I. Oratio vi vocis potest lato et presso sensu sumi. *Lato* sensu dicitur *elevatio mentis ad Deum*, qua mens creata Deo divinisque rebus inhaeret, iisque cum reverentia et pio affectu erga Deum occupatur. Non enim quaelibet de Deo cogitatio oratio dici potest. Quae ad excolendam mentem suscipitur, studium est, non oratio. Quae vero ad ciendos pios affectus assumitur in iisque absolvitur, oratio lato sensu vocatur. Tales vero affectus pios ciere ex natura sua continet quandam recognitionem et agnitionem supremam Dei celsitudinis nostraeque ab eo plenae dependentiae. Nam nisi quis Dei supremo dominatu sui que submissione moveatur, non ita affectus suos erga Deum ordinat, ut decet et debet fieri, neque pii sunt affectus, sed aut impii aut steriles.



Affectus autem, qui in illa consideratione divinae excellentiae nituntur, ad religionem spectant.

2. *Presse* autem sumpta oratio dicitur *petitio decentium a Deo*. Quam petitionem ad virtutem religionis pertinere, facile patet. Ex sese enim, si modo debito fiat, ab intimo sensu nostrae indigentiae procedit, atque huius indigentiae et dependentiae a Deo plena agnitio et libera confessio est, sed simul voluntaria agnitio divinarum perfectionum plenitudinis et excellentiae, huiusque agnitionis erga Deum libens protestatio. Immo cur per orationem Deus — ut re ipsa fecit — nobis necessaria bona communicare constituerit, ratio praecipua haec est, ut conscii maneamus nostrae erga Deum relationis, eamque, ut religio postulat, frequenter agnoscamus.

## II. *Necessitas orationis tum ratione praecepti tum ratione medi.*

1. *Necessitatem praecepti* sacrae paginae toties exhibent, ut longum<sup>476</sup> sit, seriem textuum solum enumerare. Quis ignoraverit tot monita Salvatoris: «*Oportet semper orare, et numquam deficere*» Lc 18, 1; «*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*» Mt 26, 41 etc.?

Esse autem hic sermonem de oratione, ut est *petitio* — nam de ea praecise *necessitatem* statuimus — legenti patet.

Eodem modo multa exhortatione utuntur Apostoli erga fideles ad urgendum orandi officium, quo *possint* tandem a tentationibus cavere atque divina praecepta implere. Cf. Col 4, 2: «*Orationi instate*»; 1 Thess 5, 17: «*Sine intermissione orate*». Quae omnia sane non ut merum consilium, sed ut verum praeceptum suis temporibus orandi neque umquam, quamdiu his in terris versamur, sive prae diffidentia sive prae nimia erga nosmetipsos confidentia ab hoc officio deficiendi sumi prorsus debent: ut revera a SS. Patribus atque ab Ecclesia etiam intellecta sunt. Cf. S. Thom. 2, 2, q. 83, a. 3 ad 2; Suarez, De relig. tract. 4, l. 1, c. 28.

2. *Necessitas medi* facile probatur, si attendimus, quo fine illae<sup>477</sup> orandi exhortationes fiant. Nam clarum est, illas eo dirigi, ut orando Christifideles necessariis mediis instruantur, quo salutem suam cum effectu operari *possint* tentationum victoria atque supernaturali operatione: «*ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare*» Eph 6, 13 15. Quod nihil aliud est, nisi dicere orationem esse *medium necessarium* ad aeternam salutem. — Cui adstipulantur ea, quae Conc. Trid. sess. 6, c. 11 docet, repetendo possibilitatem implendi praecepta divina, ingruente difficultate, ab oratione eiusque efficacia. «*Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat, ut possis.*» Vide etiam S. August., De dono perseverantiae, ep. 175 (al. 90) ad Innoc. F. synod. epist. PP. Carthag.; S. Hieron., Ep. ad Ctesiph. (ep. 133 nov. ord.) etc.

## III. *Efficacia orationis eaque infallibilis.*

1. *Infallibilis efficacia orationis debite factae* est *fide certa*,<sup>478</sup> neque abs re erit, cum Suarez, De relig. tract. 4, l. 1, c. 27 aliisque

theologis monuisse, Christifideles hanc efficaciam orationis explicite credere debere, eosque hac in re frequenter esse instruendos. Aper-tissime enim patent verba divinae promissionis, quae habes Mt. 7, 7 8 11: «*Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur . . . Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se*»; eadem Lc 11, 9 10; Io 14, 14; 16, 23: «*Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam . . . Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*» etc.; aliis autem locis defectus efficaciae defectui debitarum conditionum attribuitur, ut Iac 4, 3: «*Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis*».

479 2. Conditiones autem necessariae sunt: 1) ex parte rei petitae, ut sit *honestae et utilis ad salutem* secundum divinam providentiam et ordinationem; 2) ut oratio fiat ex *fide* et cum *fiducia* — fide enim credere debemus Deo promittenti, eique firmiter confidere; 3) *in nomine Christi* — quod non solum dicit ea petenda esse, quae Christus nos petere docuit, sed etiam nostram fiduciam non in nostris meritis, sed in meritis Christi niti debere; 4) *cum perseverantia*, cum Deus noluerit nobis statim omnia pro omni tempore necessaria concedere, sed minutatim et particulatim, quo continuo et semper ad eum confugiamus: quare etiam in ipso aestu tentationis, quae pergit hominem infestare, commendandum est tentato, ut pergat orare, ne, cum semel inimicum repulerit, subsequenti tempore ab eo prosternatur; 5) *cum voluntate divinae gratiae ex parte nostra cooperandi*: aliter enim temere et contra ordinem divinae providentiae salutem peteremus — huic conditioni ut satisfiat, saltem incohata quaedam poenitentia de peccatis commissis requiritur, ut infallibilis effectus statui possit: at nequaquam ipse status iustitiae pro omni oratione efficaci tamquam necessarius haberi debet; indiget enim peccator ipse maxime divina gratia, ut se convertat, neque sane deerit Deus petenti et debite conversionis gratiam petenti. De necessitate status gratiae ad infallibilem orationis effectum *Suarez* merito dicit: «*Certum est, statum gratiae non esse simpliciter necessarium ad impetrandum*», atque plane veritati consonat, peccatorem, modo alioqui debite petat, posse sibi satis certo et infallibiliter gratiam conversionis implorare: l. 1, cap. 25, n. 2 3; *S. Thom.* 2, 2, q. 83, a. 16.

3. Igitur infallibilis efficaciae eodem modo non erit oratio, quam alter pro altero fundit; maxime cum ille, pro quo oratur, alicuius conditionis necessariae implementum pro sua libera voluntate impedire possit. *Suarez* l. c. cap. 27, n. 1 3.

#### IV. *Ambitus orationis, seu ad quas quorumque necessitates extendatur.*

480 1. Etsi homo imprimis pro se ipso orare debet, idque in causa propriae salutis, nihilominus orationem esse summae utilitatis et efficaciae, etiam quando pro aliis offertur, et Sacra Scriptura et continua praxis Ecclesiae docet; atque ipse Christus Dominus in oratione Dominica

nos pro omnibus orare docuit. Ita etiam Iac 5, 16 monet: «*Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua*», immo etiam illam *suo modo* infallibilem esse, multis scriptoribus probatur. *Suarez ib.*

2. Si autem status iustitiae ex parte orantis multum confert, ut revera confert ad plenioram orationis exauditionem, id magis etiam valet de oratione quam homo pro aliis, quam de ea, quam pro se fundit.

3. Ambitus personarum, pro quibus orare possumus et debemus, tam late patet quam caritas et indigentia. Excluduntur igitur tantum: 1) ii, qui nulla re iam indigent, i. e. Beati in coelis (nisi forte etiam pro illis extensionem accidentalis eorum gloriae in terris petamus: quod non tam *pro* Sanctis, quam *pro nobis* nostraque spirituali utilitate orare est); 2) ii, qui nullius boni possidendi amplius capaces sunt, i. e. damnati, quos caritate amplecti non iam possumus. Pro omnibus aliis autem sive vivis sive defunctis orandum est: nimirum in genere saltem seu in communi eos in orationibus includimus; ut autem speciatim et in particulari orari *debeat* pro aliquo, peculiaris necessitas et peculiaris relatio familiaritatis, officii etc. intercedat oportet.

4. Praecipuum quidem obiectum orationis tum pro nobis tum pro aliis semper esse debet, ut conservemus Dei amicitiam atque in ea ad mortem usque perseveremus.

Nihilominus ad obiectum orationis etiam pertinet cuiuslibet necessitatis sublevatio sive temporalis et corporalis sive spiritualis: verum in temporalibus praesertim illa implicita saltem conditio adesse debet: «modo conferat ad salutem animae», ad quam tandem omnia bona temporalia a Deo diriguntur. Exemplum habemus Ecclesiae, quae pro qualibet necessitate Deum orat, idque interposito sanctissimo Missae sacrificio. Cf. tam multas atque diversas orationes Missalis.

#### V. De invocatione Sanctorum.

Oratio, ut actus religionis, primariae et per se, ad Deum dirigitur,<sup>481</sup> quem religione colimus. Verum etiam Sanctos Dei amicos perfectos eique perpetuo coniunctos sicut honoramus, ita etiam possumus orare seu invocare.

1. Trid. Conc. sess. 25 ut fidei doctrinam declaravit, Sanctorum intercessionem implorare pium et utile esse, eosque pro nobis revera posse intercedere apud Deum: atque hac in re cotidiana praxi Ecclesia praeit.

2. Quamquam igitur Ecclesia praeceptum non statuit invocandi Sanctos, tamen quam maxime omnes ad id faciendum invitat. Immo communis sententia est, eum a peccato excusari non posse, qui non interdum Sanctos, maxime B. M. V. implorat, quam Sancti Patres sicut mediatricem Incarnationis, ita etiam mediatricem gratiarum Verbi incarnati praedicant; eiusdem igitur intercessionem non implorare, etsi *per se* venialis peccati limites non videatur excedere, tamen facile index esse potest dispositionis animi mortaliter peccaminosae, vid. suspicionem

movet haereticae mentis; et insuper qui auxilium adeo magnum negligit, satis magnam incuriam suae salutis prodit, seque periculo labendi non nimis levi exponit.

482 3. Possumus non tantum animas defunctorum in purgatorio detentas iuvare; nos etiam eorum orationibus iuvare, multorum theologorum est sententia. Ita *Bellarm.*, De purgat. l. 2, c. 15; *Less.*, De iust. l. 2, c. 37, n. 23; *Bonacin.*, De hor. can. disp. 192, p. 1, n. 8; *Elbel* II, n. 398; immo hodie videtur sententia communis evasisse, maxime Romae, ut dicit *Scavini*<sup>10</sup> II, n. 203. Idque cum communionem Sanctorum prorsus cohaeret. Nam etsi animae illae *pro se* nihil exorare, sed tantum pati et patiendo satisfacere possint: tamen amici Dei sunt, in gratia confirmati, Deo acceptissimi, neque ratio est cur desideria sua, quibus optant nobis bona spiritualia conferri, Deo exhibere non possint, aut cur Deus intuitu eorum nos maiore favore non prosequatur. Animas piaculares igitur eorum praecipue cum grato animo memores esse et adiutrices, qui pro illis suffragia Deo offerunt, opinio est bene fundata atque multorum experientia comprobata.

4. Quod supra dixi, in oratione ex natura rei contineri cultum eius, quem oramus: si oramus Sanctos, etiam illos vere colimus. — Ille autem cultus, sicut etiam oratio, essentialiter differt a cultu Dei, habet tamen respectum ad Deum: pertinet igitur, prout aut Deum in Sanctis colimus, aut Sanctos propter internam suam dignitatem et coniunctionem cum Deo honoramus, aut ad ipsam religionis virtutem, aut ad virtutem analogam, vid. *duliam* quam theologi vocant. — Honor vero, qui B. M. V. propter singularem eius connexionem cum unione hypostatica in Christo perfecta impenditur, *hyperdulia* vocatur.

#### VI. De orationis lege implenda.

488 Oratio est praecepta 1. per se et propter se, quatenus Deo cultus debitus ex divina lege deferendus est.

Quoties oratio seu petitio *sub gravi* urgeat *propter se*, difficulter determinatur; vix non idem observari debet, quod dictum est de obligatione virtutum theologiarum; par enim est ratio.

2. *Aliunde* seu extrinsecus *frequentius* incidit necessitas. Nimirum ex caritate, quam nobis ipsi debemus, obligamur graviter, ne illud medium negligamus, quod solum spirituales necessitates certo sublevat. Quare 1) tenemur orare, ne Deus sinat nos incidere in periculosas tentationes, 2) quodsi Deus nihilominus id permiserit, *urgente tentatione* maxime tenemur orare; nam ut verbis *Suarez*, De relig. tract. 4, l. 1, c. 30, n. 17 utar, «confidere tunc de sua libertate, esset magna superbia et praesumptio; confidere autem de solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia». — Quodsi homo tempore tentationis fideliter orat, non est periculum, quin obligationem orandi, quae propter se existit, satis impleverit. Nam adeo diu homo non consuevit immunis esse a tentationibus. Verum non debet orandi munus ad haec tempora restringi; sed tentationis tempus antevertendum est.

484 3. Obligatio *venialis* multo saepius adest, qua homo tum pro se, tum pro aliorum necessitatibus orare debet, saltem in communi. At *gravis culpa* propter has solas causas sane rarissime committitur, ut ex



iis, quae de officiis caritatis dicturi sumus, patet; nisi forte contemptus vel scandalum accedat; vide *Castrop.* tract. 7, disp. 1, p. 8, n. 4.

Gravis autem obligatio adesse potest *vi officii specialis*.

4. *Preces matutinas et vespertinas* persolvere est pia fidelium consuetudo, summopere fovenda: immo ut mane rectam intentionem eamque quam maxime meritoriam, vespere inter alia post conscientiae discussionem perfectam contritionem eliciant, edocendi sunt.

At de vera obligatione (veniali) non constat aliis affirmantibus, aliis negantibus (cf. etiam *Noldin* II<sup>7</sup>, n. 147). Nisi tamen aliqua iusta causa, cur omittatur, adsit, per pravos affectus desidia, proprii commodi, respectus humani venialiter plerumque peccatur: quod suo modo etiam de precibus ante et post prandium ubique receptis dici potest. Cf. *Elbel* II, n. 400; at quod provocat ad *Suarez, Less., Castrop.*, illi l. c. nihil dicunt de obligatione precum matutinarum et vespertinarum.

Quare puto non raro accidere, ut a parcho vel confessario inculcandum sit fidelibus, per se quidem obligationem veri nominis non adesse, ut statis illis temporibus oretur, at ex negligentia etc. eas preces non esse omittendas; hinc si qua ratio oriatur, cur commode eas persolvere non possint, ut aut postea compensent, aut saltem mente aliquoties bonam intentionem renouent.

Sed qui usum mane vespereve orandi *plane negligat*, iustam suspicionem mali status animae confessario ingerit: quare examinandus serio est, ne indigno absolutio praebetur. *Del Vecchio* I, n. 659.

### § 3.

#### *De reverentia rebus sacris sive Deo dicatis exhibenda.*

Reverentia et digna rerum sacrarum tractatio in Deum, cui dicatae<sup>485</sup> sunt, aut quocum connexionem habent, redundat, ac propterea recte ad religionis virtutem refertur. Attamen reverentia illa in plerisque rebus potius in negativo quam in positivo cultu praescripto consistit; aliis verbis, reverentiae causa in rebus sacris tractandis quaedam potius *prohibentur*, quam ut certus modus *praescribatur*. Hinc est, ut de ea materia in sequenti articulo potior agendi locus sit. Certae autem res sacrae, ut sacramenta, quae specialis cultus obiecta sunt, postea ampliore tractatione indigent.

Quod hic breviter indicem, est cultus sacrarum reliquiarum et imaginum et decreta Ecclesiae praecipua, quae circa hunc cultum eiusque modum versantur.

I. Ad fidem catholicam spectat credere, imagines et reliquias Sanctorum veneratione dignas esse. Vide *Trid.* sess. 25 decr. de invoc. Sanctorum, *Pii IV* professio fid. *Trid.*

II. Cultus qui reliquiis et magis etiam qui imaginibus exhibetur, *relativus* est, scil. refertur ad eam personam, quae imagine vel reliquiis repraesentatur.

Quamquam aliqui distinctionem faciunt inter reliquias et imagines, ita ut reliquias etiam aliquo cultu absoluto coli posse putent: tamen communior est sententia, et imagines et reliquias coli semper cultu relativo, cum tota

ratio colendi sumatur ex Sancti, quem repraesentent, dignitate. Vide *Lugo*, De incarn. disp. 36, sect. 3; disp. 37, sect. 3.

III. Cultus *diversus* secundum praxim Ecclesiae cruci Dominicae atque reliquiis vel imaginibus Sanctorum exhibetur.

1. Ecclesia scilicet consuevit illum cultum, quo imaginem Crucifixi in triduo sacrae hebdomadae prosequitur, et quem semper impendit particulae verae crucis Dominicae, constanter *adorationem* vocare, quae non est consueta significatio cultus Sanctorum eorumve reliquiarum, etsi apud veteres theologos vox adorationis indifferenter signum cultus duliae aut latrae significet.

2. Sacrae cruci specialis honor exhibetur ex praescripto Ecclesiae, in processionibus particula sanctissimae crucis aliave instrumenta Dominicae passionis sub baldachino deferuntur; non ita Sanctorum reliquiae, siquidem distinctio prorsus facienda est inter priores et posteriores reliquias: vide *Decr. auth. S. R. C. n. 2647* decr. gen.

486 IV. *Cultus publicus* Ecclesiae legibus omnino determinatur. Neque reliquiis illum cultum exhiberi licet, nisi ecclesiastica auctoritate recognitae fuerint, neque aliis defunctis hominibus eorumque imaginibus, nisi de quorum sanctitate per canonizationem aut beatificationem constat.

De decretis latis circa cultum Sanctorum cf. *Ferraris* sub voce «Veneratio SS.» et «Cultus SS.» Cf. etiam *Trid.* sess. 25 de *invocantiane etc. Sanctorum*. Hinc:

1. Si agitur de reliquiis canonizatorum vel beatificatorum, *episcopus* eas recognoscere potest et authenticas declarare. Verum si agitur de iis reliquiis, quae Romae nondum fuerunt approbatae, caute procedere debet episcopus, nec sine consilio theologorum aliorumque virorum prudentium. Vide *Craisson* n. 1027.

2. Si autem agitur de reliquiis eorum hominum, qui cum fama quidem sanctitatis decesserunt, sed qui Romae nondum canonizati neque beatificati fuerint, episcopus circa cultum publicum nihil statuere potest. *Ib.*

3. Immo circa reliquias eorum, qui beatificationem tantum adepti sunt, nullus amplior cultus impendi potest, quam S. Pontifex in beatificatione aut postea concessit. Cf. decreta *Urb. VIII* et *Alex. VII* apud *Craisson* n. 4877 sqq; quamquam hodie non raro a S. Sede in singulis causis amplior cultus conceditur.

4. Quae in publica sacrarum reliquiarum expositione servanda sint, nosci debent ex libris liturgicis. Cf. *Craisson* n. 1032—1036.

487 V. Privato cultu coli possunt ii, de quorum sanctitate morali certitudine alicui constat: a certis tamen cultus signis Ecclesia iubet abstinere.

Videlicet: 1. Cultu privato coli possunt reliquiae quaecumque, etiam eorum hominum, qui cum sola *fama sanctitatis* decesserunt; neque requiritur cognitio et approbatio Ecclesiae, sed moralis certitudo et sanctitatis personae et authenticitatis reliquiarum sufficit. Ita *Craisson* n. 1025, ex *Ferraris* l. c. n. 60 et *Reiffenstuel* l. 3, tit. 45, n. 29.

2. Cf. *Craisson* n. 4883 sqq decreta *Urb. VIII* eiusque Constit. 5 Iulii 1634 «Coelestis Ierusalem»: unde etiam circa privatum cultum prohibetur, quominus imagines hominum nondum beatificatorum cum aureolis aut radiis «in ecclesiis aliisque *locis publicis aut privatis* ponantur».

3. Immo si qua miracula, revelationes, beneficia tamquam eorum intercessione a Deo impetrata narrantur, praescribitur, ut praemittatur protestatio scriptoris, qua declarat, se non intendere dictis suis aliam fidem conciliare, nisi fidem *humanae historiae*. Formulam protestationis praescriptae habes apud *Craisson* n. 4888 et 4889. — Verum lex illa *praemittendae protestationis* Constitutione *Leonis XIII* «Officiorum munerum» probabiliter abrogata est (cf. *Vermeersch*, De prohib. et cons. l. *ad a. 13*). Sunt vero scripta quae eiusmodi res narrant, si sine legitima Superiorum Ecclesiae licentia publicentur *proscripta*.

## Articulus II.

De actibus, qui per virtutem religionis prohibentur seu de peccatis contra religionem.

Religio positive laeditur -- nam quomodo negative laedatur, modo <sup>488</sup> dictum est priore art. praecipue in § 2 de oratione -- duobus modis: 1) per superstitionem, qui modus *quasi per excessum* dicitur, 2) per irreligiositatem seu *per defectum* ut vocant.

### § I.

#### De peccatis superstitionis.

##### Punctum I.

##### Notio et divisio.

Superstitio in genere est *cultus* religiosus *viciosus*.

1. Viciosus autem esse potest *ratione modi*, quo Deus (Sanctusve) colitur, et *ratione rei*, quae colitur; unde habetur prima divisio in *superstitionem modi indebiti* et *rei indebitae*.

2. Si cultus viciosus est *ratione modi* tantum, quo verum igitur Deum colere intendunt, habetur aut cultus *falsus* (perniciosus), aut cultus *superfluus*. 1) *Falsus* cultus est, si Deus colitur modo a se reprobato, aut auctoritate ecclesiastica secundum substantiam reprobato, aut etiam lege naturali vetito; v. g. *falsum* cultum exhibet, a) qui ritu iudaico Deum colere nititur; b) qui laicus sibi sacerdotales functiones arrogat; c) qui falsis et fictis miraculis cultum Dei promovere studet etc.; d) qui actionem inhonestam pro divino cultu adhibere vellet: quod prorsus blasphemum esset (v. art. sqq).

2) *Superfluus* sive inutilis cultus est circumstantia quaedam vana, stulta, inconveniens, quae cultui alioqui vero admiscetur; ad quem pertinet v. g. ex mala devotione caerimoniis Missae quaedam addere; magis etiam in vana aliqua circumstantia, e. g. certo situ, numero candelarum, vim colendi reponere, sacerdotem certi nominis celebraturum studiose quaerere etc.

3. *Ratione rei indebitae* seu *obiecti* cultus viciosus est, si divinus <sup>489</sup> cultus ei impenditur utcumque, qui verus Deus non est. Quod et expresse et implicite tantum fieri potest. Quare multae diversae huius superstitionis species recensendae sunt.

1) *Idololatria*, qua explicitè adoratio cuiusque creaturae exhibetur, sive per sacrificium, sive per genuflexionem, sive per quodvis aliud signum.

Distinguitur autem idololatria simulata sive materialis, et idololatria vera et formalis.

a) *Simulata idololatria* est, si signum quidem adorationis exhibetur, mente autem qui ita agit significare non vult, quod externe exprimit.

b) *Vera et formalis*, quando externum signum adorationis etiam ipsius mentis expressio est.

Haec ipsa autem vera et formalis idololatria aut perfecta est, aut imperfecta: scil. a) idololatria vera et *perfecta* ea est, quae exhibetur creaturae, quam colens sibi persuadet aliquod numen esse;

β) idololatria vera, *sed imperfecta*, quae exhibetur cum persuasione, non esse divinum numen, quod colatur.

Igitur perfecta idololatria *proxime ex errore intellectus* oritur, etsi culpabili; imperfecta proxime oritur ex *malitia voluntatis*, qua aliquis velit malitiose mendacem honorem creaturae impendere.

480 2) *Superstitiosa observantia* sunt omnes illae superstitiones, quae «orationi ad Deum fundendae» vel cuilibet «pio cum Deo commercio» quasi opponuntur, sicut idololatria opponitur verae adorationi, nimirum:

a) *vana observantia*, qua improprietatis et vanis mediis aliquis utitur ad certum quendam effectum obtinendum, ut: *ars sanandi* varios morbos, *ars notoria* sive acquirendi artem vel scientiam sine labore,

b) *divinatio*, qua quis studet futuros eventus improprietatis mediis cognoscere, ut: *observatio eventuum*, quae ex fortuito casu conicit, quid faustum quidve infaustum futurum sit ut accidat; sortilegium<sup>1</sup>, astrologia, augurium etc. — parum enim interest, utrum aliquis ex astris, an ex volucris, an ex lineis manuum futura conicere et praedicere tentet,

c) *magia*, quae, si *vere* magia est, in arte consistit perpetrandi quae hominum vires superant, non divino, sed alio auxilio.

Distinguitur speciatim *magia atra*, seu *maleficium*, quod aut *amatorium*, aut *veneficum* est. Voces ipsae, quid significetur, indicant.

## Punctum II.

### *De superstitionis malitia.*

491 Ut de malitia superstitionis diiudicanda generales quaedam regulae habeantur, noto sequentia:

I. Superstitio cultus *modi indebiti*, quo vero quidem Deo cultus exhiberi studetur, sed illicito modo, quando secundum supra dicta est *cultus falsus*, plerumque est peccatum mortale; quando autem est solummodo *cultus superfluous*, plerumque non excedit peccatum veniale.

<sup>1</sup> Attamen sensu ecclesiastico «sortilegium» adhibetur pro «maleficio»: ita ut sortilegi vocentur, qui maleficium exercent, aliis per superstitiosas suas artes nocumenta inferentes, illudve tentantes.



Videlicet: 1. Falsi cultus diversa exempla habes supra Puncto I: quae generatim malitiam mortalem in se continere, per se evidens est. Fieri tamen per exceptionem posse, ut ad mortalem malitiam superstitio non pertingat, etiam ipsa exempla allata videntur suadere. Ex oppositione diversorum modorum agendi res fit clarior.

V. g. falsum miraculum fingere, aut ad decipiendum populum illo uti, quis videt, gravissimum esse peccatum, idque ex se alterius etiam speciei, quam aliam superstitionem falsi cultus; sed in cultu vero vel doctrina vera proferre, i. e. narrare, levem aliquam circumstantiam non exploratam pro certa, et similia, etsi falsitas quaedam ex levitate et temeritate interveniat, ex sese *grave* peccatum non videtur. Cf. *Lugo*, De fide disp. 14, n. 45 sqq; disp. 20, n. 23 sqq. — Alius haec fortasse traheret ad cultum «superfluum»: quod si fit, eo magis causam habet negandi peccati malitiam mortalem.

2. In cultu igitur superfluo parvitas materiae admittitur, cum in rebus illis, si ex stultitia et vana apprehensione fiunt, non intercedit plerumque temeritas, neque obiectum ex se gravem inhonorationem Dei infert; si vero quaedam committuntur contra praescriptas normas Ecclesiae, in se bona tamen et pia, gravitas materiae ex communibus regulis legum humanarum petenda est. Cf. *Elbel* II, n. 474.

Recenseo quasdam stultitias, quas *Billuart* pro venialis peccati superstitione affert: plures cruces facere, cum certo situ, colore, numero candelarum orare, audire velle Sacrum a sacerdote qui vocetur *Ioannes* etc., die Sabbati in honorem B. V. a certo genere servilis operis abstinere . . . «in his et similibus casibus, secluso scandalo et contemptu, non videtur gravis iniuria».

II. In cultu *rei indebitae* occurrit *primo* idololatria diversis speciebus <sup>492</sup> distincta. Attamen cuiuslibet idololatriae species gravissimum est peccatum mortale, ita tamen, ut idololatria simulata per se minus peccatum sit quam vera et formalis, formalis perfecta minus gravis quam imperfecta.

Est probata doctrina theologorum, quam fuse expositam habes ex doctrina *S. Thom.* apud *Suarez*, De relig. tract. 3, l. 2, c. 6, n. 9—14, superstitionem, immo ipsam idololatriam in et per se secundum formalem suam speciem peccatum *inferioris* malitiae esse quam *infidelitatem* seu *haeresim* aliave peccata directe virtutibus theologicis opposita. Quod noto contra recentiorum quandam opinionem, quasi superstitione (Aberglaube) infidelitate (Unglaube) peior sit: quod sane est a vero alienum (*Linsenmann*, Moralth. § 105 III). Verum qui superstitionem *idololatriae* committit, praeter blasphemiam, quae in ea sicut in infidelitate externa continetur, vix non semper *adiungit* alia etiam peiora peccata, ut infidelitatem et similia; quo fit, ut idololatria in concreto sumpta — non vero quavis superstitionis mortalis specie — *extensive* gravius peccetur quam peccato haeresis (cf. § 2 de blasphemia, praecipue n. 506)<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Si enim idololatriam, non quamlibet superstitionem, secundum totum suum ambitum consideres simul *cum peccatis annexis*, illam nuda infidelitate peiorem quidem esse, facile concedas, summam autem malitiam generatim ex ipsa infidelitate (quae tamen, si manifestatur, sicut etiam verba desperationis et odii Dei, praeter oppositionem cum virtutibus theologicis, etiam blasphemiae malitiam continet) in illam derivari.

Scilicet 1. idololatria in se est unum ex gravissimis peccatis, minus tamen quam peccata quae *directe* virtutibus theologicis opponuntur: vide *S. Thom.* 2, 2, q. 10, a. 3; q. 20, a. 3. Directe enim opponitur virtuti religionis, atque contra honorem veri Dei

493 III. Aliae superstitiones seu *observantiae supersticiosae* ex natura quidem sua peccata sunt gravia. Verum fieri potest, ut aliquando id, quod in superstitione latet, tam parum apprehendatur, ut mortalis malitia exsulet. Nam superstitiones illae malitiam suam ex eo habent, quod deficientibus proportionatis mediis, effectus exspectatio seu causatio reduci debeat ad diabolicum interventum: qui si *expresse* habetur ab homine imploratus, nemo dubitat de gravissimo peccato; neque mortale peccatum abest, si propter defectum causae sufficientis et honestae sufficiens attentio et suspicio notabilis de operatione diabolica, etsi in confuso tantum, exstiterat. Verum si tota illa ad diabolum relatio interpretativa tantum est et satis latet, fieri non raro potest, ut per simplicitatem et ignorantiam homines non ita attendant, praecipue si certa rei exspectatio non est, sed timor quidam vel spes: quare tum frequenter venialiter tantum peccatur.

IV. Diversi superstitionis modi, scilicet vana observantia, divinatio, magia (nisi sit maleficium) *per se* morali specie non distinguuntur; sed id solum attendi debet, fueritne expressa diaboli invocatio seu pactum, aut, si hoc abest, num sufficiens attentio vel suspicio diabolicae interventionis adfuerit. Nam specie morali parum interest, utrum aliquis per diabolum quaerat aliquid scire, an aliquid perpetrare. Malitia consistit in ipso hoc seu explicito seu implicito cum diabolo commercio, quem homo quasi auxilii implorandi causa adeat.

494 **Maioris explicationis causa noto:** 1. *Suarez* quidem tr. 3, l. 2, c. 7, n. 1 et c. 10, n. 1 putat in rigore malitiam cuiuslibet superstitionis cum idololatria specificè convenire, cum distinguatur potius ut indirecte et implicite vel interpretative volitum a directe et expresse volito. Verum iam ex eo, quod haec in istâ re moralem aestimationem multum mutant, iure merito pro nova specie morali statuitur, idque eo magis, quod alii supersticiosas observantias non idololatriae malitiam habere dicunt, sed meri *commercii* cum diabolo, Dei humanique generis hoste. Neque dubium est, debere in confessione haec peccata distingui, ut ipse *Suarez* ib. omnino concedit, tum quia idololatria raro accidit, tum quia cum ea alia peccata committuntur, eaque ex Puncto I malitias specificè ab invicem distinctas habere possunt. Divisio enim ibi allata continet peccata *moralis specie* diversa.

2. Si quod occurrerit expressum pactum cum diabolo (quod aliquando accidere posse infitari non possumus, etsi a nimia credulitate caveri debeat), facile alia peccata adduntur: renuntiatio fidei christianae, abiuratio Christi vel B. V., adoratio diaboli formalis, iniuriosa tractatio rerum sacrarum, vel ipsius SS. Eucharistiae, renuntiatio aeternae salutis et pactio cum diabolo ex parte utraque externo signo confirmata — quae a poenitente omnia rescindi, respective comburi vel deleri debent. — Cf. *S. Alph.* III 28.

directe committitur, ita ut contineat a) blasphemiae malitiam, b) contra externam fidei professionem peccet.

2. Supponit alia peccata etiam graviora, scil. a) generatim *infidelitatem*, b) aliquando *odium* Dei, c) si simulata est idololatria, metu commissa, sub hac quidem ratione multo minor est malitia, at ratione scandali et mendacii malitia auberi potest.

3. Ducit in multa alia eaque gravissima peccata, quae, diabolo suggerente et Deo permittente, ab idololatriis committi, historia tristes testatur.

3. Quamquam superstitio etiam interpretativi interventus diabolici ex<sup>495</sup> sese graviter peccaminosa est, tamen *practice* a gravi peccato multae *vanae observantiae* excusantur 1) ob simplicitatem et ignorantiam, 2) ob imperfectionem voluntarii actus seu levitatem<sup>1</sup>, 3) ob timorem quandam et infirmam *non certam* adhaesionem: quod praecipue obtinet in observantia eventuum, et in observantia sanitatum. Cf. *Bill.* et *S. Alph.* c. *Bus.* III, 8 et 15, ubi habes: «Si quis ab astris, somniis aliisque ita dependeat, ut omnes pene actiones suas et vitam regulare iuxta ea velit, mortaliter peccare docent *Lessius . . . Salmant.* etc.; ex talium observatione semel atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale esse censent . . .; ut et subinde timere leviter, ne ita sit, aut eveniat quod portendunt.»

Divinationem autem tamquam artem exercere, etsi fiat per vanas observantias, per chartas et similia, grave peccatum est; immo eiusmodi homines consulere, grave peccatum censeo omnino etiam subjective esse, si *serio fit*; si vero ex ioco fit, objective id etiam a gravi peccato excusari nequit, si modo vates *serio* agat, subjective tamen videtur non raro peccatum grave exsulare, cum homines ex simplicitate vel ignorantia id non attendant.

4. Superstitionem manifestari dictum est ex adhibito medio im-<sup>496</sup>proportionato. Verum aliquando dubium hac de re existere potest. Quo occurrente, theologi communiter docent (*S. Alph.* l. c. n. 20), si aliqua probabili coniectura effectus *naturali causae* tribui possit, illicitum non esse, illud medium sive remedium adhibere, saltem si fiat protestatio contra diabolum: si vero constet, effectum naturali causae adscribi non posse, divinam sive miraculosam causam in dubio non esse praesumendam, sed eam *probendam esse*, quare, probatione deficiente, illam rem esse relinquendam ut superstitiosam aut superstitionis periculum involventem.

Nota tamen, explicationem naturalem *rationabili* coniectura niti debere, non insana eorum explicatione, qui et divina et diabolica negantes per fas et nefas *omnia* naturali modo explicare tentant.

5. Quasdam superstitiones supra n. 490 sq recensui; alias addere vix non<sup>497</sup> superfluum est, eo quod facile dignoscantur praecipue ex circumstantia, in qua, cum in se nullius momenti sit, potissima vis et infallibilitas collocatur, v. g. in rebus etiam piis circumstantiae eiusmodi vanae et inutiles occurrere possunt, ut: *certo numero* crucium vel precum infallibilem vim attribuere, certas quasdam preces pro necessariis omnino habere, in quibusdam precibus infallibiliter effectum expectare *spretis aliis conditionibus*, quas supra monui requiri ad infallibilem orationis efficaciam. — Ab illa superstitione prorsus alienum est, *cum fiducia* in Deum in eius vel Sanctorum honorem etiam per certum dierum numerum preces offerre, aut certa signa »scapularia, Agnus

<sup>1</sup> Aliqui, ut *de Valentia*, id *parvitatē materiae* vocant, quod alii melius *animae levitatem* dicunt. Haec enim revera admitti nequit ut ratio a gravi peccato excusans nisi in re secundum se parvi momenti, ita ut tam parvum commercium non formale sed implicitum et remotum cum diabolo pro gravi deordinatione homines non sumant; ex altera vero parte illius tam parvi commercii impliciti neglectus nequit oriri nisi ex levitate et ex levi quadam suspitione diabolici interventus potius quam ex certa et deliberata eius scientia. Cf. *Tamb.* In decal. l. 2, c. 6, § 1, n. 49.

Dei etc.» aliasve res benedictas gestare vel iis uti cum spe specialis divinae protectionis: haec enim omnia ab Ecclesia approbantur, et homini sensibus et sensibilibus utenti apprime conveniunt.

Sunt etiam alia, quae superstitionis incusari nequeunt, ut usus clavis S. Huberti contra morsum canis rabidi: haec enim *supernaturali* virtute fieri, longissimi temporis experientia probat. Et revera illa, quae in superstitione fundantur, etsi videntur pia, tamen vix non semper adiunctam habent circumstantiam vanam vel ridiculam, ut ex cauda serpentina diabolium cognoscas. — Qui plures superstitiones videre vult, eas reperiet *Tambur.*, In decal. l. c. c. 6, § 1, n. 23.

498 V. *De maleficio* id speciatim notandum est, accedere ad superstitionem aliam malitiae speciem, malitiam contra iustitiam, quae illato alteri damno vel saltem eo intento violatur.

Si quis autem maleficus magicis suis artibus nocumentum intulerit, communis est sententia, licite ab ipso mago solutionem malificii tum tantum peti, si aut *certo scitur*, aut *praesumptio iusta* adest, cum licito modo *posse* maleficio solvere, v. g. per ablationem signi malefici: quodsi tunc nihilominus novis magicis artibus auferat maleficio, ipsius malitiae imputandum. Si vero licito modo non potest, ad alia media, scil. ad ecclesiasticos exorcismos et similia recurri debet.

### Punctum III.

#### *De magnetismo et spiritismo.*

499 Phaenomena et historiam «magnetismi animalis» quem vocant — ut videlicet a physica illa magnetismi vi discernatur, quam certo nemo negat summi momenti summaeque utilitatis in arte physica eiusque pro humanis usibus applicatione esse — hic referre non vacat. Tot praesto sunt libri, ex quibus haec abundanter cognosci possunt.

Paucis principiis complectar ea, quae theologo circa hanc rem videri debeant; cf. *Wieser, Schneider, Gutberlet, Schneid* etc. De spiritismo.

I. Cum, saeculo decimo octavo ad finem vergente, animale quendam magnetismum praedicare coeperunt tamquam novum curandi diversos morbos remedium, si ulterius progressi non essent, nisi ut per certas manipulationes et attractationes alterius alteri sopore opprimeretur atque a quibusdam morbis curaretur: ratio poterat esse putandi, naturalem causam sese ad illos effectus protendere, ac proin, qui diabolicum interventum abhorrens illo medio se sanandum curabat, superstitionis peccati reus dici non poterat. Et revera causam naturalem non abfuisse omnino, hypnotismus, sicut hodie explicatur et exercetur, qui Mesmerianismo successit, manifestum omnibus fecit, quamquam non vis magnetica, sed vires longe diversae causae existunt.

II. Verum cum «magnetismo» illo, qui praetendebatur, gravissimi abusus iique superstitiosi mox iungebantur. Qui latius invaluerunt, cum circa medium fere saeculum decimum nonum magnetismus ad *tabulas rotantes* transferretur. Haec etiam initio saltem innoxia phaenomena, ex naturali causa nondum satis explorata fortasse oritura, videbantur. Sed recordari licet, quanta mox populi excitatio exstiterit, quanta bonis



moribus, familiarum paci, fidei christianae pericula orta fuerint — nec quisquam mirabitur, pastorum Ecclesiae vigilantiam contra novas illas artes superstitionesque cum ea coniunctas vocem extulisse easque prohibuisse.

Complura enim praetendebantur facta stupenda, quae auctorem malum vel saltem instigatorem aperte prodebant, v. g. 1. in persona magnetizata facultas cognoscendi et indicandi res procul omnino distantes; 2. facultas loquendi linguis ignotis atque prorsus insolita et suprahumana faciendi; 3. a tabulis rotantibus accipiendi, sive per pulsationem sive per scriptionem, responsa circa res occultas et ignotas, aliave magis etiam stupenda. Quae autem tali modo cum assistentibus communicabantur, calumniis atque erroribus religiosis scatebant, ita ut dissidiae, familiarum perturbatio excitarentur, veritates fidei catholicae in dubium vocarentur; modus, quo magnetismus induceretur, atque persona magnetizata responsis dandis apta redderetur et magnetizatoris voluntati subiecta maneret, inter limites honestatis non continebatur.

Sane in admittendis ipsis factis quae referuntur, sobrio iudicio opus<sup>500</sup> est, cum quam plurima fictitia sint atque astutia et decipiendi arte praestigiatoris explicanda. Verum quam primum effectus portentosus, qui naturaliter explicari nequit, apparet vel praetenditur aut circumstantia prava vel finis malus se prodit: usus eiusmodi artis, quocumque nomine vocatur, prorsus prohiberi debet, atque in producendis insolitis illis rebus ullo modo partem habere, sive agendo sive assistendo, plane illicitum est. Huc referuntur complura responsa *S. Officii*, quae videre licet *Gury-Ballerini* I, n. 279—281. Daturus sum litteras encyclicas *S. Officii* d. d. 30. Iulii 1856.

In congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam E. ac R. DD. Cardinales in tota republica christiana adversus haeticam pravitatem generales Inquisitores mature perpensis iis, quae circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt, edi praesentes litteras encyclicas ad omnes episcopos ad magnetismi abusus compescendos.

Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent.

Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiare casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quae ad finem non materiale, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur; unde in similibus casibus decretum est Feria IV 21 Aprilis 1841: «Usus magnetismi, prout exponitur, non licere». Similiter quosdam libros eiusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit Feria IV 28 Iulii 1847: «Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemone invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad

finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediolorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.»

Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes, magna cum animarum iactura ipsiusque civilis societatis detrimento hariolandi divinandique principium quoddam se nactos gloriantur. Hinc somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspiciere effutiunt ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus quacunque demum utantur arte vel illusionem, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis et scandalum contra honestatem morum.

Igitur ad tantum nefas, et religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo ac zelus episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternae caritatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout, attentis locorum, personarum temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur. Cf. Collect. Conc. Lac. VI, col. 102.

501 III. De hypnotismo. Cum, quae de magnetismo praedicabantur, accuratiori investigationi scientificae subicerentur, repertum est, revera fieri posse, ut homines, imprimis qui anormali nervorum conditione affecti sunt, naturali artificio in statum somno similem, hypnosim quam vocant (unde nomen hypnotismi), inducantur, in quo certae partis cerebri atque nervorum functio intermittatur, conscientia reflexa desinat, homo isto sopore oppressus illusionibus atque suggestionibus subiaceat, ad nutum hypnotizatoris insolita quaeque agere videatur; neque tamen exeri in his rebus vim magneticam.

Status enim hypnoticus aut via physica, scilicet fixo intuitu rei continuato et mentis ad unum recollectione, vel sonitu monotono producto, aut influxu psychico i. e. per meram alterius hominis suggestionem solet induci.

Varii tamen gradus hypnotici distinguuntur: I. mera *somnolentia*, quam homo patiens, energice volens, adhuc vincere potest et suggestiones excutere.

2. *Levior somnus* seu *hypotaxia*, in qua patiens suggestionibus hypnotizantis subiacet neque pro libitu ab iis se potest expedire, recordatio tamen non est extincta. Facile patet hunc statum non consistere in gradu indivisibili, sed somnum posse esse levorem vel minus levem.

3. *Somnus profundus* cum extincta omni recordatione eorum quae in hypnosi agantur vel acta fuerint, etiam post hypnosim finita, manent tamen forti impulsu ad exsequenda mandata in hypnosi accepta.

Non in tertio solo, sed etiam in secundo quando intensior fuerit, hypnotizatus induci potest ad agenda plane insolita, ludicra et inepta; atque etiam pro diversa hypnosim patientium conditione hi catalepsiam, immobilitatem vel flexibilitatem atque inertiam omnium membrorum subire poterunt.

Verum hac in re minime omnia clara sunt vel aperta. Maxime obscurum manet, quomodo per suggestionem alterius eiusque arbitrium certa pars cerebri sopiatur functionibusque suspendatur, quo vividius reliqua pars functiones suas exerceat; magis etiam obscurum est neque declaratur, quousque libera voluntas ligata vel hypnotizatoris arbitrio subiecta sit. Viri docti, qui in ea re et summam habent experientiam et sobrium ferunt iudicium, negant: 1) quemquam posse, contradicente propria voluntate, in hypnosim induci; eo tamen facilius id fieri, quo saepius aliquis iam fuerit hypnotizatus et quo maiore labore infirmitate nervorum; 2) quemquam ita iussis hypnotizatoris subici, ut non *possit* resistere. Et revera, si sermo est de actionibus posthypnoticis, quamdiu ratione non perturbata remanet iudicium indifferens, libertatem non extinguere, sano philosopho ex recta ratiocinatione, viro christiano ex fidei doctrina certissimum est. Posse autem illusionibus et suggestionibus appetitiones varias excitari et ita ipsi voluntati fortissimum nisum in certas res, etiam pravas, imprimi, nulla est ratio dubitandi.

Porro hypnotismum commendant medici non pauci tamquam re-<sup>502</sup>medium, quod ad sopiendos sensus in chirurgica operatione sit securius, quo cerebri, nervorum, rheumatismi etc. morbi facile curentur atque suggestionibus rerum utilium animus iuvetur.

In suppositione quod illae commendationes verae sint, a theologo quaeri potest, sitne hoc, *si sit remedium*, licitum. Negandi ratio esse nequit, nisi aut 1) modus inducendi illum statum sit illicitus, aut 2) effectus ipse aliquid illicitum contineat. In *modo* illicitum aliquid cogitari posse non videtur nisi iniuria aut superstitio. Iniuriam fieri non sumo, sed consensum tum eius qui agit, tum eius qui patitur; immo unumquemque per se in illum statum se conicere posse dicunt. Superstitio per se non apparet, si in agendi modo et in effectibus, ut descripsi, sistitur. Nam plane insolita accidere posse in homine nervorum et cerebri alteratione atque omnino naturali modo; certissimum est: immo hallucinationes stupendas aliquando naturali omnino modo fieri constat. Sive autem putas, quemlibet hominem facili ratione in eiusmodi statum se inducere posse, sive potius morbidam quandam nervorum affectionem requiri: semper habes naturalem agendi modum.

*Effectus* vero estne ex se illicitus? Habes privationem usus rationis, atque statum, in quo facile intima quaeque pandas et alterius nutum sine conscientia et libertate exsequaris. Quo igitur graviores atque hominem magis non decentes effectus appareant, eo gravior causa

requiritur, ut talem statum inducere liceat, neque umquam licebit sine cautione. Ergo 1. non licebit sine causa *relative* graviore, quia semper habes statum et modum *violentum*, quo homo rationis usu privatus existat, non naturalem modum ut somnum; 2. non licebit umquam sine cautione: ne homine ita sopito alius abutatur, praesertim cum sine aliena ope homo ex tali statu non per sese facile expergefiat, neve mala vel nociva suggerantur. Quapropter nisi fidus homo sit, qui ita tecum agat aut te observet, ei te committere nequeo. Sed, si alii effectus mali non adsunt, cautela adhibita et accedente sufficienti causa v. g. sanandi morbi aliter curatu difficilis, licebit, si tamen ex iudicio periti medici verum sit, morbos ita curari posse, neque facta quae circumferuntur sola hallucinatione nitantur. 3. At ostentationis causa haec agi, ad nutum alterius usum facultatum animi superiorum suspendi, facultates inferiores atque hominis animalitatem sensibilitatemque alteri regendas tradi, ita ut ad eius arbitrium inclinationes provocari, augeri, vitia excoli possint, sane peccatum est idque multo maius quam ebrietate rationem perturbari vel sopiri. Id a fortiori tene, si hypnotismus plane exit in magnetismum *superstitiosum*, de quo supra n. 500.

Verum etiam id a medico religiose perpendendum est, sintne mala quae hypnotismo curentur, iis maiora quae naturaliter eum sequuntur. Nam in comperto est, per hypnotismum commune systema nervorum anomalam pati affectionem et per se nocivam: quod non impedit, quominus certa nervorum conditio morbida hypnotismo possit auferri, cum detrimento tamen alterius partis orituro.

Ecclesiam ipsam non absolute reprobare omnem hypnotismum, habes ex resp. *S. Officii* d. d. 26 Iulii 1899, a *Leone XIII* approbato. Vide Casus consc. I, n. 216.

503 IV. Longe aliter dicendum est de *spiritismo*, quem patet esse superstitionem putidissimam. Spiritismus enim ars est sive vera sive praetensa evocandi mortuos atque cum iis communicandi eosve consulendi.

Neque tamen putandum est, cum ipsis defunctis fieri communicationem seu colloquium; sed nisi res sint merae fraudulentae dexteritatis et mendacia praestigiatoris, apparitiones defunctorum eorumque revelationes a daemone proficiscuntur. Nam res ipsae, quae ludicrae sunt atque non raro directae contra veram fidem et religionem christianam, non possunt proficisci a Deo, neque a spiritibus bonis vel ab animabus defunctis in coelo beatis; ergo a solis spiritibus malis et damnatis, et quoniam animae humanae reprobae neque ex suis viribus neque ex providentia divina communiter potestatem habent cum hominibus in terra viventibus communicandi, nihil restat nisi ut ad causam diabolicam referantur.

Quae communicatio non solet fieri nisi per «medium» quod vocant. Haec media, dum spiritus cum iis communicat aut communicare dicitur, hypnosi per ducem spiritisticum inducta tenentur. Certum quidem est, quam plurima, quae in conventibus spiritisticis aguntur, fraudes esse et deceptiones arti et dexteritati praestigiatoris sive eius «medii» attri-



buendas; verum etiam alia videntur historice comprobata esse, quae plane exigant interventum suprahumanarum virium, i. e. interventum diabolicum. Ut nimia credulitas, ita etiam incredulitas nimia a viro prudenti vitari debet, neque expedit, ut omnibus ad aniles fabulas et puerilia delirimenta amandatis, horror peccati spiritistici diminuatur. — Ceterum etiam, quando deceptiones et fraudes fiunt, ii qui defunctos evocari consuli que volunt, eadem peccati specie coinquantur, quam contrahunt vera cum diabolo communicatione.

Neque malitia illa exiit, si quis praetendere velit communicationem cum bonis spiritibus. Haec enim praetensio est vana, cum boni spiritus ludicra non operentur neque pascant hominum curiositatem. Huc refertur decretum S. Officii d. d. 30 Martii 1898, quod exhibetur *Anal. eccl. VI* 187.

*Quaesitum*: «Titius exclusa omni conventionem cum spiritu maligno,<sup>504</sup> evocare solet animas defunctorum. Ita procedit: Solus, sine quibuscumque caerimoniis, preces dirigit ad ducem militiae coelestis, ut ille sibi concedat facultatem loquendi cum spiritu alicuius determinatae personae. Aliquantulum exspectat, dein manum compositam ad scribendum sentit moveri, quo certior fit de praesentia spiritus. Ipse exponit quae scire cupit, et manus scribit responsa ad ea quae ipse proposuerat. Responsa concordant omnia cum fide et doctrina Ecclesiae circa vitam futuram; spectant plerumque statum in quo reperiatur anima alicuius defuncti, necessitatem quam habeat recipiendi iuvaminis ex suffragiis, quaerimonias de negligentia cognatorum. — Quibus expositis, quaeritur, num licitus sit agendi modus Titii.»

*Resp.* «*Uti exponitur, non licere*». Fer. VI d. d. 1 Apr. SS. D. Leo PP. XIII resolutionem approbavit.

## § 2.

### *De peccatis irreligiositatis.*

Quando dicitur irreligiositas contra religionem esse per defectum,<sup>505</sup> ut superstitio per excessum: facile patet, illum excessum non intelligi de vero cultu divino, sed intelligi de actionibus, qui aut ex natura sua aut ex intentione agentis *cultus* quidem rationem habent, sed aut non *divini*, aut non *veri*. Si autem dicitur peccari per defectum, intelliguntur actiones, quae cultum nullum continent, sed *ex natura sua* aliquid cultui contrarium, irreverentiam aut contumeliam. At superstitionem, praecipue superstitionem rei indebitae, si relatio ad Deum respicitur, etiam irreverentiam contumeliamve contra Deum continere, non est quidem cur multis probetur: verum hoc discrimen adest, quod actio superstitiosa *generice* sumpta non semper contumeliam erga Deum denotat, aut, excepta idololatria, solum indirecte et consequenter, irreligiositas vero ex conceptu suo primo et per se irreverentiam aut contumeliam continet.

Sub hac igitur ratione peccatum irreligiositatis quibusdam peccatis superstitionis gravius est; idque revera admittere debemus de peccatis

irreligiositatis, quibus directe Deus impetitur, blasphemiam intellige: si autem irreligiositas directe contra res Deo sacratas versatur, et *solum consequenter* contra Deum, illa maior malitia inveniatur opus minime est. Dein etiam attendas velim — quae de idololatria et de qualibet formali communicatione cum diabolo dicta sunt — peccatis illis alia graviora addi peccata, eaque proin practice extensive graviora esse, immo multo graviora esse posse, quam merum peccatum irreligiositatis.

Igitur, ut iam innui, irreligiositas versari potest aut directe contra Deum, aut directe contra res sacras. Contra *Deum* directe est 1. blasphemia, 2. tentatio Dei; contra *res sacras* est sacrilegium, cui tamquam specialis quaedam species sacrilegii «simonia» additur, separatim tractanda. Quare acturi sumus 1. de blasphemia, 2. de tentatione Dei, 3. de sacrilegio, 4. de simonia.

Punctum I.

*De blasphemia.*

Principia breviter collecta haec sunt:

506 I. Blasphemia est contumelia Deo illata; quae communiter *externo* signo, verbis scil. aut signis verbo aequivalentibus, completur: peccatum est ex se omnium peccatorum contra religionem gravissimum, non tamen unius eiusdemque malitiae, prout est blasphemia haereticalis, imprecatoria, mere contumeliosa.

1. Blasphemiam esse peccatum contra religionem gravissimum ex genere suo, facile ex eo patet, quia immediate et directe religionis actui maxime essentiali opponitur. Cultui enim et honori Dei contumelia Deo irrogata quam maxime est contraria. — Nihilominus vincitur malitia iis peccatis, ex quibus blasphemia, si directa est, facile ortum ducit, nimirum odio Dei: immo, ut est *religioni opposita*, vincitur malitia etiam aliis peccatis virtutibus theologicis directe oppositis, infidelitate et desperatione; quamquam hanc ipsam malitiam blasphemia facile *comitem* habere potest; quod si fit, simplici infidelitate gravius est<sup>1</sup>. Vide *Suarez*, De relig. tract. 3, l. 1, c. 6. Neque in vera blasphemia parvitas materiae admittitur.

507 2. Distinguitur 1) blasphemia haereticalis, quae veritatem de Deo revelatam negat; quodsi blasphemus solum externe negat, est tantum externa fidei negatio; si simul mente tenet, quod ore profert, praeter blasphemiam *haeresim* committit.

2) Blasphemia imprecatoria, qua Deo malum optatur: quod si fit ex animo, blasphemiae accedit peccatum ex genere suo *omnium peccatorum* gravissimum, odium erga Deum. — Si verbis blasphemis imprecatio erga homines profertur, accedit alia peccati species, odium aut contumelia contra proximum.

3) Blasphemia mere contumeliosa: quae, quatenus verba sonant, praeter blasphemiae malitiam aliam non continet. Quod non impedit, quominus ex mente aliter etiam peccaminosa procedat, v. g. ex odio contra Deum.

<sup>1</sup> Scil. blasphemiam ut pure talem malitia vinci ab infidelitate, desperatione, odio Dei, intellige non ita tantum, quod haec peccata infidelitatis etc., maxime si manifestantur, etiam blasphemia sunt, sed quatenus directa malitia virtutibus theologicis opposita gravior est quam malitia blasphemiae.

3. Dixi supra, blasphemiam signo externo communiter compleri, plerumque verbis. Potest autem etiam aliis externis signis fieri, sicut quando Iulianus apostata, ut ferunt, contra coelum sagittam iecit.

Immo compleri potest actione sola *interna*: sicut cultus et honor Dei interna actione consummari potest. — Ipsa autem *interna Dei vilipensio* seu contemptus, etsi non consummet blasphemiam, utpote quae sit huius vilipensionis *expressio*, eam tamen incohat atque blasphemiae malitiam participat.

Verum si blasphemia peccatum reservatum aut cum excommunicatione similive poena coniunctum est, blasphemia sumitur de sola *locutione* Deo contumeliosa.

4. Contumelia illa, in qua blasphemiae ratio continetur, variis modis <sup>508</sup> committitur: 1) si Deo aliqua perfectio, quam habet, denegatur, v. g.: Deus iniustus est, iniuste me punit etc.; 2) si aliquis defectus seu aliquid, quod Deo non competit, ei attribuitur; 3) si alicui creaturae aliquod divinum attributum attribuitur, nam eo ipso id Deo tamquam exclusive proprium negatur, quod iniuriosum et probrosum est Deo, v. g.: hoc tam bene facere possum quam Deus; 4) si, quae Dei laudem continent, *ironice* dicuntur; 5) si, quae Deo, praecipue *Deo incarnato*, competunt, cum contemptu nominantur; 6) si cum ira contra Deum divinae vel sacrae res nominantur, aut additione aliarum vocum contemptibiles redduntur.

Ad quae refer: cum contemptu membra Christi nominare; per res sacras ad hominis salutem institutas alicui malum imprecari, e. g.: perdat te sanguis Christi etc.: quod, etsi aliis non videtur blasphemia, sed sola imprecatio, puto tamen simul in probrum Dei verti, ideoque blasphemum esse. Cf. *Mazzotta* tract. 2, q. 3, c. 2, § 1; *Tamb.*, In decal. l. 2, c. 6, § 4; *Elbel* III, n. 3 etc.

In iis, quae sub 1) 2) 3) notantur, subesse etiam haeresim, si ex animo creduntur quae os effutiat, ex se clarum est.

Inferes igitur, blasphemiam esse amasiam serio deam vocari; aliter, si quis id faceret per hyperbolicam locutionem;

item: per falsos deos iurare, cum eo ipso illis fictitiis di's *absoluta* veritas, quae soli Deo vero competit, attribuitur;

item: diabolum vocare omnipotentem etc.;

item: dicere «Deus est mei plane oblitus», si modo deliberate et cum attentione blasphemi sensus haec proferantur;

item: maledicere creaturis *cum relatione ad Deum*, ut ventis, pluviae etc., *quatenus a Deo mittuntur*. Vide scriptores cit.

S. *Alph.* III, n. 129 etc., respiciens locutiones italicas, censet, blasphemiam esse maledicere toti mundo, quia denotet specialem cum Deo relationem, aut maledicere fidei christianae etc.; non vero, maledicere mortuis, nisi quis feratur ira in animas sanctas in purgatorio detentas, eo quod per se specialis relatio ad Deum non denotetur neque ea communiter a maledicente attendatur: esse tamen, si serio fiat, grave peccatum maledictionis, dubitari nequit, nisi forte maledictio feratur in damnatos et diabolum.

II. Blasphemia ut habeatur, necesse non est Deum *in se* contumelia <sup>509</sup> afficere; sufficit, ut Deus in rebus sibi sacratis vel in speciali cum Deo conexione existentibus contumelia afficiatur.

1. Res sacrae igitur, quarum contumeliosa tractatio in Deum recidit, possunt esse: sacramenta, sancta crux etc.; quare contemptim ea nominare blasphemia est.

2. At etiam ipsi Sancti cum Deo speciali modo conectuntur; quare in Sanctos contumeliose loqui communiter *pro blasphemia* habetur, quatenus videlicet Sancti considerantur in relatione ad Deum. Neque hac in re controversia vertitur. Id autem disputatur, utrum solummodo blasphemia sit, seu virtutem religionis stricte dictae violet, an *etiam* contra virtutem *duliae*. Posterius videtur potius dicendum, siquidem revera Sanctis utpote personis distinctis *suus honor* debetur.

Inde tamen non fit, blasphemiam in Sanctos peccatum gravius esse quam contra Deum. Nam licet in illa duplicem malitiam habeas, tum contra Sanctos tum contra Deum, malitia tamen contra Deum non ita directe committitur. Immo sunt multi theologi, qui mortalem malitiam unam solam agnoscunt in contumelia erga Sanctos, quae scil. eos propter ipsorum relationem cum Deo afficiat et proin in Deum redundet, ita ut in confessione blasphemias in Deum et in Sanctos distingui debere negent. Cui externae probabilitati, quominus quilibet assentiatur, non prohibeo. Vide *S. Alph.* III, n. 132.

510 III. Neque ad blasphemiae malitiam requiritur, ut Dei inhonationem directe aliquis intendat seu velit; sufficit, ut sciens et volens locutionem vel actionem Dei contumeliosam ponat, etsi ad hoc ira contra hominem aliove motivo moveatur.

1. Blasphemiae igitur reatus *specificè idem, gradu tamen diversus est*, si quis verba blasphema profert aut ut Deum contemnat, aut non *ut* Deum contemnat, sed ex ira, aliosve terrendi causa: nisi quod in ultimo casu ignorantia fortasse non raro excuset.

2. Etiam ad iocandum, sine propria intentione contemptus, blasphema loqui a peccato gravi tum immune non est, quando vera inhonoratio seu contumelia contra Deum apud audientes existit: quod fit, si quis de Deo divinisque rebus contemptim iocatur.

Verum si iocose quaedam dicuntur, quae *serio dicta* essent blasphema, blasphemia non sunt, quando apud audientes contumelia erga Deum cum tali locutione coniuncta non est: vide *Tamb.* l. 2, § 4, n. 5; *Suar.*, De relig. tr. 3, l. 1, c. 6; fere idem *Sanch.*, *Regin.* etc. Et revera in illis adiunctis potius quam contumelia seu convicium contra Deum irreverentia quaedam committitur, quae sine dubio parvitatem materiae admittit.

3. Sicut mera quaedam irreverentia erga divina, ut a blasphemia distincta, materiae parvitatem admittit, ita etiam dicendum putant theologi de laesione *duliae* erga Sanctos per quandam levem *iniuriam* contra eos, non *ut* sunt Sancti in coelis consummati, sed ut erant homines in terra. Ita *Reuter* II, n. 442, 7 docet: si ioco vel levitate verba de se non graviter iniuriosa, quae levem contemptum denotant, dicuntur contra Sanctos, ut erant homines in terris, veniale peccatum est; si ex vero contemptu, ex ira aut odio, est grave peccatum. Vide etiam *Sanch.*, In decal. l. 2, c. 32, n. 42; *Reginald.*, Forum poenit. l. 18, n. 198; *Elbel* III, n. 6.

511 IV. In diiudicandis verbis blasphematoriis, seclusa mente blasphema, ratio habenda est significationis verborum secundum communem hominum acceptionem, ita ut, quae secundum etymologiam et grammaticam blasphema essent, non semper re ipsa pro blasphematoriis haberi debeant, sed etiam e converso aliquando pro blasphematoriis ea habenda sint, quae ex etymologia contumeliam non continent. Igitur



attendi debet: 1. ad animum verba proferentis, 2. ad nativum sensum verborum, 3. ad communem hominum audientium acceptationem.

1. Blasphemia igitur est verba sacra ex ira seu indignatione *in Deum* proferre, quia animus blasphemus habetur. — Item blasphemia est verbis sacris alia per modum contumeliae seu contemptus addere.

Verum si hoc non fit, sacra nomina in ira contra hominem resve inanimatas proferre blasphemia non est, estque peccatum veniale irreverentiae, etsi ex gravioribus. Eo gravius quidem peccatur, quia res non fit sine aliquo periculo irae et indignationis in Deum Sanctosque transferendae, proindeque in mortale peccatum prolabendi. Cf. *Reuter* II, n. 442, 4, qui etiam — idque omnino recte — ut statuatur mortale peccatum, videtur aut iram contra Deum aut Dei vilipensionem requirere; ita etiam *Elbel* III, n. 16 cum aliis multis.

2. Si quis igitur ex ira in creaturas sacra nomina accumulatur, accidere<sup>512</sup> potest, ut reus evadat blasphemiae aut 1) propter contemptum in res sacras, quem fovet, 2) aut propter malum, quod per res sacras alteri imprecari intendit, ita ut haec verba *mente imprecatoria* proferat, 3) aut propter subiectivam persuasionem qua putat haec verba in se esse blasphema.

Quare practice omnino inducendus est ille, qui hisce exclamationibus assuetus est, ut ad deponendam hanc pravam consuetudinem adlaboret: attamen ex altera parte etiam cavendum est, ne facilius ea verba ex se blasphema esse doceatur, immo caute edocendus est, ne gravius peccet erronea conscientia, neve liberiore conscientia nihilominus periculo graviter peccandi sese exponat. Vide *Lacr.* I. 3, p. 1, n. 247, 7, ex *Busenb.* et *Laym.*, *Elhel* I. c. n. 16.

3. Verum id semper miratus sum, plures scriptores alias non rigidos pro blasphemia haereticali traducere locutionem germanicam «tausend Sacrament» (mille sacramenta) et similia, vide *Voit* I, n. 516: nam revera neminem umquam, qui illis verbis in ira utitur, puto cogitasse aut intendisse asserere millenarium numerum sacramentorum specie distinctorum. Si autem obiectivum verborum sensum inquiris, non video, cur necessario debeas recurrere ad sacramenta specie distincta, ut tandem sensum haeticum contra omnium proferentium atque audientium mentes expisceris. — Rectius *Burg-haber*, Centur. I, cas. 44 cum *Gobat* tract. 7, n. 319 negat, ullam *blasphemiam* his verbis contineri, si in ira quidem, sed sine contemptu seu vilipensione Dei sacramentorumve proferuntur: non raro tamen proferentes verba illa pro gravi vilipensione habere, eosque sic vere dehonorationem culpamque mortalem committere posse.

Simile quid dicendum videtur de formula apud Gallos et Belgos<sup>513</sup> usitata «Sacré nom de Dieu»: quam aliqui ut blasphemam traducunt, eo quod *sacré* non iam sensum «sacrandi» sed «exsecrandi» seu «diris devovendi» habeat. Certe qui hoc sensu verbis istis uteretur, blasphemam imprecationem contra Deum committeret. Verum hic sensus ex sese verbis non inest necessario; ergo ut proferens illa verba blasphemiam committat, pessimum istum sensum positiva voluntate in verba inferre debet. Quod sane aberit a quam plurimis eorum, qui verbis istis, etiam animo excitato et irato, utuntur. Cf. *Brahm* C. SS. R. in opusculo de ista locutione; *Ballerini-Palm.* II, n. 525; *Bucceroni* I, n. 546.

Sunt etiam, qui formulam illam «Deus damnet te» vel «diabolus te auferat» vel «Deus damnet me», «diabolus me auferat, nisi verum dicam» blasphemiam esse velint. At verba pleno suo sensu diram imprecationem continent, vel posterior locutio potest iuramentum execratorium esse, non blasphemiam. Quatenus dira imprecatio est, si deliberate et ex animo fit, certe est grave peccatum; non ita, si, ut generatim obtinet, animus imprecandi supremum malum plane deest. Si vero adhibetur illa formula ut iuramentum execratorium, grave peccatum periurii habes, si quis sub tali iuramento sciens et advertens falsa profert: alias non est, at generatim continet venialem culpam ex defectu iudicii in iuramento, de quo vide infra n. 557. Cf. Casus consc. I, n. 236.

514 4. Ratio scandali aliquando efficere potest, ut graviter peccetur ab eo, qui verbis in se non blasphemis utitur, quae tamen communi aestimatione cum horrore et detestatione audiuntur: in qua conditione esset 1) sacerdos qui eiusmodi verbis uteretur coram aliis; nam tali peccato non minus quam aliis peccatis ex se venialibus quidem, sed quibus homines in aliorum aestimatione vilescunt (cogita ebrietatem non plenam), causa esset, cur status clericalis contemptui, oblocutionibus exponeretur, aliique homines peccata minus aestimarent. 2) Aliquando parentes, qui coram filiis quaelibet verba, etiam non certo blasphemia, effutire consueverunt, illis scandalo esse possunt: quod tamen non facile iudicari debet grave seu mortale esse. Quare si talis consuetudo deprehenditur, pater eo magis exstimulandus est, minime tamen exaggeratione non vera, ut eam consuetudinem exstirpet. Patet, in hisce adiunctis peccatum ex se non esse blasphemiae, sed scandali contra caritatem vel pietatem.

515 V. A blasphemiae peccato excusat 1. corruptio verborum aliter blasphemorum; 2. defectus advertentiae.

1. Quod ad *corruptionem verborum* attinet, haec iis qui ab omni exclamatione terrifica difficilius abstinent, aliquando consuli potest ad evadendum peccatum, modo tamen ita corrumpant, ut etiam ab audientibus haec corruptio percipiatur neve ullus amplius subsit sensus blasphemus. Melius etiam erit eos inducere, ut alia verba non sacra tum emphasi proferant, eo quod haec ad terrorem v. g. animalibus incutiendum aequae apta sunt.

516 2. Circa *defectum advertentiae* nota sequentia:

a) Qui sine sufficiente advertentia verba blasphemia profert, utique tunc graviter non peccat; quod tamen in consuetudinariis, qui serio non adlaborant ad sese emendandos, saepe difficile erit discernere: quare tunc, audito numero blasphemiarum, Deo iudicium relinquere confessarius debet.

b) Ceterum qui consuetudine verba obiective blasphemia proferendi utitur, etsi singulis vicibus non plene advertat: *sub gravi* tenetur, serium studium adhibere, ut vitium emendet. Quod si non facit, blasphemiarum reus est in causa, et hac negligentia gravi graviter peccat, quamquam singulis vicibus non graviter peccat: si vero facit, animo erigendus est et docendus, si sibi ex inveterata consuetudine sine plena advertentia verba blasphemia ex ore excidant, non esse peccatum mortale.

c) Studium autem, quod adhibere tenetur, est *concupere seriam voluntatem* eamque retinere, seu aliquoties renovare, non amplius verba blasphemia proferendi. Quo melius et efficacius hanc voluntatem gerat et ad effectum

deducatur, instruendus est, ut de prolato utcumque aliquo verbo in se blasphemum statim doleat sibi poenitentiam, etsi levissimam, imponat, v. g. ex animo dicendo «Gloria Patri etc.», atque vespere cotidie de defectibus atque emendatione speciatim se examinet.

Quae media pro *quolibet* vitio extirpando sunt efficacissima. Nihilominus qui non omnem hanc curam adhibet, non eo ipso gravis negligentiae reus dici potest: proposui potius magnae diligentiae methodum.

## Punctum II.

### De tentatione Dei.

1. *Tentatio Dei*, ut definitione *S. Thom.* utar 2, 2, q. 97, a. 1, est <sup>517</sup> dictum vel factum, quo quis aliquam Dei perfectionem explorat (vid., num Deus ea praeditus sit), ac propterea alicuius divinae perfectionis manifestationem exigit: seu dictum vel factum, quo quis experimentum de Deo sumit.

2. Distinguitur tentatio Dei formalis sive expressa, et interpretativa. Formalis, quando vere homo Dei perfectionem *explorare vult*; interpretativa, quando homo alicuius divini attributi *manifestationem temere postulat* ex alia prorsus intentione.

Cur autem haec temeraria vel praesumptuosa divini attributi manifestandi vel auxilii divini praestandi petitio *interpretativa* tentatio Dei vocetur, explicat *S. Thom.* l. c. ita tandem, ut advertere debeas, illud «interpretativum» potius *objective* sumi quam *subjective* seu de aliqua latente hominis voluntate; hanc enim voluntatem proprie tentandi Deum seu «experimentum sumendi de Deo» generatim vix geri puto.

«Sicut cum quis equum currere facit, ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo sumere; sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nil aliud esse videtur quam experimentum sumere de equi velocitate. Et idem est de omnibus aliis rebus. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare. . . . Quando vero hoc agitur absque utilitate et necessitate, *hoc est interpretative Deum tentare.*»

3. Alii autem paulo aliter distinguunt: scil. explorare aut *divinam* <sup>518</sup> *perfectionem*, aut temere explorare *divinum beneplacitum* (i. e. modo a Deo non volito, miraculo etc., cum aliis modis explorari possit et debeat) dicunt tentationem Dei: ita ut, si *alterutrum intendatur*, sit tentatio *expressa* et *formalis*; si interpretative hoc *in agendi modo lateat*, *interpretativa*. Quare illis scriptoribus quaedam sunt formalis tentatio, quae aliis interpretativa essent; dein formalem distinguunt in 1) tentationem Dei formalem, quae ex dubitatione perfectionis vel fidei divinae procedat (haec aliis scriptoribus sola est formalis), et 2) tentationem formalem simplicem, qua quis petat temere, ut sibi per miraculum aut succurratur, aut divina voluntas nota fiat. Vide *Mazzotta* tract. 2, q. 1, c. 3; *Bucceroni* I, n. 488 sqq.

I. Tentatio *formalis*, quae ex dubio de divina perfectione aut de fide christiana sufficienter proposita procedit, est semper grave peccatum.

Circa quam nota: 1. Illa tentatio formalis 1) *supponit* gravissimum peccatum contra fidem, haeresim vel infidelitatem, sed 2) praeter hanc malitiam

gravis malitia contra religionem habetur per *iniuriosum Dei tractandi modum*: quae malitia Dei tentatio est.

2. Eiusmodi tentationem committit, qui velit experiri, num Deus sit iustus, misericors etc., atque ita Deum ad illa attributa manifestanda provocat. — Etiam ille hanc tentationem committit, qui ad probandam fidem catholicam absolute petit miraculum, ac si nondum satis probata sit. Sed non committit, qui miraculum petit, *si Deo ita placeat*, ad fidem catholicam aliis, quibus nondum probata est, plenius probandam.

519 II. Tentatio illa *formalis, quae sine dubitatione circa fidem* temere explorat divinum beneplacitum, ex curiositate aut ex alia temeritate postulando miraculum, est etiam peccatum mortale, quia Deus tractatur, quasi ludius sit.

Quare simpliciter dici potest: 1. Miraculosum auxilium a Deo petere *absolute*, sine speciali Dei instinctu, vix tentationis reatum effugit; at *existente gravi causa*, id *conditionate* petere non est Dei tentatio. Vide *Lacroix* l. 3, p. I, n. 46.

2. Si autem gravis causa non existit, etiam conditionata petitio per se gravem reatum non aufert, quia nihil est nisi Deum complicem levitatis et temeritatis facere.

3. Attamen si quando legimus, homines etiam pios aliter egisse, id aut speciali Dei instinctui, aut *simplicitati* piorum hominum adscribi debet, qui non semper ad apices theologiae actus suos componunt. Cf. *Castrop.* tract. 17. disp. 2, p. 1, n. 9—12; *Suarez* tract. 3, l. i, c. 2, n. 16 sqq<sup>1</sup>.

520 III. Tentatio autem Dei *pleno sensu interpretativa* admittit parvitatem materiae, qua existente peccatum est veniale tantum.

<sup>1</sup> Sic etiam factum est, ut multi ex ipsis episcopis, alioqui viri sancti et prudentes, in extraordinario Dei interventu expectando et petendo excederent. Notum est enim, prioribus temporibus synodos particulares non paucas usum *ordalium* quae vocant comprobasse. Erat iste mos adeo inveteratus et hominum mentibus adeo insidebat, ut viri illi non tam ad extirpandum, quam ab ethnicis superstitionibus eum purgandum animos converterent. Et cum viva quidem fide in Deum omnium humanarum rerum curam habentem imbuti essent, sed etiam sive ex praeiudicio suorum temporum sive ex simplici quodam ingenio leges ordinatae providentiae divinae non penitus expendere: sane fieri potuit, ut usum istum cautelis quibusdam circumdatum ut licium retinerent, maxime quoniam Testamenti V. exemplum exstabat (Nm 5, 12 sqq), in quo Deus ipse miraculosam probationem et poenam mulieris adulterae constanti lege promiserat. In atroci igitur causa criminali, si aliter veritas patere non posset, arbitrabantur, rationem satis gravem haberi, cur Deus adiretur, ut reum per probationem ignis sive aquae sive per similia experimenta aut singulari vel miraculosa protectione innocentem ostenderet, aut e contrario noxium declararet. — Verum haec supremum Ecclesiae caput non probavit, ut non summa vi et severitate istum inveteratum usum statim compressit aut comprimere potuit. Ex supremi autem capitis, i. e. Pontificis Romani, actis et universalibus legibus habes potissimum sensum Ecclesiae: porro Romani Pontifices ista ordalia constanter reiecerunt. Huius rei testem habes epistolam *Stephani V* et *S. Nicolai I* (Decr. Grat. caus. 2, q. 5, c. 20 et 21), ubi eiusmodi ordalia, ut inepta inquisitio iuridica, ut *superstitio* atque *Dei tentatio* reprobantur. Cf. *Hergenröther-Kirsch*, *Handbuch der allgem. Kirchengeschichte* 4 II 187 et *Kirchenlex.* V 925.) Unde patet, quam verum sit, quod *Döllinger* in festiva oratione 29 Iulii 1882 dicere est ausus, Romanam Sedem istum usum plene confirmasse, atque Romanos Pontifices saeculo XII et XIII tandem displicentiam suam ostendisse!



Videlicet: 1. Illa plene interpretativa Dei tentatio occurrit in praesumptionibus quibusdam, quibus homines excedunt in exspectando speciali Dei auxilio sive in evitando periculo, restituenda sanitate, perficiendo opere etc. Quodsi non fit miraculum formaliter petendo, sed solummodo exspectando specialem Dei protectionem pro eius beneplacito (quamquam nonnihil temere seu non plane secundum communem Dei providentiam), *veniale peccatum* est, nisi quis *gravis damni* periculo se aliosve exponat: sic concludo ex doctrina *S. Alph.* l. c. n. 30 circa finem.

2. Si vero gravis damni periculum cum tali praesumptione suscipitur, etiam aliud peccatum grave sive contra quintum praeceptum, sive aliud, committitur pro subiecta materia. Si autem grave periculum non est, fieri prorsus potest, ut aliquis in infirmitate etc. Deo se committens, exclusis naturalibus mediis, meritorie ex mortificationis studio agat. *S. Alph.* III 32.

Scholion. Num malitia tentationis Dei formalis et interpretativae eiusdem infimae speciei sit, scriptores non conveniunt. Censeo esse malitias specie distinctas. Sed etsi sumas eas convenire in specifica malitia, si modo interpretativa sit vere mortalis, eo quod malitia consistat in iniurioso modo cum Deo agendi: id tamen probe tenendum est, debere semper in confessione formalem et interpretativam tentationem distingui *propter diversa peccata adiuncta*. Cf. *S. Alph.* l. c.; *Suares*, De relig. l. c. cap. 3, n. 6. Demum adverte, in praesumptionibus illis, ut adsit tentatio Dei utcumque, debere adesse expectationem divini auxilii; alias peccatum totum consistit in *periculo* temere suscepto contra quintum aliudve praeceptum.

### Punctum III.

#### De sacrilegio.

Sacrilegium aliquando vocatur quodlibet peccatum contra religionem (vide *Mazzotta* tract. 2, q. 2, c. 3; *S. Alph.* III 34—48), ut *S. Aug.* sacrificia idolis oblata sacrilegia vocat. Verum haec est lata et impropria vocis acceptio. Igitur

I. Sacrilegium ut peccatum speciale contra religionem est *violatio* <sup>521</sup> *rei sacrae*, *rem* sumendo late etiam pro personis seu pro *quolibet* quod *sacrum* est. Peccatum quidem secundum genus suum certe est ex valde gravibus; nihilominus aliqua sacrilegia materiae parvitatem admittunt. Res sacra autem est, quodcumque aut lege divina aut ecclesiastica ad divinum cultum destinatum est.

Non enim quilibet pro suo libitu res, quas mavult, e numero profanarum rerum eximere iisque characterem sanctitatis imprimere potest; sed auctoritas seu publica potestas ad hoc requiritur.

Ex quo sequitur: Si vovi certam aliquam rem Deo ecclesiaeve dare, res nondum facta est sacra; adeoque eius violatio veri *sacrilegii* species dici nequit.

II. Distinguitur sacrilegium *reale* (*rem* sumendo pressius), *locale*, *personale*. Quae distinctio infert malitias sacrilegiorum specie distinctas; at ea habes etiam probabiliter *infimam speciem* sacrilegae actionis, quatenus *sacrilegium* est, dummodo tamen quasdam actiones *realis*

sacrilegii eximas. Cf. *S. Alph.* III 34. Hoc autem non impedit, quominus plerumque actio ipsa, per quam sacrilegium commissum fuerit in concreto, accusari debeat in confessione, quia actio plerumque aliunde iam suam malitiam habet.

Haec doctrina, quae docet, distinctionem sacrilegii realis, localis, personalis fere infimas species malitiarum, quatenus sacrilegia sunt, continere, aliquando usui esse potest: si nimirum in longa et implicata confessione peccaminosi actus secundum alias specificas malitias satis iam declarati sunt, sed oblivione sive alia ex causa sacrilegii circumstantia non est explicata.

522 III. *Reale sacrilegium* versatur contra diversas res sacras, quales sunt: sacramenta et sacramentalia, imagines et reliquiae Sanctorum, Sacra Scriptura aliive libri sacri, caerimoniae ad cultum Dei destinatae, vasa et vestimenta sacra, bona ecclesiastica.

Sacrilegium reale multis modis committitur, iisque, ut iam inui, etiam specie diversis (of. *Baller. Palm.* II, n. 384). 1. *Violatione sacramentorum.* In qua non videtur eadem sacrilegii species committi, sed malitia specificè alia in sacramentorum *indigna susceptione*, alia in indigna administratione seu *confectione*, item alia in *sanctissimae Eucharistiae iniuriosa tractatione*. Immo licet generatim pro cognoscenda specifica malitia peccati necessarium non sit declarari, quale sacramentum indigne sive susceptum sive confectum est: videtur tamen — ut *Suarez* l. c. l. 3, c. 5 docet — in sacrilegio erga Ven. Sacramentum distincta species eaque gravior haberi; saltem in iniuriosa tractatione peccatum *blasphemiae* accedit.

2. *Contumeliosa rerum sacrarum tractatio.* In rebus sacris generatim *contumeliose* tractandis non merum sacrilegium, sed etiam *blasphemia* committitur, cum contemptus aut in ipsum Deum redundet, aut prius contra Deum habeatur et dein transferatur ad res divinas; cogita, si quis res sacras in latrinam vel sordes abiciat, si exemplo Balthassar regis (*Dan* 5, 2) aliquis vasis sacris abutitur ad potitandum in convivio, si quis verba Sacrae Scripturae ad res turpes et lascivas adhibet etc.

3. *Alia peccaminosa tractatio.* Sacrilegium, non blasphemiam, habes in violatione, quae non per contumeliam vel contemptum Dei fit, sume: furtum, negligentiam (etiam gravem) in rerum sacrarum custodia, incuriam in iis decenter nitidis servandis etc.

523 4. *Bonorum ecclesiasticorum violatio.* Peccata ut circa *bona ecclesiastica* committantur et *sacrilegia* constituent, oportet bona illa iam transierint in dominium Ecclesiae aut instituti ecclesiastici, sive est particularis ecclesia, sive hospitium, sive monasterium etc.

Quare *legatum* ecclesiae relictum nondum res est sacra, cuius furtum, violatio, iniusta detentio sit sacrilegium veri nominis: attamen religionis virtus, etsi inferiore gradu, violatur. Aliud autem dici debet de *hereditate* ecclesiae iam *delata*: delatione enim facta, vel testamento confecto et testatore mortuo, bona vi hereditatis ad ecclesiam spectantia eo ipso evaserunt ecclesiastica.

Sicut de legato, similiter loquendum est de decimis; quarum violatio vel defraudatio, etsi sacrilegium proprie non sit, tamen peccatum contra religionem sine dubio est. Vide *S. Alph.* n. 42.

524 5. *Abusus verborum Sacrae Scripturae.* Quo sacrilegium committitur, idque certe valde grave, si ad malum finem verba sancta adhibentur: cui

ut dixi adiungi facile poterit blasphemia, si videlicet contemptus Dei accedat, aut si ille abusus veritati verborum deroget. Cf. *Mazzotta* tract. 2, disp. 1, q. 2, c. 3. Verum si quis utitur sacris verbis ad facetias quidem, sed per se honestas, modo fiat «sine contemptu et nimia frequentia, quae in contemptum vergat», est abusus *venialis*: ib. et *Lacr.* l. 3, p. 1, n. 251 etc. Immo non quaelibet *facetiae*, quae in et cum usu Sacrae Scripturae committuntur, peccata sunt; *quando* enim reverentia debita non laeditur, quamquam raro omnis irreverentia *venialis* abest. Cf. *Conc. Trid.* sess. 4 de ed. et usu ss. libr. *in fine*.

6. *Vasorum et vestimentorum sacrorum usus profanus.* Sacras illas res, quamdiu consecrationem et benedictionem retinent, ad usus profanos adhibere sacrilegium certe est. Immo *videtur* idem dicendum esse de illis rebus exsecratis, nisi vasa fusione metalli ad communem materiam redacta fuerint (*S. Alph.* n. 41): certo tamen id non constat (*Gobat* tract. 3, n. 373 cum *Tamb.* et *Castrop.*). Similiter recte habetur pro sacrilegio a *Gobat* l. c. n. 377, *Lacr.* l. 6, p. 1, n. 228; *Mazz.* etc., libros sacros vel sacras imagines in usus sordidos adhibere.

7. *Circumstantia temporis* etiam aliquando gravem reatum contra religionem inducere potest, qui ad sacrilegium pertinet, attamen debet actio extraordinariam repugnantiam cum sacro tempore habere, ut: die Parasceves instituire scenas ludicras, choreas; immediate post susceptam Sanctam Eucharistiam peccare, et similia.

IV. *Locale sacrilegium* committitur: 1. per furtum rei ab ecclesia, <sup>525</sup> cuius custodiae tradita erat; 2. per violationem immunitatis ecclesiae; 3. per quemlibet actum peccaminosum, qui per se est sufficiens causa pollutionis ecclesiae; 4. per actiones profanas, sive in se peccaminosae sunt sive non, quas exerceri sanctitatem loci specialiter dedecet. De singulis pauca:

1. Furtum *rei sacrae* sacrilegium reale est; furtum vero *e loco sacro* locale sacrilegium est. — Verum sacrilegium locale eo ipso committi, quia *in loco sacro* fit, non constat inter scriptores. *Aliqua* quidem sacrilegii malitia *cuiuslibet* peccato in loco sacro commisso accedit, at non semper mortalis malitia, etsi actio aliunde in se mortaliter peccaminosa est; sacrilegii malitia mortalis est solummodo, quando in actione illa habetur specialis irreverentia contra loci sanctitatem.

Sacrilegii igitur localis malitia mortalis in furto tum habetur, quando res ecclesiae in custodiam traditae ex ecclesia auferuntur (intellige rem, quae sit materia gravis in furto).

Quare 1) si res sacra aut ad ecclesiae dominium pertinens ex ecclesia furto auferatur, *duplex sacrilegium mortale* habetur, reale et locale (cui accedit alia circumstantia sacrilegii localis non mortalis, quod *in ecclesia* peccetur). Vide *Gury-Ball.* I, n. 286 et *Lugo*, De poen. disp. 16, n. 466 sqq.

2) Si res, quae casu aut per accidens in ecclesia habetur, furto sumitur, sacrilegium, quod ad furtum accedit, grave non est.

2. Relate ad immunitatem ecclesiae et ius asyli attendi debet ius vigens. <sup>526</sup> Fieri enim potest, ut aut concessione R. Pontificis aut consuetudine tolerata huic iuri multum derogatum alicubi sit, aut saltem ut, si minus ei derogatum vere est, ii tamen, qui laedunt, subjective non peccent. — Certe tamen violatur ecclesia per *effractionem*.

3. Pollutio ecclesiae quibus peccatis fiat, vide infra vol. II de *Eucharistia*, de loco celebrationis. Haec igitur peccata habent sacrilegii malitiam, etiamsi re ipsa

pollutionem ecclesiae non induxerunt ex eo quod manserint occulta. Sed insuper, cum non quilibet actus luxuriae pollutionis ecclesiae causa sufficiens sit, mira est dissensio inter theologos, quinam luxuriae actus in ecclesia commissi reatum gravis sacrilegii localis constituent. Practice tenendum est, id fieri quolibet peccato luxuriae, quod *manifeste* externam malitiam gravem habet, internis autem peccatis non committi, nisi obiectum illius sit sacrilegium. (Cf. *Gury-Ball.* I, n. 286, q. 2 cum nota). Ratio est, non quod locus sacer polluatur, sed quod actio in se sit graviter contra reverentiam loci sacri (de quo vide statim infra sub 4). — Copulam coniugalem in loco sacro exercere sine necessitate *sacrilegium* est: at si fit a coniugibus in ecclesia inclusis a) instante periculo incontinentiae, b) quando inclusio per plures hebdomades (vel mensem integrum) duratura praevideatur, sacrilegium non est neque illicitum. *S. Alph.* III, n. 458; *Lugo*, De poen. disp. 16, n. 461 sqq; *Ballerini-Palm.* II, n. 412.

527 4. Pro sacrilegio locali habe, in ecclesia etc. fieri stabulationes equorum, humanas spurcitas, mercaturam, iudicia profana, convivia, choreas etc. — Privativim aliquid comedere, etiam sine necessitate, peccatum veniale non excedit, immo *Lacr.* I. 6, p. 2, n. 266 pro veniali tantum habet, singulari aliqua vice in ecclesia prandium instituere, etsi vera necessitas non sit; iudicia saecularia vel comitia, si alius locus aptus deest, aliquando permitti possunt. Vide *S. Alph.* n. 37. Cf. *Suarez* tract. 2, l. 3, c. 6 et 7.

5. Locus autem sacer non solum ecclesia est, sed quodlibet sacellum publicum divino cultui auctoritative destinatum, etiam nondum consecratum vel benedictum: *D'Annibale* III, 15 cum not. 13 et 25. Immo etiam coemeteria ecclesiastica pro locis sacris habentur, ita ut saltem immunitate et securitate speciali gaudere debeant atque etiam pollutioni obnoxia existant. De actionibus autem, quae sub 4 notantur, aliquantum mitius iudicandum est, si fiunt in coemeterio.

528 V. *Personale sacrilegium* fit 1. luxuriosa tractatione personae sacrae; 2. percussione sacrae personae ex canone «si quis suadente diabolo»; 3. immunitatem personalem clericorum violando.

Nimirum: 1. *Luxuria*, qua committitur sacrilegium, ea est quae fit aut a persona sacra aut cum persona sacra; committitur autem etiam luxuria mere interna, ut est communis et certa doctrina. Verum ut sit sacrilegium proprie dictum, persona quae peccat, aut quacum peccatur, debet Deo *consecrata* esse publica auctoritate, i. e. aut ordinibus sacris, aut admissione ad statum religiosum.

Quare violatione voti castitatis privati *sacrilegium* presse sumptum non committitur, attamen peccatum contra religionem, i. e. fidei Deo fractae: de quo postea *de voto* § 3.

Si qui autem probatur sententia complurium, qui putant, violato quolibet voto etiam privato committi *sacrilegium*, ut putat *S. Alph.* n. 47 (ex textu autem *S. Thom.* 2, 2, q. 99, a. 4 nihil sequitur), in confessione distinctionem non faciet, sive peccatum luxuriae a religioso vel sacerdote, sive ab eo, qui utcumque voto ligatur, commissum fuerit.

2. *Percussio* vel *personalis iniuria*, quae constituat sacrilegium, fieri debet contra personam sacram: quo nomine certe non designantur personae privato voto castitatis obstrictae, comprehenduntur autem latissimo sensu clerici et religiosi, etsi votum castitatis nondum habent, ut clerici ordinum minorum



et novitii status religiosi, scil. omnes, qui «privilegio canonis» fruuntur; vide vol. II *de censuris*, in Const. *Apost. Sedis* ser. 2, § 2.

3. Sacrilegium ex *laesione immunitatis* personalis seu ex laesione exemptionis clericorum committitur tum iniusta tributorum exactione, tum iudiciali actione in foro laicali: verum videndum est, quid in singulis locis liceat expressa aut tacita concessione R. Pontificis, quidve ignorantia excuset.

#### Punctum IV.

##### *De simonia.*

Simonia est singularis species sacrilegii, a Simone mago (Act 8, 18)<sup>529</sup> dicta, qui oblata pecunia spirituales gratias seu dona supernaturalia sibi comparare conatus est: cuius malitia consistit in aequiparatione rei spiritualis cum temporali, proin in gravi iniuria, quae rei spirituali et supernaturali infertur, eiusve periculo. Addidi «eiusve periculo», quia Ecclesia quasdam pactiones in reverentiam rei sacrae et ad removendum periculum labis simoniacae prohibere potest et revera prohibuit, ita ut harum legum violatio simoniae ecclesiasticae reatum constituat.

Igitur: Simonia *iuris divini seu naturalis* committitur omni actione, quae ex natura sua continet aequiparationem rei spiritualis cum temporali.

Simonia *iuris ecclesiastici* habetur in laesione legis cuiuslibet, quam Ecclesia ad arcendum spiritum simoniacum sanxit.

Quamquam simonia iuris divini et iuris ecclesiastici probabiliter eiusdem speciei sunt, tamen simonia iuris ecclesiastici parvitatem materiae admittit et consuetudine abrogari aliquando potest; neutrum vero de simonia iuris divini valet.

De simonia dilucide agit *Reuter* II, n. 452—498, cuius expositionem fere hic brevius contraxi. Dein cf. *S. Alph.* III 49—120; *S. Thom.* 2, 2, q. 100; *Suarez* tract. 3, l. 4 atque scriptores tum theol. mor. tum iuris can. passim; ex recentioribus *Craisson* n. 6138—6200; *Phillips-Vering* § 193; *Baller.-Palmieri* II, n. 430—508.

I. De notione et divisione simoniae. Simonia definitur studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum pro pretio temporali. Sufficit autem, ut per temporale pretium sive immediate sive mediate via paretur ad habendam rem spiritualem. — Distinguitur simonia mentalis, conventionalis, realis, (confidentialis).

1. *Studiosa voluntas* dicitur; tum ut indicetur, sufficere pactum *incohatum* ad reatum simoniae contrahendum, tum ut innuatur, simoniam saepe ab animo seu intentione pendere, qua aliqua actio exhibetur: quae pro diversa intentione aut simoniaca est, aut non est.

2. Simonia *mentalis* est, qua alteri exhibetur aliquod temporale *ea intentione*, ut obligetur ad dandum spirituale, aut vice versa: ita tamen, ut haec prava intentio exterius non prodatur neque alter ullo modo ostendat, se etiam consentire.

*Conventionalis* dicitur ipsa pactio utriusque partis commutandi rem spiritualem (intellige semper etiam rem spirituali annexam) cum temporali.

*Realis simonia dicitur pacti simoniaci ex utraque parte impletio saltem incohata, ut, si res spiritualis collata est, et pretium temporale ex parte saltem solutum: si alterutra pars tantum implere coepit, mixta dicitur.*

De *confidentiali* simonia vide mox infra n. 545 not.

3. Simonia non solum est, si pactum versatur inmediate de re spirituali *conferenda*, sed etiam si per pretium inmediate ad eam via sternitur: v. g. — suppono nunc, ecclesiastica beneficia esse rem spiritualement — quando re temporali oblata aliquis obligatur ad intercedendum, ut alteri beneficium conferatur, aut ad desistendum a competitione etc.: non autem simonia est, si solummodo iniusta vexatio redimitur. Verum cum non semper hac in re modus agendi ita clarus sit, vide mox infra singulares casus notatos.

531 II. De pretio temporali in simonia occurrente. Pretium temporale quod, quominus detur, prohibitum est, est quodlibet pretio temporali aestimabile. Distinguitur: 1. munus a manu, 2. munus a lingua, 3. munus ab obsequio.

1. *Munus a manu* dicitur pecunia omnisque alia res, quae in humanum commercium venit atque pecunia comparabilis est.

2. *Munus a lingua* est intercessio, patrocinium, laus et commendatio.

Hic nota, intercessionem apud tertium esse ex se rem sive pretium temporale, sed eandem posse etiam quodammodo pro re spirituali esse, videl. si collationi, nominationi, praesentationi aequivalet, adeoque via est, qua res spiritualis procuretur: hanc viam pretio temporali emere etiam est prohibitum; quare rem mediate spiritualement eam vocari liceat<sup>1</sup>.

3. *Munus ab obsequio* est famulatus, negotiorum gestio, humilis subiectio, similia.

532 III. De re spirituali et ipsa pactione simoniaca. Res, quae cum pretio temporali commutari sub reatu simoniae vetatur, aut est:

1) Res *intrinsicus spiritualis* et supernaturalis sive a) *formaliter*, ut gratia sanctificans, gratiae gratis datae, sive b) *causative*, ut: sacramenta, iurisdictio, consecrationes et benedictiones, sacramentalia etc., sive c) *effective* vel *participative*, ut functiones sacrae.

2) *Res ex se quidem* temporalis sed rei *spirituali annexa*:

Potest spirituali annexa esse a) *consequenter*: ita annexum est rei spirituali, quod eam tamquam causam et fundamentum supponit, e. g. ius temporale seu beneficium cum officio spirituali conexum;

b) *concomitanter intrinsicus* annexa sunt, quae intrinseca necessitate coniuncta sunt spiritualibus, seu sine quibus haec fieri nequeunt: huiusmodi sunt e. g. labor, tempus ad functionem sacram seu administrandum sacramentum requisita.

(Omnia hucusque enumerata sunt eiusmodi, ut eorum cum re temporali commutatio sit simonia iuris naturalis. Quae sequuntur, solam possunt simoniam iuris ecclesiastici respicere.)

<sup>1</sup> Rogare autem vel *inducere* aliquem, ut pro me sive pro altero apud collatorem, electores intercedat, quo obtineatur ecclesiasticum beneficium, simonia nondum est.

c) *concomitanter extrinsecus* solum rei spirituali annexa sunt, quae non per se, sed per accidens cum ea coniunguntur, e. g. labor extraordinarius, iter longinquius per accidens requisitum;

d) *antedeenter annexa* dicuntur ea temporalia, quae praeexistunt et quibus spirituale tamquam accessorium accedit: huiusmodi sunt e. g. templum, calix, vestis etc., quibus accedit benedictio et destinatio ad sacra.

3) Denique ipsa commutatio rei spiritualis cum spirituali (propter temporalia annexa) potest simoniae periculum continere et proin lege ecclesiastica sub reatu simoniae prohiberi.

**Explicatio.** 1. Ad illustrandam simoniam affero exempla quaedam simoniae iuris ecclesiastici: 1) permutare ecclesiasticum beneficium cum alio ecclesiastico beneficio sine legitima auctoritate; 2) officia ecclesiastica laicalia ut officium oeconomi, aeditui etc. emere vel vendere sine legitima potestate; 3) res sacras, benedictas, indulgentiis ditatas vendere pretio materiae profanae, quatenus hoc ab Ecclesia interdictum est; 4) probabiliter simonia ecclesiastici iuris, non divini, est pecunia sibi comparare intercessionem apud patronum, episcopum in ordine ad ecclesiasticum beneficium, non ipsam beneficii collationem, praesentationem, electionem: quando scil. intercessori *independenter* ab intercessionis *efficacia* pretium datur; nam si sub hypothese, quod efficaciter persuaserit collatori, merces promittitur, videtur prorsus simonia iuris divini esse. Cf. *Salmantic.* tract. 19, c. 1, n. 49 sqq; *Sanchez*, Consil. 1. 2, c. 3, dub. 26; *Nav.* etc.

2. Simonia, eaque iuris divini, est *pro* pecunia Missam dicere, sacramenta conferre, absolvere a censuris, dispensare in votis, in lege ecclesiastica, verbum Dei praedicare etc. — Attamen stipendia pro Missis accipere, aut secundum legitimam consuetudinem occasione aliarum functionum sacrarum (iura stolae), non est simonia, quia iustus titulus sustentationis adest. (Si enim aliquid *pro pretio* datur, fit aequiparatio rei praestitae cum pretio dato; quae abest, si quid titulo sustentationis tribuitur; tum nimirum res praestita seu labor impensus ansam dat aliquid retribuendi, quod nullatenus pro aequivalenti sumi debet.) Immo etsi aliquis aliunde habet, unde vivat, nihilominus *de altari vivere* potest: tum quia alia in alios fines potest impendere, tum ne aliis odium creetur. — Neque reatus simoniae eo committitur, quod sacerdos praecipue intuitu stipendii celebrat, alias non celebraturus; quamquam mentem aliquantum sordidam redolet neque a veniali peccato excusatur. Vide *Gury-Ball.* I, n. 290.

Attamen quando stipendium iusto maius *exigitur*, aut pro aliis functionibus sacris contra legitimum usum aliquid sumitur, vel *contra ecclesiasticam legem* solummodo admittitur: cum deficiat quivis iustus titulus, simoniae reatum incurri complures docent, negantibus aliis. Vide *Voit* n. 497; *Baller.* in nota ad *Gury* I, n. 292, q. 7. Sane, si legis ecclesiasticae prohibitio aliqua hac in re exstiterit, quo melius omni simoniae occurratur: habere potes in illo illicito agendi modo simoniam extrinsecus investam; sed de ea non constat. Dein ex ipsa quidem rei natura periculum et praesumptionem quandam simoniacae mentis habes; at formaliter ex se *simoniae* malitiam committi, nisi intentio fuerit simoniaca, negare licet. Cf. *Noldin* II, n. 198.

Quo minus Ecclesia bonis externis fruitur, quibus ministros suos convenienter sustentet, eo magis incumbit fidelibus obligatio clericorum neces-

sitatibus providendi. Quod certe plerumque commodius fit occasione exercitii sacrarum functionum. Verum id ipsum speciem quandam odiosae exactio- nis assumere potest: quapropter Ecclesiae praesules semper invigilaverunt, ne ipsa species quidem mali a clericis committeretur. Quare quilibet sui loci leges attendere debet. Quo magis mens Ecclesiae illustretur, dabo leges praecipuas pro America Septentr. hac de re latas; sunt enim hae ex Conc. Plen. Balt. 2, a. 1866, et Plen. Balt. 3, a. 1884:

art. 221. «. . . ne quid pro sacramentorum administratione exigere, petere, aut pacisci quisquam audeat. Ea vero quae pietatis causa *post baptisma* vel *matrimonium* eleemosynae nomine a fidelibus sponte offeruntur, sacerdos, si velit, accipiat.»

art. 397. «Praxis, si qua existat, pecuniam exigendi ad fores ecclesiarum, ut fideles ingredi possint et divinis mysteriis adesse, sibi minime placere declaravit S. Pontifex *Pius PP. IX, et eliminandam prorsus voluit.*» Idem inculcatur in Conc. 3, art. 288 et 289<sup>1</sup>.

art. 289. «Poenitentias pecuniarias sibi ipsis confessarii non applicent, neque a poenitentibus quidquam tamquam ministerii sui praemium petant vel accipiant. Etiam ultro quocumque nomine oblata recusent; nec vel ipsam Missae eleemosynam in hoc tribunali offerri sinant.»

art. 393. «Pauperes, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur.»

Cf. Collect. Lac. III, col. 457 476 505 506.

3. Sicut *pro ipsa* Missa nihil ut pretium sumi licet, ita neque pro labore, qui intrinsecus Missae celebrationi inhaeret, ut pro mentis contentione etc.: licet tamen *pro labore accessorio*, v. g. pro itinere longiore conficiendo, pro dilatione Missae ad seram horam etc. *S. Alph.* III 55 et 93.

586 4. Simonia etiam sine dubio est, pro pretio temporali potestatem spiritualem (iurisdictionem ecclesiasticam) negative exercere, v. g. denegare absolutionem a censuris, confesso sacramentalem absolutionem denegare, electorem promittere se nolle pro hoc et illo suffragium ferre etc.

Solummodo *omittere* exercitium iurisdictionis vel potestatis, saltem quando non debet ex iustitia exerceri, propter pecuniam etc. oblatam, quamquam pro re nata gravissimus abusus est, non est simonia, v. g. aliquem non admittere ad confessionem.

Verum si ex iustitia exercitium potestatis debetur, ut a paroco etc., multi putant, solam omissionem exercitii pro temporali pretio esse simoniam: attamen etsi criminis malitia multum augeatur, vera simonia non videtur esse.

Qui iniuste vexatur denegatione rei spiritualis: ex gravi causa pecuniam dare potest, ut vexatio desinat; attamen qui accipit, simoniam committit. Verum si ius rei spiritualis nondum possides, confer infra n. 538.

587 5. Per se liceret sine simonia oleum consecratum, rosaria benedicta etc. vendere pro pretio *materiae*. Verum, ne inde sumatur occasio lucrum simoniacum faciendi, id non semel ab Ecclesia prohibitum est. Decr. auth.

<sup>1</sup> Immo *Pius IX* iam antea, cum ageretur de approbandis decretis Conc. prov. *Cincinnati*, 3, a. 1861, «per litteras S. Congregationis monere voluit episcopum Clevelandensem, ut intra spatium duorum annorum dictam praxim a sua dioecesi eliminare studeat, aliaque ratione provideat sustentationi parochorum». Collect. Lac. III, col. 230. — Concil. plen. *Balt.* 3, art. 290 plane prohibet choreas ad pia opera promovenda; item veniam episcopi requirit, ut alii conventus vel excursiones oblectandi causa fiant in sustentationem pie causae.



S. C. Indulgent. n. 344 in *Valentinis*. 12 Iulii 1847 haec habentur: «2. An qui emit cruces, numismata etc., ut ea distribuatur, postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa, vel sine periculo indulgentias amittendi? An amittantur tantum, quando quis sibi eas res proprias fecerit, et iis usus fuerit cum intentione lucrandi indulgentias?» — R. Ad 2.: «Negative ad primam partem; ad secundam: non indigere responsione».

Permittitur tamen interdum in ecclesiis pauperibus, ut episcopus recipiat a singulis parochiis quaedam, unde comparet oleum benedicendum.

6. Simonia iuris divini est, propter consecrationem, benedictionem, indulgentias annexas rerum pretium *augere*. Idem, augere pretium fundi propter ius patronatus quod illi adnectitur.

7. Explicandum nonnihil est, cur beneficium ecclesiasticum numeretur<sup>538</sup> inter res spirituales. Videlicet beneficium ecclesiasticum, quamquam proxime consistit in iure percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis: nihilominus, quia hoc ius datur propter spirituale officium, res spiritualis est, vel res spirituali consequenter annexa. Quapropter ea sibi pro pretio temporali comparare est simonia iuris naturalis, nisi S. Pontifex officium a iure percipiendi fructus separaverit. Simonia igitur est: 1) aliquod temporale dare collatori, electoribus, examinadoribus, patrono, quo obligentur ad actionem favorabilem;

2) *iis*, qui ex officio prodesse aut obesse possunt aliquid dare, ne obsint, etsi iniuste obsunt; vel

3) intercessionem *apud eos*, qui ex officio possunt, emere.

Simonia non est: a) iniustam vexationem eius, qui ex officio non est aliquid acturus, redimere;

b) pretio temporali aliquid inducere, ut *mere exponat dignitatem et merita* alicuius candidati secundum rei veritatem.

8. Quamquam simonia est, *pro* dispensatione a lege ecclesiastica pecuniam<sup>539</sup> accipere, quia exercitium ecclesiasticae potestatis venditur: nihilominus sine simonia in certis dispensationibus, v. g. matrimonialibus, taxa pecuniaria exigi potest, quippe quae partim rationem habeat remunerationis et honorarii officialium, partim mulctae poenitentialis vel eleemosynae pro diversis causis piis expendendae. Verum si S. Pontifex inferioribus praelatis prohibeat omnino, quominus aliquid, etiam titulo eleemosynae, accipiant, hi sine peccato simoniae aliquid accipere non possunt.

9. Recipere aliquid temporale pro ingressu in religionem aut admissione ad professionem simonia est. Attamen titulo sustentationis pro tempore novitiatus aliquid exigere simonia non est; neque pro reliquo tempore si monasterium pauper est atque usus aliquid accipiendi valet. — (Atque ita monialibus quibuslibet *dotem* exigere permittitur)<sup>1</sup>. — Si autem monasterium satis dives est, non videtur titulo sustentationis aliquid accipi posse post professionem factam, siquidem bona monasterii ex intentione fundatorum primo ad hunc finem impendi debent.

IV. Excusatio quidem a simonia adest, quando *occasione* rei spiri-<sup>540</sup> tualis datur vel recipitur aliquid temporale, si adest titulus iustus, v. g.

<sup>1</sup> Verum etiam hac in re cavere debent 1. ne pro ipso ingressu aliquid accipiatur; 2. ne propter pinguem dotem inhabilis puella admittatur: quod a simoniaca labe per se immune non foret; 3. ne ita ab omnibus dos exigatur, citra necessitatem, ut dignae et idoneae excludantur, admissis minus dignis. Vide *Schmalzgrueber* l. 5, tit. 3, n. 197 et *Gury-Ballerini* I, n. 291 not.

titulus sustentationis, titulus redimendae iniustae vexationis. Alioquin autem ad constituendam simoniam necessarius non est contractus permutationis explicitus et expressus, sed sufficit implicitus et incompletus, vel ipsa species gratuita donationis, si sub hac specie onerosus contractus latet, aut si ipsa etiam gratuita donatio ab Ecclesia ob periculum simoniae prohibetur.

Ad quae declaranda advertete:

1. *Reuter* II 484 sapienter notat: nullam consuetudinem ab Ecclesiae praelatis diu permissam facile damnandam esse ut simoniacam, etsi prima frontalis appareat; plures enim titulos excusare posse, v. g.:

1) titulum debitae sustentationis: etsi enim spiritualia dari gratis Christus praeceperit, noluit tamen suis ministris negari sustentationem; 2) laborem extrinsecum; 3) privationem libertatis ad alia opera exercenda, et emolumentum ex iis percipiendi; 4) titulum liberalitatis vel gratitudinis ex parte dantis; 5) redemptionem vexationis.

541 2. Pecunia oblata avertere electores etc., ne ad ecclesiasticum beneficium eligant indignum, simonia non est in eo, qui iniustam vexationem ecclesiae redimit, quando electores ad hoc inclinatos videt: immo in rigore ne tum quidem, si pecunia datur, ne eligatur *minus dignus*. *S. Alph.* III 103. Sed conventionem facere, ut eligatur aliquis dignus *in particulari*, non licet, «nisi in casu necessitatis, nempe si inter omnes unus tantum dignus inveniatur, quem illi nollent eligere». *S. Alph.* ib. — Immo talis electio secundum ius canonicum esset nulla, nisi forte in electione S. Pontificis fieret; at etiamtum periculosissima atque propter ius nunc vigens vix umquam cogitari potest casus, quo licita fiat.

3. Censetur simonia — saltem in foro externo — si *occasione* examinis «pro cura», collationis ordinum etc. aliquid, etsi gratis datum, admittatur. Id enim severe prohibitum est, ne sub specie gratuiti doni exactio fiat. Hinc videtur etiam in foro interno *saltem* simonia iuris ecclesiastici committi; nam si sincere proceditur in *gratuito* dono admittendo, iuris divini simonia non erit. Attamen in examinatorebus synodalibus ne parvitas quidem materiae admittitur, neque excusatio a poenis ecclesiasticis; quia gravissimus finis est legis, qui etiam parvo dono admissio laeditur multum. Vide *Trid.* sess. 14, c. 18 *de ref.*

542 4. Simonia quidem per se non est temporale aliquid dare *ex spe* obtinendae postea gratis rei spiritualis, v. g. si quis episcopo famulatur ex spe postea recipiendi beneficium gratis, etiam confusus in gratitudine; minus etiam, si dexteritatem suam ostendere tentat ex spe habendi beneficii ecclesiastici. Verum si intentio est alterum *obligandi* ad retribuendam rem spiritualem (sive spirituali annexam), simonia est: quod facile obtinet, si temporale, quod praestatur, non levis momenti est, atque sola ratio, cur praestetur, spes est rei spiritualis.

5. Simonia non est post acceptam rem temporalem ex gratitudine rem spiritualem conferre: est autem simonia, si quis se obligat ad dandum ex gratitudine temporale pro obtinenda re spirituali, aut vice versa, quia tunc gratitudinis exhibitio transfertur in obligationem iustitiae.

Quare practice a simonia vix umquam immune est dicere: do tibi beneficium, sed volo, ut sis etiam gratus, et similia; quia haec aequivalenter deducunt in pactum onerosum illam gratitudinis ostensionem.

6. Etiam *facte promittens* rem temporalem pro obtinenda spirituali, aut vice versa, a simoniae *malitia* non excusatur; vere enim vult per temporalis rei promissionem spirituale obtinere: quod sufficit, ut habeatur iniuriosa rei spiritualis cum temporali aequiparatio. *Reuter* II, n. 466, 5.

7. Difficultatem praebent theologis theses ab *Innoc. XI* damnatae, thes. 45: 543 «Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut contra.»

At recte dicit *Reuter* n. 467 «gratuitam compensationem» sumi hic pro gratitudine non re ipsa, sed specietenus exhibenda, eo quod paciscentes sub *specie* gratitudinis onerosam intelligant obligationem, quae in altero ius quoddam pariat, cum gratitudo, etsi aliqualem obligationem in uno constituat, in altero *ius nullum* producat. Dein quod in thesi fiat distinctio inter pretium et motivum, eaque a S. P. reprobati videatur, id tum solummodo reprobati, quando honestus titulus rei temporalis desit, non vero si adsit, ut in Missarum stipendiis et similibus; adeoque simoniam *palliatam* reprobati.

Unde etiam facile intelligitur, quo sensu et quam iuste damnetur thes. 46: «Et id quoque locum habet, etsi temporale sit principale motivum dandi; immo etsi sit finis ipsius rei spiritualis, ita ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.»

8. Discutiunt theologi, sitne simonia annon, aliquod temporale dare vel 544 accipere pro exercitio virtutis, vel actu aliquo bono, quatenus moraliter bonus est. *Vide Lacr.* l. 3, p. 1, n. 163 et *Reuter* n. 471 sq.

Respondent communius ita cum *Suarez, Castrop.*, aliis: 1) Si dans vel promittens temporale eo ipso *absolutum ius* acquirere conatur exigendi illud virtutis exercitium, simonia est obiective quidem; 2) verum si donatario vel promissario optio maneat aut praestandi illud opus virtutis, si velit accipere vel retinere praemium, aut relinquendi vel reddendi praemium, id per se non necessario est simonia: vid. est quidem, si praemium temporale pro compensatione sive pretio spiritualis operis habeatur; alias non est, sed tunc est potius praemio aliquo allicere alterum ad virtutem.

Ita licite possunt parentes filio promittere praemium, si frequentet sacramenta; dives potest alere iuvenem pauperem eiusque studia promovere sub conditione, ut statum clericalem eligat, aut, si postea nolit, expensas pro posse reddere teneatur; a fortiori religiosus potest adolescentem donis, familiaritate allicere sperans fore ut ille facilius in mentem ducat electionem status religiosi: nam haec minime pro pretio ingressus habentur. Immo *S<sup>o</sup> Thomae* ille agendi modus per se probatur 2, 2, q. 189, a. 9<sup>1</sup>.

Mens simoniaca adesse facilius potest, si opus spirituale a promissario praestandum in temporalem utilitatem eius cedit, qui pretium temporale promittit seu donat. In illa enim hypothesis facile fit, ut is promissione rei temporalis absolutum ius ad hoc opus spirituale ab altero praestandum sibi con-

<sup>1</sup> Videri alicui potest quaestio de simonia hic omnino perperam agitari, siquidem unus idemque recipiat et rem temporalem et rem spiritualem, vid. virtutis exercitium eiusque praemium. At scite *Suarez* (tr. 3, l. 4, c. 16, n. 11 sqq) advertit, in pactione non esse quaerendum, quisnam re ipsa accipiat teneatque *rem* eiusque utilitatem, de qua paciscuntur, sed quisnam sit, qui recipiat *ius ad illam rem*. Accidere autem prorsus potest, ut in quaestione proposita unus accipiat rem temporalem, alter ius ad opus spirituale, quod exigere possit, sibi acquirere intendat, etsi spiritualis utilitatis accipiendae incapax sit.

cliare velit: ceterum quod temporale emolumentum promittenti per accidens oriatur, ex se nondum iuducit simoniam.

9. Pacti palliatæ simoniæ exempla quaedam sunt hæc:

Si dicenti Titio: «conferam tibi beneficium», respondes: «Et ego dabo tibi centum aureos»; siquidem per pecuniam confirmas eum in proposito.

Si cum collatore beneficii sponsionem inis, sub certa pecuniæ summæ sponse asserens, ipsum non tibi, sed alteri collaturum esse beneficium.

#### 545 V. De poenis simoniæ.

A. Censuræ antiquitus latæ contra varias simoniæ species non amplius vigent nisi secundum constitutionem *Pii IX «Apostolicæ Sedis»*, videlicet: 1) in simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis, et in ingressu religionis, 2) in simoniam confidentialem<sup>1</sup>, 3) in quaestum qui ex quibusdam gratiis spiritualibus fiat, 4) in certum mercimonium cum Missarum stipendiis, 5) omnes censuræ eousque vigentes in simoniaca Papæ electione. — De censuris omnia invenies vol. II, l. 2. — *Aliæ poenæ*, quæ præter censuras latæ erant, minime sunt abrogatæ: quas hic brevi enumerabo, additis paucis de pretio simoniaco restituendo.

#### 546 B. Poenæ præter censuras contra simoniam statutæ (vide *Decret.* l. 5, tit. 3, c. 11 13 15 19 20 23 25 27 37 40; *Extrav. com.* l. 5, c. 2 «*Cum detestabile*»):

1) Contra *quamlibet* simoniam *notoriam* sive iudicis declaratione, sive facti divulgatione, *infamia iuris* ac *proin irregularitas*.

2) Contra simoniam *realem in beneficiis*:

a) Nullitas provisionis beneficii (sc. *formaliter* nulla est actio illa, quæ per simoniam obtenta et *consequenter* actiones subsequentes, non antecedentes: quare qui simoniace ac *proin* invalide electus, præsentatus est, *invalide* etiam confirmatur; qui vero simoniace confirmatus esset, maneret legitime electus, ita ut, *sanata confirmatione*, nova electio non esset necessaria). Quæ nullitas

<sup>1</sup> Simonia confidentialis dicitur in beneficiis ecclesiasticis, nimirum procuratio vel collatio beneficii, sive eius acceptatio *cum confidentiali* reservatione in pacto fundata sive tacito sive expresso sine expressa Papæ licentia inito, scil. ut is, cui beneficium procuratur, aut ipsum illud beneficium pro futuro aliquando *resignet* sive danti, sive alteri quem ille vult, aut beneficii partem seu certam fructuum partem illi *praestet*. — Confidentialis illa reservatio *quadruplici* modo fieri potest:

a) per *accessum*, scil. si quis utcumque dat beneficium — sive collatione, sive præsentatione, sive electione, institutione — ea lege, ut vel sibi vel alteri adhuc incapaci postea, quando capax fuerit, resignetur (ita ut alter ille *accedat* ad beneficium);

b) per *ingressum*, scil. si quis beneficium sibi collatum ante coeptam possessionem alteri resignet, ut post huius mortem aut beneficii dimissionem ipse *accipiat* et possessionem *ingrediatur*;

c) per *regressum*, scil. si quis beneficium, quod iam possidet, alteri resignet sub conditione, ut convenienti tempore ipse aut tertius beneficium recipiat (adeoque ad illud *regressus* ipsi pateat);

d) per *reservationem partis*, si quis utcumque alteri beneficium dat, sive per collationem, sive per præsentationem, electionem, resignationem etc. ea lege, ut sibi tertiove pars beneficii seu fructuum cedat.

Eiusmodi pactum, si modo de uno eodemque beneficio versatur, confidentialis simonia (quoad poenas ecclesiasticas) est, cum primum beneficium sub tali pacto traditum sive acceptum fuerit. — Nam si alter quoque receperit aut recipere coepit, quod sibi in pacto constitutum est, simonia evadit *etiam realis*.



adest, etsi possidens beneficium sive acceptans ipse simoniae reus vel conscius non est; attamen innocens trienniali possessione bonae fidei ius acquirit atque in plena possessione manet.

Verum si promotus post cognita simoniaca consilia, quae alii, quando de eius promotione agebatur, fovebant, expresse contradixerit, aliena simonia, quae nihilominus patrata fuerit, ipsi non amplius nocet.

Solus Papa dispensat.

b) Inhabilitas ad idem beneficium obtinendum: quae et reum et innocentem adstringit, sed non eodem modo. Nam poenae huius dispensatio contra reum Papae reservatur simpliciter: innocentem autem dispensare potest post factam beneficii renuntiationem episcopus, scil. ut a) *statim* recipiat beneficium, si simplex est; aut etsi curatum sit, si collatio simoniaca non fuit irrita *declarata* per iudicem; β) ut post primam sequentem vacationem beneficii idem recipiat, si curatum est et iudicis sententia de nullitate provisionis intercesserit.

Inhabilitas autem haec sine ulla sententia iudicis ipso facto contrahitur.

c) Inhabilitas Papae reservata ad alia beneficia obtinenda: quae ligat *solum reum*, atque probabiliter post iudicis sententiam saltem criminis declaratoriam. Ita saltem usu poena declaratur: quamquam verba Constit. *Pii V* «*Cum primum*» severiora sunt. Cf. *Gury-Baller*. I 293 notam.

d) Privatio aliorum beneficiorum, si quae possidentur, a iudice *infligi potest*, sed, ut patet, solum ei, qui simoniae reus est.

3) Contra simoniam *confidentialem* (vide Const. «*Rom. Pontificem*» 547 16 Oct. 1564 et «*Intolerabilis*» 1 Iun. 1569):

a) Provisio *nulla* est, atque beneficium *vacat*: ita quidem ut statim a prima die beneficii per simoniam confidentialem recepti fructus ad cameram apostolicam devolvantur.

b) Beneficii collatio reservatur Sanctae Sedi: videndum tamen, quid singula concordata disponant.

c) Inhabilitas ad quaecumque beneficia obtinenda: a fortiori ad idem beneficium, de qua cf. poenam supra sub 2).

d) Privatio beneficiorum et pensionum, quae antea legitime obtenta erant.

Pro poenis sub c) et d) ex sententia *S. Alph.* III, n. 112, q. 3 probabiliter requiritur iudicis sententia declaratoria criminis. Etsi enim *S. Pius V* videatur severius loqui, tamen relate ad poenam sub lit. d) communis regula requirit sententiam criminis declaratoriam: relate ad lit. c) possumus dicere, usum verba Constitutionis («*Intolerabilis*») mitius interpretatum esse, nisi dicere velis, ipsam Constitutionem videri loqui de «convictis» adeoque a iudice declaratis ut reis.

4) Contra simoniam *realem in ingressu religionis*:

Praeter excommunicationem et infamiam iuris, de quibus supra,

a) recipiens amittit ius recipiendi ad religionem; receptus (ad vota) in favorabilibus habetur pro non-professo: idque post sententiam declaratoriam.

b) Receptus (ad vota) et recipiens sunt e monasterio illo expellendi et in arctiorem locum relegandi: quod est *ferendae* sententiae.

5) Contra *examinatores synodales*, qui etiam parum quid muneris admiserint<sup>1</sup>, *Trid.* sess. 24, c. 18 *de ref.* statuit:

a) Inhabilitatem ad obtinenda beneficia post iudicis sententiam: «inhabiles reddantur».

b) Privationem beneficiorum iam obtentorum: quae, si verba *Trid.* respicimus, *nullam sententiam* requirit: «non possint absolvi nisi dimissis beneficiis». Si quid igitur mitius agi potest, id a sola consuetudine pendet. Cf. *Thesaur.* verb. «Simonia» c. 4.

549 6) Contra eos, qui pro gratia vel iustitia obtinenda apud Sanctam Sedem, sive materia est spiritualis sive temporalis, sive mixta — sive magnum sive parvum<sup>2</sup> quid promittunt vel dant, aut qui promissionem donumve recipiunt, aut complices existunt, statuitur:

a) Privatio omnium beneficiorum et officiorum.

b) Inhabilitas ad alia obtinenda: quorum utrumque «ipso facto» incurritur, attamen probabiliter mediante sententia criminis declaratoria (eo quod sit inhabilitas *generalis*, non particularis ad singulare beneficium; de qua v. *Thesaur.* p. I, c. 30, q. 2 et p. II ad v. «Simonia» c. 15).

7) Addi potest, *receptionem in confraternitatem* similemve piam unionem invalidam fieri, si contra leges ecclesiasticas dona, etiam elemosynae titulo, recipiuntur: atque indulgentias amitti, si res sacrae, quibus annexae erant, pro pretio etiam non aucto venduntur (vide supra decr. S. Congr. Indulg., Decr. auth. n. 344 in Valentinen. 12 Iulii 1847).

550 C. Pretii simoniaci restitutio vel abdicatio.

1) Obligatio restituendi sive abdicandi pretium simoniace acceptum urgere potest sive ex lege naturali sive ex lege positiva ecclesiastica.

2) Ex lege naturali urget, si simul laesa est iustitia: quare tunc semper facienda est, atque per se *laeso*, nisi is in poenam criminis iure recipiendi privatus sit.

3) Si ex sola lege ecclesiastica haec obligatio imponitur, ante iudicis sententiam obligatio non urget, imponitur vero a iure: a) in simonia circa beneficia ecclesiastica, b) circa ordinum (vel tonsurae) collationem, c) circa ingressum in religionem.

4) A iure autem statuitur, ut, quando in beneficiis ecclesiasticis commissa est simonia ex utraque parte completa, pretium simoniacum applicetur *ecclesiae*, ad quam pertinet beneficium — aut, si mavult superior, *pauperibus*; in aliis casibus solum fit mentio *pauperum*.

5) Simonia igitur nondum per traditionem rei spiritualis perfecta, per se pretium restituendum est illi, qui dedit; immo etiam crimine perfecto, sed

<sup>1</sup> Quomodo haec applicanda sint ad examinatores in iis regionibus, ubi concursus secundum leges *Trid.* ad amussim non fit, vide Archiv für kath. Kirchenrecht II 110 385 sq.

<sup>2</sup> Nihilominus in hac re a) si simonia non committitur, illud *parvum* intelligitur res *in se gravis*; b) *permittuntur* aliqua esculenta et poculenta iuxta morem moderatum: quae tamen examineribus synodalibus (vide n. 5) prorsus non permittuntur; c) permittuntur etiam dona gratuita *postea oblata* sine pacto praevio. Cf. *Thesaurus* l. c. c. 15 et Constit. Greg. XIII «Ab ipso».

pacto rescisso, ante iudicis sententiam idem fieri *potest*: quodsi, qui dedit, liberaliter renuntiaverit pretio, retineri potest, donec iudex intervenerit. Ita etiam *Marc* n. 591.

Brevis recapitulatio praecipuorum peccatorum gravium contra<sup>551</sup> primum praeceptum decalogi:

1. Diu orationem plane negligere.
2. Superstitiosas observantias exercere, vel illis multum fidere.
3. Res sacras sacrasve caerimonias vel preces ad superstitiosos fines adhibere.
4. Superstitioso magnetismo aut spiritismo adhaerere, eiusve experimentis interesse.
5. Sortilegos, divinatores aut serio adire aut quocumque modo eos adire, si ipsi serio agunt.
6. Maleficium contra aliquem attentare.
7. Cultum falsum exercere, ut: ritum Iudaismi, ritum haereticae sectae.
8. Reliquias falsas aliasque res falso pro sacris exhibere, colere.
9. Deum tentare seu divini attributi manifestationem petere ex seria dubitatione.
10. Idem facere ex temeritate, v. g. temere singularem Dei protectionem exspectare.
11. Contra Deum vel Sanctos voluntarie iram contemptumve concipere.
12. Blasphema verba vel gestus advertenter prodere (cum haeresi, cum imprecatione) contra Deum aut Sanctos.
13. Eorum imagines aliasve res sacras conculcare, in sordes proicere.
14. Res Deo sacras irreverenter tractare (cf. infra de Sacramentis), furtum in eas committere, S. Scripturae verbis graviter abuti.
15. Personas Deo sacras laedere luxuria, percussione, immunitatis seu exemptionis violatione.
16. Loci sanctitatem laedere luxurioso actu, profanarum rerum indecenti clamorosaque actione, vel exsecratione, immunitatis violatione.
17. Rem sacram sive sacram actionem simoniace pretio temporali commutare.
18. Pro Missa aliisve functionibus sacris aliquid *ultra* legis ecclesiasticae normam *exigere*, aut *contra* legem *admittere*.
19. Mercimonium cum Missarum stipendiis exercere.
20. In beneficiis ecclesiasticis acquirendis, commutandis simoniam committere.

Hisce absolvimus tractationem eorum actuum, qui essentialiter ad virtutem religionis eiusque obligationem spectant, et eorum, qui iis ut contraria peccata opponuntur. Peccata quidem etiam alia sunt, quae

*virtuti religionis* idque ex natura sua *essentialiter* adversantur: quare hoc ipsum caput (II) eorum tractatione complendum esset. Attamen illud *religionis exercitium*, cui ea peccata opposita sunt, *secundarie* illam virtutem spectat; ac propterea commodius adiungentur explicationi eorum actuum, quibus positive *secundarie religio exercetur*. Actus illi sunt votum et iuramentum<sup>1</sup>. Si autem dico, secundarie eos ad religionem pertinere, id non ita intelligitur, quasi non aeque bene et perfecte sint virtutis religionis exercitium, nam non raro sunt perfectius, sed quia hoc genus actuum non ex sese ita necessario exigitur, quo religionis virtus exerceatur.

### Caput III.

#### De actibus, qui secundarie ad exercitium religionis pertinent.

De voto igitur et iuramento acturi eam decalogi materiam attingimus, quae secundo praecepto continetur:

«*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*» (Ex 20, 7); quo formaliter prohiberi periurium, non est cur hic probemus.

#### Articulus I.

##### De iuramento.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 89 et 3 dist. 39; *Suares*, De relig. tract. 5; *Sanchez*, In decal. l. 3; *S. Alph.* III, n. 133—193; *Göpfert*, Der Eid; *Baller-Palmieri* II, n. 532—601, aliosque ut supra.

552 Iuramentum est invocatio Dei in testem veritatis. Quae cum diverso modo fieri possit, accuratius distinguere debemus 1. naturam iuramenti, 2. obligationem promissorii iuramenti, 3. obligationis iuramentariae dissolutionem.

#### § 1.

##### De natura iuramenti.

Iuramentum dixi esse invocationem Dei ut testis veritatis, illudque esse actum religionis. Utrumque illustrari debet, ut penitus intelligatur, quid requiratur et sufficiat ad constituendum iuramentum, quid requiratur ut vere sit actus religionis atque virtutis neve degeneret in eius laesionem.

I. *Diversa iuramenta et eorum communis essentia.* In omni iuramento sive mere assertorio, sive promissorio, sive exsecutorio debet Deus invocari verbis aptis, sive explicite sive implicite; quae Dei invocatio fieri debet mente et intentione iurandi.

<sup>1</sup> Iuramentum medium quidem est securioris communicationis mutuae inter homines: nam securiores eos reddit de manifestanda veritate, si iuramento aliquid asseritur; securiores de servanda fidelitate, si sub iuramento fit promissio. At ex natura sua et propria forma ad religionem et Dei cultum pertinet: quare etiam tractatio de iuramento suo loco fit in tractatu de religione.



1. Explicandum est, quomodo in *omni* iuramento Deus ut testis veritatis invocetur. Diversa enim iuramentorum genera enumeravi; quae, quomodo distinguantur, ipsa nomina per se declarant.

Deum igitur invocari ut testem veritatis in iuramento *mere assertorio*, ex se patet: tali enim iuramento nihil fit aliud.

In iuramento promissorio promissio alicuius rei principalis quidem est, sed simul continetur assertio seu Dei invocatio, cum Deus invoceatur in testem veritatis, quod promittens habeat animum implendi quae promiserat.

Iuramentum *exsecratorium* ad meram iuratam assertionem vel promissionem simul addit invocationem vindictae divinae in periurum: igitur invocat Deum 1) ut testem veritatis, 2) ut vindicem mendacii, aut etiam fidei fractae, si quid tale occurrerit. *S. Thom. I. c.*

Reliquae distinctiones iuramenti accidentalem eius formam respiciunt, ut: 1) iuramentum sollemne et simplex, prout caerimoniis quibusdam (a iure praescriptis) fit aut iis careat; 2) iuramentum publicum et privatum; 3) iuramentum verbale, reale, mixtum, prout *verbis* fit aut *actione externa* (contactu crucis, evangelii, erectione trium priorum digitorum etc.) aut *utroque modo*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> In regionibus acatholicis accidere potest, sicut re ipsa in Suecia, America Septentr., Indiis Orient. accidit, ut in foro civili, quando necesse est, secundum leges iuramentum praestetur, offeratur codex biblicus ab acatholicis editus, ad cuius tactum iuramentum fiat.

Circa quod S. Congr. de Prop. F. in instructione ad Vicar. Apost. Indiae 8 Dec. 1869 haec pro praxi monuit: «... diligenter curent, ut Anglo-indicum gubernium libertatem fidelibus relinquat iurandi super S. Scripturam ab Ecclesia catholica receptam. Quoadusque autem id a civili auctoritate non obtinuerint, prudenter taceant, si viderint, fideles super biblia haeticorum iuramenta praestare, dummodo de licito iuramento agatur. Interea doceant S<sup>m</sup> C., an biblia haeticorum pro iureiurando exhibita sint substantialiter corrupta, an exhibeantur, ut a catholicis probentur etc.»

Quid igitur *in se* liceat, accuratius non statuit. Videor mihi tamen haec inde deducere posse:

1. Quando lex non absolute postulat iuramentum, vel tale iuramentum, ita ut in potestate cuiuslibet sit, tale iuramentum declinare: certe rubor non sufficit neque excusat, quin in tali agendi modo agnosci debeat misera falsae religionis communicatio.

2. Si haec, quae offertur, bibliorum editio haeticorum menda vel errores seu depravationes contineat, non licet *sine protestatione* in ea iuramentum emittere; immo *aliqua* declaratio videtur per se semper consulta esse. Scilicet:

3. Si sine gravi detrimento eiusmodi iuramentum sub hac forma evitari nequit, neque tamen in odium fidei biblia protestantica exhibentur: conseo, saltem cum protestatione, qua vir catholicus declarat, se eatenus in haec biblia iuramentum emittere, *quatenus contineant verbum Dei a sua etiam Ecclesia sibi exhibitum*, id licere, maxime si versio vel editio *substantialiter* corrupta non sit. Si autem corruptiones quaedam inesse sciuntur, *effertur* illud: «*quatenus contineant ipsum Dei verbum*». Ceterum pro conditionibus Americae S. Officium d. 23 Febr. 1820 ad ep. Quebec. respondit simpliciter, «*fideles non esse inquietandos*»: Americ. eccl. Rev. XIII 64. *Sabetti-Barret* tamen, Comp. th. mor.<sup>17</sup>, n. 224, Q. 4 pro hodierno tempore dicit «petenti dari solet versio catholica, vel etiam permittitur ut iuraturus eam secum afferat»; quare recte addit, non licere iurare deosculando biblia protestantica, ne acatholica versio videatur approbari vel scandalum detur.

553 2. Dixi sufficere, ut Deus *implicite* in testem invocetur. Quod fit, si directe et immediate appellatur creatura, in qua Dei attributum specialiter elucet, aut quae specialem relationem ad Deum habet, ut si quis iurat «per fidem catholicam, per crucem, per evangelium, per sacramenta, per coelum, per animam (meam)».

De quo iurandi modo *S. Ignat. in libello exercitiorum* monet, potius hominum perfectiorum esse, admitti ad iuramentum per creaturas, siquidem alii nominando creaturam parum ad reverentiam erga Deum moveantur.

Per creaturas autem iurare velle, sistendo in ipsis, est idololatria et blasphemia, eo quod ad ipsas tamquam ad *veritatem absolutam* appellatur, ac proin attributum vere divinum illis impie tribuitur: quae malitia committitur in iuramento per falsos deos. At nisi iuramentum intendatur, eiusmodi loquendi formula pro lusu potius et ioco habetur, quam pro impietate. *S. Thom. 3 d. 39, a. 1 ad ultim.*

554 3. De *mente iurandi* eaque apte manifestanda complura notanda sunt: a) adesse revera iuramentum, principaliter quidem ab intentione loquentis pendet, ita ut per eam verba ex se ambigua vera iuramenta reddantur. Immo etiam si verba per se ad iuramentum apta non sint, in diiudicandis peccatis *commissis* ipsa intentio prorsus respici debet (cf. *Wirthmüller* l. c. § 43). Nihilominus iuvat expendere, quaenam locutiones in se obiective sint iuramenta. Nam 1) in dubio de intentione subiecti ex obiectivo verborum sensu praesumptio hauriri debet, qua iudicetur, fueritne vere iuramentum (maxime, si promissorium), annon; 2) si forte prava consuetudo est frequenter iurandi, *obligatio* haec *emendandi* determinatur secundum obiectivum verborum, quibus poenitens uti solet, sensum: si enim obiective sunt iuratoria, gravis erit obligatio ea non adhibendi sine veritate, contrariamque consuetudinem etiam indeliberatam extirpandi — confer tamen postea monitum n. 559 —; si verba in se aut ex circumstantiis non sunt iuratoria, fortasse dedoceri debet poenitens, ne cum erronea conscientia gravius peccet.

555 b) Igitur quoad sensum obiectivum verborum nota: Dicere: «per fidem meam» (fidelitatem — bei meiner Treue) non est iurare; neque: «per meam conscientiam»; — similiter iuramentum non est «per fidem sacerdotalem, regalem, militarem»; quamquam eiusmodi promissio, cum *loco* iuramenti exigatur, omnino seria est et plerumque sub gravi obligat. Immo in sola tali assertionem mendacium non raro in sacerdote gravis scandali rationem habet. Cf. *S. Alph. III 134.*

«Iuro, per iuramentum meum» per se non sufficit ad constituendum verum iuramentum — deest enim quaevis Dei invocatio —, nisi expressa interrogatio de iuramento praecesserit. *S. Alph. n. 136.*

Dicere: «Deus novit, coram Deo loquor, vivit Deus» (so wahr Gott lebt) sunt iuramenta, si verba illa sensu contestationis seu invocativo dicuntur; quod plerumque fit; non sunt, si solum enuntiative. *S. Alph. n. 134.*

Dicere: «tam verum est, quam verum est, me hic stare, Deum existere etc.», aut «est verum sicut evangelium», obiective iuramentum non est; neque

consueverunt sensu blasphemio *haeretico* dici, quasi loquens velit *aequalitatem* certitudinis *sui* dicti et dicti *divini* edicere. — At illa comparatio cum veritatibus fidei, si mendacii confirmandi causa fit, a mera *blasphemia* non excusatur. Cf. *S. Alph. ex Busenb.* n. 137.

Dicere: «spondeo caput meum, vitam meam, nisi verum sit; habear pro haeretico etc.», non est iuramentum. *Ib.* n. 134 et 143.

«Deus me puniat, me damnet . . .» obiective apta sunt, et communiter sumuntur pro *iuramento execratorio*. *Ib.* n. 143.

Dicere: «moriar, peste afficiar, diabolus me rapiat», *potest* esse iuramentum execratorium, potest iuramentum abesse, prout scil. intentio loquentis ad Deum divinamque providentiam vel permissionem dirigatur, per quam sibi imprecatur malum, aut haec intentio absit.

c) Quoad intentionem seu voluntatem iurandi nota haec: Iurare<sup>556</sup> sine animo sese obligandi (in promissione) non est verum iuramentum, est ad summum iuramentum fictum, quia intentio loquentis excludit aliquod *essentiale* elementum; cum animo sese obligandi, at sine animo implendi iurare, iuramentum re ipsa est, scilicet periurium.

Ficte igitur iuratur, quando verba iuratoria adhibentur vel a) cum voluntate non iurandi, vel b) cum voluntate (in promissione) non contrahendi obligationem. Quare fictum iuramentum promissorium ut sic non valet.

Quod autem dicunt, eum qui sic iuret, peccare «venialiter tantum», id cum limitatione intelligi debet, scil. modo aut 1) alioqui habeat intentionem implendi promissum, noluerit tamen obligationem ex religione assumere, aut 2) ex circumstantiis de fictione constet, ita ut locutio ita solum *vana usurpatio nominis Dei appareat*. Vel si de iusta causa *restrictionis* constare possit: fieri potest ut omne peccatum absit. Cf. *Lugo*, De poenit. d. 16, n. 211; etiam *Wirthmüller* § 43, qui tamen minus recte sine *ulla* distinctione iuramentum fictum peccati mortalis damnat; *S. Alph.*, H. A. tract 5, n. 17. — Alias committitur abusus divini nominis ad promovendam et confirmandam aliorum deceptionem: quae iniuria erga Deum est sane non levis, sed mortalis.

II. De requisitis ut adsit actus religionis, seu de honestate et<sup>557</sup> peccaminositate iuramenti. 1. Iuramentum debitis conditionibus factum actum religionis esse patet; nam est professio Dei ut summae veritatis et ut omnia perscrutantis, quo tamquam teste in medium adducto omnis contestatio finiatur. *S. Thom.* 2, 2, q. 89, a. 4; *Greg. de Valent.* in 2, 2, d. 6, q. 7, p. 1. In promissorio iuramento insuper aliqua religionis obligatio, de qua infra, ad Dei honorem assumitur.

Inde iam patet, requiri non solum rei veritatem et honestatem, sed etiam in iurante veram erga Deum reverentiam, atque rem alicuius momenti, ut Deus tamquam testis inducatur: alias irreverentia et temeritas committitur: quae tamen veniale peccatum non excedit — est nimirum vana Dei nominis usurpatio — nisi inducat periculum peierandi. Defectus hac in re vocatur *defectus iudicii* secundum *Ier* 4, 2: «Et iurabis: Vivit Dominus *in veritate, et in iudicio, et in iustitia*».

558 2. Iam de *defectu veritatis* plura notari debent. Ille defectus iurandi *contra mentem* seu cum mendacio semper mortalis est, neque parvitatem materiae admittit, cum gravissima sit iniuria, Deum pro teste mendacii adducere. — Idque valet etiam in quovis iuramento promissorio, etsi in re levi, si *adest voluntas non implendi*, aut si res promissa a iurante habetur pro *impossibili impletu*; aliter, si iudicat, probabiliter se implere posse.

Verum, ne severius id accipiatur, dicendum est, non in sola simplici assertionem, sed etiam in iurata affirmatione a mendacio excusare posse tum *restrictionem* mentalem, tum cognitionis *certitudinem* quandam moralem, licet non evidentem: utrumque tamen explicandum est.

1) Nimirum quod ad *certitudinem* rei pertinet, in *iudicio*, quando testimonium dicendum est de rei scientia, nullatenus sufficit cognitio ex aliorum relatione, neque ex hac sola aliquis sine periurio iurare potest, se rem *scire*, sed solum se haec *audivisse*: quia talis est prorsus intentio interrogantis. Cf. *Gousset* I, n. 473; *Scavini*<sup>10</sup> II, n. 102, not. 4. In aliis autem circumstantiis, ubi tam severa distinctio non fit, sufficit secundum *S. Alph.* III 148; *Tamb.*, In decal. l. 3, c. 2, § 1 aliosque ib. «probabilitas, quae ad *quandam moralem certitudinem* pertingit».

NB. Recte vero notat *Tamb.*, non omnem eam probabilitatem, quae in communi assertionem a mendacio excuset, excusare in iuramento. Exemplo rem declarat: Si scis, pium aliquem sacerdotem consuevisse cotidie celebrare, potes sine reatu mendacii dicere, eum hodie celebrasse, etsi nihil positive scis de hodierna celebratione, ex sola praesumptione; iuramento id affirmare non potes. Sic etiam intellige *Wirthmüller* § 43, 13 et *Bouquillon*, De virt. religionis n. 532.

559 2) Ad *restrictionem* quod attinet: periurium quidem est, a) *quacumque* restrictionem uti, quando interrogans ius habet ad nudam et plenam veritatem, aut b) uti quodcumque restrictionem *pure mentali*; peccatum veniale est<sup>1</sup>, in aliis circumstantiis sine causa satis iusta seu levius vel iocandi causa uti restrictionem non pure mentali citra damnum (grave) alterius; nullum peccatum est, ea uti ex iusta causa alicuius ponderis, idque etiam coram iudice non legitime interrogante. Cf. *S. Alph.* n. 151 et n. 170. Plura vide tum in explicatione praec. VIII decal., tum in oblig. rei, testis etc.

3. Iurare promiscue non attendendo, utrum res vera sit an falsa, est sine dubio consuetudo ex obiecto mortaliter peccaminosa: monet nihilominus *S. Alph.* n. 150, homines rudes *gravitatem* talis peccati saepe non attendere; atque prudentiae confessarii tum esse, potius non expresse monere de *gravitate* peccati eos, quos videret non facile sese emendaturos, sed eos cum seria et forti admonitione extirpandi hanc pravam consuetudinem dimittendos esse, ne ex materiali peccato fiat formale.

<sup>1</sup> Haec prorsus notanda esse duxi, maxime cum recentiores scriptores illicitum quidem esse dicant, sine iusta causa uti restrictionem in iuramento, at distinguere omittant, quando mortaliter, quando venialiter sit illicitum. Cf. *Wirthmüller* l. c. § 43, 13; *Linsenmann*, Moraltheologie § 131.



4. *Defectus iustitiae* sive honestatis — sumitur enim hic iustitia pro 560 qualibet honestate — multiplex occurrere potest atque diversus.

1) Atque primo quidem in iuramento *ut assertorio*. Non igitur defectus iustitiae est ex eo, quod *res* asserta sit iniusta, sed ex eo, quod *rei assertio* seu actus asserendi iniustus sit. Idque grave peccatum contra religionem est novae malitiae superadditae, si quis iuramento utitur ad illam actionem ex se graviter malam promovendam, efficaciorē reddendam; quia divina auctoritate abutitur, ad promovendum finem mortaliter malum. Ita fit v. g., quando aliquis calumniam iuramento confirmarit (quod iam ratione mendacii *semper* grave peccatum peierandi est); atque etiam, quando detractionem veritate nixam, sed graviter peccaminosam, iuramento confirmat et promovet.

At si actus iuramento *confirmatus* in se venialiter solum malus est, neque veritas deest, censetur malitia contra religionem solum venialis.

Immo si actio in se graviter quidem mala est, iuramentum autem non promovet finem graviter malum, ut si quis iactando se de peccato gravi iuramentum adiungit: haec irreverentia *Suarezio* tr. 5, l. 3, c. 12, n. 8 aliisque cum *S. Alph.* III 146 non ita gravis videtur, ut novam mortalem malitiam addat, utpote quae non proprie promoveat iactantiam; aliis videtur mortalem sacrilegii malitiam addere. Vide *Tamb.* l. c. cap. 1, § 4, n. 6.

2) Defectus iustitiae in *promissorio* iuramento habetur, si quis pro- 561 mittit actionem peccaminosam. In quo quando quod promittitur graviter peccaminosum est, gravem etiam per iuramentum Deo iniuriam irrogari, nemo in dubium vocat. *S. Alph.* l. c. — Si promissa res est venialiter mala, maior difficultas est, affirmantibus aliis, aliis negantibus, esse gravem iniuriam. *S. Alph.* n. 146, 5 affirmat.

Ut dicam quid sentiam, utriusque sententiae aliquid dandum est. Videlicet si quis rem *ut malam* considerat atque tentat quasi honorandi Dei causa obligationem ad eam perpetrandam ex motivo religionis assumere, non video quomodo a gravi irreverentia seu potius blasphemia excusetur. At *ita procedere* etiam in iuramento *contra consilia evangelica*, quo quis iuret, se religiosum ordinem non esse ingressurum, gravis est iniuria, cum contemptum quandam consiliorum et contemptum Dei contineat.

Nihilominus *S. Alphonsus* iuramentum contra consilia evangelica factum tacite concedit peccatum esse ex se tantum veniale n. 146, 6; idque *practice* plerumque obtinet, quia, secluso contemptu, iurans solum vult affirmare, se sic et sic animo constitutum esse, non autem vult obligationem religionis contrahere omittendi consilia: quare malitia huius iuramenti potius oritur ex defectu *iudicii*. Idem igitur dici saepe potest, si quis iurat se facturum esse hoc et illud, quod venialiter peccaminosum est. Maxime autem tunc id in praxi dici debet, si iurans ad actionis, quam promittit, peccaminositatem minus attendit, ut si est actio vana, inutilis, otiosa; nam quis dixerit homines sic iurando *practice* graviter peccare? quod tamen dici necesse esset, si *universim* verum esset, iuramentum promissorium de re venialiter mala esse peccatum mortale. Rationes vide apud *Suarez* tr. 5, l. 3, c. 19, n. 3—8.

## § 2.

*De obligatione iuramenti promissorii.*

562 I. Iuramentum promissorium qua iuramentum est actus *accessorius*, qui ex se *supponit alium actum* natura priorem. Supponitur enim aut promissio late sumpta, quae ad alterum ut obligatoria non dirigitur, sed solum constantiam loquentis et fidelitatem in *proposito* dicit; aut promissio stricte dicta, quae ex se obligationem erga alterum parit, sive erga Deum, sive erga hominem. Cf. *Suarez* l. 2, c. 1, n. 14; *Linsemmann* § 130; *Müller* II, tr. 5, § 60.

II. Obligatio, quae ex iuramento promissorio formaliter qua iuramento oritur, semper est in ordine ad Deum eiusque honorem, seu ex virtute religionis, quatenus Deus ut testis et quodammodo ut fideiussor inducitur, quo firmius aliis persuadeatur, certam fore impletionem eius, quod promissum est. *Suarez* l. 1, c. 9, n. 5; l. 2, c. 2, n. 1—3, praesertim l. 3, c. 16, n. 10—13.

Si promissio ad Deum dirigitur, habetur votum iuratum: quod si occurrit, consideranda sunt ea, quae postea de voto dicturi sumus.

Universim autem actus, cui accedit iuramentum, ex natura *sui* est aut a) propositum, aut b) gratuita, sed vera et stricta promissio, aut c) contractus alterius speciei, etiam onerosus.

1. Obligatio religionis ex iuramento formaliter oriundae haec est, ne fides coram Deo ut teste summo et sollemni data frangatur. Quodsi enim iniuria infertur humanis testibus, si fides coram illis data frangitur, etiam Deo iniuria infertur laesa fide sic oppignorata.

2. Verum si adfuerit voluntas implendi, ut supra explanatum est, infidelitas in implendo admittit parvitatem materiae ad eum modum, quo in voto materiae parvitas admittitur: ita ex sententia communiore et, ut equidem opinor, etiam theoretice *unice vera*. Cf. *S. Anton.* p. 2, tit. 10, c. 4, § 1; *S. Alph.* III 173; *Tamb.*, In decal. l. 3, c. 3, § 3, n. 4; *Suarez* l. 3, c. 16, n. 9 etc.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Sunt quidem iique gravissimi scriptores, qui putent, quamlibet transgressionem iuramenti promissorii, etiam in re levi, grave peccatum esse, ut *Lessius*, De iust. etc. l. 2, c. 42, n. 23 sqq; *de Valentia* disp. 6, q. 7, p. 2: quibus recenter accessit *Bouquillon* l. c. n. 58. Cuius opinionis ratio in hoc uno consistit, quod in iuramento promissorio Deus invocetur *ut testis veritatis futurae* (ad quod omnes rationes a Lessio l. c. prolatae reducuntur). At haec ratio recte negatur et a *Suarez* l. c. contraria expositione plane solvitur, qua ostendit, induci quidem a iurantibus Deum ut testem praesentis voluntatis seu propositi, sed quoad futuram executionem Dei reverentiam et auctoritatem interponi, quo firmior evadat obligatio coram supremo rege et domino tantae auctoritatis contracta; nam etiam in actibus coram humanis testibus peragendis eos non induci tamquam futurae veritatis, sed ut praesentis obligationis testes, quorum auctoritas et reverentia, si promissio non impleatur, etiam laedatur. Et re quidem vera, si recta est opinio Lessii, obiectum, quod in iuramento promissorio asseritur et per Deum ut testem confirmatur, erit futuri eventus veritas. At quomodo, si ita est, Ecclesia vel ipse Deus in tali iuramento potest dispensare, cum ipse se mendacem fieri permittere non possit? Quodsi, ut id effugias, dicis, intelligi veritatem futuram conditionatam «nisi facta fuerit condonatio etc.», id ipsum ostendit, non eventum re ipsa *futurum* — quippe qui ne sit futurus, per conditionem aliquam inductam iuranti liceat procurare — esse obiectum assertionis, sed *animi propositum seu promptitudinem*. At si tandem delaberis ad *hoc* obiectum, quod per Deum a iurante asseratur, statuendum, non est ratio cur dicas *futuram* animi promptitudinem intelligi, non solam *praesentem*.

3. Immo peccatum quod iuramenti promissorii laesione fit etiam in re gravi, mortale quidem est, levius tamen quam voti laesio; at haec ipsa vincitur malitia periurii, quod asserendo falsum committitur. Vide *S. Thom.* q. 89, a. 8; *Suarez* l. c. et l. 2, c. 3, n. 5—9.

Ex qua *S. Doctoris* doctrina plane sequi videtur, iuramenti qua assertorii et qua promissorii tum obligationem tum actum habere formaliter diversum respectum ad virtutem religionis. Cf. *Suarez* l. c. l. 1, c. 9, n. 4; *Bouquillon*, De virt. relig. n. 573.

4. Quod dicitur obligatio iuramenti *accessoria*, id non ita concipi debet, ac si obligatio religionis minor sit, nam vere gravior est quam obligatio erga hominem contracta; at haec altera obligatio fundamentum est, quo corridente, corrumpit obligatio religionis, ut modo magis explicandum est.

III. Promissorium iuramentum implendum est, quamdiu sine peccato potest impleri, modo agatur de re sub iuramento eiusque obligatione vere comprehensa. *S. Alph.* III, n. 174.

Ut autem intelligatur, quid sub iuramenti obligatione comprehendatur, videnda est tum intentio iurantis, tum natura actus, quem iuramentum supponit; nam regula est communiter admissa: «Iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit.» *Elbel* III, n. 65 sqq; *S. Alph.* n. 180; *Müller* II, § 60 etc.

1. Iuramentum implendum esse, quamdiu impletio non evadat peccaminosa, maxime verum est, quando iuramentum fit in utilitatem alicuius hominis (*S. Alph.* n. 177); nam si soli Deo fit, ab obligatione *absoluta* iuramenti promissorii excludi debet actio non solum peccaminosa, sed etiam «boni melioris» impediens, ut agentes de voto infra dicturi sumus.

2. Quando res ex se non mala ex circumstantiis mala evadit, obligationem nullam, adeoque neque iuramenti obligationem ad id sese porrigere posse, clarum est. — Rei autem malae sub iuramento promissio quale peccatum sit, supra dictum est; obligatio est *nulla*, sive res mala sive inutilis plane est, modo sit ex omni parte et cum circumstantiis concretis plane inutilis. Velle enim rem malam vere quasi ex iuramenti obligatione et religionis causa facere, continet errorem graviter sacrilegum, etsi agatur de re venialiter mala, ac si Deus re utcumque mala honorari possit. At, potissimum in re venialiter mala, homines id vix considerant. Quare (seclusa illa erronea intentione) si quis promissum exsequitur *propter iuramentum*, practice est gravis aut levis malitia superaddita contra religionem pro malitia gravi aut levi ipsius rei promissae in se spectatae iuxta id, quod dictum est n. 561 de defectu iustitiae in ipso iuramento promissorio. Cf. *Tamb.* l. c. c. 3, § 3, n. 5; *Suarez* l. 2, c. 14 et c. 15 et l. 3, c. 19.

3. Difficultas oritur, quando quaerunt de obligatione iuramenti metu in iusto extorti. 1) Omnes conveniunt, non oriri obligationem iustitiae erga iniustum promissarium, v. g. latronem, qui metu incusso alterum coëgit, ut iureiurando promitteret pecuniae summam, sed eum prorsus obligari ad reddendam pecuniam, si qua data fuerit, et ad remittendam totam promissionem; immo promittentem, si solverit pecuniam propter iuramentum, posse nihilominus pecuniam datam repetere.

2) Omnes etiam conveniunt, a legitimo superiore posse concedi dissipationem seu dissolutionem obligationis iuramenti qua talis; qua facta, omnem obligationem prorsus cessare.

3) Immo neque controversia est, sed fatentur omnes, licere in tali casu, iurantem restrictione uti «dabo tibi, quatenus tu ius acquisiveris»: quodsi ita iuraverit, obligatio nulla erit.

4) Verum si iurans id nescivit, aut non cogitavit, ac proin serio iuravit: plerique dicunt, nisi facta fuerit iuramenti dispensatio, iuramentum impleri debere, posse tamen statim rem datam rursus auferri. Vide *S. Alph.* n. 174 secundum *S. Thom.* 2, 2, q. 89, a. 7; *Suarez* l. 2, c. 10; *Lugo*, De iust. et iure d. 22, n. 195; *Elbel* III, n. 57 etc. Sunt tamen alii, qui dicant, aut oriri nullam obligationem, sed iuramentum esse irritum, utpote de re inutili (cum adsit facultas rem ipso illo momento, quo data fuerit, repetendi), aut rescindi posse obligationem ab eo, qui metum passus sit: *S. Antonin.* p. II, tract. 10, c. 6 *quintus casus*; *Azor* cum aliis. Verum si dicitur iuramentum esse de re inutili, potius sequi videtur, eum, qui nolit iuri suo repetendi renunciare (quod si libere voluit, tenetur etiam propter iusiurandum rem promissam dare), iurando *obiective male agere*, nisi iuret cum restrictione.

565 4. Quod ad intentionem iurantis attinet, ex qua metienda sit obligationis extensio, obligationis interpretatio, non parit difficultatem, si intentio iurantis *explicite* restricta fuit, modo licite restringi potuerit. Verum si expresse non fuit restrictio addita, videri debet aliquando, num ex ipso fine iurantis erui possit intentio implicite restricta. Sic qui iuravit, se lusurum amplius non esse, si finis erat, ut vitaretur peccatum, obligatio non est abstinendi a lusu honesto et moderato — qui finis supponitur, nisi constet de contrario (*S. Alph.* III 178); similiter si finis erat evitare peccandi *periculum*, non est obligatio abstinendi ab eo lusu, in quo neque in se neque ex conditione ludentis ullum est peccandi periculum; si finis erat agere opus supererogatorium mortificationis per totalem abstinentiam, obligatio ad omnem lusum extenditur. Ib. — Similiter dic de iuramento vitandi certam domum etc.

5. Limites obligationis iuramenti promissorii explicari solent per regulam: «iuramentum sequitur naturam actus». Quae intelligitur de *sensu* iuramenti, non quasi per iuramentum non alia aut firmior obligatio fieret: vide *Suarez* l. 2, c. 32, n. 4. Secundum hanc igitur regulam dicendum est.

566 1) Promissio iurata, si erga alterum ut obligatoria dirigitur, ante acceptationem non valet, ita ut, non obstante iuramento, a promittente revocari possit, eo quod «promissio» compleatur tandem per acceptationem: aliter dicendum est, si iurans intendit obligationem erga solum Deum; nam haec independenter ab omni humana acceptatione, ac proin statim, enuntiatione promittentis (sive externa sive interna) perficitur.

2) Quod de acceptatione dictum est, suo modo intelligitur etiam de remissione ex parte eius, ad quem promissio facta est, ita ut, eo remittente, etiam iuramenti obligatio corruat: immo si mutua quaedam obligatio inita fuerit, conditio tacite intelligitur: «modo alter etiam fidem servet».

3) Aliae conditiones seu restrictiones tacite subintellectae in quolibet iuramento sive iure sive consuetudine sunt: «si potuero, aut si licite potuero; nisi superior legitime contradixerit; nisi res notabiliter mutatae fuerint» vide *Tamb.*, In decal. l. 3, c. 2, § 4.

Quare, si res, quae nunc possibilis, licita, utilis est, evadit impossibilis, illicita, inutilis ad finem intentum, obligatio iuramenti non subsistit ad rem cum illis circumstantiis.

Notabilem mutationem sive rei in se sive circumstantiarum, quae efficiat, ut iuramenti obligatio eo usque non extendatur, ex sententia *S. Alph.* n. 187 illam habe, quae, si praevisa esset, iurans non promississet. Quod si dubium



manet, praesumptio est pro iuramenti obligatione: relinquitur tamen quoad obligationem erga Deum relaxatio, de qua sq. art.

4) Iuramentum numquam censetur factum in praeiudicium tertii, quando tertii illius utilitas sive ex iustitia sive ex caritate a iurante procuranda vel non impedienda est.

5) Iuramentum, ad quod aliquis dolo vel errore permotus est, non valet: cum etiam talis promissio corruat, utpote non satis voluntaria et libera. Id intellige a) de quolibet errore *substantiali* etsi errore cognito iurans nihilominus promississet, siquidem de facto voluntaria promissio non fuit; b) de errore accidentalium autem illo tantum, qui ita notabilis est, ut error, si fuisset cognitus, iurantem a promissione retinisset.

6. Iuramentum contractui additum quando contractum aliter irritum aut rescindibilem ratum et firmum faciat, expendendum est in tractatu de contractibus.

Coronidis instar addo, quo sensu sumatur obligatio iuramenti, quod<sup>567</sup> aliquando fit in conventibus et consultationibus circa secretum servandum; item de iuramento, quod exigitur sive ab alumnis, servandi regulas, statuta, sive a viris in officio constitutis servandi leges, fideliter implendi officia etc.

Nimirum respondeo cum *S. Alph.* n. 181; *Elbel* p. III, n. 90—92:

1) Secreti servandi gravis est obligatio, quatenus grave nocumentum ex laeso secreto sequi potest; levis, si damnum nullum aut leve est; nulla, si aliunde res patefacta est neque de damno amplius agitur. Immo aliquando ad damnum aliorum praecavendum vel ad necessitatem sublevandam obligatio esse potest secretum non servandi: nam iuramentum *sequitur naturam secreti* (cf. postea de secreto).

2) Iuramentum servandi statuta . . . a) intelligitur de statutis *editis*, non de *edendis*; b) intelligitur de statutis, legibus, quae adhuc in vigore sunt — quare si quae sunt in codice non expunctae quidem, sed desuetudine . . . abrogatae, ad eas iuramentum non extenditur; c) intelligitur de observandis tam diu, quamdiu vigent neque contraria consuetudine forte abrogabuntur; d) intelligitur de observandis aut sub gravi peccato, aut sub levi, aut sub consilio tantum, aut sub poena tantum, prout ipsa res aut lex vigens id postulat.

Quare non est obiectum iuramenti, quod iurans numquam aliquod<sup>568</sup> statutum transgressurus sit, sed quod velit vere statutis, legibus *subiacere*, eaque communiter observare, de cetero autem, si forte transgressio accidat, animadversioni obnoxius esse.

3) Quod attinet ad iuramentum in leges civiles, constitutiones emissum evidens est, id obligare numquam posse ad servandas leges divino aut ecclesiastico iuri contrarias. Immo si, quando iuramentum postulatur, fervet dissidium inter statum et Ecclesiam, ita ut leges Ecclesiae Deoque contrariae *effervantur* vel urgeantur, iurare non licet, nisi adiecta clausula et exclusis illis legibus. Si vero eiusmodi leges in codicibus

quasi sepultae iacent, etsi ab auctoritate civili non explicite pro irritis habeantur, necesse non erit, clausulam illam expresse addere, cum quilibet rationabiliter agens, qui iuramentum excipit, sensum iuramenti sic sumere et intelligere debeat, ut censeatur versari circa solas leges re ipsa validas: ita etiam sentit pro America *Kenrick* tr. 3, n. 68; *Sabetti* n. 224, Q. 2°.

4) Simile quid nota de quolibet iuramento *fidelitatis*, et de iuramento *militari*: quod sane intelligitur sub consuetis conditionibus, nec quidquam iuberi potest, quod sit contra leges divinas. Vere enim impium et blasphemum esset, iuramenti obligationem ita velle extendere, ut contra Deum eiusque praecepta putaretur valere.

569 Scholion. Iuramenta, quae in humano commercio aliquando leviter fiunt, v. g. puniendi filios, alterum non praecedendi urbanitatis causa, pluris non emendi vel minoris non vendendi: saepe non obligant ad id, quod verba sonant, quia a) aut deerat intentio iurandi, b) aut res est in se inutilis vel illicita, c) aut mutatae sunt circumstantiae, d) aut verba ipsa ut mera formula sensum illum ex usu non habent, quem per se prae se ferunt; v. g. nolle alterum praecedere significare potest, exhibere velle *qualemcumque actum* urbanitatis. Insuper si tandem iuramenti obligatio obtinet, fere semper res *levis* est. Cf. *Tamb.*, In decal. l. 3, c. 3, § 3, n. 6.

### § 3.

#### *De obligationis iuratoriae dissolutione.*

570 I. Dissolvitur iuramenti obligatio diverso modo (fere per irritationem et dispensationem): 1. mediate, scil. subtrahendo fundamentum iuramenti, quo sublato iuramenti obligatio corrui; 2. immediate auferendo obligationem religionis: quod posterius tum fieri potest, quando obligatio stricta ex solo iuramento est, vel erga solum Deum existit, nulla vero erga homines obligatio exstat.

II. *Mediate* solvitur iuramentum a) per renuntiationem eius, qui ius acquisiverat; b) per superiorem auctoritatem, quae aliorum ius extinguere possit: de quibus aut supra (art. praeced.) egimus, aut infra (in materia contractuum pertractanda) acturi sumus. Hic praecipue notamus facultatem solvendi iuramenti ex parte eius, qui habet *potestatem* 1. *in iurantis voluntatem*, ita ut iste, utpote non sui iuris, ex sese firmiter se obligare *nullatenus* possit, sive 2. *in rem ab altero promissam*, ita ut iurans *in hac re* firmam promissionem facere non potuerit. Quae dissolutio dicitur iuramenti *irritatio*, prior *directa*, *in-directa* altera.

III. *Immediate* solvi potest iuramenti obligatio per ecclesiasticam auctoritatem, nimirum per potestatem S. Pontificis et episcoporum atque per alios secundum R. Pontificis voluntatem legitimamque delegationem: quae dissolutio *dispensatio* vocatur. Cur et quomodo haec

potestas Ecclesiae vindicari debeat, postea de voto agentes dicturi sumus; eadem enim de voto et de iuramento ratio est.

IV. Irritatio valida est, etsi non semper prorsus licita, sine specialia causa, neque fieri vetatur in iuramentis in tertii favorem emissis; dispensatio valida fieri nequit, ne a Summo Pontifice quidem, sine iusta causa; quare cum in iuramentis in favorem tertii emissis, quando ille ius acquisivit et retinet, iustitia dissolutioni promissionis obstat, etiam religionis obligatio tum communiter non remittitur. Alias autem iusta causa non tanta sit oportet, quanta requiritur, ut sine dispensatione iuramenti obligatio censeatur abesse secundum ea, quae superius dicta sunt praeced. § n. 565 et 566.

Ceterum haec tetigisse hic sufficiat. Plenior lucem accipient ex iis, quae in simili prorsus causa de votis fusius mox disputaturi sumus. — Cf. etiam in tota hac re scriptores supra allatos.

#### § 4.

##### *Appendix de adiuratione.*

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 90; *Suarez*, De relig. tract. 5, l. 4.

Adiurare in genere est invocare nomen Dei, Sanctorum, vel alicuius personae excellentis, ob cuius reverentiam vel timorem alter inducatur ad aliquid agendum. Potest fieri aut deprecativae, aut imperativae. — Non semper est actus religionis: nam fieri potest per invocationem hominis, v. g. «obtestor te per amorem patris tui» etc.

Hic autem consideramus adiurationem, quae fit per Deum, sive directe, sive indirecte (i. e. invocando creaturam, quae specialem cum Deo relationem habet, atque Deum in illa et per illam invocando).

I. Adiuratio sic concepta actus religionis est, scil. professio divinae excellentiae, quae apta sit ad quemlibet ex reverentia vel timore permovendum. Habet aliquam similitudinem cum iuramento. Nam sicut iurans se firmius obligat invocata Dei auctoritate, ita conatur per adiurationem firmiorem vim addere inductioni, qua vult alterum ad aliquid permovere, adducta divini numinis excellentia. — Si quis autem per Sanctos adiurat sistendo in ipsis, actum *duliae* facit. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 90, a. 1.

Recte monet *Suarez* l. c. c. 1, n. 8 adiurationem minorem continere cultum Dei quam iuramentum, siquidem remotius in honorem et reverentiam Dei vergit. Qui enim iuramentum emittens Deum inducit, ipse reverentiam erga Deum immediate profitetur, atque suo actui, quo quid asserit vel promittit, summam firmitatem conciliare nititur iuxta mensuram ipsius divinae auctoritatis: qui vero aliquem adiurat, divinam excellentiam et maiestatem alteri solum proponit, quo melius moveatur, ut sibi obsecundet; profitetur igitur, Deum maiestate sua summe excellere, sed non ita immediate exercet ipse reverentiam, sicut qui iurat.

II. Adiurari possunt omnes creaturae rationales, deprecativae eae, in quas auctoritatem non habemus; imperativae eae, in quas auctoritatem habemus, maxime daemones. — Deus proprie adiurari nequit, cum non habeat aliquem, qui sit se excellentior: tamen analogice adiurari potest per se ipsum suaeque attributa. Creaturae irrationales adiurari tantum improprie possunt, videlicet aut Deum deprecando, ne illas nobis nocere sinat, aut daemonem adiurando, ut per illas nocere desinat.

III. Adiuratio, ut licite fiat, debet habere conditiones iuramenti conditionibus similes, videlicet veritatem, iustitiam, iudicium.

*Veritas* sumitur a) ut fiat per verum Deum: huius conditionis defectus utique mortalis est; b) ut adiurans verum dicat, quando alterum ad aliquid inducit; cuius conditionis defectus plerumque venialis est, ut si quis fingens se pauperiorem — modo ne hoc iuramento confirmet — alios obsecrando et adiurando inducit, ut sibi eleemosyna, ex toto parva, detur.

*Iustitia* intelligitur, ut ad rem honestam adiurans tentet inducere: de cuius defectu idem dici debet ac de defectu iustitiae in iuramento promissorio.

*Iudicium* intelligitur, ut sit res alicuius momenti, in qua adiuratio adhibeatur: cuius conditionis defectus per se venialis est. Vide *Tamb.*, In decal. l. 3, c. 8, § 1, n. 1—6.

574 IV. Speciatim de adiuratione daemonis seu exorcismo dici debet, eam *debere fieri imperative*; nam deprecari daemonem sine gravi peccato non possumus. — Item iocari cum diabolo, quando de exorcismo obsessi agitur, aut inutilia cum eo agere, est peccatum ex genere suo grave; at secundum communem sententiam admittit parvitatem materiae, uti esset una alterave curiosa interrogatio. Vide *Tamb.* l. c. § 2, n. 5, cum *Suarez*, *Sanct.*, *Nav.*, *S. Alph.* III, post n. 193. A fortiori grave peccatum est proprii obsequii sive famulatus causa a diabolo aliquid exposcere, seu quidquam agere, quod commercium familiaritatemque denotat: vide *Tamb.* ib. n. 10.

V. Publice exorcismum exercere secundum *S. Alph.* l. c. ex hodierna praxi licitum non est Ecclesiae ministris sine expressa licentia episcopi: communiter grave peccatum videtur esse aliter agere propter periculum gravis scandali, aut quando expresse prohibitum est ab episcopo. Vide etiam particularia decreta hâc in re in Coll. Conc. Lac. VI ad vocem *Exorcismi*.

Ita tamen dici nequit de exorcismo privatim etiam a ministro Ecclesiae et adhibitis orationibus Ecclesiae secundum formam Ritualis facto, nisi etiam huius exorcismi usus speciali lege dioecesana prohibitus sit: immo solas preces Ecclesiae contra diabolium in probabili opinione eius infestationis homo laicus sine culpa recitare potest; attamen ipso nomine Ecclesiae, quod minister Ecclesiae potest, agere nequit.

VI. Quid vero exorcista in adiuratione diaboli observare debeat, supervacaneum est addere, quoniam in Rituali Romano omnia necessaria documenta reperias.

VII. Quamquam ex una parte id evitari debet, ne nimis increduli daemonicam manifestationem, quam suspicantur adesse, omnem ad aniles fabulas relegemus: ex altera parte sacerdos etiam id debet cavere, ne incautus daemonicas obsessiones vel infestationes facilius adesse iudicet, cum diversi generis morbi morbidaeque nervorum praecipue atque inde exortae affectiones, mirum sit, quam singulares apparentias producere valeant. Si igitur possibile est, pii alicuius medici consultationem ne respuat; maxime autem deceptionis atque incautae credulitatis pericula vitabit, si Rituali Romano atque eius signis, quibus daemonis infestationes distinguere possit, studiose inhaereat illasque regulas sobria prudentia applicare conetur.



*Articulus II.***De voto.**

Cf. imprimis *S. Thom.* 2, 2, q. 88; *Suarez*, De relig. tract. 6; *Sanch.*, In decal. l. 4; *Less.*, De iust. et iure l. 2, c. 40; *Bouquillon*, De virtute relig. n. 302—502; *Pruner* I, n. 273—280. *Scavini*<sup>10</sup> II, n. 61—94 227—237; *Elbel* III, n. 175—328; *S. Alph.* III, 194—262; *Wirthmüller*, Die mor. Tugend der Religion; *Kirchberg*, De voti natura; aliosque in decursu tractatus laudatos.

Votum est ex doctrina *S. Thom.* 2, 2, q. 88, a. 1 et 2 «promissio<sup>575</sup> Deo facta»; quae definitio totam voti essentiam declarat; alia, quae adduntur tantummodo explicatio quaedam sunt, in nucleo iam istis verbis contenta. Immo etiam exhibet voti excellentiam. Nam non solum ipsa promissio Deo facta actus religionis, virtutis nobilissimae, est, sed etiam id ipsum quod promittitur, huius virtutis honestate eximia imbuitur et informatur. Aliae rationes ex quibus voti laudes efferri mereantur, vide infra n. 591 sq. Ut igitur plenius tota res tractetur, agemus 1. de actu promittendi, 2. de re, quae promittitur (de materia sive obiecto voti), 3. de obligatione illius promissionis, 4. de voti seu eius obligationis cessatione.

## § 1.

*De actu vovendi.*

Quamquam in promissione necessaria est acceptatio eius, cui aliquid promittitur, ut erga eum promittens obligetur, tamen ab illa conditione in voto abstrahere possumus, siquidem Deus omniscius et ubique praesens censetur statim promissionem acceptare, modo de re sibi beneplacenti agatur. Quare si reliquae condiciones tum in actu vovendi, tum in obiecto promisso verificantur, de acceptatione disputari nequit. Id de voto in solum Dei honorem facto. — Ceterum hac de re expressa habemus Dei monita, imprimis Dt 23, 21 sqq: «*Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requireret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.*» Similiter Eccl 5, 3.

A. **Essentia voti.** Promissio, qua Deo aliquid vovemus, debet esse<sup>576</sup> *seria et vera*, i. e. susceptio obligationis in conscientia sub peccati reatu, non merum propositum; debet esse satis *deliberata*, quae procedat et ex cognitione tum verae promissionis tum rei promissae, et ex libera voluntate: quare tum defectus intentionis sese obligandi, tum indeliberatio, tum ignorantia vel error, tum defectus libertatis seu metus voto obstant. *S. Alph.* III 196 199 ex *Busenb.* et com. sent. Explicantur singula:

I. **Defectus intentionis sese obligandi:** 1. Falluntur nonnumquam rudes homines, eo quod propositum coram Deo factum pro voto habeant. Neque sane sufficit ad votum dicere «promitto», quia hoc saepe solum denotat firmum propositum. Quare inquirendum est, utrum voluerint

vere specialem obligationem contrahere et sub novo aliquo peccato Deo adstringi, annon.

2. Qui dubitat, utrum votum fecerit an merum propositum, si ex adiunctis res rationabiliter certa fieri nequit, non obligatur; nam ut legis, ita etiam voti existentia probari debet.

3. Qui fecte vovet, nolens sese obligare, per se ad votum non tenetur, neque *per se* graviter peccat, sed peccatum ex gravioribus venialibus committit, attamen ratio gravis scandali, vel contemptus, vel gravis deceptio tertii si accedunt — ut sane accedere possunt — mortalem culpam efficiunt. *S. Alph.* III 201, q. 2 ex *Sanchez*, In decal. l. 4, c. 1, n. 38; *Suarez*, De Relig. tract. 6, l. 1, c. 3, n. 13 sqq et l. 5, c. 1, n. 4 sqq; *Salmantic.* etc.

577 II. Defectus deliberationis: 1. Requiritur ad vovendum aetas discretionis, in qua gravis peccati committendi homo capax est. At etiam nondum eo ipso constat de sufficienti cognitione et deliberatione voti. Verum si post septennii aetatem votum emissum est, ut dicatur invalidum, defectus sufficientis cognitionis probari debet; si ante septennium, e contrario, ut dicatur validum, probari debet, adfuisse sufficientem cognitionem: *S. Alph.* n. 196.

2. Qui habitualiter nescit, quae sit voti obligatio, etsi verbotenus promittit, verum votum non facit: nisi forte post annos plenae discretionis per voluntatem praevalentem omnino ita facere intendat, ut alios facere audivit vel vidit: quod si vult, ex ignorantia iam non procedit promissio, sed ex cognitione et voluntate, qua aliorum exemplo se prorsus conformare velit. *Reuter* II, n. 328.

3. Qui autem habitualiter novit voti obligationem atque deliberate aliquid Deo promittit, votum verum facit, etsi forte in actu vovendi ad obligationem non expresse attenderit, aut non attendisse sibi videatur: nam supposita plena cognitione, attentio confusa sufficit. Alias enim de valore quam plurimorum actuum humanorum eodem modo dubitari liceret, quod quam absurdum sit et humani commercii subversivum, nemo non videt. *Reuter* ib.

578 III. Error in voto. Qui erravit in re promissa, voto non tenetur, si error erat: a) de rei substantia utcumque; b) de rei circumstantiis talibus, quas si cognovisset, non vovisset, v. g. peregrinationem pedestrem, quam putavit esse 3 leucarum, cum sit 10; c) circa causam finalem, v. g. ad impetrandam sanitatem patris, quem *false* audivit aegrotare (quod in votis puris et perfectis non potest accidere). In votis tamen, per quae vitae status assumitur, nullus error votum invalidum facit, nisi versetur de rei substantia. *S. Alph.* n. 198, 7. Alioqui scil. de stabilitate vitae actum esset ac via panderetur ad perpetuas mutationes non sine gravi damno tertii; siquidem instituti religiosi multum interest, non adeo facile posse eos, qui se tali instituto addixerunt, illud iterum relinquere. Paucis, eiusmodi vota per modum contractus bilateralis et onerosi fiunt, atque analogiam cum matrimonio habent; quare simili etiam *firmitate* utantur opus est.

Nota tamen etiam quoad alia vota ut non obligent aliquando propter errorem circumstantiarum, me dixisse de errore 1) circa «rei circumstantias». Nam error aut ignorantia aliarum circumstantiarum, quae rem nullatenus attingunt, sed plane accidentales sunt, non possunt excusare a voto, etsi vovens, si illas praevidisset, a voto abstinuisset. Sume, Titum vovisse ieiunium pro fer. IV; verum postea pro illo die invitatur ad convivium ab amico; quod si praevidisset, non vovisset. Nihilominus voto tenetur; quia non est circumstantia rem mutans.

2) Me locutum esse «de circumstantiis, quarum cognitio votum impedivisset»: nam si qui error minoris momenti occurrit, standum est voto; cum in qualibet rationabili promissionis interpretatione idem observetur. Cf. Sanchez l. c. c. 2, n. 6 et 7; S. Alph. n. 226.

IV. Metus voto obstans. Votum emissum ex metu iniuste incusso<sup>579</sup> ad votum extorquendum ex sententia practice tuta invalidum est. Vide S. Alph. n. 197.

Nimirum 1) certo invalidam declaravit Ecclesia, et, si opus fuit, invalidam fecit, professionem religiosam sic emissam ex metu gravi.

2) Probabiliter idem valet de quolibet voto; immo insuper satis probabile est, Deum censendum esse non acceptare eiusmodi promissionem, cum ne inter homines quidem firma obligatio ex tali promissione oriatur.

3) Num autem metus levis eundem effectum habeat, difficilius discernitur: in professione religiosa id admitti nequit, cum in humano commercio, quando utrimque obligatio contrahitur, levis metus attendi non possit; neque in aliis votis privatis et occultis facile credi potest, metum levem fuisse veram et solam causam votendi; si tamen sola causa fuit, satis probabile videtur, votum illud non valere, quando in solo conscientiae foro res agitur. Reuter l. c. n. 331 c; Suarez etc.

4) Si autem metus non iniustus erat, vel metus «ab intrinseco» (vide n. 84), ex eo votum invalidum non fit: quamquam, ut postea dicetur, causa dispensandi facilius adest.

**Scholium.** Votum proprie dictum est promissio *Deo facta*. Si quis<sup>580</sup> igitur aliquid promittit *Sanctis*, sistendo in ipsis, est actus voto similis quidem, sed inferior, nimirum actus *duliae*, seu votum latiore vel improprio sensu. Plerumque autem promissio erga Sanctos ita sumitur, ut ad honorandos Sanctos Deo aliquid promittatur: quod est sensu proprio votum. Suarez l. 1, c. 16; S. Thom. l. c. a. 5.

Quoniam de illis promissionibus, quae improprie vota dicuntur, speciatim non agemus, hic notari potest, ea, quae de irratione, dispensatione etc. dicuntur, etiam ad eiusmodi vota impropria referri posse. Cui enim in Ecclesia Deus potestatem dedit dispensandi suo nomine in promissione *sibi* facta, illi etiam competere dicenda est facultas remittendi promissionem Dei domesticis factam, qui unum corpus morale et mysticum nobiscum constituunt.

**B. Votorum distinctio.** 1. Primo distingue votum *publicum* et *privatum*,<sup>581</sup> prout aut in facie Ecclesiae emittitur, eiusque observatio quodammodo sub custodia Ecclesiae ut fideiussoris collocatur, aut a vovente pro se emittitur.

2. Distinguitur votum *sollemne* et *simplex*, prout votum innititur sollemni consecratione per religiosam professionem ordinesve sacros, aut in ea non innititur. Verum accuratius discrimen voti sollemnis et voti simplicis explicare, quando utrumlibet voventem facit religiosi ordinis membrum, potius illius loci est, ubi de statu religioso disseritur.

3. Votum *absolutum* et *conditionatum* quid sit, fere ex nomine intelligitur. Conditionatum igitur votum, impleta conditione, evadit perfectum. Verum hic illud fac attendas, non omnia, quae per modum conditionis exprimuntur, esse re ipsa conditiones veri nominis, sed saepe solum temporis designationem: quod probe notandum est, cum ea, quae de faciliore solutione conditionati voti postea dicturi sumus, respiciant tantum conditiones vero sensu sumptas. Etiam si enim talis sensus particulae «si» ad barbarismum in lingua latina spectat, notum est, non omnes ad regulas grammaticae loqui, neque talem usum, qui particulam temporis cum conditionali particula confundat, tum in latina, tum maxime in aliis linguis esse infrequentem. Accipe exemplum: «Si convaluero, promitto ingressum in ordinem religiosum», aut ita sumi potest, ut non absolute ad vitam religiosam afficiar, sed quasi in compensationem boni illius, quod a Deo peto et spero, sanitatis restituendae — habes conditionatum votum; aut ita sumi potest, ut absolute quidem electurus sim vitam religiosam, at pro tempore futuro, quo, ut spero, sanitati fuerim redditus. Clarius etiam id habes, si dicis: «Promitto vitam religiosam, si parentes mortui fuerint»: quod raro sumitur pro vera conditione, *quae puritatem affectus erga votum inficiat* — ita enim *conditionem* intelligo —, sed pro temporis designatione.

582 4. Votum aut *purum* aut *ex alio fine factum* est, prout solus amor rei promissae et intentio Dei re illa promissa honorandi causa voti motiva est, aut alius finis proxime movens est: v. g. ad implorandam a Deo conservationem amici voveo piam peregrinationem. (Attende discrimen talis voti a voto conditionato: «si amicus salvus redierit». In utroque casu salus amici finis est; sed in uno casu statim me obligo ad rem piam praestandam, in altero postquam rem optatam a Deo obtinero.)

Ad eiusmodi vota etiam pertinent vota *poenalia*, per quae aliquis promittit certum aliquod opus pium pro casu, quod hoc vel illud peccatum commiserit. Dicuntur etiam *poenalia praeservativa*, quatenus homo tali voto sibi ipsi intendit frenum inicere, quo in suo officio facilius contineatur, ne peccet: e. g. «voveo ieiunium, si temperantiam laesero». — Eiusmodi vota sunt aut *mere poenalia*, aut *poenalia mixta*, prout non omissio peccati seu defectus, sed sola poena obiectum voti est, aut utrumque; posterioris exemplum habes: «voveo servare temperantiam; quod si laesero, ieiunare».

5. Votum est *determinatum* aut *disiunctivum*: prout res aliqua certa et determinata promittitur, aut unum aliquid ex pluribus per electionem et arbitrium (plerumque ipsius voventis) determinandum.

6. Votum dicitur *personale, reale, mixtum*: prout aut actio ipsius voventis promittitur, aut res aliqua utcumque danda, aut res danda per ipsam personalem voventis actionem; v. g. orare, eleemosynam dare, propriis manibus pauperem ad convivium recipere.

## § 2.

### *De re, quae promittitur in voto.*

588 Cum votum sit promissio Deo facta, obiectum promissum debet tum in potestate voventis esse, tum *Deo placere*: secus a Deo accipi nequit.

I. Ut igitur ex parte rei votum subsistat, res debet 1. esse *possibilis*, non solum in se et secundum physicas vires, sed etiam moraliter loquendo vires physicas et morales voventis excedere non debet; 2. debet esse res *moraliter bona*, immo *maioris boni non impediens*:



quod vocant *de bono meliori*. Nam si quid moraliter impossibile est, spectatis viribus voventis, sicut lex humanitus data non obligat: ita neque voluntaria electione coram Deo obligatio contrahi censetur. Si quid autem moraliter bonum non est, Deo honorandi causa offerri nequit; immo si maioris boni impediens est, etsi in se bonum, offerri quidem Deo *quando exercetur* potest, obligatio autem honoris divini causa id agendi, et consequenter obligatio a maiore Dei beneplacito abstinendi induci non potest. *S. Alph.* III 202 207.

**Explicatio.** 1. A voto excluditur igitur res plane inutilis, quae spectatis circumstantiis inutilis manet. *Reuter* II 333, 3; *S. Alph.* n. 204; *S. Thom.* l. c. a. 2.

2. Excluditur etiam ab obiecto voti actio obiective indifferens: nam etsi actiones obiective indifferentes modo Deo placenti exercere possumus et debemus, nihilominus cum non modus ille, sed res ipsa voveatur, promissio illius rei obligatoria esse nequit: nisi forte in peculiari casu actio ex se sola indifferens cum obiectivis circumstantiis, quibus moraliter bona reddatur, Deo promittatur. Accedit, ut saepe omissio eiusmodi actionis ex maiore virtute abnegationis fieri possit; quare sibi hanc omissionem *lege* interdicere, quia Deo displicet, impossibile est. *Ibid.*

3. Excluditur multo magis a voto res obiective mala: immo gravis iniuria <sup>584</sup> atque mortale peccatum est, si quis sciens et volens actum peccaminosum, etsi venialiter tantum, Deo promittere praesumat; vere enim blasphemus modo cum Deo agit. *S. Alph.* n. 205.

Idem dic de voto rei in se bonae, quae ex malo fine fieret, vel ad malum finem dirigeretur, v. g. aliquid vovere, ut successus belli iniusti obtineatur: sive votum absolutum emittis de re ante successum obtentum praestanda, sive conditionatum de re post obtentum successum facienda, similiter enim blasphemus committitur. *S. Alph.* III 206.

Quare qui promiserit aliquid «si duellum feliciter commiserit»: si intenderit adversarium profligare, votum invalidum est etiam post adversarium occisum; si vero intenderit solummodo suam salutem, cum incolumis servari possit sive adversario prostrato sive non prostrato, post evasionem ad rem promissam tenetur, sive per adversarii occisionem sive alio modo servatus est.

4. Si vero non res promissa ad malum finem dirigitur, seu si malus finis non rem ipsam *quae* promittitur attingat, sed actionem *qua* aliquid promittitur: votum propterea non est invalidum; nam etsi actio *vovendi* Deo displicet, actio *quae vovetur* placere potest. V. g. aliquis rancore, vel vanitate ductus promittit largam eleemosynam: si explendo seu exsequendo rem promissam alteri molestiam creare, aut auram popularem hauriri vult, votum nullum est; si vero solum ex actione vovendi vanitatem hausit, aut rancore irave ad actionem vovendi tantum permotus fuerit, votum ex hac causa non est nullum. Vide *Sanchez* l. c. c. 6, n. 12 et 13; *S. Alph.* l. c.

5. Votum, quod impedit impletionem legis ecclesiasticae, in illis circum- <sup>585</sup>stantiis non valet, aut, si generatim quidem valet, eius obligatio pro illis adiunctis non valet; excipe, si forte res promissa utilitate perfectioneve multum excedat obiectum legis per se urgentis, ita ut legislator dici debeat noluisse cum tanti boni dispendio legem urgere.

6. Votum contra praeceptum superioris emissum hoc ipso nondum est invalidum, si tantum vetuit sine suo consensu vovere: aliud est, si ipsa res promissa contra eius praeceptum est. Nam in priore casu actio quidem

vovendi illicita fuit, non autem ipsa res promissa eiusque executio evadit illicita; in posteriore casu ipsa executio, seu res promissa mala est. Cf. *Sanchez* l. c. n. 6.

7. Votum assumendi opera poenitentiae, si indiscreta corporis maceratio est, non valet, scil. quae inducit periculum *gravis* infirmitatis aut hominem ineptum reddit ad munera officii obligatoria implenda, immo in fundato dubio gravis periculi votum non obligat, siquidem eiusmodi periculo sese exponere nemini ex se licet sine gravi causa seu bono praevalente. Confer, quae dicuntur de caritate, quam homo sibi debet. *S. Thom.* l. c. a. 2 ad 3. Hinc qui *privatum* votum fecisset numquam comedendi carnes, si vita inde periclitaretur, voto non obstante, carnes edere *deberet*.

586 II. Res Deo placens certe est ea quae aliunde iam est obligatoria, eaque apta est quae Deo etiam per votum promittatur. Ita etiam votum fieri potest non committendi hoc et illud peccatum. At votum *suscipiendi statum contra evangelica consilia* communiter non valet.

Ratio, *cur* ea, ad quae agenda vel omittenda aliunde tenemur, Deo vi voti nos facturos omissurosve esse promittere insuper possimus, haec est, quia revera eo ipso aliquid novum Deo placens praestamus. Praecepta enim non obligant, ut ex motivo religionis impleantur aut velut signum cultus divini Deo exhibeantur. Quae autem ex voto peraguntur, eo ipso evaserunt signa cultus honorisque divini, atque novo utique vinculo ad ea peragenda ipsa religio voventem adstringit.

Ad quae nota: 1. Posse nos revera vi voti ad ea, quae iam praecepta sunt, obligari, ex praxi fidelium et ipsius Ecclesiae publico usu ita evidens est, ut probatione non indigeat. Quando enim Ecclesia votum castitatis sive imponit sive acceptat, obiectum voti non est solum, ut interdicatur matrimonium eiusve usus, sed singuli actus, qui caelibus iam interdicti sunt, nova voti obligatione prohibentur. Ita praeter *Wirthmüller* l. c. etiam *Pruner* l. c. § 3, n. 2 cum communi sent. Quare opinioni, quasi res aliunde praeceptae eo tantum sensu voti obiectum fieri possint, quod *specialis*, ex se nondum debita *diligentia* in implendis illis praeceptis promittatur, assentiri nequeo. Vide *Linsenmann* § 102.

587 2. Ut autem veri voti obligatio ineatur ad eiusmodi obiecta aliunde iam obligatoria, de intentione veri voti seu novae obligationis libere assumendae constare debet. Hinc quae dicuntur «vota baptismalia», veri nominis vota non sunt, etsi in illis emittendis vel renovandis vox «promitto, voveo» usurpatur. Nam intentio fidelium non est, novam speciem obligationis inire, sed id tantum confirmare, ad quod homo vi legis divinae tum naturalis tum supernaturalis ordinis iam tenetur. Si quis vero dixerit, ipsa *consecratione*, quae susceptione baptismi foederisque christiani fit, peccata christianorum omnia novam quandam malitiae speciem accipere, quae sit quaedam religionis laesio seu sacrilegii species, non est cur repugnem, immo id libens admisi supra *de peccatis* n. 332: modo concedatur, si *speciale votum* emissum fuerit, eiusmodi speciem irreligiositatis *novam* et fidei fractae formalem malitiam prorsus superaddi. Cf. *Bellarm.*, De monach. c. 19.

588 3. Votum non committendi *certum aliquod* peccatum est certe validum. Aliud autem dicitur de voto vitandi omnia peccata.

Quamquam enim quodlibet peccatum, si committitur, vitari possibile est — alias non esset peccatum —: moraliter tamen possibile homini non

est, vitare *omnia* peccata, etiam levia semideliberata; ergo, cum votum obiectum hoc formaliter exprimat, de re moraliter impossibili est, cuius obligationem homo sibi sponte imponere non debet. *S. Alph.* n. 203.

Verum, qui sic vovisset, «in quantum possum»: vi voti obligaretur *per se* ad vitanda mortalia, ad vitanda venialia plene deliberata, ad adhibendum diligentem curam evitandi semideliberata; at in *singulis* peccatis *semideliberatis* contra votum non peccaret toties, quoties tale committeret.

Dixi «per se»: nam non desunt graves auctores, qui dicant, pro homine imperfecto et inconstante invalidum esse votum numquam peccandi ullo peccato deliberato, immo invalidum esse votum numquam peccandi *ullo* peccato mortali etiam interno pro homine fragiliore. Verum si de vitando peccato mortali agitur, cum res sit per gratiam divinam moraliter possibilis ac proin constare non possit de voti nullitate, praefendum est, ut petatur dispensatio: vide *S. Alph.* l. c. — *Sanchez*, In decal. l. 4, c. 5, n. 17 haec habet de voto non peccandi umquam mortaliter ab homine fragiliore emisso, etsi non tantae fragilitatis sit, ut votum possit censeri irritum: «Homo fragilis peccaret venialiter emittendo hoc votum, immo posset esse tanta imprudentia ratione fragilitatis, ut peccaret *mortaliter*; adhuc tamen valeret votum.» — Neque haec temere excogitata sunt: cogita v. g. iuvenem aut puellam in caeno luxuriae diuturna consuetudine haerentem, qui ilico tale votum emittere vellet.

4. Votum faciendi semper id, quod perfectius visum fuerit, quod mi-<sup>589</sup>ramur in aliquibus Sanctis, permitti nequit nisi hominibus diuturna sanctitate probatis: idem dic de voto non committendi certum aliquod peccatum in iis speciebus, in quibus difficile valde est quemlibet venialem defectum vitare, ut in cogitationibus internis, in cibo et potu sumendo, in verbis otiosis vitandis etc. Vide *Sanchez* l. c. n. 18.

5. Inire matrimonium communiter nequit esse obiectum voti, cum impediatur maiorem perfectionem. Valere igitur potest 1) relate ad matrimonium cum certa persona ineundum, quando aliunde iam existit obligatio illius matrimonii; 2) relate ad matrimonium in genere hypothetice et disiunctive tantum pro eo, qui matrimonium tamquam remedium contra incontinentiam considerat, contra quam adhibere debet *aut hoc, aut* aliud remedium. Vide *S. Alph.* III 209.

6. Votum non petendi dispensationem voti *sensu limitato valet, illimitato non valet*. Nam si iusta causa dispensationis deest, immo nisi melius et utilius sit dispensationem peti, votum valet. *S. Alph.* n. 208.

Attamen, interdicta dispensationis petitione, commutatio peti potest; immo etiam dispensatio ex iusta causa a superiore non petenti *offerri*, atque tunc ab eo, qui vovit, *accipi* potest: siquidem non vovit, se votum suum manifestare vel dispensationem oblatam acceptare nolle.

III. Factum alienum obiectum voti proprie esse non potest. Qui<sup>590</sup> autem ius in alios habet, voto sese obligare potest ad impendendam omnem suam potestatem et auctoritatem, qua alterum ad pium opus permoveat. *S. Alph.* n. 202 207.

Voti rei alienae exemplum est: i. quando parentes vovent filium suum ordini religioso aut Ecclesiae servitio per ordines sacros suscipiendos: quo voto filius non tenetur, nisi postea sponte consenserit. Parentes tamen vi voti tenentur prorsus, ne filii desiderium vel elec-

tionem impediunt, immo ut promoveant. — Quando autem voverunt, per filios aut cum filiis tale opus pium praestare, quod vi domesticae potestatis possint *exigere*: tenentur parentes ex voto, id filios iubere, filii tenentur ex pietate erga parentes oboedire.

2. Aliud votum rei alienae habes, relate ad posteros, quando civitas, communitas vovit quotannis peragere tale festum, ieiunium etc. Quod etsi vi voti proprie dicti non obligat nisi eos, qui voverint aut votum ratihabuerint: nihilominus 1) interveniente legitima auctoritate ecclesiastica, etiam alii obligari possunt vi legis latae idque ex motivo religionis; 2) relate ad expensas, quae necessariae fuerint, obligari prorsus possunt ad modum oneris hereditati impositi simili ratione, qua heres voto reali testatoris ligatur (v. infra n. 605), vel ad modum tributi per legitimam auctoritatem inducti; 3) addi potest obligatio quaedam per modum quasi-pacti cum Deo vel gratitudinis, si intuitu voti liberatio a malo impendente subsecuta est, quod beneficium sine dubio in effectu suo ad posteros redundat.

*S. Congr. Rit.* constanter respondit, idque adprobante S. Pontifice, quoad observantiam festivi diei, ieiunium, processionem etc. solos illos teneri, qui votum emisissent: reliquos posse teneri ex lege ecclesiastica, quam statuere et ex causa abrogare sit penes ecclesiasticam auctoritatem. Cf. *Gardellini*<sup>3</sup> n. 1444, dein n. 1621 1871 1963 2019 4152; (in Decr. auth. n. 834 et n. 932).

### § 3.

#### *De voti obligatione.*

591 I. Obligatio voti qualis et quanta sit. Voti perfectio et meritum ex nobilissima omnium virtutum moralium, religionem dico, repetitur, ita ut circumstantia voti rem promissam in se sumptam *merito* multum superare possit (vide *S. Thom.* 2, 2, q. 88, a. 6): hinc etiam *obligationis* gravitas specifica ex hac virtute religionis aestimari debet; quapropter obligatio voti est ex genere suo gravis, admittit autem materiae parvitatem. *S. Alph.* III 211.

Nihilominus in potestate voventis est, sicut non vovere, ita etiam *imperfecte* vovere, i. e. cum *minore* obligatione quam re promissa ex se inducitur, *non* autem *maiore*: aliis verbis rem levem sub gravi vovere nequit; potest, si vult, rem gravem sub levi, exceptis tamen illis votis, quibus ecclesiasticus status assumitur. *S. Alph.* n. 213. Attamen aliquem ita imperfecte vovisse non praesumitur, sed probari debet.

592 **Explicatio uberior.** 1. *S. Thom.* 2, 2, q. 88, a. 6 optime exponit, cur aliquid ex voto facere sit magis laudabile et meritorium quam sine voto, nimirum 1) actio promissa evadit simul actus religionis, utpote ab ea imperata et informata, retinet autem nativam suam bonitatem; 2) qui ex voto agit, Deo plenius se subicit, eo quod non actum solum, sed etiam potestatem agendi Deo subiecit, adempta sibi aliter agendi libertate; 3) qui ex voto agit, agit ex voluntate in bono firmata, quod ad perfectionem virtutis attinet.



2. Hinc sequitur, actus inferioris virtutis ex ratione voti habere maiorem perfectionem maiusque meritum coram Deo quam ex nativa sua bonitate; actus eiusdem virtutis aut nobilioris, etsi specificam bonitatem *maio*rem non habeant ex voto quam ex suo proprio obiecto, tamen ex utroque simul maiorem perfectionem habent, immo individualement perfectionem (intensitatis) facillime ex ipso voto maiorem accipiunt.

3. Pariter consequens est, ut dicatur, voti laesionem, si aliunde iam mala <sup>593</sup> est, continere *graviorem* malitiam, *quia voti laesio* est, quam ex proprio suo obiecto, quando est *obiectum ex se inferioris* virtutis; minorem, quando obiectum ex se est nobilius; quando autem obiectum ex se iam ad religionem pertinet, saepe difficulter determinatur, qua ratione gravius peccetur. E. g. qui vovit castitatem, quando eam laeserit, maius peccatum committit ratione voti quam ratione castitatis laesae; qui vovit fidem non negare, quando nihilominus negat, gravius peccat contra fidem quam contra votum; qui vovit diebus Dominicis Sacrum non negligere, attamen negligit, utrum gravius contra votum an contra sanctificationem diei Dominicae peccet, vix dici potest. Fusius haec disputata invenies apud *Suarez* l. 4, c. 3 et l. 5, c. 4.

4. Quoniam transgressio voti parvitatem materiae admittit, theologi iure inde deducunt, vovere rem levem cum gravi periculo non implendi, immo sine seria voluntate implendi (vel si mavis cum intentione non implendi), non mortale, sed veniale peccatum *ex se* esse, siquidem illa voluntas transgrediendi statim concepta non aliam malitiam habet quam ipsa transgressio. Toto igitur coelo distat ab illa malitia, quam contrahit iurans sine animo implendi. Quamquam enim iuramento postea non stare, malitia paulo inferior sit quam voto non stare: statim ab initio animum implendi non habere in iurante semper mortale peccatum est.

5. Non raro accidere potest, ut homines non satis instructi votum rei levis pro gravi obligatione sumant: quod si deprehendit confessarius, *dedocere debet*, ne forte transgredientes votum ex erronea conscientia gravius peccent.

6. Obligationis imperfectae (i. e. sub levi tantum in re gravi) arbitraria <sup>594</sup> assumptio electioni privatae subtracta est in iis votis, in quibus intervenit ecclesiastica acceptatio cum reciproca quadam obligatione aut communis boni exigentia. Vere enim grave damnum commune impenderet, si liceret sive in sacris ordinibus sive in religiosa vita assumenda sub levi reatu tantum caelibatam aliave onera vovere atque — quod consequens est — facile obligationes susceptas sine efficaci remedio aspernari. Quare qui ad eiusmodi vota accedit, non potest non sub gravi vovere. Cf. quae supra in simili causa notavi de errore in eiusmodi votis occurrente n. 578.

II. *Materiae gravitas in voto quomodo sit diiudicanda.* Quoniam <sup>595</sup> igitur res sit gravis in voto, quae levis, aut quo sensu res promissa sumatur: haec aestimanda fere sunt, praeterquam ex voventis intentione clara, secundum gravitatem et levitatem materiae legis ecclesiasticae circa eiusmodi rem versantis, consideratis tum re in se, tum fine ad quem promittitur. Cf. *Del Vecchio* I, n. 710.

Materia voti etiam coalescere potest, ita ut obligatio singulis vicibus levis, si pluries non impletur, evadat reatus gravis. Quod censetur fieri in votis realibus, in votis personalibus censetur non fieri: verum expressa voluntate voventis contraria contrarium in alterutro votorum genere statui potest. Cf. *Reuter* n. 345, 9 10; *S. Alph.* III 212.

1. Si quis opera pietatis, ut preces fundendas, opera poenitentiae exercenda, vovet, illud obiectum grave quidem est, quod, si lex ecclesiastica iniungeret, sub gravi urgeret: v. g. recitatio rosarii, abstinencia a carnibus, ieiunium, susceptio sacramentorum etc.

Sed ut intra limites mortalis malitiae de relativa gravitate iudicium aliquod ferri possit, utrum scil. *gravior* sit laesio voti an legis ecclesiasticae in eadem re, necessario ad finem rei sive a lege impositae sive per votum promissae respici debet. Quare, etsi discrimen relativae gravitatis vix certo statui possit, ut modo dixi, in omissione Sacri audiendi sive propter diem Dominicam sive propter votum debiti: tamen ommissio s. Communionis *annuae* sine dubio gravius peccatum est quam ommissio s. Communionis *devotionis causa ex voto* promissae. Cf. *Suarez* loco supra cit.

2. In danda re temporali obligatio ex obiecto suo gravis communiter tum oritur, quando obiectum, si ratio iustitiae intercederet, grave esset. Verum haec regula aliquando fallere potest. Nam qui vovisset 10 libras aureas, sine dubio ex obiecto graviter peccaret, nisi daret; qui vero 1000 libras vovisset per modum unius, graviter non peccaret, si 990 tantum daret, etsi in obligatione iustitiae illa defraudatio gravis esset. Ratio discriminis est, quia iustitiae obligatio ad totum et ad singulas partes *aequaliter* porrigitur, voti autem obligatio ex voventis intentione partes respicit tum ex se tum *ex relatione ad totum*. Fateor tamen, eum qui ex 1000 libris aureis promissis 100 vel 50 detraheret, graviter peccaturum esse, quia talis defraudatio notabilis dici debet; verum ex summa notabili circiter 1% subtrahere adeo notabile non videtur, ut grave peccatum constituat.

596 3. Ut recte interpretemur sensum rei voto promissae, etiam norma interpretationis legis ecclesiasticae applicari potest. Sic qui vovit ieiunium per mensem integrum, diebus Dominicis ieiunare non tenetur, utpote quod alienum sit ab usu Ecclesiae, nisi forte *expresse* etiam illos dies vovens comprehendisset. — Similiter qui vovit ieiunium in vigiliis certorum festorum, quando vigilia in Dominicam incidit, laudabilius ieiunat die Sabbati. — Qui per mensem vovit Sacro cotidie interesse: diebus Dominicis et festis *per se* non tenetur ad plura. *S. Alph.* III 224. — Qui vovit ieiunium, *ubi communiter carnes licitae sunt*, nihil aliud cogitans, non solum lactinia, sed etiam carnes comedere potest.

4. Qui vovit cotidie recitare rosarium, singulis Sabbatis ieiunare etc., per se obligatur *perpetuo*, nisi aliud constet ex mente voventis; in dubio tamen standum est pro minore obligatione, et in ieiunio, nisi de contraria intentione voventis constet, aetatis excusatio admitti debet, ut in ecclesiastico ieiunio. *S. Alph.* n. 221.

5. Qui vovit rem indeterminatae quantitatis, eam pro arbitrio suo determinare potest: modo ne tantillum solvat, quod aut inutile ad finem sit, aut quo Deo videatur illudere. Cf. *S. Alph.* n. 222.

597 6. Qui vovit singulis Sabbatis parvam eleemosynam dare, votum quidem reale fecit: num vero eleemosynae omissae coalescant, seu vovens sic ligatus sit, ut, quando saepius votum implere omittat, tandem *graviter* peccet, nondum constat. Si spectavit praecipue sublevationem pauperum, materiam vero minoris incommodi sentiendi causa in plures dies divisit: materia coalescit in *gravem*; atque votum implendum est, etiam elapso tempore praefixo. Si vero non tam pauperum sublevationem quam cultum B. V. statis illis diebus spectavit, censendum est, noluisse voventem se ita ligare, ut materia coalesceret. Praesumptio tamen est pro priore modo vovendi. —

Hinc quando certis diebus voto promissum est aliquid, si agitur de voto reali, *praesumitur*, obligationem manere transacto tempore; si agitur de voto personali, potius praesumitur, cum die obligationem transiisse. Videndum tamen est, num vovens compensationem forte *intenderit* subsequentem: vide *Reuter* II, n. 345, 9.

7. Vota personalia multo minus censentur coalescere: 1) si diversis diebus opus in se leve promissum est diei affixum, ommissio pluries facta non censetur coalescere in materiam gravem: aliud plerumque dicendum, si vovens *intenderit* tempus non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem apponere. Immo 2) si pro uno eodemque die ex diversis votis singulatim levibus aliquis subiit obligationem ad plura opera pietatis, quae conjunctim gravem materiam efficiunt, potius standum est pro pluribus obligationibus *levibus*, nisi forte, qui vovit, subsequentibus votis priora complexus in unum renovarit et ita materiam nunc gravem sibi imposuerit. *Reuter* ib. 10.

Contrarium statuendum est de eo, qui vovit quavis hebdomada rosarium 15 decadam recitare, sed quo commodius id agere possit, in singulos dies binas decades distribuit; ille enim si omittit pluries decadem, hebdomadarium pensum non absolvens, graviter contra votum peccare dicendus est.

III. Impletio voti fieri debet operis promissi executione voluntaria <sup>598</sup> saltem voluntate interpretativa; neque ita dilata, ut inde rei promissae notabiliter detrahatur vel periculum oriatur.

Haec quidem, postquam obligatio voti evaserit absoluta et perfecta. In iis igitur votis, quorum perfecta vel absoluta obligatio suspensa est ob conditionem vel circumstantiam, interim notanda sunt sequentia: 1. in *conditionato* voto perfecta quidem non fit obligatio nisi impleta conditione; interim autem obligatio religionis erit, non impedire fraudulenter vel malitiose, quominus conditio impleatur (*S. Alph.* n. 218); 2. in voto *disiunctivo* etiam electione facta, adhuc in libertate eius, qui vovit, manet praestare rem, quam mavult, nisi post electionem factam aut novo voto eam firmaverit, aut alterum opus impossibile evaserit (*S. Alph.* III 224); 3. in *poenali voto praeservativo* si poena exorbitans promissa est, probabiliter non tenetur ad poenam, qui *poenae* immemor peccavit, neque in aliis casibus ille, qui in peccando *voti nullatenus memor* erat, multo minus, qui ex aliqua causa excusante subiective graviter non peccavit, quando votum *ut* peccati gravis praeservativum emissum est: vide *Reuter* II, n. 347, 2; *Tamb.*, In dec. l. 3, c. 12, § 7; 4. votum *religionis* (i. e. ingrediendae) potest pro diversa intentione vovantis obligare aut ad serium *tentamen* religiosae vitae, aut ad moralem diligentiam curandi ipsam vitae religiosae *professionem*.

**Uberior explicatio.** 1. Votum personale actione ipsius, qui vovit, im- <sup>599</sup> pleri debet; quae si evaserit impossibilis, voti obligatio non est ulla. Votum reale impleri potest etiam per alterum, ita ut alter nomine eius, qui voverat, eleemosynam det, modo vovens consentiat; immo si eleemosynae largitionem ipsius nomine ab altero factam ratihabeat, votum est impletum. *S. Alph.* n. 117 c. *Busenb.* etc. Attamen quando, qui vovit, ex propriis solvere non iam potest, *non tenetur* alterum rogare, ut pro se satisfaciatur.

2. Qui promissum, etsi voti immemor, libere praestitit, voti obligationem exstinxit: siquidem voluntate interpretativa censetur quilibet prius obligationem velle extinguere quam idem opus ex sola devotione praestare. *S. Alph.* III 224 cum aliis.

3. At qui voti memor expresse intendit, per opus quod agit non satisfacere voto, sed suae devotioni tantum, voti impletionem ad aliud tempus differens, voto adhuc tenetur. Nam voti obligatio sicut voluntate voventis inducitur, ita eadem voluntate *sustinetur*; neque paritas cum legis obligatione afferri potest, utpote quae neque inducatur neque sustineatur a privata subditi voluntate.

600 4. Dilatio voti, ex qua res promissa gravis notabiliter laeditur, certe grave peccatum est, si sine iusta causa fit, ut dilatio *ingressus* in ordinem religiosum: inde dicit *S. Alph.* n. 221 cum aliis, dilationem sex mensium gravem esse; alii, ut *Tambur.*, In dec. l. 3, c. 12, § 3 volunt, id multum pendere ab aetate voventis, ita ut iuvenis v. g. quindecim annorum facilius a gravi peccato excusetur, modo intra spatium 15—20 aetatis annorum, quippe quod sit consuetum tempus, votum exsequatur, neve periculum mutandae voluntatis — quod non raro iustissime timetur — subeat.

Quando vero de aliis votis sermo est, quae certo temporari non sunt affixa, difficulter ex sola temporis dilatione peccatum grave determinatur. Rationabiliter dicitur, dilationem tum saltem evadere mortalem, quando inducere potest aut impossibilitatem voti postea implendi aut totalem oblivionem: ex qua ratione, nisi specialis causa differendi adsit, dilatio plurium annorum facile mortalis culpa evadit. *S. Antonin.* p. II, t. II, c. 1, § 2. — Ceterum multo citius venialiter peccatur; immo plerumque id agi debet, ut quam primum votum Deo reddatur. *Ibid.*

601 5. In voto *conditionato* si vovisti ingressum in religionem «si pater consentiat»: non peccas per se patrem inducendo precibus vel rationibus veris, ne consentiat; peccas, si fraude, mendaciis etc. At difficilior est, si quaeris, num in posteriore casu nihilominus tenearis ingredi. *Resp.* 1) teneris fraudem etc. auferre et videre, quid pater tunc faciat; 2) quod si fieri nequit, eo quod iam vita functus sit, videnda est intentio voventis, nimirum si positivum consensum patris vovens respexerit, ut verba hic allata per se indicant, voti obligatio non subsistit; si vero potius vovit «nisi pater contradixerit», dissensum sponte opponendum videtur intellexisse, ita ut, si dissensus in sola fraude nitatur, voti obligatio urgenda sit. *S. Alph.* n. 218 cum *Laym.*, aliis; cf. *Tamb.* l. c. § 6.

Si vovisti aliquid sub hac conditione: «si Deus per annum te a tali peccato immunem servaverit», contra votum non peccas, quando ex fragilitate tale peccatum committis; peccas indirecte circa votum, si malitiose illud peccatum perpetras, ne voto tenearis: at revera, etsi malitiose impediveris, voto non teneris, neque similitudo omnimoda cum priore casu adest; nam Deus illa malitia non vere impediabatur, quominus etiam hanc malitiam gratia sua vinceret. Est tamen indignissima et graviter peccaminosa cum Deo agendi ratio; quare ut Deus plenius huius peccati reatum deleat, suadendum omnino est, ut praeter sincerum dolorem reus etiam voti obiectum praestet.

Aliae etiam conditiones a tertio praestandae debent, ut votum subsistat, impleri *specificae*, non solum aequivalenter (*S. Alph.* n. 219), nisi forte vovens, cuius intererat impleri vel non impleri conditionem, id remiserit. Cf. *S. Alph.* ib. E. g. Petrus vovit 1000 mrc. dare Ecclesiae, si filius sacerdos fiat; vel si



filia in iuvenem senii sui a mortali morbo convalescat, filia vero sanitati restituta vult monialis fieri, sed non nisi permittente patre.

6. Qui voto *disiunctivo* vovit ex duobus calicibus alterutrum dare ecclesiae, <sup>602</sup> quando electione facta alter (non electus) furto auferitur, per se reliquum calicem dare debet (nisi forte propter ipsum furtum circumstantiae notabiliter mutatae essent); quando ante electionem unus auferitur, per se ad nihil tenetur. Et ita similiter de aliis rebus: *S. Alph.* l. c. n. 224 «si pereat una pars aut impossibilis reddatur ante electionem, non teneris ad alteram, nisi tua culpa res pereat, aut fueris in mora eam tradendi aut determinandi».

7. In voto *poenali*, quando promittitur coniunctim tum opus aliquod faciendum omittendumve, tum in defectu poena solvenda: si dissolutum est votum principale, etiam cessat votum accessorium subeundae poenae.

Si quis vovisset modo poenali castitatem caelibatus servare, quando iterum hoc illudve peccatum commisisset: ante commissum peccatum non impeditur, quominus matrimonium ineat; nam ad exspectandum eventum non tenetur. Vide *Sanchez*, In decal. l. 4, c. 22, n. 11.

8. Circa votum *religionis* speciatim observa: Qui vovit ingredi <sup>603</sup> religionem, tenetur 1) mediocrem diligentiam adhibere, ut admittatur: quare si ab uno monasterio non admittitur, tenetur, si spes est, adire alterum una alterave vice: utrum autem extra patriam tentamen facere debeat necne, a variis circumstantiis pendet; saltem in feminis id generatim videtur negandum.

2) Mediocri diligentia frustra adhibita, liber manet.

3) Si admissus postea sine culpa dimittitur, ad nihil tenetur, si vovendo intellexerit «tentamen facere»; immo nisi *constet*, eum vere intellexisse futuram professionem, stricte obligari ad novum tentamen non potest; quodsi professionem vitamque religiosam perpetuam intellexit, pro spe quam habet suae admissionis, debet alibi admissionem quaerere; (raro id accidit, si vovit ingressum in *certum* ordinem, facilius si indeterminate *aliquem* ordinem ingredi vovit).

4) Si ad novitium admissus vitam religiosam molestiorem esse experiatur: liber manet, si solum tentamen facere intendit; si vero perpetuam vitam religiosam, cum voveret, intellexit, non ex qualibet molestia se liberum censere potest, attamen ob nimiam et prorsus inexpectatam; quodsi de intentione voventis non ita constat, a fortiori obligatio manendi non est nimis urgenda: quamquam ex altera parte, si praesumptio est pro voto de perpetua vita religiosa intelligendo, etiam cavendum est, ne forte cum magno periculo salutis vovens liberius et facilius vocationi suae valedicat. (Cf. de vocatione status religiosi infra.) Vide *S. Alph.* III 122 et IV 72.

IV. Voti violati malitia. Peccatum, quod voti transgressione com- <sup>604</sup> mittitur, non est diversum pro diversitate materiae, ut diversa est legum diversarum transgressio: quare ut specifica malitia diversa sit, requiritur, ut res voto promissa aliunde iam habeat specificam obligationem; accedere etiam potest respectus iustitiae, si votum aliquod principaliter in favorem tertii factum est. *S. Alph.* III 224; *Sanch.* l. 4, c. 11, n. 22.

**Uberior explicatio.** 1. Haec malitia, quatenus solum votum spectatur, non est proprium sacrilegium, cum vovens privata sua auctoritate neque se neque rem suam vere sacrum reddere possit, sed infidelitas quaedam in promissis; quare si sacrilegium vocatur, illa vox late sumitur pro quolibet peccato contra religionem. At non est peccatum semper minoris, sed ex eo maioris malitiae esse potest, quod, quando ab initio deest voluntas voti implendi, *Deus ipse* eiusque honor magis directe iniuria videatur affici per mendacem illam promissionem quam per sacrilegium, quo violatur directe *res sacrata*<sup>1</sup>. — Verum gravius etiam sine dubio peccatur qualibet voti laesione seu infidelitate in promissis, quando utriusque malitiae ratio intervenit, et infidelitas et rei (personae) Deo sacrae violatio: quod accidit, quando ad votum *accessit* deputatio ad cultum divinum publica auctoritate facta, ut in voto castitatis ordinibus sacris annexo, in votis religiosis etc. Cf. supra n. 527.

2. Ex eo, quod violatio voti qua talis non sit diversae speciei pro diversa materia, *S. Alph.* l. c. deducit: «si quis habens votum castitatis fornicetur, potest seorsim fractionem voti confiteri», i. e. postquam peccatum contra castitatem dixerit, in eadem confessione dicere, se votum in re gravi violasse.

605 3. Voti igitur formalis obligatio, quae fidelitatis erga Deum est, ad alios transire nequit, sed in solis voventibus residet, nisi forte alter Deo promiserit, se loco prioris votum impleturum esse. Verum in voto reali aliqua obligatio ad alios transire prorsus potest, nimirum imprimis ad heredes, qui sicut in bona, ita in onera realia defuncti intrant. Hinc ex doctrina *Suarez*, De relig. tract. 6, l. 4, c. 11 et c. 16, n. 19—23 et *Sanchez*, In decal. l. 4, c. 15, n. 25—34 heredum obligatio ex voto defuncti oritura plenius sic explicari potest:

1) Heres, accepta hereditate, si testator onus implendi reale votum imposuit, ex *iustitia erga testatorem* obligatur, cuius dispositionem, si favorem sibi accipit, etiam onerosam accipere debet. Immo si votum factum est in favorem alicuius hominis, aut causae piae, accedit obligatio *iustitiae erga eos*, qui, etsi nondum ius in re, tamen ius ad rem per voluntatem ultimam defuncti acquisiverunt: quodsi causa religiosa est, cui defunctus favere voluit, saltem tunc obligatio etiam *religionis* accedit, ita ut solutionis negatione contra religionem peccetur similiter ac decimas non solvendo. Quae obligatio religionis neque alias abesse videtur, cum res promissa Deo quodammodo obligata sit.

2) Si vero testator iniqua voluntate votum, quod emiserat, impleri noluit, nihilominus lex canonica heredem adimplendum votum urget. Proin heres non implendo, si votum principaliter in favorem tertii factum et acceptatum fuerat, peccat, etiam sine lege, contra *iustitiam* vel etiam contra religionem, ut modo dictum est; si acceptatum non erat, utpote ad tertium non directum, aut, etsi acceptatum, tamen non ex titulo iustitiae, propter *legem ecclesiasticam peccat contra hanc*, et consequenter facile etiam saltem contra *religionem*<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Non possum tamen *Wirthmüller* assentiri, qui § 68 in quolibet voto violato duplicem malitiam agnoscit, et fidei fractae, et religionis violatae: nam fidem frangere Deo alia quidem et gravior malitia est quam homini frangere, at non duplex est malitia; quia *contra Deum* est, malitia est contra religionem, et quia *fides frangitur*, haec malitia contra religionem, utpote non infimae speciei, ad infimam speciem infidelitatis contra Deum contrahitur. Quod tamen scriptor ipse postea § 73 sensisse videtur.

<sup>2</sup> Nimirum expressa voluntas testatoris, qua contra votum suum rem Deo promissam heredi dare vult et dat, nisi *iustitia* erga alterum interveniat, heredem videtur *per se* ab obligatione liberare (*Tamb.*, In decal. l. 3, c. 16, § 2 in fine, cum *Suarez*): verum ecclesiastica auctoritas iniquam testatoris voluntatem *irritam* reddere ac proin *obligationem religionis* quoad heredem *sustinere* potest.

3) Si testator neque imposuit expresse obligationem, neque iniquam voluntatem voti non implendi expressit: a fortiori singuli illi tituli religionis vel etiam iustitiae heredem obligant.

#### § 4.

##### *De voti seu eius obligationis cessatione.*

Votum eiusve obligatio cessare potest tum *ab intrinseco*, ut dicunt, <sup>606</sup> i. e. mutatione rei, ita ut vovens in illis circumstantiis vel eventibus sese obligare noluisse dicendus sit; tum *ab extrinseco*, i. e. interveniente auctoritate humana.

Cessatio ab intrinseco reduci potest ad mutationem obiecti, modo obiectum sumas late cum omnibus circumstantiis, conditione et fine forte intentis: quod *Busenb.* ex communi sententia theologorum breviter sic exprimit: «Votum tolli potest, nullius auctoritate interveniente, vel materiae mutatione, ut, si materia antea honesta fiat turpis, indifferens, impeditiva maioris boni ratione novae circumstantiae vel prohibitionis, vel fiat impossibilis absolute aut moraliter, vel cessatione conditionis, a qua pendeat» (addi potest: aut cessante fine, si quem specialem finem vovens intendit attingere). De quibus omnibus in praecedentibus §§ satis actum est.

Restat igitur, ut de altero modo auferendae voti obligationis hic tractemus, nimirum qui fit per auctoritatis legitimae interventum.

Fieri autem potest voti cessatio 1. per irrationem directam (i. e. ipsius actus vovendi), 2. per irrationem indirectam (i. e. quae directe afficit rem promissam), 3. per dispensationem seu condonationem nomine Dei, 4. per commutationem. Cf. *Pruner* n. 276 sqq., qui breviter et concinne haec tractat; fusius *Wirthmüller*, *Die mor. Tugend der Religion*, § 77—80.

#### Punctum I.

##### *De irratione directa, et indirecta, quae etiam suspensio vocatur.*

I. *Directa irratio* est actus, quo ipse vovens actus vi sua de- <sup>607</sup> stituitur: quae igitur exerceri nequit nisi a superiore relate ad eos, qui sui iuris non sunt, seu in quorum *voluntatem* dominativam potestatem exercet. Vide *S. Thom.* 2, 2, q. 88, a. 8.

Hanc potestatem exercet a) Papa, superior religiosus, vel superiorissima in subditos religiosos post emissa vota substantialia religionis; b) pater, mater (aut patre absente aut, si praesens est, non contradicente), avus aliive in quos defectu patris paterna potestas transit, relate ad vota filiorum ante pubertatem emissa neque postea confirmata (*S. Alph.* III 229 230); c) maritus relate ad vota uxoris, quae stante matrimonio emiserit (quod saltem ut probabile a *S. Thoma* l. c. a. 8 ad 3, *S. Alph.* n. 234, *Sanch.*, In decal. l. 4, c. cap. 34 aliisque defenditur).

Quae potestas pleni iuris non est nisi per ecclesiasticam legem, attamen imperfecte in iure naturali continetur, ita ut dici possit esse «ex iure naturali cum adminiculo iuris positivi», aut «iuris positivi cum fundamento ex ipso iure naturali».

608 1. Nimirum si quis alteri plene subiectus est quoad personam suam personalesque actiones, nullam actionem *firmiter* promittere potest, sed solum dependenter a consensu et voluntate sui superioris. Quo contradicente, promissio facta corrui.

2. Ad *hanc* igitur irriationem necessarium non est, vota speciatim cognoscere, sed potest superior generali voluntate declarare: «Aufero a te, quaecumque vota emisisti». *Tamb.*, In decal. l. 3, c. 16; § 3, n. 1 cum *Pontio*.

3. Natura autem ipsa neminem alteri ita subiecit, ut plane in omni actione ab illo dependeat. Verum publica auctoritas propter bonum commune aliquos propter infirmum tenuioris ætatis iudicium ita subicere potest, ut firmiter sese obligare non possint; ita actum est ab Ecclesia relate ad impubes. Vide cap. «*Puellae*» (caus. 20, q. 2, c. 2).

Dein voluntariam subiectionem religiosi Ecclesia ita sanxit et complevit, ut ad perfectius exercenda evāgelica consilia a suo superiore plene dependeat: vide cap. «*Monacho*» (caus. 20, q. 4, c. 2). Nimirum antiquissimam Ecclesiae consuetudinem ex cit. *decr. Gratiani* testatam habemus; quod sufficit, ut lex ecclesiastica dicatur.

609 4. Cum recentiora iura civilia subiectionem filiorum erga parentes non amplius distinguant, prout agitur de impuberibus aut de puberibus, sed eodem modo quoslibet filios *minores* parentibus subiciant: aliqui theologi putant, parentes iam posse omnia filiorum minorum vota directe irritare (cf. *D' Annibale* III, n. 206; *Bucceroni* I, n. 608). Verum censeo, id inde non posse concludi. Potestas enim irritandi vota repeti nequit ab auctoritate civili, sed, utut fundatur aliquatenus in iure naturali, determinanda atque complenda est ab auctoritate publica religiosa, i. e. *ab auctoritate Ecclesiae*; quae distinctionem filiorum minorum in impubes et puberes non sustulit, sed l. c. diserte quoad irriationem votorum sustinuit.

5. Unde fit, ut pater aliique, qui paternam potestatem exercent (tutor), *quaelibet* vota sine ulla exceptione irritare possint, quae a filio filiae ante annos pubertatis (quartum decimum resp. duodecimum annum completum) emittuntur, etsi *postea* essent implenda. Atque haec potestas exerceri potest etiam postquam filii annos pubertatis attigerunt, si modo non independenter a prima voti emissionem (adeoque cum cognitione irriabilitatis prioris voti) post pubertatem id confirmaverint. Cf. *S. Alph.* III 230; *Tamb.* l. c. n. 9 etc.

Quare parentes irritare haec vota possunt etiam contradicente filio impuberi, puberi tamen contradicente non possunt.

610 6. Quoad potestatem irritandi vota religiosorum ex dictis sequitur: Haec potestas non potest exerceri in vota novitiorum (aliud est de indirecta irriatione, vide infra n. 614); neque *per se* extenditur ad vota ante professionem seu status religiosi per substantialia vota assumptionem facta. Nihilominus practice extenditur ad omnia fere vota privata umquam emissa ab eo, qui sollemni professione religiosus factus est: ut patebit ex iis, quae ad n. 616 infra habes.

7. Quod Papae conceditur in ordine ad quoslibet religiosos circa irriationem votorum, id etiam episcopo in vota religiosorum monialiumque *saltem* stricti nominis *sibi* subiectorum, si quae sunt. *S. Alph.* n. 233. Sed ne Summus Pontifex quidem directe irritare potest aliorum fidelium vota, cum in eos non habeat hanc dominativam potestatem; relate ad religiosos autem consideratur non directe et proxime ut iurisdictione pollens, sed ut supremus eorum praelatus, habens in eos dominativam potestatem.



8. Alii praelati seu superiores, qui irritare vota suorum possint, sunt generalis, provincialis, localis superior seu superiorissa, ita tamen, ut inferior irritare non possit ea vota, si quae ex consensu *altioris* superioris emissa vel ratihabita fuerint, possit autem ea, quae aut ipse aut ipsius praedecessor approbavit.

9. Quod de religiosis stricti nominis dicitur, videtur satis probabiliter posse extendi ad eas congregationes religiosas, quae ordines stricto sensu non sunt, idque non solum, si ipsa congregationis membra ita vota sua intelligant, ut nolint firmiter vovere sine consensu superioris; nam multi recentioris temporis theologi illarum congregationum superiores aliis superioribus aequiparant. Qua autem distinctione in hac re opus sit, vide n. 643 cum nota (*de essentia status religiosi*).

10. Illa autem irritandi potestas non extenditur ad ipsa vota substantialia<sup>611</sup> religionis, quibus ipsis vovens subditus constituitur, sed ad sola privata vota; neque ad vota, si quae praeter substantialia in aliquo ordine adduntur, utpote quae ad formam talis ordinis aliquo modo pertineant; neque ad votum, quod a religioso forte emittitur, transeundi ad ordinem strictiorem. Haec vota uti etiam alia praeter substantialia solus Summus Pontifex aliquando indirecte irritare potest, siquidem ex iusta causa transgressum ad alium ordinem *prohibere* valeat. Cf. *Sanchez* l. 4, c. 33, n. 12 et 13.

11. Dicendum autem est, vota religiosorum omniumque eorum, qui subditi existunt, antequam superior irritaverit, valida esse, modo ne ex alia conditione irrita sint: quod immerito aliqui in dubium vocaverunt. Vide *S. Alph.* n. 231. Nam nulla ratione probatur, illos subditos *nihil* posse propria voluntate, sed solum, eos non posse sese *firmiter* obligare sine superioris consensu.

12. Relate ad potestatem mariti circa vota uxoris, quae, stante matrimonio, emisit, non ita sollemniter consuetudo seu lex Ecclesiae probatur: verum quia multi theologi, Ecclesia tacente, eandem potestatem defendunt, Ecclesia re ipsa tacite consentit: neque interna deest ratio; nam cum intima sit matrimonialis unio et societas, cuius caput est vir, decet utique per plenam uxoris subiectionem unitatem regiminis confirmari.

Ex eo autem quod subiectio unius, alterius potestas publica auctoritate ecclesiastica regitur, consequens est, Ecclesiam potestatem (adeoque validam votorum irritationem, si de ea agatur) supplere, si quis errore communi falso habeatur pro praelato, patre etc. (*S. Alph.* n. 232), aut si quis ex sententia *probabili* circa suam potestatem dominativam seu subiectionem alterius in irritandis votis agat.

Scholion. Casus a *S. Alph.* n. 239 propositus (cf. *Ballerini-Palm.* II, <sup>612</sup> n. 689—693) versat quaestionem, possitne vir uxoris votum castitatis irritare, si uterque mutuo consensu post matrimonium castitatem voverit. S. Doctor sane inclinatur ad affirmandam hanc viri potestatem et propterea tantum dubius haeret, quod sit contra communem sententiam. *Ballerini* l. c. eam opinionem approbat, atque inde consecrarium ducit, uxorem per directam sui voti irritationem ius accepisse votum viri indirecte irritandi: quod sustineri potest pro eo casu, quo vir vere et sincere *uxoris* gratia, non sua causa agat, v. g. propter periculum incontinentiae in uxore. Nam si sua causa maritus ita agere vellet, id faceret in fraudem *sui* voti, ideoque, utut valide ageret, tamen peccaret. At si ex parte uxoris causa existat, puto ad normam huius sententiae rem componi posse, maxime si facultas quaerendae

dispensationis tam facile non suppetat: nihilominus suaderem, ut saltem pro maiore cautela etiam postea peteretur dispensatio.

Uxor vero potestate indirecte irritandi votum viri non potitur, nisi postquam ipsa a voto soluta ius coniugale expeditum receperit. Quid autem rei sit, si quando alteruter coniugum contra votum suum coniugale debitum postulet, vide in vol. II de debito coniugali.

613 II. *Indirecte irritare* est ipsam *materiam* voto subtrahere eamque reddere prohibitam vel minus honestam.

Quae indirecta irritatio fieri potest — atque plerumque fit — ex potestate dominativa seu iure *in rem* promissam; sic uxor mariti, maritus uxoris, herus famuli etc. vota quaedam irritare potest. Potest etiam indirecta voti irritatio fieri per potestatem *iurisdictionis* (legiferam) in *personam* quae vovit, praecipiendo rem voto contrariam.

Potestas igitur directe irritandi minus late patet quoad personas, quarum vota sic exstingui possint, quam potestas indirecte irritandi, sed latius quoad ambitum rerum, quae promissae fuerint: atque posterior haec potestas ex iure naturali perfecta existit.

**Explicatio.** 1. Indirectae irritationis potestas sequitur ex communi axioma, neminem promittere aliquid posse contra ius tertii, nisi ipso consentiente, vel non contradicente.

614 2. Potestatem igitur indirecte irritandi habent in plerisque rebus parentes etiam circa vota filiorum puberum adhuc sub paterna potestate degentium, nimirum in omnibus, quae praeiudicant potestati parentum iubendi seu regendi filios circa ordinem domesticum, disponendi vel administrandi eorum bona; eandem *etiam certius*, quam facultatem directe irritandi, habet maritus erga uxorem in iis rebus, in quibus uxor a marito dependet, uxor erga maritum in rebus, quae iuri coniugali cohabitationique praeiudicant; eandem exercet superior religiosus in novitios, idque late omnino non solum quatenus novitii vota inturbarent ordinem communem, sed etiam quatenus vitam novitii ac proin experimentum religiosae vitae difficiliorem redderent.

Immo si quod votum novitii collidit cum exercitio religionis sibi iniuncto, votum non obligat, ita ut ne declarare quidem votum suum *teneatur*: expedit tamen, quo liberius et tutius immunis fiat; vide *Sanchez* l. 4, c. 33, n. 34.

3. Potestas indirecte irritandi vota non solum spectat ad ea vota, quae in statu subiectionis emissa sunt, sed ad omnia, quae nunc iuri vel potestati alterius praeiudicium inferunt, si modo vere ius acquisiverit.

4. Supra dixi, hanc indirectam irritationem etiam suspensionem dici: nimirum votum non perfecte exstinguitur, sed eius obligatio *tam diu* cessat, quamdiu voluntas alterius, qui iure in rem promissam pollet, obsistit. Quapropter si votum ex re perpetuum emissum esset, v. g. ab uxore (ante matrimonium), quod nunc quidem cum iure mariti collidit et cui ille contradicit, si forte maritus moreretur, voti obligatio revivisceret, et sic de omnibus aliis.

615 III. Irritatio directa et ea indirecta irritatio, quae in dominativa potestate nititur, valida est etiam sine causa, atque, si sine causa fit, communiter, i. e. ex se, veniale peccatum non excedit; ea autem indirecta irritatio, quae per potestatem iurisdictionis exercetur, sine causa

facta invalida est, utpote per legem vel praeceptum omnino inutile ac proin invalidum attentata, hinc in re gravi, si voluntarie fit, graviter culpabilis.

**Explicatio.** 1. Irritatio, ut dixi, quae ex iure dominativo oritur, valida quidem est, etiamsi sine causa fiat: at si ille, qui vovit, irrationem a superiore rogat, sincere procedere debet, alias censi debet nulla, cum debeamus supponere, superiorem nolle sine iusta causa votum irritare.

Verum si religiosus (etiam novitius pro diversa re promissa) voverit aliquid, quod sine positiva licentia superioris exsequi non possit, consultum quidem est, circumstantiam voti declarare, at in rigore sufficit, hac circumstantia silentio tecta, licentiam petere: quae si negetur, votum non obligat. Si vero vovens intenderit se obligare ad hanc etiam voti circumstantiam declarandam, sine dubio id facere debet: vide *Laymann* l. 4, tract. 4, c. 7, n. 7 sq. — Idem dici debet, nimirum debere fieri declarationem *voti*, si agitur de *irritatione* proprie dicta; quare recte dicit *Laymann* l. c. n. 10: «si impubes, tacito voto, solum explicet voluntatem suam ingrediendae religionis, et pater contradicat, non censetur propterea votum irritum reddere, quippe de quo nullam habeat cognitionem» — *et addiderim* — quia agitur de re, in qua praestanda filius sive nunc sive postea *positivo* patris *consensu* per se nullatenus indigeat.

2. Irritatio sine causa facta quam dixi ex se peccatum esse veniale tantum, per accidens mortale peccatum esset, si affectio graviter mortalis adesset contra profectum spirituales voventis, aut contra divinum honorem.

3. Superior, etiam data licentia ad votum, nihilominus potestatem huius licentiae revocandae votique postea irritandi retinet, cum iure suo se abdicare aut non possit, aut non velit. In indirecta irratione aliquando aliter dicendum est, nimirum quando aliquis iure in rem certam irrevocabiliter sese abdicavit.

4. Hinc si coniuges mutuo consensu votum castitatis emisissent, posse casum contingere, in quo sibi invicem votum valeant irritare, modo dictum est n. 612. *S. Alph.* n. 239, *Marc* I, n. 640.

IV. Professio religiosa (sollemnis) vota antecedentia *extinguit*: votis <sup>616</sup> religiosis simplicibus quamquam per se non extinguuntur antecedentia vota, haec tamen, manente statu religioso, facile pro *suspensis* haberi possunt.

1. Vota omnia, tum realia, non tamen a tertio acceptata, tum personalia, per professionem sollemnem, utpote quae irrevocabiliter hominem transferat in statum quovis alio voto meliorem, extinguuntur sive iure divino *ex ipsa rei natura*, sive saltem ecclesiastico: vide cap. «*Scripturae*» de *voto et voti redempt. decretal.* l. 3, tit. 34, c. 4; *S. Thom.* 2, 2, q. 189, a. 3 ad 3; vide etiam *Suarez*, De relig. tract. 7, l. 6, c. 13, n. 20; *Laym.* l. 4, tract. 5, c. 10, n. 3, *Less.*, *Castrop.*, *Tamb.* l. 3, c. 16, § 3, n. 4; idque etsi professus hac de re non cogitavit. Verum si expresse priora vota sustinere vult, nova hac voluntate et quasi-renovatione votis prioribus ligatur, attamen ita, ut directe a praelato irritari possint.

2. Quoniam vero status religiosus assumi potest, isque *stricti iuris* per vota non sollemnia, uti iam pridem in Societate Iesu consuevit fieri, nunc post *Pium IX* in aliis etiam ordinibus, operae pretium est notare, quid iuris inducat eiusmodi status religiosi non sollemnis professio.

Videlicet in Societatis Iesu instituto *Congr. 1, c. 22* expresse dicitur, vota priora suspendi, ita ut, si quis forte postea a votis religiosis solutus dimittatur, priora vota per se reviviscant.

At, si haec est positiva voventis voluntas, aut vovens ipse aut superior ecclesiasticus quaecumque vota priora, a tertio non acceptata, in hanc non sollemnem religiosae vitae professionem *commutare* potest, ut *Greg. XIII* declaravit: quod si factum est *auctoritate* superioris, religiosus postea *sine sua culpa* forte dimissus ab omni voti vinculo immunis est; si sua culpa, licet valide, dimittitur, aut ad priora vota iterum tenetur — vide *Tamb. l. c. cum Suarez* — aut ad statum religiosum denuo assumendum, eo quod haec commutatio — nisi aliud fuerit expressum — sic intelligitur de commutatione in «perpetuam religionis observantiam». Ius can. l. c. De aliis commutationibus vide infra. Haec ad vota simplicia aliorum ordinum videntur etiam applicari posse.

#### Punctum II.

##### *De dispensatione et commutatione votorum.*

617 I. Dispensare in voto est obligationem ex voto ortam nomine Dei condonare.

Hanc esse genuinam *dispensandi* definitionem, ex recensione diversarum aliorum opinionum patebit.

Videlicet 1. aliqui putant dispensationem eatenus fieri posse, quod in omni voto haec conditio includatur: «nisi superior obligationem sustulerit». At 1) hanc conditionem quemlibet voventem concipere, potius fingitur quam iure asseritur; 2) si ita res se haberet, valide fieri posset dispensatio etiam sine iusta causa: quod nemo asserit.

2. Alii putant, in voto includi eam conditionem, «nisi superior ex iusta causa contradicat»: verum neque haec explicatio satisfacit. Nam a quolibet vovente hanc conditionem positivo voluntatis actu a votis distincto addi sane etiam falsum est, siquidem vix ullus est, qui de hoc cogitet: si vero dicitur, hanc conditionem ex natura rei semper includi, ecce iam supponitur, ex iusta causa *auferri posse* obligationem, etiamsi non tanta sit, quae per se sufficiat ad exstinguendum votum. Quid igitur hoc sit, per superiorem auferri posse obligationem, hoc est, quod quaeritur.

3. Alii dein opinantur, dispensationem esse declarationem authenticam, votum secundum materiam suam propter circumstantias evasisse minus bonum Deoque minus placens: at hic dispensandi conceptus illam potestatem iis limitibus circumscribat oportet, quos Ecclesiae praxis nullatenus servat, siquidem etiam in iis circumstantiis dispensare consueverit, in quibus impleri votum etiam perfectius esset.

4. Quare nihil relinquitur nisi ut dicamus, obligationem coram Deo contractam nomine Dei remitti, quod potestatem Ecclesiae, Dei vicariae, non excedit: sive vis illam condonationem cessionem iuris vocare, sive potius condonationem illius obligationis, quae ex fidelitate Deo servanda resultat, at semper ab arbitrio Dei, promissarii, pendet. Confer, quod egregie disputat *S. Thom. 2, 2, q. 88, a. 12*: «Votum est promissio Deo facta de aliquo, quod Deo sit acceptum. Quid sit autem acceptum . . ., *ex eius (Dei) pendet arbitrio*. Praelatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei . . . qui in persona Dei determinat, quid sit Deo acceptum». — Nimirum converti non debet, «*Deo ex se magis placens*», et «*Deo ita acceptum et acceptatum, ut*



*eius obligationem prorsus urgere velit». Ut votum consistat, etiam posterius requiritur, idque ex mente S. Thom.; secus non dixisset «quid sit Deo acceptum, ex eius pendet arbitrio».*

II. Potestatem dispensandi Ecclesiae competere plane constat: 618

1. Ex perpetua et universali praxi Ecclesiae, quae, si esset erronea, errore perniciosum circa mores contineret: quod plane repugnat Ecclesiae infallibilitati; 2. confirmatur ex verbis Christi Mt 16, 19 ad S. Petrum directis: «Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis»; quod effatum ad quodlibet spirituale vinculum refertur, quod non ex natura rei aut divino iure prorsus indissolubile probatur esse.

Hanc potestatem exercet 1. R. Pontifex circa omnes christifideles, 2. episcopus ceterique praelati quasi-episcopalem iurisdictionem habentes erga suos subditos, cum dependentia tamen a R. Pontifice, 3. alii ex proprii praelati delegatione atque secundum huius delegationis limites.

**Explicatio.** 1. Positiva Christi concessione igitur haec facultas certe 619 data est Apostolis eorumque successoribus. Idque convenientissime factum esse pro conditione hominum, quibus multae causae mutandae voluntatis occurrere possunt, facile patet. Immo esse quandam talis potestatis necessitatem, ita aliquibus visum est, ut noluerint certo negare, in statu mere naturali existuram fuisse hanc facultatem apud auctoritatem religiosam: verum pro illo satu satis est dicere, existuram fuisse religiosam auctoritatem, quae posset authentice declarare in casibus dubiis, quandonam circumstantiae ita censerent mutatae, ut votum ex se non amplius obligaret. Cf. *Suarez* l. 6, c. 9, n. 19—21.

2. Ex quo patet, de Summi Pontificis, utpote qui apostolicae potestatis plenitudinem habeat, potestate dubium moveri non posse. De episcoporum autem potestate quaeritur, num ita inhaereat eorum muneri, ut specialis delegatio R. Pontificis necessaria non sit, sive num illa potestas ab episcopali munere plene auferri nequeat. Eam auferri non posse, multis theologis probatur, ita tamen, ut a R. Pontifice possit restringi: quia nimirum ad convenientem *gubernationem* populi sibi commissi pertineat, ea posse, quae frequenter ex natura sua occurrant. — De facto potestas illa competit etiam nuntiis in suis provinciis, capitulo, i. e. vicario capitulari tempore sedis vacantis. *S. Alph.* III 257.

3. Utrum *per se* eodem modo eam potestatem praelati regulares simul cum iurisdictione habeant necne, magis dubium est, quia eorum munus eiusque ambitus, utpote non divinae institutionis, a S. Pontifice plene dependet. Habent autem hanc facultatem — quatenus indigent potestate ultra irritandi potentiam — saltem ex delegatione.

4. Immo etiam relate ad saeculares ex privilegiis concessis eandem po- 620 testatem regulares tum superiores, tum alii confessarii ex eorum commissione habent, qua episcopi ordinarie pollent; idque vi delegationis S. Pontificis. *S. Alph.* ib.

5. Parochi aliive confessarii dispensandi facultatem non habent, nisi speciatim a legitimo superiore eam acceperint: quia haec potestas *per se* ad externam iurisdictionem et fidelium gubernationem pertinet, ea autem non potiuntur confessarii nec parochi.

6. Sed ex hac eadem ratione illa potestas, sive quae vi muneris sive quae per alterius delegationem exercetur, ad forum sacramentale non

restringitur, nisi in delegatione id expresse aut aequivalenter notatur: quare communis est opinio, et episcopus et regulares (quibus per suos superiores ita communicatum est) posse etiam extra confessionem in votis dispensare. — Aliud est de potestate, quae vi iubilaei confessariis concedi solet. *S. Alph. ib.*

7. Episcopi probabiliter etiam dispensare possunt in votis peregrinorum, modo sint privata omnino, ita ut ad publicum forum non trahantur. Ita videtur hodie dicendum esse saltem ex tacito consensu episcopi peregrinorum. (Cf. quae supra dicta sunt n. 260 et quae dicenda sunt vol. II de absolute peregrinorum.) Vide *S. Alph. I 158*. Regulares posse peregrinos quoslibet a votis liberare patet, quia agunt ex delegatione R. Pontificis, cui nemo ex fidelibus peregrinus est.

8. Superior, qui vi muneris sui dispensare in votis potest, etiam sibi, si indiget, dispensationem illam potest concedere. Vide quae dicta sunt de «legibus». *S. Alph. III 240* in fine.

621 III. Quamquam suprema potestas ecclesiastica in votis dispensandi ratione obiecti seu materiae latius patet quam irritandi potestas: nihilominus eatenus restricta est magis, quod ne S. Pontifex quidem valide dispensare possit sine iusta causa; ac proin quod dispensatio communiter fieri nequeat in votis factis principaliter ad favorem tertii, aut per onerosam promissionem acceptatam, saltem non ita, ut omnis, etiam iustitiae, obligatio exstinguatur.

**Maior declaratio ambitus huius potestatis:** 1. Dispensare possunt praelati regulares — utique ex iusta causa — etiam in votis novitii vel alicuius religiosi votorum simplicium antea emissis. Quod si factum est, vota numquam revocantur, sicut reviviscere possunt vota indirecte irritata.

2. Dispensare possunt S. Pontifex, et ex eius saltem commissione praelati regulares in voto transeundi ad strictiorem ordinem, quamvis irritare tale votum difficilius S. Pontifex, praelatus inferior numquam possit.

Similiter S. Pontifex dispensare potest in votis simplicibus, quae in aliquibus ordinibus votis substantialibus adduntur: — regularium praelatis quidem haec facultas non competit.

3. Immo potest R. Pontifex — etsi ex causa valde gravi tantum — in ipsis votis sollemnibus sive ordinis sacri sive religionis dispensare.

Quod aperte patet: 1) ex ratione, quia tota *sollemnitatis*, utpote quae ecclesiastici iuris sit, sicut induci, ita auferri a S. Pontifice potest: sublata vero sollemnitate, votum remanet simplex, in quo S. Pontificem dispensare posse nemo est, qui neget.

2) Ex praxi idem probatur<sup>1</sup>. Cogita solam dispensationem a sollemni voto castitatis, in perturbatione Gallica a Pio VII sacerdotibus civili matrimonio iunctis concessam. *Scav. II, n. 224*. — Etiam *Iulius III* cardinali *Polo* potestatem dedit dispensandi cum presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui tempore schismatis Anglici matrimonium attentaverant. — *Ben. IX*<sup>2</sup> cum

<sup>1</sup> Attamen haec *castitatis* voti dispensatio, si datur, fieri solet non plena, sed solum quoad certum matrimonium eiusque usum; facilius a votis paupertatis et oboedientiae plena fit dispensatio: cf. *Nilles* in *Archiv für kath. Kirchenr. LXI 329* sqq.

<sup>2</sup> Alii hoc factum adscribunt Coelestino III: vide *Schmalzgruber* in l. 4, decret. t. V, n. 13; *Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 40, n. 141, ubi alia eaque certiora facta habes, cf. etiam

*Ramiro* presbytero et religioso professo dispensasse fertur, ut labentem Aragoniae prosapiam, accepta uxore, suscigaret. Vide *E. Müller* II, § 56.

Ceterum ex hodierna praxi Ecclesiae dispensatio *presbyteri* a coelibatu, etiamsi conceditur redactio ad statum laicalem, non solet concedi; ex gravissima causa (cf. vol. II de disp. impedim. matrim.) datur subdiacono vel diacono, vel etiam religioso non-presbytero.

4. Vota, quae favorem quidem tertii attingunt, sed quae principaliter <sup>622</sup> in honorem Dei facta sunt, atque favorem tertii secundarie tantum et accidentaliter attendunt, a dispensandi potestate non excluduntur. Idque valet, etsi acceptata fuerint a tertio, modo vovens noluerit illi ius aliquod concedere: magis etiam valet, si votum acceptatum a tertio nondum est, aut si indeterminate in favorem aliorum factum est, ideoque acceptari a nemine potuit. Vide *S. Alph.* n. 255.

5. Si autem agitur de iis votis, per quae certis personis, sive physicis sive moralibus, ius aliquod ortum est, *per se* ne Summus Pontifex quidem plene ab omni obligatione dispensare potest, cum facultatem ius alienum laedendi non habeat.

Verum aliquando de iure sic acquisito Summus Pontifex pro suprema sua iurisdictione disponere potest: v. g. de iure, quod institutum ecclesiasticum acquisivit, vel quod congregatio religiosa per votum sive iuramentum perseverantiae acquisivit in singula sua membra: ab his igitur votis Summus Pontifex ex iusta causa dispensare plane potest.

Alii autem, quibus potestas dispensandi a votis committitur, omnino prohibentur, quominus ab hisce votis dispensent, nisi forte fiat cum consensu eorum, quorum interest, quando speciatim Summus Pontifex id genus votorum in toto suo ambitu non sibi reservavit. (Cf. *Gury-Ballerini* I, n. 333, q. 2.)

IV. De sufficientia causae autem *probabile* superioris iudicium suf- <sup>623</sup> ficit, ut dispensatio valeat, ita ut in *dubio* superior licite et valide procedere possit, immo pro valore dispensationis stari debeat, si causa aequalis adfuerit, quam bona fide iudicavit sufficere, postea minus sufficientem esse detexerit. — Cf. *Tamb.* l. 3, c. 16, § 4, n. 3 cum *Lessio*, *Sanch.*, *S. Alph.* III 251 paulo aliter loquentem: siquidem ad suavem gubernationem Ecclesiae pertinere videtur, ut Deus actus superiorum approbet, nisi error *omnino* appareat.

Verum ad subditum, qui dispensationem petit, spectat, sincere rem exponere secundum ea, quae dicta sunt de dispensatione legum.

Causa autem, cur dispensetur, non eadem est atque causa, ex qua irritatio fieri possit; non enim superioris respicitur commodum, sed notabilis ratio, quae voti executioni obstet, habenda est, ut: divinus honor maior, Ecclesiae utilitas, commune bonum, utilitas spiritualis voventis, voti ipsius imperfecta deliberatio vel emissio. Quo gravior

---

Nouv. Revue théolog. Louvain. XVI 441. — Recentius *Gams* in suo opere germanico «Kirchengeschichte von Spanien» (Historia eccles. Hispaniae) III 182 illam dispensationem *Ramiro* datam ad annum 1134 Innocentio II attribuit, atque refert, *Ramirum* religiosum quidem fuisse et episcopum, episcopalem autem ordinem eum non habuisse, immo fortasse ne sacerdotalem quidem, eumque postea ad vitam religiosam rediisse.

autem res voto promissa est, eo gravior causa requiritur; at levior, si commutatio quaedam admiscetur. Ita communiter. Cf. etiam *Linsenmann* § 103, III.

624 Causas dispensandi in votis privatis, sive cum aliqua commutatione, sive pro diversis adiunctis sine illa, praestat ex doctrina *S. Alph.* III 252 et 253 recensere: quae fere concordant cum iis, quae *Laym.* l. 4, tract. 4, c. 8, n. 5, *Lacr.* l. 3, p. 1, n. 541, *Reuter* II 361 habent:

«Sufficit pro causa ad dispensandum 1) periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem hominum fragilitatem.»

2) «Sufficit etiam magna difficultas in executione, non solum si praevisa non fuit, sed etiam si fuit praevisa, tum quia tunc etiam adest periculum transgressionis, tum quia res multo difficilior apprehenditur, dum *instat executio.*»

3) «Si vovens vexetur magnis scrupulis.»

Videtur *S. Doctor* in hisce adiunctis velle aliquam commutationem, quando prudentia id permittit.

4) «Etiamsi absit periculum transgressionis, et magna difficultas in executione, sufficit pro causa, quod votum emissum sit *immature*, scil. cum nimia facilitate, imperfecta deliberatione, imperfecta libertate» (ut: in aetate puerili ante pubertatem, ex tristitia, ira, metu intrinseco): «... ideo potest in iis dispensari sine commutatione. Si autem constaret, maturam adfuisse deliberationem, tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio.»

5) A fortiori igitur causa dispensandi est ratio publici boni vel spes maioris honoris divini.

625 V. Commutatio est subrogatio alterius obiecti loco rei promissae. Quam sine dubio efficere possunt ii, qui dispensandi potestatem habent. Requiritur autem etiam legitima auctoritas ad faciendam commutationem in opus minus aut aequale, etsi levior sufficiat causa: nam ad commutationem in opus melius proprium arbitrium voventis sufficit, nisi excipias vota reservata secundum ea, quae mox dicturi sumus.

**Explicatio.** 1. Si facultas «commutandi» alicui communicatur, non potest fieri subrogatio operis *notabiliter* minoris: attamen aliquantulum minoris, praesertim si dicitur facultas «dispensando commutandi»: quare tunc principaliter quidem fieri debet commutatio, sed cum aliqua dispensatione. Cf. *Const. Ben. XIV*, pro Iubil. 1750. — Si dicitur, tribui facultatem «commutando dispensandi», intelligitur principaliter dispensatio, at non absoluta, sed cum aliqua commutatione (in rem etiam *notabiliter* minorem) coniuncta. *S. Alph.* n. 247.

2. Commutatio ab auctoritate facta sine causa censetur secundum *S. Alph.* n. 245 nihilominus valida, modo in *opus aequale* facta fuerit commutatio, aut si minus, defectus suppleatur. — Plane licita tamen non fuit.

3. Circa commutationem, quae fiat proprio Marte seu sine auctoritate in opus aequale, dicendum est, eam non valere plene, verum non excedere veniale peccatum. Ita dicendum puto cum *S. Alph.* n. 244 et 245 contra plures, quorum alii severius, alii mitius etiam loquuntur.

4. Commutatione quocumque modo facta, *licet* semper ad opus primo promissum redire, nisi forte commutatio in opus melius facta novo voto confirmata sit. Contra autem, ad primum opus rediri *non debet*, etsi opus substitutum impossibile fiat, modo auctoritate legitima substitutio facta sit;



nam si facta est proprio arbitrio, necesse est ut redeatur ad opus primum, si secundum impossibile evaserit. *S. Alph.* n. 249 de priore casu dicit «etsi culpa *voventis* impossibile evasit»; nam prima obligatio legitime extincta est, si *absoluta* commutatio fuerit obtenta.

VI. Potestatem dispensandi et commutandi S. Pontifex circa quae-<sup>626</sup>dam vota sibi reservavit, vid.: 1. religionis (ingrediendae), 2. perpetuae castitatis, 3. peregrinationis tum Hierosolymitanae ad sepulcrum Domini, tum 4. Romanae ad limina Apostolorum Petri et Pauli, tum 5. Compostellanae ad S. Iacobi Mai. Quare si vota haec perfecta fuerint ratione finis et obiecti, nemo praeter S. Pontificem aliquid potestatis in ea vota habet, nisi *specialem* licentiam ab illo acceperit: possunt tamen omnia vota commutari in *assumptionem status religiosi*.

**Uberior explicatio.** 1. Reservatio illorum votorum sic intelligitur, ut <sup>627</sup>in ordinaria facultate commutandi vel dispensandi in votis haec vota non comprehendantur, etsi restrictio non exprimitur. Nam per se exclusae sunt, et necesse est, ut speciatim exprimantur, quo facultas in iis dispensandi alicui competat: immo si unum reservatum exprimitur, non valet illatio ad alia. Quare si datur facultas dispensandi «a votis reservatis, *etiam castitatis*», excluditur votum religionis, utpote ex parte nobilius, includuntur reliqua; sed etiam ex adverso, si datur facultas dispensandi «a votis reservatis, *etiam religionis*», non includitur votum castitatis, utpote quod secundum quid graviorem obligationem imponat quam votum religionis; hoc enim post experimentum religiosae vitae exstingui potest. Demum facultas absolvendi «a votis (omissa voce „reservatis“), etiam castitatis» excludit omnia alia reservata. Vide *Sanchez* l. c. c. 40.

2. Reservatio autem illa ex parte rei est strictae interpretationis. Quare vota illa quinque reservata non sunt: 1) si materia non est perfecte illa, quae in iure assignatur, 2) si votum non est emissum perfecto modo, i. e. non ex amore ipsius operis seu virtutis, sed ex alio motivo.

Hinc reservatum non est votum ingrediendi ordinem non approbatum, aut non stricte ut ordinem approbatum, nec votum transeundi ad strictiorem ordinem. Si quis igitur vovit monasterium ingredi, vel si puella vovit monialis fieri, neque expresse cogitavit ordinem stricte dictum: ex hodiernis circumstantiis censendum est illud votum non esse reservatum, cum tot sint religiosae *Congregationes*, seu latioris sensus Ordines, quos vovens ingrediendo votum implevisse censendus sit.

Neque reservata sunt: votum castitatis temporaneae, votum non petendi coniugale debitum, votum virginis si intelligitur ut distinctum a voto perpetuae castitatis (vide vol. II, impedimenta matrimonii impediencia)<sup>1</sup>, votum non nubendi, votum emittendi postea votum castitatis.

Neque reservatum est votum peregrinationis Romanae ex causa visitandi alia quaedam sanctuaria, et similiter de aliis peregrinationibus; nec votum de *modo* instituendae peregrinationis reservatae.

Insuper reservata non sunt vota religionis, castitatis, peregrinationum illarum, si ulla ratione a perfectione his votis ex se propria et innata de-

Quare indiscriminatim verum non est, quod putat *Wirthmüller* § 70, n 16 et *Linsenmann* § 103 II, post violatum virginis votum nihilominus perpetuae castitatis obligationem manere.

ficiunt, videlicet: si 1) emissa sunt conditionate, etsi impleta fuerit conditio, modo tamen *conditio* ut n. 581 fuerit; 2) si per modum poenae facta sunt; 3) si facta fuerint ex metu; 4) si vovens intendit se sub levi tantum obligare; 5) si votum fuit disiunctivum, nisi forte utraque res disiunctive promissa sit reservata, aut, electione rei reservatae facta, haec voto sit confirmata vel sola mansit possibilis. — Cf. *Laym.* l. 4, tract. 4, c. 8, n. 8 sqq; *Tamb.* l. 3, c. 16, § 4, n. 49; *Sanchez* l. 4, c. 40, n. 80 sqq; *S. Alph.* III 258.

3. Facta commutatione voti reservati in materiam non reservatam, ab illa, si accedit iusta causa, dispensare possunt ii, qui ordinariam facultatem habent. *S. Alph.* n. 260.

628 4. Episcopi, aut qui episcopalem iurisdictionem habent, possunt cum suis subditis dispensare in votis reservatis, non absolute quidem, sed in *quantum necessarium est*, — etiam sine speciali privilegio, si et recursus ad Summum Pontificem difficilis et periculum est in mora. *S. Alph.* n. 258 not. II: quod quidem confessariis ordinum mendicantium non videtur concessum esse sine speciali privilegio. (Vide tamen *S. Alph.* VI 1128.)

Verum si agitur de voto castitatis, contra quod aliquis matrimonium iniit, tum episcopi, tum confessarii mendicantes (modo secundum sui ordinis constitutiones a Superiore hac facultate instructi sint) dispensare possunt in ordine ad petendum debitum (ergo non absolute; sed 1. mortua comparte, votum reviviscit; 2. peccatum contra castitatem coniugalem manet etiam nunc voti violatio): siquidem materia voti iam ex ipso statu matrimonii non amplius perfecte obligat. *S. Alph.* l. c. et VI 1076.

629 5. Circa relaxationem votorum substantialium in religiosis Congregationibus emissorum Const. Leonis XIII *Conditae a Christo* d. d. 8 Dec. 1900 haec habet:

a) Quoad Congregationes sive virorum sive mulierum a. S. Sede approbatas «*condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis*», (Quare per se neque dimissione tolluntur neque dispensatione episcopali.)

b) Quoad Congregationes dioecesanarum «*episcopo alumnas professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aequae ac temporariis remissis, uno dempto, ex auctoritate saltem propria, colendae perpetuo castitatis*». Votum illud censetur igitur *absolute* emissum et, ut dispensatione solvi possit, opus est speciali facultate S. Sedis dispensandi in voto perpetuae castitatis. Ratio autem dispensandi in eiusmodi persona facile ex ipsa dimissione sumi potest, si videlicet in vita saeculari difficilior ei est castitatem et coelibatum servare.

630 Scholion 1. Quae dicta sunt de potestate dispensandi commutandive vota, intellige etiam de iuramentis, cum par sit ratio; attamen iuramenta, nisi votum accedat, non sunt reservata.

1) Episcopi atque ii, qui vi muneris sine speciali delegatione dispensare in votis possunt, possunt etiam in iuramentis dispensare.

2) Facultati delegatae dispensandi commutandive vota communiter adiungitur potestas eadem circa iuramenta: immo probabile est, eam intelligi iam per potestatem in vota concessam, utpote minus inclusum in maiori, quod *Suarez* dicit esse *communis* sententiae, quam cum Caietano, Soto plerique teneant, saltem si intelligatur de iuramento solo sine voto. At idem etiam probabiliter extenditur ad vota iurata, in quibus duplex vinculum et voti et iuramenti occurrit. Vide *S. Alph.* III 190 et *Gury-Baller.* I, n. 314, q. 4 cum *Suarez*, De relig. tr. 6, l. 6, c. 14, n. 6 11 14 21. Quare etiam usus huius probabilis facultatis practice tutus est, licet *S. Alph.* quoad usum dissentiat.

Scholion 2. Practice pro confessariis notatu dignum est, ne procliviores sint in permittenda poenitentibus suis emissionem votorum in materia difficili. Maxime cauti esse debent, ne permittant facile, nedum pertrahant ad votum perpetuae castitatis. Tristis experientia docet, puellas aliquando, ad temporaneo fervore concepto, velle castitatem vovere, sed vix brevi elapso tempore vel opportunitate nubendi oblata, eas voti poenitere atque solutionem voti efflagitare, nisi etiam spreto voti vinculo nuptiis se tradant. Quare probandi sunt spiritus, et si tandem convenire videtur, ut votum permittatur — siquidem in se perfectius est cum voto quam sine voto castitatem servare — : permittatur prima vice vel aliquoties votum temporaneum ab uno festo B. Virginis ad alterum, et sic tandem post multam et seriam probationem votum perpetuum.

Nam etsi dispensatio ex causa dari possit, temeritati et levitati non est indulgendum. Et quoniam perpetua castitas gravissima res est, Romani Pontifices Romanaeque tribunalia in hoc voto, si semel ex maturo consilio emissum est, non consueverunt dispensare, nisi adiuncta permagna commutatione, e. g. semel in hebdomada ieiunare, insuper semel in mense ad Sacramenta accedere, atque alias preces addere, idque pro toto vitae tempore. Quae etsi pro eo, qui legitima facultate ex privilegio dispensandi fruitur, non sit norma obligatoria, tamen ostendit, non leviter, sed cum magna consideratione in eiusmodi voto dispensationem esse concedendam.

Scholion 3. *Reuter* II, n. 374 collegit ex probatis scriptoribus *Gobat*, *Sporer*, *Tambur.*, *Lohner* quaedam exempla commutationum in votis: quae esse utile duxi afferri, cum hac in re a prudenti aestimatione multum pendeat.

1) Commutari potest votum peregrinationis pedestris unius diei in ieiunium semel faciendum simul cum expensis peregrinationis pio operi applicandis; in idem commutari potest peregrinatio aliquot dierum equo vel curru peragenda. 2) Ieiunium unius diei in unam confessionem; ieiunium in pane et aqua in confessionem et Communionem. 3) Votum vitandi externa peccata luxuriae in confessionem menstruam per vitam, vel pro circumstantiis ad aliquot annos (immo puto in quaelibet remedia ex se efficacia coërcendi luxuriam, siquidem melius est sine voto castitatis ab illis peccatis efficacius abstinere, quam cum voto peccare). 4) Votum non nubendi in confessionem et Communionem menstruam per vitam vel saltem pro tempore status matrimonialis. 5) Votum non peccandi mortaliter, vel non venialiter deliberate (in pluribus materiis) in confessionem et Communionem menstruam (si esset votum non committendi ullum peccatum plene deliberatum, *commutationem* vix puto esse, etsi fiat in hebdomadariam confessionem et Communionem). 6) Ieiunium quolibet sabbato peragendum in confessionem et Communionem bis in mense. 7) Recitatio cotidiana Rosarii in confessionem hebdomadariam (adderem: vel in Missam ter quaterve in hebdomada devote audiendam).

Appendix. Catalogus peccatorum praecipuorum contra secundum decalogi praeceptum (ratione iuramenti et voti — accedit saepe damnificatio):

1. Falsum scienter iuramento affirmare.
2. Contra ius interrogantis restrictione etiam late mentali uti in iuramento.
3. Iuramento aliquid promittere sine animo implendi.
4. Ficto iuramento alium decipere.

5. Iuratam promissionem in re gravi laedere: sicut etiam, contra iuramentum proprii officii et muneris delinquere.

6. Rem (graviter) peccaminosam iuramento promittere, aut iuramenti causa implere.

7. Assertioni graviter iniquae iuramento vim et efficaciam addere, v. g. detractio.

8. Temere iurare sine attentione ad verum et falsum.

9. Eiusmodi consuetudinis emendationem non curare.

10. Periurio execrationem seriam addere.

11. Exorcismis abuti, aut in iis se vanum et temerarium gerere.

12. Votum emissum nolle implere, illud in re gravi laedere.

13. Voti impletionem diu differre, praesertim cum periculo oblivionis, aut futurae impossibilitatis.

14. Votum, quod voventi moraliter impossibile sit, suscipere.

15. Ad pravam finem promovendum votum attentare.

16. Fraudulenter impedire, quominus conditio voto apposita impleatur.

17. Fraudulenter dispensationem quaerere.

18. Sine legitima potestate aut sine iusta causa a voto cum aliquo dispensare.

#### *Caput IV.*

#### **De exercitio religionis homini, ut socialis est, adaptato.**

684 Externum Dei cultum homines, ut creaturae sensibiles, naturali lege exercere debent. Verum si singuli sibi plene essent relictis, pro suo arbitrio, quomodo vellent animi sui sensus erga Deum manifestare, eligere possent. Quoniam autem in societatem coadunantur, sociali etiam vinculo ad Deum colendum adstringuntur, atque publice divinum numen agnoscere et honorare debent. Quare etiam certus aliquis modus publicus et certum aliquod tempus determinari debuit, quo totus populus tributum laudis atque honoris Deo offerret.

Quod in statu mere naturali, si existeret, religiosa auctoritas sine dubio constituere et praecipere debuisset; in statu supernaturali, saltem cum e lapsu suo genus humanum erigi coepisset, divina auctoritate positive constitutum est. Idque tum in praeparatoria Lege Vetere obtinuit, in qua Deus omnia ad amussim praescrispsit, quo efficacius populum iudaicum in suo officio contineret atque a consortio idololatrarum gentium removeret; tum in Lege Nova obtinet, in qua tamen non ipse Deus immediate omnia ordinavit, sed regimini Ecclesiae eiusque potestati permulta subiecit.

Immo non solum in dirigendis iis actibus religionis, quos Ecclesia iudicaverit omnibus esse praecipiendos, christiani eius regimini subiciuntur, sed etiam in iis, quae forte, consilia Christi circa perfectionem evangelicam sequentes, sibi suscipienda putaverint, Ecclesiam habent gubernatricem et legislatricem.



Sociale igitur religionis exercitium duplicis generis est: 1. commune ab Ecclesia omnibus praeceptum, 2. singulare per statum perfectionis in Dei honorem voluntarie assumptum, maxime per eum statum, quem qui amplectuntur, in familiam certam coadunati totam suam vitam divino servitio consecrant, quemque propterea Ecclesia «religionis» nomine seu *status religiosi* insignivit.

De hoc peculiari virtutis religionis exercitio primo agam, cum maxime cum votis, de quibus modo disputavi, cohaereat, utpote quae in statu religioso summam perfectionem adipiscantur; sequenti articulo de sociali religionis exercitio communi, quod per tertii decalogi praecepti tractationem explicabitur.

### Articulus I.

#### De religionis exercitio per statum religiosum.

NB. Infinitum est scriptores illos referre, qui de statu religioso scripserunt. Ad omnes, qui universam theologiam moralem, aut ius canonicum tractant, lectorem remittere possum, missis etiam iis, qui ascetice de eadem re egerunt. Paucos nominatim effero: *S. Thom.* 2, 2, q. 179—189; *Suarez*, De relig. p. II, a tract. 7 et deinceps; *Sanchez*, In dec. l. 5—7; *Less.*, De iust. et iure l. 2, c. 41; *S. Alph.* l. IV, n. 1—82; *Bouix*, De regular. iure; *Craisson*, Manuale iuris can. n. 2455—3160; *Wernz*, Ius decret. III, 587—703; asceticos scriptores: *H. Piat*, De bono status religiosi; *A. Rodriguez*, De perfectione christiana, praecipue p. III.

#### § 1.

##### *Praeambula de statu perfectionis in genere.*

Status perfectionis christianae quid sit, ut intelligatur, videndum<sup>635</sup> est, in quo consistat perfectio. Perfectio cuiuslibet entis consistit in optima habitudine ad finem suum. Finis autem hominis in Deo eiusque beata possessione supernaturali consistit, ad quam disponit gratia sanctificans et supernaturalis caritas. Quare recte homo eo perfectior dicitur, quo abundantiore habet caritatem et sanctificantem gratiam (vide *S. Thom.* 2, 2, q. 184, a. 1).

Verum ex solis his donis divinitus infusis etiam in maiore gradu hominem, ut his in terris viator est, non dicimus *simpliciter* perfectum, neque in *statu* perfectionis esse. Nam si de statu perfectionis quaerimus, certam *vivendi et agendi normam*, quae omni vitae ipsius rationi suo modo praesidere debet, cogitamus: carere autem tali norma potest etiam, qui gratiam sanctificantem habet valde copiosam. Quare ut statum perfectionis intelligamus, ad *actus* perfectos videmur mentem convertere debere.

Sed neque in caritatis *actuali exercitio* perfectio, si de *statu* agitur, collocari potest, siquidem in statu perfectionis etiam ille esse pergit, qui actu non operatur.

Nihil ergo relinquitur nisi ut vitae quidem «perfectionem» dicamus illam hominis christiani *habitudinem expedite et frequenter exercendi*

*actus caritatis eosque quantum fieri possit perfectos, de statu vero sic statuamus:*

636 I. Status perfectionis (acquirendae) recte dicitur ille stabilis vivendi modus, quo, quatenus ex ipso est, homo inducitur ad caritatis perfectionem consequendam. — Quod fit, si status susceptus 1. *continet ex se exercitium* perfectioris caritatis quam communis vitae christianae obligatio, videlicet si extenditur non ad mandata Dei tantum, sed etiam ad ea, quae Deus commendavit ut sibi magis placentia; 2. si suscepta illa vivendi ratio *impedimenta* caritatis eiusque perfectionis *removet*; 3. si ratio illa vivendi *secum fert frequenter occupationes illas*, quae ad divinum cultum divinamque caritatem spectant.

*Suarez*, De relig. tract. 7, l. 1, c. 14 et l. 2, c. 1 distinguit cum *S. Thoma* q. 185, a. 1 ad 2 et q. 186, a. 2 in corp. inter statum perfectionis *exercendae* et statum perfectionis *acquirendae*: prior est episcopatus, status religionis posterior est. Statum perfectionis *exercendae* vocant, quia *secum fert obligationem* certae cuiusdam perfectionis iam habendae, siquidem opera caritatis abundantioris et zeli requirit. — Sed quae hic disputamus, fere referuntur ad statum *acquirendae* perfectionis, qui non imponit obligationem habendi perfectionem, sed tendendi in eam.

637 II. Ille igitur, qui sese perpetuo vel stabili modo obligat, ut a certa re alias licita absteineat aut in frequenti exercitio actuum supernaturalium versetur, quo Deo magis placeat atque liberius inhaerere possit, in quodam statu perfectionis est. — Quod eo magis obtinet, quando abstinetur ab illis oblectamentis, quae mentem dividunt neque totam in Deum ferri sinunt secundum Apostolum 1 Cor 7, 34: «Virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro.» Primus igitur gradus status perfectionis ascenditur ab eo, qui coelibatum vel castitatem vovit, praecipue voto publico. Cf. *Suarez*, De relig. tract. 7, l. 2, c. 1, n. 1.

**Videlicet:** «*Status*» indicat quandam stabilitatem. Quare cum homo, maxime in rebus difficilioribus mentis instabilis sit, necessitatem quandam sibi imponere debet constanter agendi: alioqui certum statum assumpsisse non dicitur. Quae necessitas in hac re non alia concipitur quam obligatio liberae promissionis Deo factae seu *voti*. — Nam si consideras alios status saeculares, in iis homo natura sua et cupiditate facilius detinetur atque stabilis vivit, sed ne in iis quidem sine obligatione quadam haec stabilitas solet esse. Contractae enim relationes variae plerumque hominem impediunt, quominus pro libitu vivendi normam mutare possit, ut in variis negotiis opificisque exercendis apparet et maxime in matrimonio. — Quoniam autem in rebus, quae Deum eiusque servitium et amorem spectant, externae circumstantiae necessitatem non inferunt, nulla necessitas, quae ad constantiam et stabilitatem compelleret, haberetur, nisi moralis obligationis vinculum inductum esset: quo inducto, maior etiam stabilitas existit quam in quibusvis negotiis rerum humanarum vicissitudinibus relictis.

Nihil tamen impedit, quin dicas, eum, qui solo firmo proposito concepto constantem agendi normam christianae perfectionis retineat, initium quoddam seu germen status perfectionis habere.

III. Maior quaedam perfectio status adest, si accedit sollemnis quaedam ex parte Ecclesiae acceptatio et consecratio, qua homo ad divinum cultum assumitur atque praeter continentiam a rebus sensualibus etiam positivum exercitium divini cultus sibi imponit. 638

Ad quae nota: 1. Scite *S. Thom.* q. 184, a. 4 in corp. animadvertit: si de statibus perfectionis christianae quaeratur, agi per se de iis, qui ordinem quendam pulchritudinis in *Ecclesia* producant, adeoque humanis etiam oculis appareant. Hinc est, quod secundum iudicium solum divinum homo per votum privatum tantum et occultum in statu perfectionis versari possit, non autem secundum iudicium humanum. Proprie ergo status perfectionis dicitur de iis, qui *profitentur publice* coram Ecclesia aliquo modo approbante, quae perfectionis sunt. Id primo fit voto privatim quidem facto, sed publice noto et quasi in tutela Ecclesiae posito; secundo, perfectus fit per Ecclesiae auctoritativam acceptationem et consecrationem: quae tum in sacris ordinibus habetur, tum in religiosorum institutione et assumptione.

2. Immo etsi formaliter et expresse votum non emittitur, si tamen, interveniente ecclesiastica auctoritate, aequivalens obligatio sectandi perfectiora contrahitur, status perfectionis constitui dicendus est. Vide *Suarez* l. 1, c. 12, n. 5—7.

IV. Status autem perfectionis christianae acquirendae simpliciter dictus in statu religioso consistit, per quem homo omnia illa media generalia assumit, quae Christus Dominus perfectionis causa commendavit (cf. *S. Thom.* q. 186, a. 1 ad 4 et *Suarez* l. c. l. 1, c. 10, n. 6), quibus et impedimenta caritatis communia auferuntur, scil. concupiscentia carnis, divitiarum, honoris, et occasiones frequentius exercendae caritatis praebentur, et ipsum exercitium caritatis excellentius continetur. Quamquam notio status perfectionis universum sumpti sane latius patet quam status religiosus. 639

Nimirum simpliciter perfectus esse nequit status, nisi omnia removeat impedimenta caritatis, quae *in natura humana*, uti omnibus *communis* est et re ipsa sese manifestat, reperiuntur: quod in solo statu religioso fit. Nimirum impediunt caritatem divinam eiusque exercitium, immo ipsi caritati periculum creant concupiscentiae illae, quas *S. Ioan.* 1, Io 2, 16 enumerat, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitae. Quarum radices, quantum humanae vires ferunt, evellit, fomentaque subtrahit status religiosus per vota castitatis, paupertatis, oboedientiae. Vide *S. Thom.* l. c. q. 188, a. 1 et q. 189, a. 1.

Simul autem sive per ipsa vota eorumque observantiam sive per singulorum ordinum statuta homo religiosus impellitur quasi continenter ad actus positivos caritatis exercendos, cum totus in quoddam holocaustum pro divina gloria sese obtulerit atque continuo se mactare quasi cogatur.

Nihilominus inde non sequitur, quemlibet religiosum esse perfectum, vel perfectiorem esse iis, qui in saeculo vivunt. Nam potest perfectio eaque magna attingi sine mediis illis, quae status religiosus subministrat; et e contrario religiosus aliquis potest in suo perfectionis statu prorsus imperfecte vivere, maxime cum essentialia religiosi status in removendis quidem communibus impedimentis frequenti caritatis exercitio obstantibus consistant, ad ipsum autem exercitium non proprie, sed invitando et praeparando quodammodo cogant.

## § 2.

*De essentia status religiosi.*

640 I. Status religiosi essentia in tribus votis: paupertatis, castitatis, oboedientiae consistit, quae approbante Ecclesia emittuntur atque ab eo nomine Dei visibili modo et visibilis regiminis causa accipiuntur.

**Explicatio:** 1. Tria vota paupertatis, castitatis, oboedientiae erga praelatum ad statum religiosum requiri, omnes fatentur et ex ipsa explicatione status perfectionis completi elucet. Quoniam enim religiosus ex eo dicitur, quod totus novo aliquo modo in Dei dominium transeat atque divinis rebus Deique cultui sese mancipet, ne nomen cum re discordet, ea obstacula abicere debet, quae, ut antea dixi, pro humana natura a divinis rebus retrahunt atque terrenis immergunt. Quod non fit nisi per tria illa vota. — Dein qui in christiana religione se totum Deo devovere vult, ea *omnia universalia* consilia amplecti debet, quae Christus commendavit et ad perfectionem acquirendam certo sensu necessaria esse edixit: quae sunt paupertas voluntaria, castitas, oboedientia.

2. At solis illis votis in se sumptis obligatio interna quidem coram Deo contrahitur, sed nondum illa stabilitas et firmitas coram Ecclesia habetur, quam visibile regimen requirit. Ut igitur status religiosus ecclesiasticus status sit, interventus Ecclesiae necessarius est, quo Ecclesia hanc obligationem ratam habeat atque nomine Dei et suo urgere et dirigere possit.

*Suarez* tr. 7, l. 2, c. 4, n. 9 sqq dicit: «Ad proprium vinculum status religiosi, quando in communitate religiosa assumitur, praeter tria vota substantialia immediate Deo facta, necessaria est peculiaris obligatio humana per modum pacti reciproci, quo et ipse homo religioni se donat et obligatur, et vicissim religio acceptat eique obligatur . . . ad gubernandum. — Status religiosus privatim, sine unione ad aliquam communitatem, assumptus non potest quidem fieri sine aliqua *habitudine* ad aliquem hominem, cui vovens se obliget (ad oboediendum) . . . : nihilominus . . . id fieri *potest* sine speciali obligatione proxime et directe homini facta etc.»

Nimirum sentit, statum religiosum essentialiter adesse in vita solitaria cum votis, paupertatis, castitatis et oboedientiae erga alterum e. g. confessarium' soli Deo factis, ita ut confessarius ille directionem quidem suscipiat, ipse autem ius iubendi non acquirat, neque vovens, si oboedire postea detrectet, ullo modo contra hominem, sed solum contra Deum delinquat. Sive hunc statum alicui religiosum privatim vocari placet sive displicet, potius lis de verbo est. Ecclesiasticus status eiusmodi vita non esset, nisi aliqua saltem approbatio et acceptio Ecclesiae accederet: quae accedere *potest*, etsi coadunatio ad communitatem religiosam non fiat, re ipsa autem nunc pro statu religioso stricto sensu ecclesiastico non habetur; neque idea religiosae vitae ita plene verificatur, ut statim dicam.

641 3. Acceptatio Ecclesiae potest diversos gradus admittere. Quod quo clarius fiat, etiam *approbatio* Ecclesiae logice saltem praevia distingui debet diversa (cf. etiam *Schels*, Die neuen relig. Frauengenossenschaften):

1) Approbatio *sollemnis et definitiva*, quae canonizatio quaedam certi instituti cum eius regulis et constitutionibus est. Haec definitiva approbatio ex natura sua soli Summo Pontifici eiusque infallibili magisterio competit: quare etsi antiquitus ad religiosum ordinem instituendum episcopi auctoritas sufficiens fuerit, tamen ordines illi, antequam utcumque Summi Pontificis suprema approbatio saltem tacita accederet, non erant pleno et perfecto sensu ordines religiosi, sicut pro hodierna disciplina soli admittuntur.



2) Approbatio simplex tantum at perpetua a Sancta Sede data, qua *definitivo modo* approbari solent religiosae Congregationes, quae non sunt Ordines stricte dicti: quam, si insistere placet in comparanda declaratione sanctitatis hominum et sanctitatis institutorum, cum beatificatione servorum Dei conferre possumus.

3) Approbatio *experimenti causa seu ad tempus* ex parte Sanctae Sedis concessa<sup>1</sup>.

4) Quodsi Sanctae Sedis approbatio nulla adest, existere tamen potest *episcopalis approbatio* — quae numquam potest esse definitiva; ecclesiastica tamen recte vocatur, quamquam non pleno sensu approbatio Ecclesiae. — Verum ex Motu proprio Pii X d. d. 16 Iulii 1906 «*Dei providentia*» ne haec quidem dari potest sine licentia S. Sedis seu S. Congreg. negot. religios. Videlicet a Concilio Later. IV sub Innoc. III institutio novae religionis novaeve regulae approbatio reservabatur omnino R. Pontifici (cf. c. 9 X 3, 36). Nihilominus lapsu temporis haec lex eam moderationem consuetudine inductam habuit, ut nova religio Ordo quidem non esset, nisi definitive ut talis approbaretur a S. Sede, liceret tamen sola approbatione episcopali novum institutum religiosum fundare, quod rationem Congregationis religiosae cum votis simplicibus haberet. Nunc vero ad id ipsum necessaria est praevia recognitio et licentia S. Congregationis Romanae, quae nondum est Apostolicae Sedis *approbatio*.

Cum eiusmodi igitur approbatione quaedam *acceptatio* instituti religiosi<sup>642</sup> singularis eiusque membrorum coniungi consuevit.

Videlicet ii, qui ad degendam vitam religiosam Deo se devovent, si vita communitatis est, illi communitati se tradere et ab ea accipi debent: quae, nisi Ecclesiae approbatio ipsius instituti adsit, nondum est *acceptatio ab Ecclesia*.

Immo *aliqua humana traditio et acceptatio* videtur prorsus exigi, ut religiosae vitae idea compleatur. Constans enim sensus Patrum et Ecclesiae est, religiosum ipsa religiosae vitae susceptione fieri quasi speciali quodam modo Dei proprietatem et rem, ita ut Deus ex speciali titulo de religioso disponere possit. Quod utique non aliter intelligitur, nisi ut de hominis religiosi actionibus peculiari modo disponatur seu ut eius vita atque actiones sic dirigantur et exigantur, quomodo Dei cultus (diversus in diversis ordinibus) requirat. Verum talis dispositio et directio a Deo non fit immediate, cum visibili vel immediato modo non consueverit hominibus sese manifestare; ergo per homines fieri debet, i. e. a religiosa communitate eiusque praesule, aut a singulari homine electo (confessario, episcopo . . .), qui Dei nomine obligationem, qua religiosus homo se Deo speciali modo obstrinxit, acceptavit. Quae acceptatio et traditio ad cultum Dei sane plenior est, si, qui acceptavit, non solum Deo, sed etiam sibi — quamquam intuitu Dei — ius iubendi acquirit: immo vero in suscipienda religiosa vita communitatis id plane necessarium est. Nam si in religioso instituto religiosa vita suscipitur, obediencia sic promitti debet, ut peculiaris finis *huius* instituti requirit; ergo religiosus traditione sui ipsius etiam huic instituto obligatur. Quare si postea sese retrahat vel oboedire detrectet, finem peculiaris instituti, ad quem se obligaverat, laedit, atque ius non solum Dei, sed etiam ipsius ordinis infringit. Paucis, traditio et acceptatio proxime erga certum ordinem seu erga homines existat oportet, sed *Dei causa*, qui ipse novum dominium in homines tantum improprie dictum acquirere potest. — Quia igitur totus finis Dei

<sup>1</sup> Huic approbationi experimenti causa datae antecedere solent alii actus commendatitii.

cultus est, etiam patet, illud dominium et ius ordinis religiosi non ordinari ad utilitatem illius humanae communitatis, quemadmodum traditio servi ordinatur ad utilitatem heri, sed ordinari totum in spiritualem utilitatem religiosi ipsius et in ipsum Dei honorem ex speciali singulorum ordinum instituto diverso modo exercendum et promovendum.

Completur autem acceptatio illa humana per acceptationem ex parte Ecclesiae, i. e. R. Pontificis (aut saltem episcopi), non quod haec sit nova traditio atque novam iuris vel domini speciem in virum religiosum constituat, sed quod per eam status ut status ecclesiasticus compleatur.

643 Qua acceptatione Summus Pontifex acquirit, similiter ut ipse ordo seu eius praelati, idque supremo gradu, ius in religiosos, atque eorum actiones dirigere voluntatique dominari potest. Hinc est ut dicatur Summus Pontifex supremus quorumlibet religiosorum praelatus, non quasi cuiuslibet ordinis membrum sit, sed quod dominativam potestatem praelati supremo gradu exercent. Et quod consequens est, si per suae iurisdictionis auctoritatem Summus Pontifex constituit, ut religiosorum vota privata a praelato irritari possint (quod re ipsa constitutum esse alibi visum est): per acceptationem ordinis eiusque membrorum ex parte Ecclesiae fit, ut etiam Summus Pontifex dominativa potestate eiusmodi vota possit irritare. Ubi vero acceptatio ex parte Ecclesiae deest, haec irritandi potestas locum habere nequit<sup>1</sup>.

Acceptatio igitur Ecclesiae 1. supremo gradu adest cum sollemni et definitiva approbatione instituti ut ordinis stricti: qua ex communi sententia theologorum istius ordinis religiosi in dominativam potestatem Ecclesiae seu R. Pontificis transeunt, non absolutam, sed intuitu Dei atque peculiaris ordinis finis. Haec sola acceptatio constituit ex hodierna disciplina *ordinem stricte dictum*.

2. Inferiore gradu adest haec acceptatio ex parte Ecclesiae, i. e. ex parte acceptantis magis revocabili, cum approbatione instituti ut congregationis religiosae a S. Sede facta — si modo vera est approbatio. Quamquam eo labilior est, quo magis solius experimenti causa approbatio datur.

644 3. Non tamen semper existere veram acceptationem ex parte Ecclesiae in approbando religioso instituto, etsi acceptio ea, qua ipsa congregatio singulorum sodalium traditionem privatim recipiat, forte locum habeat, extra dubium est exemplo Lazaristarum (cf. *Bouix*, De iure regul. I, pars II, sect. I, c. 4, § 2, p. 228), de quorum congregatione *Alexander VII* 22 Sept. 1655 in constitutione «*Ex commissa*» ita disposuit: «in quorum tamen votorum emissionem *nemo intersit, qui ea acceptet nomine congregationis sive Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis*». Quae *non-acceptatio* eo fine statuta est, ut religiosum illud institutum maneret *congregatio saecularis*. Simile exemplum habetur ex historia Bethlemitarum, qui anno 1687 evecti

<sup>1</sup> Hoc notavi, ut aliquo modo illustrarem quaestionem hanc, utrum etiam in religiosis congregationibus illa irritatio locum habeat, an solum in ordinibus stricte dictis. Responsum ab eo pendet, utrum pro solis ordinibus stricte dictis, an etiam pro illis congregatibus acceptatio ex parte Ecclesiae eiusve interventus asserendus sit. Dico ex parte Ecclesiae, sive R. Pontificis, quia interventus solius episcopi sufficere non videtur. Cf. supra n. 609. — Sunt quidem qui hanc Rom. Pontificis potestatem in religiosos nolint esse *dominativam formaliter*; at hi eam fatentur esse *eminenter dominativam*, cum potestas Pontificis sit fons omnis potestatis in Ecclesia ad profectum animarum existentis; neque pro nostro scopo necessarium est, ea plenius evolvere. Cf. *Ballerini-Palm.* II, n. 673 et IV, n. 133.

erant ad veram et religiosam congregationem positive a Sancta Sede approbatam, et «in manibus Fratris Praefecti vota consueta emittebant», proin saltem privatim ipsi congregationi traditione acceptata se tradebant. At nihilominus cum anno 1710 a *Clem. XI* in verum ordinem religiosum eveherentur, de novo vota iuebantur emittere, «certiorati de insufficientia praecedentium votorum ad constituendos eos veros religiosos». Nihil tamen videtur excogitari posse, quod defuerit, nisi acceptatio ex parte Ecclesiae, i. e. R. Pontificis.

4. Approbationem et acceptationem ex parte solius episcopi per *Concil. Later. IV* sub *Innoc. III* et *Lugd. II* sub *Greg. X* prohibitam fuisse vide Decret. l. 3, tit. 36, c. 9 et l. 3, tit. 17, c. unic. in 6°; verum haec prohibitio per diuturnam consuetudinem a Sancta Sede approbatam mitigata est, eaque nunc sic intelligitur, ut episcopi possint, cum venia tamen S. Congreg. de negotiis religiosorum, *congregationem religiosam* instituere, pro ordine religioso vere dicto autem nulla congregatio habeatur, nisi auctoritas Sanctae Sedis, quae eam definiat esse Ordinem religiosum proprie dictum, accedat.

II. Status religiosus essentialiter sumptus divinae institutionis est, 645 quoad accidentalialia autem et quoad diversorum ordinum distinctionem est institutionis ecclesiasticae.

Videlicet: 1. Deum sive Christum ipsum statum religiosum quoad substantiam instituisse ex eo patet, quod omnia, quae ad essentiam eius requiruntur, ab Ipso originem sumpserunt: scil. 1) commendavit et multum suavit liberam susceptionem paupertatis (Mt 19, 16 sqq), castitatis (Mt 19, 12) et subiectionis (Mc 10, 21); 2) hanc susceptionem voluit fieri perpetuam et indeclinabilem (Lc 9, 57; 18, 28), ut eum aptum non esse ad suam sequelam dixerit, qui retrospecti: quo tacite *voti firmitas* suadetur; 3) contulit Ecclesiae facultatem et suo et proprio nomine intuitu divini servitii et christianae perfectionis in plenam potestatem eos recipiendi, qui sese obtulerint; quod in verbis Mt 16, 19 «Quodcumque ligaveris» et in notione huius supremae auctoritatis publicae continetur. Immo probabile est, ipsos Apostolos a Christo edoctos se plane per modum voti ad religiosae vitae rationem obligasse, cum videatur decere, eos fuisse omnis christianae perfectionis exemplar.

2. *Accidentalialia status religionis* vocare possumus 1) certam formam singulorum institutorum, quam status religiosus in singulis ordinibus pro peculiari fine diverso habet; 2) ea elementa, quae lege mutabili requiruntur, ut ordo religiosus existat, aut quae cum votis religiosis coniunguntur. Certa singulorum ordinum forma inventa quidem generatim est ab hominibus piis et sanctis privato consilio, quamquam instinctu divino; verum ut evaderet forma publica et legitima ecclesiastici status, approbatio Ecclesiae prorsus necessaria erat, quae pro temporum exigentia, quod approbavit, abolere, mutare potest. — Cum religiosa professione coniunguntur certi effectus iuridici, ut inhabilitas possidendi, firmiter sese obligandi, matrimonium contrahendi: quos effectus, immo ipsam votorum sollemnitatem ecclesiasticae institutionis esse patebit ex mox dicendis

III. Ad statum religiosum, etiam vere et stricte sensu canonico 646 sumptum, votorum sollemnitatis non requiritur absolute; generatim autem nullum institutum ut ordo stricto sensu approbatur, nisi ab aliquibus membris vota sollemnia emittantur.

**Uberior explicatio.** 1. Votorum sollemnitatem non requiri ad faciendum hominem vere religiosum, iam diu extra omnem controversiam est. *Greg. XIII* «Ascendente Domino» et «Quanto fructuosius» sollemniter declaravit, sodales Societatis Iesu votorum simplicium emissionem veros religiosos fieri: «quoscumque, qui in ipsa Societate admissi, biennio probationis a quocumque peracto tria vota praedicta, tametsi simplicia, emiserint, emittentque in futurum, vere et proprie *religiosos fuisse et esse* . . . ac si in professorum praedictorum numerum adscripti fuissent», et priore Const. («Ascendente»): «quamvis ii omnes, qui post biennium novitiatus dicta tria vota simplicia emiserint . . . vere et proprie religiosi existant» et: «et quoscumque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praedicta, tametsi simplicia, emiserint, aut emittent in futurum, vere et proprie religiosos fuisse et esse ac fore, et ubique semper et ab omnibus censi et nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis, tum quorumvis aliorum regularium ordinum professos».

647 2. Sed breviter indicandum est, in quo votorum sollemnitas consistat. Qua in re aggredimur quaestionem diversa opinantium sententiis quasi tenebris involutam.

Prima sententia sollemnitatem voti in quadam consecratione collocat, quam *Dr Schönen*, *Wesen der Gelübdesolemmität* (Theol. Quartalschrift, Tübingen 1873—1875) a *S. Thoma* (vide 2, 2, q. 88, a. 7 et 9) in externis caerimoniis reponi putavit, idque cum aliis veteribus scriptoribus, quos vide apud *Suarez*, *De relig. tract.* 7, l. 2, c. 6.

Secunda sententia dicit, esse traditionem et acceptionem Ecclesiae, quae reddat vota sollemnia. Cf. permultos scriptores apud *Suarez*, *De relig.* l. c. c. 7, n. 3; *Tolet.* in 2, 2, q. 88, a. 7.

Tertia sententia sollemnitatem in quibusdam iuridicis effectibus reponit, qui constituent hominem inhabilem ad certos actus voto contrarios, ut paupertatis votum sollemne inhabilem reddat voventem ad possidendum, castitatis ad matrimonium ineundum, oboedientiae ad obligationes ex se contrahendas. Cf. *Tolet.* l. c.: *Suarez* infra cit., et ib. c. 10, n. 5 et 6 complures scriptores allegatos.

Quarta dicit, ea vota sollemnia esse, quae Ecclesia pro talibus accipiat, ita ut totum situm sit formaliter in voluntate Ecclesiae. Cf. *Craisson* n. 2473 et 2474<sup>1</sup>.

648 Contra quartam opinionem est, quod, etsi tota sollemnitas ab Ecclesia pendeat, ut certissimum est, tamen haec ipsa Ecclesiae voluntas et constitutio aliquid producit, quo votum sollemne a non sollemni distinguatur: et id est, quod quaerimus.

Contra tertiam sententiam est, quod eiusmodi effectus re ipsa inveniantur in votis non sollemnibus: ergo illi iuridici effectus aut nihil aut non totum illud explicant, quo sollemnitas constituitur. Insuper etsi effectus quidam solis sollemnibus votis competant, hi effectus videntur potius ad communem aliquam radicem reducendi esse, quae formaliter id constituat, quod «sollemne» est.

Videlicet votum simplex, quod in Societate Iesu post biennium novitiatus emittitur, ex Const. *Greg. XIII* «Ascendente Domino» plane inducit in-

<sup>1</sup> *Greg. XIII* «Ascendente Domino»: «voti sollemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse». *Bonif. VIII* (l. 3, tit. 15 in 6° cap. unic.): «Nos igitur attendentes, quod voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa.»



*habilitatem* seu impedimentum dirimens matrimonii; atque votum paupertatis, quod postea a coadiutoribus formatis qui vocantur emittitur, licet simplex sit, inhabilitatem possidendi inducit. — Quare *Suarez*, ut videtur, non tam in effectibus illis quam in *efficacia* producendi hos effectus, eosque integros, simul cum *stabili* traditione et acceptatione religiosi sollemnitatem collocat: quod sane *re* vix differt a sententia infra tradenda. Cf. *Suarez*, De relig. tract. 7, l. 2, c. 10; c. 12, n. 7 et 8; c. 13, n. 8 13 14; et maxime c. 8, n. 10 et c. 11, n. 5.

Contra secundam sententiam ita nude intellectam, uti eam expressi, id plane obici debet, in omnibus religiosis stricte sumptis hanc traditionem et acceptationem inveniri, neque tamen omnes emittere vota sollemnia: quare haec explicatio aut relinquenda aut expolienda est.

Prima sententia, si externam illam caerimoniam intelligit, quae professionem religiosam comitatur, sane nihil explicat, cum externae caerimoniae eadem, immo celebriores adesse possint in professione seu emissionem votorum non sollemnium.

Verum quid in singulis opinionibus veri insit, ex dicendis colligetur.<sup>649</sup> Imprimis multum abest, ut S. Thomas hanc externam sollemnitatem intellexerit, sed eam consecrationem internam et spiritualem sine dubio prae oculis habuit, cuius externa illa index atque signum est. Atque ita rectissime S. Doctorem sensisse plane contendo: immo legenti q. 88, a. 7 ad 1 manifestum est: «huiusmodi sollemnitatis», ait S. D., «pertinet non solum ad homines, sed ad Deum, *in quantum habet aliquam spiritualem consecrationem et benedictionem*, cuius Deus est auctor, etsi homo sit minister.» Tantummodo observari debet, Deum posse esse auctorem aut immediate aut mediate; huius autem consecrationis, utpote *ecclesiasticae*, eum esse auctorem mediatum. Cf. etiam ib. a. 9 in corp. Dein explicari nonnihil debet, quid sit illa «consecratio». Quod analogice intelligimus, si respicimus ad consecrationem rerum divino servitio sacratarum, eamque distinguimus a simplici ecclesiastica benedictione<sup>1</sup>. — Axioma est apud iurisperitos, rem vero sensu *consecratam* ex se irrevocabiliter Deo esse devotam humanisque usibus subtractam, ita ut sine sacrilegio in profanos usus converti non possit: quare ne diruta quidem ecclesia eius locus eiusve materia profanis usibus cedit. Multo minor multoque minus tenax est rei solum *benedictae* aut tantum in Ecclesiae dominium transmissae sanctitas. Haec nimirum dimissione quadam ex usibus divinis ad profanos usus redire potest. Simili igitur modo ille, qui solis votis simplicibus Deo sese devovit, ex hoc statu dimissus — quamquam ipse se dimittere nequit, atque ita ex *sua parte aequè firmiter* se Deo donavit — Deo sacratum esse desinit. At qui sollemnibus votis Deo consecratus est, ita ligatus est in materia votorum, ut tum ex parte sua, tum ex parte Ecclesiae per se irrevocabiliter Deo devinctus sit. Neque alius praeter R. Pontificem eum a tali divino servitio extrahere potest, sicut nemo praeter R. Pontificem rem consecratam statuere potest esse exsecratam: immo vix umquam hominem sollemni voto ligatum R. Pontifex ita solvit, ut saecularis et quasi profanus plane reddatur.

Hunc ipsum firmissimum et stabilem transitum in ius et dominium quasi<sup>650</sup> divinum, quoad res voto determinatas, ab Ecclesia certis quibusdam effectibus declarari, non solum convenit, sed necessarium est: quo scilicet sciatur,

<sup>1</sup> Hoc ipsum etiam S. Thom. l. c. art. 11 facit. In addita autem conclusione eum nonnihil excedere infra dicam.

quam et quantam dedicationem et a saecularibus rebus seiunctionem Ecclesia intelligat. Re ipsa igitur illa consecratio et sollemnizatio illum ambitum habet, ut 1) hominem eiusque actus voto designatos irrevocabiliter et ex utraque parte firmiter (i. e. ex parte voventis et ex parte acceptantis) divino servitio et cultui addicat; 2) — id quod maxima convenientia sequitur — ut hominem ad actus quosdam votis plus minusve contrarios iuridice reddat inhabilem. — Nihilominus, quoniam sollemnitatem voti potius in illa radice, quae conaturaliter quodammodo postulat istos effectus, quam in ipsis effectibus reponimus, nullam experimur difficultatem explicandi, cur — id quod re ipsa contingit — Summus Pontifex in uno alterove effectus, v. g. in potestate possidendi, dispensare possit, manente voti sollemnitate. Quod enim non formaliter rem constituit, sed conaturaliter tantum profluit ab ea, a suprema causa saltem ex parte, in singulari casu auferri et impediri potest.

651 Quibus explicatis, iam intelligitur, 1) quo sensu traditio et acceptatio (vide secundam sent.) ad sollemnitatem voti spectet; nimirum non qualiscumque, sed utrimque firma et ex se irrevocabilis traditio et acceptatio sumi debet.

2) Quo sensu (vide tertiam sent.) effectus iuridici inhabilitatis ad matrimonium, ad possessionem, ad firmiter contrahendum revera ad sollemnitatem votorum pertineant.

3) Quo sensu verum sit (vide quartam sent.), ea vota esse sollemnia, quae Ecclesia ut talia receperit; vid. Ecclesiae est singillatim declarare, qualem consecrationem et cum quibus effectibus coniunctam consecrationem intelligat, si constituit vota sollemnia; immo Ecclesiae est in speciali casu videre, quot et quantos effectus consuetos, manente sollemnitate, forte velit suspendere.

His igitur me nullatenus puto recessisse a doctrina Angelici Doctoris, sed me potius eam explicasse et nonnihil expolivisse, atque ita multa conciliari posse, quae in verbis magis quam in re discrepantes diversi scriptores adeo diversa hac in re tradiderunt.

Immo hanc legitimam esse explicationem, eamque cum sententia veterum scriptorum plane concordare, confirmatur ex Sanchez, In decal. l. 5, c. 1, n. 11. Nimirum postquam voti sollemnitatem explicandam esse per analogiam contractuum, qui certas sollemnitates requirent<sup>1</sup>, pergit: «Quodsi iterum roges, quae sint eae caerimoniae ab Ecclesia petitae, in quibus ea voti sollemnitas sita est, et quibus a simplici differt: respondent iidem Ribadeneira (De instituto Soc. J. c. 17 ad 5 et c. 19 in fine), Vasquez (in 1, 2, disp. 165, c. 8) eas esse, ut vota emittantur sub certa regula a S. Sede approbata iuxta ritum substantialem in eadem regula praescriptum *cum traditione et acceptance ex utraque parte perpetuis et via ordinaria indissolubilibus.*» Quod in substantia convenit cum S. Thomae sententia. Quando enim S. Doctor sollemnitatem voti in *spirituali consecra-*

<sup>1</sup> Quibus Sanchezii verbis N. Nilles in Zeitschr. für kath. Theol., Innsbr., X 262 sqq. usus est, ut aliter etiam suam opinionem de votorum sollemnitate describeret, ea scilicet esse vota sollemnia, quae *publica Ecclesiae auctoritate* per legitimorum rituum observationem *efficaciter interveniente* rite emittantur; *efficacem interventum* sicut in contractibus sollemnibus in eo situm esse, ut publica auctoritas illum actum in peculiarem custodiam ac praesidium assumat, ut quem violare nefas sit propter publicam, quam ex eodem interventu nactus sit, fidem. — Quae sententia, si idem quod Sanchez dicere vult, nimirum illum ecclesiasticum interventum in eo esse, ut fiant «traditio et acceptatio ex utraque parte perpetuae et via ordinaria indissolubiles», cum nostra, ut patet, omnino consonat; si autem ab hac efficacia abstrahit et in maiore malitia violati voti propter publicam fidem violatam sistit, non satis videtur ratio reddi, cur Ecclesia ipsa, etiam existente causa, dispenset et solvat *longe difficiliter* vota sollemnia quam simplicia.

zione» collocat, sane nihil relinquitur, nisi ut consecrationem sumat pro deputatione ad cultum ususque divinos ecclesiastica eaque, quantum fieri possit humanitus, firmissima: in quo, ut exposuimus, rectissime sentit; verum in hoc limites nonnihil transgressus est, quod firmissimi illius vinculi dissolvendi potestatem ne S. Pontifici quidem competere putavit, cum tamen, quod per ecclesiasticam potestatem fit et inductum est, a R. Pontificem voluntate essentialiter dependere debeat. Inde autem nondum sequitur, S. Pontificem licite posse pro libitu sollemnitatem voti auferre.

Sed pro fine huius libri vereor, ne iam diutius, quam par sit, hisce quaestionibus sim immoratus.

3. In ordinibus stricte dictis emitti solere ab aliquibus vota sollemnia, <sup>652</sup> res facti est. Sed huius rei convenientia potest ostendi. In ordinibus stricte dictis intervenit definitiva approbatio Ecclesiae, facta a suprema *infallibili* auctoritate. Unde conveniens est, ut Ecclesia in illo instituto, quod definitive approbaverit, aliqua eius membra etiam supremo et definitivo modo, i. e. non revocabiliter, sed quodammodo irrevocabiliter, ad divinum cultum et servitium acceptat: quae suprema et irrevocabilis acceptatio votis sollemnibus habetur.

4. Nihilominus nulla est *repugnantia*, Ecclesiam aliquod institutum tamquam verum ordinem approbare et accipere, etsi nemo sit, qui sollemnia vota emittat: nam necessarium non est, Ecclesiam ulla membra alicuius instituti a se approbati ita et tam arcte *re ipsa* recipere, ut secundum approbationem datam recipere *potest*. Et revera pro ordine Teutonico per Leonem XIII decr. 16 Martii 1886 haec dispositio facta est, ut ipsi equites, i. e. principaliora ordinis membra, vere quidem religiosi fieri pergant, vota autem simplicia tantum emittant: de qua re cf. *Zeitschr. für kath. Theologie*, Innsbruck, XI 398.

IV. Ad statum religiosum valide assumendum non solum libertas <sup>653</sup> requiritur, sed ex Ecclesiae statutis certa aetas, certa probatio seu novitiatus rite peractus, certa forma emittendorum et accipiendorum votorum praescribuntur. Singulorum in ea re praeceptorum summa capita sunt fere haec:

1. Libertas iure naturali vel iure positivo necessaria imprimis metu et errore impeditur. Sed de his recolenda sufficiant, quae supra n. 577—579 dicta sunt. Quae autem speciatim ad tuendam atque explorandam libertatem monialium Ecclesia statuerit, habes in *Conc. Trid.* sess. 25, c. 17 De ref. reg. et S. C. de Relig. 9 Ian. 1909 (Acta Ap. Sed. I 233).

Quoad religionem acceptantem quomodo eius libertas necessaria possit impedi, collige ex iis, quae de contractibus et de errore dolove in iis occurrentibus dicentur. Ceterum in singulis ordinibus attendendum est, quatenus fortasse essentialia impedimenta statuta sint.

Praeter impedimenta autem singulis ordinibus propria et ea, quae habes infra n. 666 indicata, per decr. d. 7 Sept. 1909 et 4 Ian. 1910 sine speciali venia S. Sedis admitti valide nequeunt: 1) qui ex collegiis etiam laicis ob gravem culpam expulsi fuerint; 2) ex collegiis vel scholis ecclesiasticis vel religiosis dimissi quacumque ratione; 3) qui sive ut professi, sive ut novitii ab alio ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint, aut professi votorum solutionem obtinuerint; 4) qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam, et dimissi, in aliam eiusdem ordinis sive congregationis recipi nituntur. Haec tum quoad viros tum quoad feminas valent.

2. Ecclesiastico iure statutum est, ut professio sit invalida, nisi 1) annus <sup>654</sup> novitiatus *integer* praecesserit (vide *Trid.* sess. 25, c. 15 De ref. reg.), isque

post susceptum habitum; nisi 2) vovens annos sedecim aetatis compleverit. Quae autem maior aetas aliquando sive ad valorem sive ad liceitatem requiratur, vide in iure can.<sup>1</sup> Cf. *Laurentius*, Inst. iur. eccl.<sup>3</sup> n. 975 993.

3. Novitiatus autem requisitus debet esse 1) continuus seu *non interruptus* — Interrumpitur dimissione aut spontaneo discessu, per *egressum deposito habitu et cum animo redeundi in saeculum* —; 2) plerumque *in habitu ordinis*, nisi peculiare Constitutiones aut necessitas aliter suadeant; 3) non raro *in certo loco*, ita ut commoratio per aliquot dies vel etiam per integram diem et noctem habeatur pro interruptione.

Novitiatus interruptus denuo incipi debet et peragi *integer*.

655 4. *Pius IX* universali decreto circa admissionem *novitiorum* eorumque probationem (a quo Soc. Iesu propter peculiarem eius vivendi et sese regendi modum speciali privilegio 28 Ian. 1850 exempta est: vide *Scavini*<sup>10</sup> I, n. 715) haec statuit d. d. 25. Ian. 1848: Nemo admitti potest sine litteris testimonialibus Ordinarii, tum originis, tum loci, in quo candidatus ultra annum commoratus est post aetatis suae annum quintum decimum completum: in quibus litteris, etiam si opus sit secreta informatione suscepta, exprimi debet relatio de aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate irretitus, aere alieno gravatus, reddendae administrationis rationi obnoxius<sup>2</sup>.

656 5. Dein 19 Martii 1857 *Pius IX* Const. *Neminem latet* quoad *votorum professionem* in iis institutis, in quibus sollemnia vota emitti solent, haec constituit, quae d. 2 Maii 1902 ad Moniales votorum sollemnium extensa sunt:

1) Peracto novitiatu secundum praescriptum *Conc. Trid.* novitii *vota simplicia* emittant, postquam sextum decimum aetatis annum compleverint, et quoad laicos et conversos, postquam pervenerint ad eam aetatem, quae in Constit. *Clem. VIII* «In suprema» praefinita est.

<sup>1</sup> In casu morbi ex iudicio medici letalis id quod S. Pius V monialibus S. Dominici concesserat, hoc modo Pius X reformavit et extendit ad omnes ordines et congregationes, sive vota solent emitti, sive sola promissio, modo vita agatur in communi, ut aegroti admittantur ad professionem ante tempus atque omnium gratiarum participes evadant sicut reliqui qui professi decedant, et indulgentia plenaria fruantur more iubilaei. Conditiones sunt hae: 1) ut iam canonicè inceperint novitiatum vel probandum; 2) ut ad professionem admittantur per localem Superiorem; 3) ut vota, si quae fiunt, emittantur consueta, omnia qualibet *temporis* mentione vel *perpetuitatis*. — Haec professio nullos habet effectus praeter modo indicatos. Quare si professus moriatur, religio non fit haeres; si supervixerit, nullo vinculo tenetur, atque in numero novitiorum erit ut antea. Cf. Acta Apost. Sedis IV 589.

<sup>2</sup> Pro Italia et insulis adiacentibus, poena gravi proposita, insuper praescripta sunt haec: a) Qui duplici scrutinio, iuxta formam in ordine praescriptam, probatus non fuerit, ad habitum nullo modo admittatur. b) Superior religionis quolibet semestri ad «S. Congr. super stat. regularium» (nunc ad S. Congr. negotiorum religiosorum praepos.) summarie referat de singulis novitiis ad habitum receptis, de aetate, patria, moribus, de actis confectis pro receptione etc. c) Prope terminum cuiusque trimestris novitiatus magister novitiorum scripto referat Provinciali de agendi ratione cuiusque novitii. d) Duobus mensibus ante professionem (i. e. votorum simplicium) Provincialis voluntatem novitii diligenter exploret; et per secreta suffragia interroget ceteros de domo, an ad professionem admitti possit: hancque relationem examinantibus communicet, ut et illorum suffragia habeat. — Quae omnia, etiam ubi non strictae legis rationem habent, optimam tamen normam exhibent.



2) Professi (votorum simplicium) post triennium, a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad votorum sollemnium professionem admittantur. Quodsi ordinis Constitutiones longius tempus requirunt, id non reicitur. Poterit vero Superior provincialis (aut alius, cui facultas competit) ex iustis et rationalibus causis professionem sollemnium votorum differre, non tamen ultra aetatem viginti quinque annorum.

Ad quae decreta explicanda 12 Iunii 1858 Sacra Congregatio haec declaravit:

1) Haec vota sunt perpetua ex parte voventis; 2) quorum *dispensatio* reservatur Rom. Pontifici; 3) solvuntur tamen etiam *ipsa dimissione* ex parte ordinis; 4) quae dimittendi potestas est apud Ministrum Generalem (vel Commissarium Apostolicum) ipsius ordinis cum suo consilio generali, ita tamen, ut in casibus extraordinariis subdelegari possit aliis religiosis probis et prudentibus; 5) licet ad dimissionem decernendam iudicii forma non requiratur, tamen procedi debet cum summa caritate et prudentia, neque fieri potest haec dimissio ex causa infirmitatis. 6) Professi votorum simplicium participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum; at ordinari nequeunt titulo paupertatis; 7) sed ad solam tonsuram et minores ordines litterae dimissoriales iis per Superiores concedi possunt. 8) Anni professionis pro iure activo et passivo requisiti computantur a hac votorum simplicium professione. 9) Professi votorum simplicium retinent dominium radicale bonorum, interdictis administratione et usu et reddituum erogatione; 10) ad perfectam vitam communem tenentur atque remanere debent in domibus professoribus et studiorum; 11) ad vota sollemnia transire nequeunt nisi *professione expressa*, abrogata tacita professione. Quae sollemnis professio *invalida* est, nisi vota simplicia antecesserint: cf. Const. «Ad Universalis» d. 7 Febr. 1862.

Ceterum de *ordinatione* et de *dimissione* virorum religiosorum cf. decr. *Actis* d. d. 4 Nov. 1892.

6. Circa admittendos fratres laicos in ordinibus qui eos ad sollemnem professionem admittunt, sub *Pio X* d. 1 Ian. 1911 haec statuta sunt (Acta Ap. Sed. III 29 sqq):

1) Admitti seu excipi possunt, qui vix expleverint 17<sup>m</sup> aetatis annum. 2) Ad *novitiatum* nemo admittatur, qui saltem per duos annos, vel plures si Constitutiones ordinis haec praescribunt, postulatum non expleverunt: alioquin invalida erit professio. 3) Novitiatum initium non habeat ante annum 21<sup>m</sup> aetatis incohatum ad tramitem iuris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret iuxta ordinis Constitutiones. 4) Expleto novitiatu, servatisque quae servanda sunt, laici admitti poterunt ad *simplicium* votorum professionem, quae perpetua sint ex parte voventis, ad tempus sexennii ex parte ordinis. 5) *Absolute sexennio votorum simplicium* et *expleto trigesimo aetatis anno*, ac non prius, sub poena nullitatis, servatisque pariter servandis, laici vota sollemnia nuncupare poterunt.

7. Circa eos qui servitio militari obnoxii sunt, habes Acta Ap. Sed. III 37 sqq haec: 1) In ordinibus religiosis in quibus vota sollemnia emittuntur, iuvenes neque ad ordines sacros, neque ad sollemnem professionem admitti possunt, nisi liberi sint a servitio militari, aut hoc expleto saltem per annum permanserint in votis simplicibus. 2) In institutis votorum simplicium, qui militiae obstricti sunt, non possunt admitti nisi ad *temporanea vota usque ad militiam*. Qui militiae legi satisfecerint, ad annum saltem iterum vivere debent, antequam ad vota perpetua admittantur. Tempore militiae pro-

fessionem renovare non licet. — Praeterea peculiaria praescribuntur ad probandos eos qui militiam egerunt; dimissio autem parum idoneorum redditur facilis atque per dimissionem solutio votorum.

8. Circa Moniales votorum sollemnium et papalis clausurae statutum est, ut novitatum praecedere debeat *postulatus* per tempus et modum in Constitutionibus ordinis praescriptum; quodsi nihil praescribitur, saltem per sex menses (decr. d. 15 Aug. 1912, Acta Ap. Sed. IV 565).

### § 3.

#### *De vocatione ad statum religiosum eiusque amplectendi obstaculis.*

657 Specialem quandam providentiam et motionem divinam existere, qua Deus certos homines permoveat ad perfectionis statum, imprimis ad religionem, tum ex ipso divinae providentiae conceptu, tum ex verbis Christi Domini habemus, qui Mt 19, 11 loquens de voluntaria continentia, dixit: «Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.»

Praecipua, quae de hac divina vocatione atque eius sequela vel neglectu observanda sunt, breviter contraham quibusdam thesibus, quas dein paululum explicaturus sum.

I. Vocatio divina ad statum religiosum consistit in aptitudine tum interna tum externa, et in motione supernaturali, qua homo impellitur ad religiosum statum amplectendum.

Externam aptitudinem intelligo illam circumstantiarum conditionem, qua fit, ut homini non obiciatur insuperabile obstaculum, quod impediatur, quominus aut possit aut ei liceat religionem ingredi. Internam aptitudinem intelligo eam corporis animique conditionem, qua idoneus sit ad labores atque onera religiosae vitae sustinenda, et ad finem proximum peculiaris instituti promovendum.

II. Vocationem divinam ad religiosum statum impellentem non sequi *ex se* non est peccatum; per accidens non raro peccatum est, atque multorum peccatorum ansa atque occasio potest evadere.

III. Ut igitur periculo non caret vocationem Dei negligere, ita etiam periculosum est sine vocatione ad statum perfectionis transire; verum ut aliquis statum religiosum tuto amplecti possit, sufficiunt probabilia vocationis indicia coniuncta cum firma voluntate implendi obligationes votis assumendas: in ceteris candidatus sese committere potest iis, qui eum ad religionem admittunt.

IV. *Certo* sine vocatione divina statum religiosum assumere grave peccatum est: quod raro committitur, nisi aut 1. externa impedimenta sint, quae gravem obligationem, in religione impletu impossibilem, implendam relinquunt, aut 2. voluntas desit implendi ea, quae per vota atque ipsum religiosum statum obligatoria evadunt.

658 **Explicatio.** I. **Vocatio eiusque signa.** 1. Ex iis, quae iam dicta sunt, patet, Christum Dominum voluisse et velle statum religiosum in sua Ecclesia florere. Quare, licet singulos non obliget, sed hortetur ad evangelicam perfectionem, certissime tamen qua Deus scit multos ita movere, ut re ipsa perfectionem amplectantur, atque dona sua et naturalia et supernaturalia ita novit distribuere, ut permulti liberrime quidem, sed infallibiliter ductum invitantis gratiae sequantur. — At pro sapientia divina Christus eos, quos vocat ad perfectiorem vitam

vel quos eiusmodi vitae et religiosi instituti asseclas esse voluit, etiam iis donis instruendos curat, quae ad hoc vitae genus necessariae sunt.

2. Quapropter, si Deus vult, aliquem se statui religioso addicere, ita viam planam reddet, ut exsecutio non sit impossibilis. Impossibilis autem est, 1) si externa adiuncta hominis ea sunt, ut impossibile sit physice, ingressum in religionem serio cogitare; 2) si moralis impossibilitas eo sensu adest, ut aliae obligationes morales antea existant, quae componi non possint cum religiosa vita, quasque negligi nefas est; 3) communiter etiam obest vocationi divinae nimia difficultas, quae ex ipso homine eiusque inclinationibus oritur; quamquam scilicet absolute possibile est, hominem, si vires suas exserat, cum divina gratia inclinationes naturales atque vitiosas quantumvis fortes et pravas superare et funditus profligare: tamen si inclinationes quaedam altiores radices egerint, communiter censetur moraliter impossibile, eas stirpitus evellere et continenter iis ita resistere, ut vita religiosa postulat; quare eiusmodi homines, nisi videantur fortissimae gratiae influxu regi, raro apti inveniuntur pro vita religiosa.

3. Insuper positiva et interna aptitudo consistit in sufficientibus viribus corporis et animi, idque secundum diversos fines diversorum ordinum, scilicet: sufficiens sanitas; rectum iudicium, non singulare, quod communem vitam perturbet; ingenium mediocriter saltem bonum, quod aptum sit aut reddi possit ad munera ipsius ordinis exercenda; animus ad subiectionem aptus, siquidem status religiosus imprimis status subiectionis est, quae propriam voluntatem propriumque iudicium in rebus agendis sequi non permittit.

4. Praeterea dixi requiri supernaturalem inclinationem; quod duplici<sup>859</sup> sensu intelligo:

1) requiri intensionem bonam et rectam, qua quis non prosequatur naturale bonum honoris, commodi etc.; neque illa inveniet, sed se tandem errasse deprehendet. Quare bonum, quod in statu religioso amplectendo intendit, debet esse bonum supernaturale: maior salutis propriae securitas, zelus laborandi ad salutem proximi, desiderium Deo magis placendi, Christum perfectius imitandi. Si qui vero alii fines spectantur, illi subordinati esse debent, aut saltem finibus enumeratis non contradicere, sed ita compositi, ut ab aliqua sinistra inflexione facile liberari posse praevideantur. Quod coeleste desiderium hominem non ex se concipere posse, sed tantum per divinam gratiam, ex dogmate certum est; ceteroquin gratia naturali affectu non raro pro ansa et occasione utitur atque humanae infirmitati sese accommodat. Quare etsi quis primum fine non plane recto movetur, ille propterea vocatione divina destitui dicendus nondum est.

2) Non requiri naturalem inclinationem ad statum religiosum, sed posse vocationem certam consistere cum naturali *repugnantia*, modo iudicium fide et gratia illustratum rectum sit atque voluntatem ad naturae vim inferendam impellat atque confortet.

Ex his omnibus signa vocationis habes: quae quo clariora sunt, eo certiore faciunt vocationem. Cf. hac de re *Damanet*, Manuel etc. pour le choix d'un état de vie.

660 5. Ceterum quo melius intelligatur divina vocatio, in hoc Dei impulsu ad christianam perfectionem, maxime ad religiosam, plures gradus distinguamus oportet, scil. vocationem generalem ad perfectionem, particularem remotam, particularem proximam et proprie dictam ad statum religiosum. Est enim 1) *generalis quaedam invitatio* ad omnes homines aliquo modo directa, quam consueto nomine «vocationis» nemo vocaverit, quae tamen vere initium vocationis strictae et particularis est.

Nimirum Christus Dominus tam aperte commendavit consilia evangelica, ut omnes ad ea aut re aut saltem affectu sequenda invitaverit. Et cum Deus de se et antedecenter homines in id niti velit, quod a parte rei perfectius est, sine dubio ex parte sua paratus est ad praestanda auxilia gratiae, quibus homo ad illam perfectionem *desiderandam* aptus reddatur. Re tamen eam exsequi utique Deus non vult omnes: quare non omnibus eam executionem facit possibilem. — Neque tamen dubium est, quin eos, qui christianam doctrinam de consiliis evangelicis attente audiunt, Deus etiam quodam amore practico huius perfectionis afficere dignetur.

2) Hic igitur amor, quo Deus afficiat audientes consilia evangelica, evadere potest quaedam *particularis invitatio*, *remota* tamen, quae saepe non est nisi levis quaedam aura divinae gratiae, animum hominis leviter tangens, qua intelligat evangelicae perfectionis pulchritudinem, honestatem, utilitatem, simulque aliquem illum amandi affectum atque incitamentum persentiscat. Quodsi hanc gratiam recipit eamque excolere studet, non raro fortiores paulatim impulsus recipiet, qui pulchritudinem evangelicae perfectionis clarius ostendant atque *practice* ante oculos ponant. Quodsi homo eos impulsus negligat, peccatis, etiam levioribus, vel imperfectionibus intercipiat, fortiorem gratiam saepe non recipiet, secus recepturus.

661 3) Multis autem, sive leviores gratiae motus fideliter excoluerint, sive post ingratitudinem etiam maiorem a Deo specialem misericordiam et liberalitatem consequantur, Deus fortiorem impulsus gratiae impertitur, quo homo sentit, *sibi speciatim* bonum, utile, vel etiam aliquo modo necessarium esse non solum in genere evangelica consilia atque christianam perfectionem sectari, sed ipsam *religiosam* perfectionem sequi, immo fortiter urgetur ad eam vitae rationem ineundam. — Qui gratiae impulsus, uti patet, diversos gradus habere potest, modo fortior, modo debilior est. Hanc *propriam et proximam vocationem* vocari licet. Atque eam solam communiter respiciunt, qui de vocatione divina sequenda eiusve neglectu agunt.

4) Compluribus datur gratia efficax, qua ita honestas, utilitas, necessitas evangelicae perfectionis persuadetur, ut eam *re ipsa* amplectantur. Hanc vocationem efficacem non requiri, ut aliquis vere et proxime ad statum religiosum dicatur vocatus, clarum est: alioqui enim absurdum esset de neglectu divinae vocationis loqui; *efficax* enim gratia liberum hominis consensum aliquo sensu semper includit.

662 II. De culpa negligentis vocationem. 1. Quae haec culpa sit, ex dictis facile eruitur. Quamquam communiter non quaeritur de remotae, sed de proximae vocationis neglectu, tamen utiliter primo de illo investigatur. Quoniam scil. res menti proponitur non per modum praecepti, sed per modum suasionis, neglectus huius divinae suasionis non est ex se peccatum —



alioqui praeceptum et consilium plane confunditur — attamen ratio subiectiva, cur negligatur, fundatur facillime in peccaminosa aliqua affectione ad res terrenas. Hinc fit, ut *illa affectio peccaminosa* (quamquam generatim venialiter peccaminosa) materia confessionis sit, neglectus autem divinae vocationis in se sumptus confessionis materia non sit, sit nihilominus poenitudinis materia. — Insuper propter neglectam illam gratiam homo se multis aliis gratiis atque meritis privare potest; fortasse saepe se privabit proxima vocatione ad statum religiosum, quam Deus decreverat dare pro merito fidelis cooperationis cum gratiis minoribus.

2. Unde patet, quid dici debeat de neglectu vocationis proximae et proprie dictae. Nimirum substantialiter idem dici debet, sed gradu maiore. Funesti enim effectus neglectae gratiae eo graviores esse consueverunt, quo maior gratia fuerit oblata. Quare iustissime fieri potest, maxime si gratia multum stimulaverat ad perfectionis statum, ut Deus multo minore abundantia et liberalitate in dandis gratiae auxiliis utatur, atque ita homo — utique nunquam non ex subsequenti culpa — in gravia peccata delapsurus sit.

3. Quando igitur complures scriptores dicunt, graviter peccari posse <sup>663</sup> propter neglectam divinam vocationem, id 1) magis etiam quam de peccato, quod hic et nunc committitur, intelligi debet de periculo peccandi in futuro, ideoque de peccatis moraliter certo futuris: quod periculum, quamquam cum maiore minoreve probabilitate iam suo modo de quovis urgentioris inspirationis divinae neglectu valet, tamen alias saepe remotum tantum, hic multo propinquius est; 2) propter hoc ipsum periculum intelligitur etiam de peccato, quod hic et nunc committitur ab eo, qui vehementi impulsu divino ad religionem attractus iudicat, statum religiosum sibi esse unicum medium practice loquendo, quo fortes tentationes atque graves ac certas peccandi occasiones victurus sit. Nam qui in tali conditione positus illud medium, quod Deus per inspirationem suam se ipsi facile redditurum esse quodammodo pollicetur, nihilominus respuit, non solum summam erga Deum ingratitude, sed etiam gravem temeritatem contra se suamque aeternam salutem committit: quod, si cui perspectum est, a mortali peccato non videtur immune esse. — Qui autem solam maiorem difficultatem videt sese continendi a peccatis, nisi statum religiosum assumat, atque periculum commune in illa labendi, sed cum spe divinae gratiae nihilominus proponit ea vitare: mortale peccatum eo ipso quidem non committit, quod nolit vitam religiosam assumere; non raro tamen fit, ut uberiore gratia destitutus postea re ipsa labatur, immo aeternam suam salutem in grave discrimen inducat.

Per se vero patet, a Deo, qui semper vult homines salvos fieri, non omnè gratiae auxilium intercludi ei, qui vocationem divinam quocumque demum modo neglexit, neque illi impossibile evadere propriae salutis negotium. Si ergo, quid talis homo facere debeat, quaeritur, attende haec: 1) Si adhuc potest, nunc amplectatur religiosum statum; 2) quod si impossibile evasit, studeat eo maiore fervore et fidelitate in officiis status sui damna spiritualia compensare atque in christianae virtutis exercitio se ipsum vincere. Id enim Deus iuste statuere potest, ut gratiarum finaliter efficacium collatio dependeat ab insigniore aliqua victoria, quam homo de se suisque inclinationibus minus rectis reportet.

Ceterum quid Deus in *singulis* casibus facturus sit, tangit distribuendarum gratiarum mysterium, quod perscrutari homini non licet, sed humiliter est adorandum. Caute igitur et cum timore divini iudicii gratiae auxilia suscipere atque cooperatione nostra quasi excolere debemus, sed simul recordari

effati Spiritus Sancti: «Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum» (Sap 1, 1).

664 III. De certitudine vocationis necessaria. 1. Contra eos, qui diuturna deliberatione atque nimia certitudinis inquisitione opus esse putant, quando de religionis ingressu agitur, aperte loquitur *S. Thom.* 2, 2, q. 189, a. 10, et *S. Ignat. de Loyola* ita scribit: Maiora utique signa requiri ad statuendum, quod ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu permaneat, in quo satis sit servare praecepta, quam ut viam consiliorum ingrediatur; quia Dominus tam aperte ad consilia exhortatus sit.

2. Et re quidem vera *S. Thom.* 1. c. recte docet, nisi adsint certa impedimenta, deliberationem potius cadere in electionem inter diversos ordines et in modum, quo fiat executio, quam in ipsam vitam religiosam amplectendam. Nam ea, de quibus quaeri potest, sunt aut 1) externa obstacula, aut 2) dona et talenta, aut 3) vires corporis, aut 4) vires animi et voluntas sincera. Verum de primo per se communiter facile constat, de secundo constabit iudicio eorum, qui admissuri sunt; de tertio inquisitio multa non requiritur, nisi enim defectus certus est, valetudo per religiosam vitam non minus servatur quam atteritur, atque multi sunt, qui etiam viribus debiles longam vitam religiosam duxerunt; de quarto non constabit, ut *S. Thom.* 1. c. ait, per propriam virtutem, sed tota fiducia in divina gratia collocari debet; quantum autem ad voluntatis et intentionis sinceritatem spectat, de ea propria conscientia cuilibet respondet.

665 3. Iis autem, qui ad religionem admittunt, longe maior cura inquirendi et examinandi incumbit quam ipsi candidato (vide *S. Thom.* 1. c. ad 1), scil. ut videant, 1) quo spiritu candidatus vel novitius ducatur; 2) ne, ratione habita peculiaris ordinis finis, membra inutilia ordini aggregent, quae non solum oneri, sed etiam religiosae disciplinae detrimento futura esse praevidentur. Hinc est, quod etiam, (ut supra) *Pius IX* tot praescripta hac in re tulerit.

4. Candidatus ipse etiam maturius considerare debet, adhibito peritorum consilio, quemnam ordinem prae aliis eligat; vid. 1) ut eligat eum, in quo vigeat disciplina et fervens perfectionis studium, 2) ut eligat eum, cuius finis peculiaris propriis viribus adaptatus est. Atque maiore deliberatione et inquisitione opus est, si agitur de amplectendo instituto, quod simul in proximorum auxilium atque animarum curam incumbit, quam quod solam ipsorum membrorum perfectionem spectat.

666 IV. Obstacula externa, quae ingressum in religionem prohibeant.

1. Occurrit *defectus libertatis*; ex quo prohibentur: 1) servi proprie dicti, quos dominus possit repetere intra triennium (secundum leges praescriptionis).

2) Qui matrimonio iuncti sunt, nisi aut sit matrimonium ratum tantum, nondum consummatum, aut assensus coniugis debito modo accesserit, aut illius ius sit extinctum (cf. quae de matrimonio dicturi sumus vol. II in casu divortii).

3) Qui iam in aliquo ordine professus est, non potest sine licentia praelati vel S. Sedis transire ad alium ordinem, nisi forte strictiorem. Immo plerumque vi privilegii variis ordinibus dati ne ad strictiorem quidem ordinem transire licet nisi obtenta licentia praelati; attamen ut ad laxiorem transeat, non praelatus ex se, sed S. Sedes concedere potest.

4) Qui suscepto episcopatu (vel acceptata electione, eaque a S. Sede confirmata) ecclesiae alicui addictus est, non potest religionem ingredi sine licentia S. Sedis; quod extenditur ad episcopos auxiliares, qui habent titulum ab ecclesiis, quae olim in catholica unione existebant. (*Craisson* n. 2615.)

Simile quid dicendum est de iis sacerdotibus, qui in sacerdotii susceptione vel in admissione ad studia promittere sive iurare debebant, se per certum tempus huic vel illi ecclesiae servituros esse: nam ante tempus illud elapsum indigent dispensatione S. Sedis vel legitimi superioris.

Alias autem sacerdotibus saecularibus prohibitum non est, neque ipsis parochis, quominus transeant ad religionem; episcopum suum *monere* debent, non autem eius licentiam rogare; quodsi putet episcopus, sacerdotem Ecclesiae vere necessarium esse, interposita sententia S. Congr., sacerdotem suum retinere vel revocare potest, alias non potest. Vide Const. *Ben. XIV* seu Brev. «Ex quo» 14 Ian. 1747.

2. Ratione *iustitiae obstantis* religionem ingredi nequeunt, qui debitis gravibus gravati sunt.

Nimirum *Sixtus V* Constitutionem edidit «Cum de omnibus», qua inhabiles reddiderat ad professionem religiosam 1) dilapidatores bonorum suorum, qui ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravati essent, aut 2) qui rationibus reddendis obnoxii essent, i. e. valde intricatis litibus causam daturis; tales esse censentur administratores rerum publicarum vel privatarum, tutores, procuratores, exsecutores testamentorum, antequam rationes redditae sint. — At *Clemens VIII* «In suprema» 2 April. 1602 nullitatem professionis sustulit, prohibitionem reliquit.

Quae constitutio, cum solos religiosos nominet, qua *positivae* seu *humanae* legis est, non adstringit 1) moniales<sup>1</sup>, neque 2) religiosos lato sensu, neque 3) eos, qui inculpabiliter aere alieno gravati sunt. Quare ut universalis regula de iis, qui debitis tenentur, habeatur, ad legem *naturalem* respicere debemus; ex qua (vide *S. Alph.* IV 71) haec teneto:

1) Qui brevi habere possit neque cum magno incommodo, unde magna debita, eorumve notabilem partem solvat, videtur exspectare debere, nisi forte in saeculo periculum salutis subeat.

2) Si quis reapse tale salutis aeternae periculum subiret, aut diu (aliquot annos) exspectare deberet, potest tuto etiam cum praevisto damno creditorum religionem ingredi, idque etiamsi ex delicto et gravi culpa debita contracta fuerint.

Immo prohibitio positiva *Sixti V* et *Clementis VIII* intelligitur de iis, qui spem habent intra tempus non adeo longum debita solvendi.

3) Qui contraxit «debita incerta» (de quibus infra *de iure et iustitia et de restitutione*), statim ingredi potest, atque eo ipso debita, quae solvere non potest, exstinguuntur.

<sup>1</sup> Quamquam *Ben. XIV* constituit, omnia, quae decreta sint de viris religiosis, comprehendere etiam feminas, ubi eadem causa subesset (vide Constit. «*Si datam hominibus*»); tamen hic par ratio non est.

4) Alias, qui utcumque debita contraxit erga certam personam, sive licite sive illicite professus est, solvere debet ex iis, quae postea forte casu ei obveniunt, ut hereditate, legatis etc.

Immo tenetur eiusmodi religiosus, si impetrat licentiam, ad laborandum *iuxta suam conditionem*, ut possit creditoribus satisfacere: attamen praelatus non ex iustitia, sed summum ex caritate — modo ne sit incommodum — tenetur ad licentiam hanc dandam, nisi forte ipse vel Ordo fraudulenter religiosum admiserit. Cf. *S. Alph.* IV 71.

Nihilominus in plerisque locis practice non omnia ea permitti possunt iis, qui utcumque aere alieno gravati sunt: nam cum leges civiles religionis iura negligant, certe summum odium et detrimentum et ordini et religioso oriri potest, si creditor civiles leges invocaverit.

660 3. Ratione *pietatis*: 1) parentes tenentur differre ingressum in religionem, si educationi filiorum nondum provisum sit, neque per alios satis provideatur. *S. Alph.* IV 69.

2) Filii teneri possunt ad differendum ingressum propter necessitatem suorum, scilicet: a) si parentes sunt in necessitate vere gravi, atque per filium tantum videntur ex illa eripi posse, filius tenetur manere in saeculo, nisi forte — quod practice vix occurrere potest — offenderet in aeternae salutis periculum extra religionem evitatu impossibile: *S. Alph.* IV 66; *Suarez* tract. 7, l. 5, c. 5 et l. 6, c. 9. b) Si alii cognati, puto fratres, sunt in *gravi* necessitate, in saeculo manendi obligatio non est, nisi urgeat *extrema* necessitas (NB. hanc a quolibet, quem offendo, si possum, repellere debeo): *S. Alph.* n. 70; expedire tamen potest, ut ingressus differatur.

670 3) Verum si quis iam professus est statum religiosum, circa necessitatem parentum sublevandam haec accidere potest obligatio:

a) Si de necessitate magna seu valde gravi non satis constat, religiosus contra voluntatem superioris nihil potest.

b) Si de necessitate *magna* constat, filius tenetur omni modo succurrere, quo potest, *salvo suo statu statusque decentia*. Quare primo rogare debet superiorem, qui si licentiam iniuste negaverit — id quod nullatenus supponi debet — filius nihilominus sine decentiae laesione laborando, eleemosynam petendo etc. licite succurrit et, si potest, per se debet.

c) Cum status eiusve decentiae iactura (*status iactura* intelligi potest solum de iis, qui vota simplicia tantum emiserunt) egrediendo, dimittendo habitum etc. contra superioris licentiam nihil potest; cum eius licentia succurrere parentibus *potest*, sed *non tenetur*; idque etiamsi illicite, necessitate parentum iam existente, professus esset; *neque* hanc licentiam superior dare tenetur.

Haec, consideratis diversis scriptorum opinionibus, *practice* colliguntur ex *Suarez* l. c. c. 9, n. 28; *Sanchez*, In decal. l. 4, c. 20; *S. Alph.* IV 67; *S. Thom.* 2, 2, q. 101, a. 4 etc.: susceptio enim status religiosi aequiparatur matrimonio, quod solvi non debet, ut parentibus graviter pressis succurratur.

d) Haec intelliguntur etiam de professis votorum simplicium: nimirum illi ex sua parte plus non possunt; tamen superioribus longe facilius, maxime si fraudulenter religiosus texisset necessitatem suorum iam existentem, *facultas* datur eiusmodi religiosum dimittendi; quod si legitime factum fuerit, tota obligatio pietatis erga parentes reviviscit. Cf. *Castrop.* tract. 16, disp. 2, punct. 2, § 6 maxime n. 11 et 14; *Suarez* tract. 10, l. 3, c. 6, n. 10 etc.



## § 4.

*De obligatione religiosi generatim sumpta.*

Hanc obligationem intelligo, quae ex statu religioso ut statu evangelicae perfectionis oritur.

I. Religiosus tenetur *tendere ad perfectionem* per votorum et proprii instituti constitutionum observantiam. Quae tendentia sane obligatoria est religioso, eaque ex genere suo gravis.

Quare graviter peccat contra hanc obligationem, si ita frequenter laedit vota, vel regulas infringit, ut aut communi votorum obligationi. aut peculiaris instituti assumpti regimini censeatur nolle subiacere; atque etiam si hac violatione sese conicit in grave periculum patiendi eiectionem. *Laymann* l. 4, tract. 5, c. 9, n. 9.

1. Singulari vice laedere votum in re gravi nondum est abicere tendentiam ad perfectionem, cum haec intelligi debeat de habituali statu hominis religiosi; at cum frequenti eorum laesione in re gravi non amplius potest consistere haec tendentia — quare non solum reatus violati voti contrahitur, sed *insuper* reatus graviter neglectae tendentiae ad perfectionem.

2. In violandis regulis, quae ex se non inducant obligationem sub peccato, non plane idem dicendum est. Quare si ad solam animi dispositionem attendimus abstrahentes a scandalo, cum *S. Alph.* IV 11; *S. Thom.* q. 186, a. 9 aliisque multis (contra alios) dicere licet, ne tum quidem graviter peccari, si nolit religiosus observare nisi ea, ad quae *sub gravi* obligetur. At graviter peccat, qui committit formalem contemptum regularum, i. e. auctoritatis, quae eas condidit vel servari iubet: eo ipso enim mente et voluntate se subtrahit subiectioni, quam profitendo hunc ordinem promisit.

3. Etiam graviter peccat, si rationabiliter timere debet vel praevidet, fore ut propter frequentes culpas, etiam *in se solis* spectatas veniales tantum, dimittatur; quare non singulis quidem vicibus grave peccatum committit, sed tum, quando monitus de periculo diligentiam non adhibet in iis minuendis vel cavendis. Vide *Busenb.* l. IV, c. 1, dub. 3; *S. Alph.* IV 9.

Ille timor dimissionis certe facilius fundamentum habet in professo votorum simplicium, qui nondum ita firmiter ordini adscriptus est, quam timor patiendi eiectionem post vota ultima et sollemnia. — Verum ratione scandali et relaxandae disciplinae religiosae veteranus religiosus sine dubio facilius graviter peccat, quam novellus, quoniam illius pravum exemplum efficacius est quam huius.

II. Transgressio frequens et notabilis regularum, etiam earum, quae ex se sub peccato non obligant, peccaminosa fieri potest, idque graviter ratione scandali seu relaxandae disciplinae religiosae; multo facilius ex parte superioris graviter peccaminosum evadere potest, eiusmodi notabiles transgressiones impune transmitti.

Superior scilicet ex officio bonum commune ordinis curare debet; quod maxime consistit in instituto ac observantia regulari sancte custodienda. Quare notabilis negligentia in permittendis subditorum defectibus in ipso gravis culpa est. Neque solum, quae videt, corrigere, sed etiam, ut videat, inquirere debet. Nihilominus debet etiam plura nosse dissimulare, et cum

prudencia corrigere, ne nimia severitate plus noceat quam proficiat. Vide *S. Alph.* IV, n. 18; *S. Thom.* 2, 2, q. 33, a. 2.

673 III. Obligatio status religiosi provectione ad altiozem statum episcopalem non exstinguitur quidem, attamen ex natura novi status multum temperatur.

Videlicet: 1. Statum episcopalem, ad quem religiosus provehatur, vota emissa non exstinguere, est communis et prorsus vera sententia: vide *S. Alph.* IV, n. 2. Attamen circa paupertatem administrator fit bonorum temporalium sui episcopatus, sicut fere superior regularis etiam bona sui conventus administrat, neque alii quam soli R. Pontifici subicitur. Idem dic de oboedientiae voto, vi cuius non iam ordinis sui praelatis, sed soli omnium ordinum supremo praelato, R. Pontifici, obstrictus manet. — Neque solum substantialia vota vim suam retinent, sed etiam si quae accidentalialia accesserunt.

2. Non eadem erat concors opinio circa observantiam regularum, quae praeter vota normam vivendi in certo ordine constituunt: num scil. in religioso, qui evaserit episcopus, eandem obligandi vim retineant atque antea.

*S. Alph.* IV, n. 3 cum aliis visum erat, regulas, etsi in ordine sub culpa obligent, episcopum non sub culpa, sed ex sola decentia obligare. Verum *S. C. Epp.* responso 6 Maii 1864 alteram sententiam elegit, atque obligationem quidem per se manere edixit, posse tamen ex causa peculiari episcopum prudentem iudicium ferre, num regulae observatio cum dignitate et officio episcopali conveniat: quare gravis culpa, etiam si qua regula ut talis graviter obligat, raro sane committitur. Vide Acta Sanctae Sedis I 465.

## § 5.

### *De obligatione singulorum votorum.*

#### Punctum I.

#### *De voto religiosae paupertatis.*

674 I. Essentia paupertatis religiosae. Votum religiosae paupertatis, quamquam non aufert necessario omne dominium neque omnem rerum temporalium usum potest auferre, tamen saltem usum rerum temporalium pretio aestimabilium a voluntate superioris independentem illicitum reddit.

Videlicet: 1. Paupertatis *usus* diversus esse potest, et reipsa est in diversis ordinibus. Quod autem ad *substantiam* religiosae paupertatis pertinet, tum ex omnium ordinum consuetudine, tum ex Ecclesiae lege colligitur. Unde saltem habes paupertatem sic intellectam, ut religioso non liceat de ulla re temporali pretio aestimabili suo arbitrio ita disponere, ut eius usum independentem a superioris voluntate habeat. Vide *Trid.* sess. 25, c. 2 de ref. reg.

2. Dominium radicale, seu directum tantum, paupertati religiosae non repugnare, ex constanti praxi praesertim hodierni iuris habemus; et revera ex ipsa rei natura multo magis repugnat statui paupertatis usus et dispositio rerum arbitraria, quam solum directum rei dominium sine facultate ea libere utendi.

Neque repugnat paupertati religiosae, ipsas communitates seu monasteria possidere bona in communi: immo pro rerum adiunctis id

evadere potest maxime conveniens, vel etiam necessarium. Quare *Conc. Trid.* iam suo tempore hoc possidendi ius approbavit atque extendit. *Trid.* l. c.: cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 188, a. 7.

Nihilominus est strictior quaedam paupertatis species, quae etiam possessionem in communi aut excludit, aut certis limitibus circumscrit; quam ordines mendicantium observant. — Ampliora vide in iure canonico.

3. Interdici dixi a paupertate «usum *independentem*». Gravior quaestio<sup>675</sup> est, quousque usus *abundans* et superfluus interdicatur. Nam aliquo sensu eum plane repugnare paupertati, videtur per se patere. Quomodo enim pauper est, qui omnibus rebus abundat? Verum qui arbitrio aliorum vivit et nutu, etsi aliquando laute excipiatur ab altero: propterea nondum desinit esse pauper, siquidem etiam penuria rerum contentus esse debeat, nec quidquam suo iure possit postulare. Cf. *Suarez* tr. 7, l. 8, c. 5, n. 32 et 33, ubi de voto *privato* paupertatis loquitur, et ib. c. 15, n. 3 et 4, ubi severius sentit de paupertate religiosa. Ex quibus tamen, quid cum *S. Alph.* et cum *Sal-mant.* etc. concludi liceat quoad peccati gravitatem, infra n. 683 dicitur. Insuper adnotari debet, qui sumptus facit in rebus inutilibus et illicitis: quamquam contra paupertatem delinquit, si res *in se spectatae* excedunt conditionem pauperis, eum contra iustitiam delinquere non constat, si superioris licentia adfuerit, nisi forte haec ipsa licentia altioris superioris declaratione *prorsus* nulla et invalida fuerit facta. Vide *S. Alph.* n. 30. Nimirum illa licentia, licet quoad paupertatem sit invalida, quoad iustitiam tamen valida esse potest; nam gravis ratio est, cur ordo eiusque superior (supremus) nolit expensum pretium repetere, sed iure illius repetendi possit et velit sese abdicare.

4. Materiam paupertatis dixi esse res temporali pretio aestimabiles. Quare religiosus vi paupertatis non amittit ius honoris, famae etc., neque ius eligendi, praesentandi, conferendi beneficium regulare; vide *Busenb.* l. IV, c. I, dub. 4; *S. Alph.* IV 14. — Similiter sacrae reliquiae solum ratione reliquiarii materia paupertatis sunt, dispositio de Missarum applicatione solum ratione stipendii forte intervenientis.

Communiter etiam «*scripta*» a materia paupertatis excluduntur, ita ut<sup>676</sup> liceat ea sine licentia superioris secum ferre, alteri dare etc. Vide *S. Alph.* l. c. Nihilominus equidem puto distinctione opus esse. Video enim, scripta, quae pro solo auctore aut professore valorem habent, eo quod adiumenta sint in exercitatione vel labore litterario, contionatorio etc., non esse ex se materiam paupertatis; verum si quis librum manuscriptum confecit, quem prelo committens frugiferum facit aut facere facile potest, certo habet rem communi aestimatione pretio temporali comparabilem. Quare eiusmodi scriptum ex natura sua *materiam* paupertatis esse plane censeo. A scriptoribus antiquioribus aliter sentiri, eo minus mirari debemus, quod antiquitus auctor libri non solum nihil pretii recipere consueverit, quando prelo librum comisit, sed aut suis aut amicorum expensis librum imprimendum curare debebat.

Consuetudine autem religiosorum ordinum scripta generatim excludi a materia paupertatis, rei naturam non mutat, sed solum facit, paupertatem non in omni rigore intelligi. Facilius etiam dixerim, consuetudine paupertatem sic intelligi, ut omnia scripta secum ferre, alteri donare etc. *liceat*, superiore *non rogato*, eo quod, nisi expresse contradixerit, consentire videatur; *non liceat*, superiore *expresse contradicente*, de *iis* scriptis disponere, quae

aestimationi pretii subiaceant. — Afferunt etiam, ut videre est apud *S. Alph.* IV 14, declarationem *Clem. VIII*, de qua loquitur *Sporer* vel potius eius continuator *Kazenberger*, Supplem. decalog. c. 2, n. 149, qui ex sua parte lectorem iterum remittit ad *Coriolanum*, De casib. reserv.: ubi revera parte II, cas. VIII, n. 22 allegatur Constitutio *Clem. VIII* «Religiosae congregationes», qua prohibentur religiosis certae species munerum largiendorum; dein addit scriptor ille: «Hoc autem non intelligitur de donatione illarum rerum, quae sunt partus intellectus, ut puta contiones, lectiones etc., quia non sunt res monasterii, et ideo licite possunt fratres ea sibi dare, ut declaravit idem Summus Pontifex *Clemens VIII*.» Sed certe haec declaratio non invenitur in illa Constitutione; videtur ergo fuisse oralis: quae quo sensu sumenda sit, aliunde repeti debet. — Nec quidquam extundi potest summo iure ex verbis *Bened. XIII* Brev. «Postulat humilitati Nostrae» 7 Martii 1725 in *Bullar. M. XIII* 143, ubi vetat religiosis ad episcopatum provectis, quominus aliquid secum ferant «*exceptis scriptis, indumentis propriis, Breviario*», quasi indumenta et Breviarium non sint *materia* paupertatis.

Hinc in hac re, ut etiam *S. Alph.* cum *Tournely* sentit, standum est speciali constitutioni ordinis, aut legitimaе consuetudini, quae, etiam in illis rebus paupertatem exerceri, iubere prorsus potest.

At nunc res indubia evasit. Nam *S. Congr. religiosor.* approbante *Pio X* d. d. 11/13 Iul. 1913 decrevit: Ad Dubium, *an religiosi tum votorum sollemnium, tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exararunt, eiusdem dominium habeant, ita ut illud donare aut quocunq; titulo alienare valeant*, R.: Negative. (Cf. Acta Apost. Sedis V 366.)

De sola paupertate quoad scripta dixi; oboedientiae votum etiam multo latius ad eam materiam extendi posse, iubente superiore re ipsa extendi, non est quod hic amplius exponam.

677 II. **Votum paupertatis sollemne et simplex.** Illud est discrimen inter votum paupertatis simplex et sollemne, ut communiter cum voto simplici non pugnet dominium radicale, pugnet vero cum sollemni; attamen ex factis ecclesiasticis constat, neutram conditionem esse essentialem; quare essentialia discrimen ponendum est in obligatione usum rerum ad leges religiosae paupertatis componendi, prout illa *obligatio* aut *irrevocabilis et ex utraque parte firma*, aut *non ita firma* et irrevocabilis est.

1. Supra n. 648 iam dixi, esse vota simplicia, quae voventem reddant dominii *inhabilem*, ut sunt vota, quae in Societate Iesu emittunt *Coadiutores formati*.

2. E contrario vota sollemnia ex dispensatione Summi Pontificis posse secum pati dominium directum, exclusis veteribus exemplis, habetur 1) ex dispositione circa Moniales in Gallia, quae a *S. Poenitentiaria* anno 1820 *ad episc. Lemovicensem* data est, et sic incipit: «Votum sollemne illud esse, quod ab Ecclesia ut tale acceptatur, et voventem *inhabilem* reddit in perpetuum et immutabiliter — *spectata lege ordinaria et seclusa dispensatione Pontificia* — ad matrimonium contrahendum et ad dominia rerum acquirenda vel retinenda . . .» (vide *Gury-Baller.* II, n. 178). Ergo per dispensationem Pontificiam fieri potest, ut votum sollemne voventem relinquat *habilem* ad retinenda vel acquirenda rerum dominia.

678 2) Idem ex decreto *Leonis XIII* 31 Iulii 1878 *circa regulares in Belgio existentes*. (Desumpsi ex libro *de iustitia*, auctore P. H. Marres Prof. Ruraemund., p. 440.)



«Emū ac R. Dominus Cardinalis Victor Augustus Isidorus, archiepiscopus Mechliniensis, una cum suis suffraganeis a SS. Domino nostro expostularunt, ut ad removenda quaecumque dubia explicare et declarare dignaretur, utrum rescriptum de die 1 Dec. 1820, quo S. Poenitentiaria auctoritate Apostolica concessit regularibus Belgii utriusque sexus, *etiam sollemniter professis*, ut bona acquirere, retinere et administrare, deque iis disponere possent, *non obstante sollemnī paupertatis voto*, etiam nunc in integro suo robore permaneat<sup>1</sup>.

SS. Dominus N. Leo, divina providentia Papa, XIII, referente me infra-scripto secretario Sacrae Congregationis negotiis Eccl. extraordinariis praesepitae, audita prius nonnullorum Eminentiss. Patrum sententia, respondendum esse mandavit ‚Affirmative‘; ac praesentium tenore declarare dignatus est, quatenus opus sit, omnes singulosque Belgii regulares utriusque sexus, *etiam qui vota sollemnia nuncuparunt*, praedictos omnes actus valide ac licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta conscientia etiam cum iureiurando asserere, se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum iure de iis disponendi. Super quibus Sanctitas sua mandavit, hoc edi decretum, et in acta superius memoratae Congregationis referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria eiusdem Congregationis die, mense, et anno praedictis.

Wladimirus Czacki,  
Secretarius.»

3. Ex quibus omnibus confirmatur doctrina supra data de sollemnitate votorum.

III. Licentia in usu rerum quae sit necessaria. Ut autem in usu rerum et dispositione circa illas paupertatis laesio absit, requiritur et sufficit legitima superioris licentia, sive expressa, sive tacita, sive aliquando praesumpta.

I. Licentia, ut sit *legitima*, procedere debet a *legitimo superiore*. Qui et quibus in rebus licentiam dare possint praeter praelatum proprie dictum, in singulis ordinibus videri debet.

Posse altiorem superiorem sua prohibitione licentiam inferioris datam non solum revocare, sed etiam futuram invalidam reddere, evidens est; verum nisi id exprimat, sola prohibitio nondum facit, ut licentia, si tandem detur ab inferiore superiore, sit invalida, atque actio subditi ex ea procedens contra paupertatem: maxime si prohibitio non est iussio per se sub peccato obligans. Minus etiam dici potest, licentiam

<sup>1</sup> Decretum anni 1820 est hoc: «S. Poenitentiaria intelligens velle omnino gubernium, ut vetus illud decretum, diei 18 Febr. 1809 (scil. décret relatif aux congrégations de maisons hospitalières de femmes, art. 9: ‚Chaque hospitalière conservera l'entière propriété de ses biens et revenus, et le droit de les administrer et d'en disposer conformément au Code Napoléon‘) a regularibus regni Belgii observetur, quo proprietas, possessio et administratio bonorum, quae ad eos pervenerunt, singulis religiosis vel monialibus vindicetur, concedit de expressa auctoritate Apostolica regularibus utriusque sexus iam sollemniter professis, ut ea bona acquirere, retinere et administrare, deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo cum debita a superioribus legitimis dependentia hoc faciant.»

ab altiore superiore *negatam* invalide impetrari ab inferiore praelato, nisi prior prohibitioni etiam nullitatem adiunxerit. Verum communiter non tali solum agendi modo, sed etiam per celatam repulsam ab inferiore praelato latam peccatur contra debitam subiectionem, etsi per se non graviter. Vide *Lacroix* l. 4, n. 116 cum *Pellizar*.

2. Licentia ab antecessore praelato data, quando officio suo functus est, per se non exspirat; ipse tamen sibi pro tempore posteriore licentiam dare nequit; ita saltem in Soc. Iesu: cf. *Lacroix* ib.

680 3. Licentia *quoad formam* potest esse *expressa*, aut *tacita*, i. e. quae ex praesentis superioris signis satis colligitur, ut si videns non contradicit, *si modo commode contradicere possit*. Ad quam tacitam licentiam etiam referri potest *legitima consuetudo*: immo hanc singularis superior non semper auferre potest, siquidem approbatione altioris superioris nitatur; sed videndum est, quid singulorum ordinum statuta immediato superiori concedant.

4. Consuetudine non raro inductum conspicitur *peculium*, quod singuli religiosi habeant, quodque certis modulis augere possint, ut sibi quaedam ad vitam necessaria vel utilia inde valeant comparare. — Quod *peculium* si sic intelligitur, ut etiam contra superioris voluntatem religiosus ius in illud sibi servet, paupertati religiosae plane repugnat, neque ulla consuetudine introduci potest, utpote *voto contrariâ*. — Si vero intelligitur eiusmodi *peculium*, quod ad nutum superioris possideatur, atque etiam deponatur, modo aliunde religioso eiusque necessitatibus provideatur: etiam hoc prohibitum est tum lege *Trid.* sess. 25, c. 2, de ref. reg., tum Const. *Clem. VIII* De ref. reg.; nihilominus non ita brevi post gravissimi auctores iam testati sunt, existere apud plures legitimam consuetudinem contrariam, eamque S. Pontifices pluries tacite agnoverunt, immo quoad moniales quasdam ipse *Clem. VIII*. Cf. *S. Alph.* IV 15 cum aliis bene multis.

Verum plane assentior *S. Alph.* ib. circa finem dicenti, superiores, qui usum *peculii*, ubi non existat, introducunt, peccare generatim graviter saltem propter regulae et puritatis in paupertate relaxationem. Quapropter etiam videmus, in omni reformatione et pristini fervoris redintegratione summam curam tum religiosorum ordinum tum Ecclesiae semper fuisse, ut vita *communis* quam exactissime servaretur.

681 5. Restat, ut de licentia *praesumpta* pauca dicam.

1) Licentia *rationabiliter* praesumpta excusat a paupertatis laesione certe, si superior adiri nequit neque res differri potest; idque eo facilius, quo minoris momenti sit res, de qua agitur.

2) Si superior adiri potest: nihilominus paupertatis laesio non adest, si rationabiliter puto, superiorem non solum daturum esse licentiam, si peterem, sed eum etiam contentum esse de petitionis omissione. Immo etsi plane contentus de ea non sit, utpote de defectu domestici ordinis, si tamen — id quod *S. Alph.* cum aliis vocat licentiam praesumptam *de praesenti* — ex affectu superioris mihi cognito prudenter iudico, eum non solum facultatem meo rogatu permotum mihi daturum esse, si peterem, sed eum iam ex sese contra usum rei a me desideratae plane nihil habere: contra paupertatem, graviter saltem, non

peccem. — Denique ne tum quidem facile *grave* peccatum committitur, si solum sit licentia praesumpta *de futuro*; attamen in ea a fraude et illusionem cavendum est. Nam si semper citra peccatum grave ita agere liceret, fere actum esset de servanda paupertate in rebus ordinariis.

3) Etsi non satis certo iudicare possum de superioris, quem consulere nequeo, consensu, si dispono de re conditionate et modo suspensivo «si superior consenserit», per se paupertatis laesio non adest, modo res maneat integra et facile recuperabilis.

IV. Laesio paupertatis eiusque peccaminositas. Contra paupertatem est non tantum animum veri proprietarii gerere, sed quoslibet actus exercere, qui dispositionem proprio Marte factam continent: quod si fit in materia gravi secundum aestimationem rei gravis in materia iustitiae, communiter gravis est laesio voti.

Internis actibus non laeditur votum, nisi eum actum externum pro objecto habeant, qui ex se voto paupertatis prohibeatur, videlicet voluntate et desiderio committendi quod sit contra votum.

1. Iuvat praecipuos modos, quibus paupertas laedi possit, recensere:

- 1) Aliquid sibi accipere, ut inscio superiore retineatur;
- 2) Comedere et bibere, non solum ex rebus monasterii, sed etiam apud amicum, sine licentia;
- 3) Dare vel alienare aliquid;
- 4) Commodato vel mutuo dare aut accipere: quod autem commodato datur vel recipitur, ut peccatum mortale constituat, multo maioris valoris esse debet, quam quod simpliciter datur;
- 5) Re uti ultra tempus concessum, eamve occultare, ne a superiore sumatur;
- 6) Rem *ad certum usum* datam ad alium adhibere, si revera concessio ita restricta erat;
- 7) In administratione rerum sive largius sive parcius procedere, quam scitur esse ex voluntate superioris;
- 8) Expendere sumptus in res illicitas et superfluas, secundum explicationem mox dandam;
- 9) Negligenter custodire res concreditas.

Habere et retinere superflua, si licentia, quamquam sine causa iusta data, data tamen sit, neque irrita facta per altiore superiorum, Suarez tract. 7, l. 8, c. 15, n. 3 et 4 (cf. ib. c. 5 et c. 7, n. 7 et 8, c. 12, n. 10 sqq) censet, per se nondum esse contra votum paupertatis, nisi ex ordinis constitutione votum etiam sic intelligatur: tamen res superflue consumere, alienare, putat esse contra paupertatem, utpote ex licentia, si accesserit, *invalidè* data: quod communiter utique verum est. Alii autem — quod tandem vix a Suarezii sententia discrepat — putant cum Lugo (De iust. et iur. d. 3, n. 130 sqq), omnem usum rerum illicitarum et superfluarum, si fiat *cum notabili excessu*, esse contra paupertatis votum, idque re ipsa sine reum consumptione seu damno non intelligitur. Consentit S. Alph. IV 30. Quare dixi supra «*sumptus facere*». Immo solum retineri superflua, recte monet Suarez l. c. c. 12 saepe evadere posse mortaliter malum ratione scandali et relaxandae disciplinae.

684 2. *Actiones, de quibus disputatur*: 1) Deposito rem accipere ita ut deponens servet dominium et usum, non est paupertatis laesio; potest tamen esse contra oboedientiam. Immo si propter contractum depositi et civilium legum usum depositarius religiosus monasterium in periculum coniciat cavendi de damno rei forte orituro illudque resarciendi, eatenus paupertatem in periculum inducit, eamque laedit.

Utī tali re deposita ex concessione deponentis, ne sit contra paupertatem, superioris licentia valide data accedere debet.

2) Accipere pecunias distribuendas in pauperes, sive pauperes sunt in individuo determinati sive non, per se nondum est contra paupertatem. Attamen quando determinatio pauperum relinquitur arbitrio religiosi, paupertas laeditur: 1) si religiosus accipiens *suo* nomine res distribuit, 2) si quis ordo omnem talem distributionem ratione *periculi paupertatis* prohibuit et hac ratione a suis omitti iussit<sup>1</sup>.

Alioquin religiosus agit aut ut merum instrumentum alterius, aut ut administrator causae piae (si nimirum nomine causae piae pecunias accepit); distribuere autem nomine alieno, i. e. sive prioris domini sive novae iuridicae personae, ex se non est actus paupertati repugnans. Cf. *Gury-Beller*. II, n. 160 notam.

685 3. Quando de gravitate materiae quaeritur, quae necessaria sit et sufficiat ad peccatum mortale, generatim admittitur, esse eam materiam, quae contra iustitiam gravis sit, gravem etiam ratione sacrilegii seu voti laesi, modo ratio habeatur divitiarum vel penuriae ipsius monasterii, ita tamen, ut monasterium mediocriter dives eam quantitatis gravis determinationem ferat, quae fit quoad virum privatum simpliciter divitem.

Quamquam aliqui distinguunt inter laesionem, quae violet solam religionis virtutem (paupertatis votum), et quae laedat simul iustitiam, in priore casu concedentes amplio rem quantitatem: tamen raro haec norma pro praxi est. Nam hi casus fere versantur circa actiones illas, quae num paupertatem ex se laedant, controvertitur, aut quae imperfectum usum et dispositionem rei temporalis continent: quas latiore mensura diiudicandas esse, per se patet. V. g. usus, re manente intacta, certe tanti non aestimatur, quanti rei consumptio seu destructio; rem sodali eiusdem monasterii commodare tanti non est, quanti commodare extraneo; apud amicum actu etiam sine licentia saltem rationabiliter praesumpta comedere non tantopere laedit paupertatem, quam ab eo consumptibilia accipere et postea ea consumere, et sic porro.

Ceterum multae actiones, quae leviter consideranti iustitiam non laedere videntur, revera eam laedunt, v. g. res sine licentia ab amico sibi accipere: eo ipso enim quod religiosus rem accepit, eam acquisivit non sibi, sed monasterio; quando igitur ea utitur, utitur re aliena invito domino.

Quando autem agitur de furtulis minutis, illa quidem etiam ratione paupertatis laesae coalescunt; at si de rebus *comestibilibus* agitur, *S. Alph.* IV, n. 25 probatur, quod dicant *Suarez* et *Salmant.*, id non esse mortale, etsi ad materiam magnam perveniatur, «modo res ne reserventur a religioso, neve sit damnificatio *nimia*, neve agatur de *re extraordinaria et pretiosiore*». — Ratio autem praecipua est, quod superiores hac in re non censeantur rationabiliter graviter inviti *quoad expensas*, siquidem res impensa fuerit ad

<sup>1</sup> Eiusmodi iussio seu potius lex deberet omnino clare isto sensu fieri: ita re ipsa alicubi factam esse, non puto, saltem nullum exemplum talis legis mihi notum est.



religiosi sustentationem quoad substantiam non adeo diversam ab ordinaria sustentatione: nihilominus haec ratio ostendit, aliquantum rationem habendam esse superioris eiusque liberalitatis, ita ut quo magis invitus censeatur superior, eo facilius ad peccatum grave demum perveniri possit.

4. Affectus ad res temporales atque desiderium abundantioris usus est quidem contra virtutem, quae paupertate colitur: at votum non laedit, quamdiu manet efficax voluntas servandi votum. Si quis vero tantam fovet voluntariam affectionem ad res temporales, ut graves tentationes contra votum vocationemque suam sibi excitet, utique *indirecte contra votum* iam delinquit.

*Conditionata* affectio ad actus, qui ob paupertatem religioso interdicti sunt, ex se nondum est mala, sed videndum est, qualis sit affectio et motivum; unde affectus mali aut boni esse possunt, ut v. g. bona affectio est eiusmodi conditionatum desiderium habendi, unde possim pauperi angustiis presso subvenire. Neque omnes isti affectus sub conditione «si liceret» statim periculosi sunt, ut re ipsa sunt de iis rebus, quae ex natura sua praesens secum ferunt periculum.

## Punctum II.

### De voto castitatis religiosae.

I. Voto castitatis ob motivum religionis non solum prohiberi externos actus luxuriae, sed quemlibet etiam internum, adeo compertum est apud omnes, ut in eo immorari necesse non sit.

Id enim patet tum ex sensu, quo semper et ubique votum illud intellectum fuit, tum ex rei natura, siquidem ex internis actibus imminens periculum externae laesionis inducitur, quod, etsi non in singulis casibus ita grave fuerit, tamen in genere suo gravissimum est, ita ut omnis aditus praecludatur oporteat.

II. Discrimen inter votum sollemne et simplex disce ex iis, quae de paupertate dicta sunt. — Unum quidem *effectum* voti sollemnis hic habemus, qui nulli umquam simplici voto castitatis annexus fuerit, nimirum quod dissolvat matrimonium ratum nondum consummatum. — Plerumque etiam solum sollemne votum infert impedimentum dirimens matrimonii subsequenter. (Vide, quae dicuntur in tract. de matrim.)

III. Ad custodiam castitatis inducta est *clausura*, quae quo sensu et quibus limitibus intelligatur, vide *de censuris*.

Prohibentur etiam religiosi, quominus *exeat* e monasterio sine licentia: quam quidem licentiam generalem, vel sine socio exeundi, *Clem. VIII* (De ref. regular.) vetuit ulli dari; at videndum est, quid hac in re valeat consuetudo: cum iam suis temporibus *Salm.* tract. 15, c. 5, n. 163 dubitent, utrum ordinationes *Clem. VIII* pro praeceptivis, an directivis tantum ex usu et consuetudine habeantur.

Id certum est, quoad religiosos viros non quemlibet egressum sine licentia esse mortale peccatum. Cf. *Kazenberger* (Supplem. theologiae moralis *P. Sporer*) c. 2, n. 158, quem approbans affert *S. Alph.* IV 37 ex sententia plurimorum, *egressum diurnum* (nam de nocturno aliud prorsus est) mortalem

tum esse, quando fiat 1) *ex contemptu*, 2) *cum scandalo*, quod refer sive ad *modum* exeundi, sive ad *frequentiam*, qua notabilis relaxatio oriri possit.

## Punctum III.

*De oboedientia religiosa.*

688 Oboedientiae votum est omnium praestantissimum, cuius prae ceteris excellentia a viris sanctis non satis potest efferri. Unde facile patet, ad huius virtutis *perfectionem* multo etiam graviora et difficiliora requiri quam ad aliorum votorum virtutem. Continet enim plenam et perfectam totius hominis atque maxime spiritualis partis subiectionem atque abnegationem, ita ut homo et propriam voluntatem et propriam opinandi atque sentiendi libertatem Dei causa relinquat iisque sese prorsus abdicet.

Quapropter nihil humanae fragilitati communius quam *contra huius virtutis perfectionem* in defectus quosdam et imperfectiones impingere: nihilominus peccata proprie dicta, eaque *gravia contra votum* oboedientiae, non ita facile committuntur, immo haec rarius accidunt quam aliorum votorum pericula, nisi forte — id quod in recentioribus ordinibus non obtinet — regulae multae sub peccato eoque gravi obligent. Vide *Laymann* l. 4, tract. 5, c. 9, n. 2.

I. Votum sollemne oboedientiae a simplici in religioso non distinguitur nisi *subiectionis promissae et acceptatae maiore firmitate ex utraque parte*, ut supra per modum consecrationis explicatum est. Iuridicum effectum inhabilitatis non habemus, qui prae simplici sollemni voto inhaereat. Neque enim pro tempore subiectionis ille, qui *simplici* voto religiosae oboedientiae ligatur, *firmiter* sese obligare vel cum altero contrahere potest. Id saltem dici debet relate ad ordines stricte dictos; relate ad ordinem sensu latiore seu religiosam congregationem idem dic, quod observatum est de irritandis talium religiosorum votis supra n. 610 et 643.

689 Quidam putant (vide *Gury* II, n. 170), voto oboedientiae simplici obligationem, quam subditi iniri sint sine superioris consensu, reddi illicitam, invalidam voto sollemni; quod, etiam quando de religiosis veri et stricti ordinis loquimur, videtur sufficienti fundamento carere.

Nam etiam professus votorum sollemnium *sine* consensu superioris sese obligans ad aliquid non invalide se obligat, *at firmiter* se obligare nequit, i. e. in superioris potestate est, hanc obligationem, si mavult, rescindere: quod nisi fecerit, professi obligatio manet. Verum si non solum sine consensu, sed *contra* voluntatem superioris, qui in antecessum obligationi tali contrahendae resistat, se obligare tentat, *nihil efficit*. At idem dic de quolibet saltem stricti nominis religioso, etiam de simplicium votorum professo: nam haec subiectio, qua superioris voluntas ita subditis dominetur, ut valori actus eorum resistere *possit*, non habetur ex solo voto, sed ex lege ecclesiastica; lex autem ecclesiastica seu potius consuetudo ecclesiastica hanc facultatem de statu religioso, non de votorum sollemnitate ut tali pronuntiavit, siquidem a tempore antiquo repetitur, quo sollemnis et simplicis voti distinctio nondum ita attendebatur, et analogia ex servi et filii nondum sui iuris facti conditione

ducitur. (Cf. *Decr. Grat.* c. «monacho» caus. 20, q. 4; *S. Basil.*, Regul. fus. XIV.) Unus excipitur contractus matrimonialis, qui, quandocumque a religioso *valide* iniri potest, utut sacrilege, propter singularem eius naturam omnino firmus esse debet.

II. Vi voti oboedientiae religiosus obligatur, ne in genere subiectionem excutere conetur, et ut ea, quae superior legitime vi voti exegerit, adimpleat. Plerumque autem non censetur superior sub gravi aliquid exigere, nisi et res iniuncta gravis est, et ipse utitur verbis iubendi cum addito: «vi voti, in virtute S. oboedientiae, nomine Iesu Chr. etc.» Ex adiunctis de gravi praecepto constare aliquando potest etiam alias. E contrario autem contingere etiam potest, ut superior, licet utatur sollemnioribus istis formulis, nolit stricte ex vi voti obligare: quod tamen constare debet.

**Explicatio.** 1. Gravissimum peccatum contra oboedientiae votum generale est *apostasia ab ordine*, qua religiosus se plene subtrahit oboedientiae: quamquam in hoc peccato non solum oboedientiae votum infringitur.

2. Aliud peccatum inoboedientiae generale committitur *formali inoboedientia*, qua quis declarat, se nolle oboedire, seu qua auctoritatem contemnit: quare tum non ex particulari materia praecepta, sed ex ipso contemptu auctoritatis peccati gravitas desumitur. — Hinc est, 1) ut etiam in re levi tum mortaliter peccetur, nisi forte expresse addatur a subdito, se in hac quidem re nolle, at paratum esse ad oboediendum, si quid grave sibi vere praecipiat: vide *Tamb.* t. 2, l. 5, c. 7, § 3, n. 18; 2) ut grave peccatum committatur, etsi superior non formaliter iusserit, aut non sit ille, qui ex se vere iubere possit; non enim tam in veri praecepti violatione peccatum illud consistit quam in *potestate* seu *auctoritate contempta*.

3. Alia peccata contra votum oboedientiae *particularia* vocare debemus, siquidem in re particulari praecepta, sed voluntarie praetermissa consistunt: quae ut gravia peccata sint, debent materiam gravem continere. Eius autem gravitas, ut in legibus, repetenda est tum ex re *in se* spectata, tum ex adiunctis, et ex fine ad quem obtinendum iniungitur. — Quando in ordine regulae quaedam sub peccato obligant, eorum laesio voti oboedientiae laesionem continet. Vide *Laymann* l. 4, tract. 5, c. 9, n. 6.

4. Alias igitur, quando iussio superioris accedere debet, ut materia voti oriatur, ex diversorum ordinum consuetudine vel statutis pendet, quae formula necessaria sit, ut vera iussio vi voti intelligatur. Cf. *Laymann* l. c. n. 3, ubi cum aliis docet et ostendit, ipsa verba «iubeo, mando, prohibeo etc.» in multis ordinibus non sufficere; immo nisi expressius addatur «in virtute S. oboedientiae», vel similia, superiorem ex ipsa re ne *sub veniali quidem culpa* obligare. Cf. *S. Alph.* n. 38 cum aliis.

5. Possunt tamen aliquando adiuncta eiusmodi esse, quae plane demonstrant, superiorem aliquid vero sensu vetare aut iubere, v. g. si aliter gravis domestici ordinis perturbatio, damnum grave pro domo

aut pro aliis sequeretur. Quare tum videtur omnino inoboedientia *violationem etiam voti* continere: ita *expresse Less.*, De iust. et iure l. 2, c. 41, n. 74; cf. etiam *Lugo*, De poenit. d. 16, n. 171; idem *innuit S. Alph.* IV 38 cum *Busenb.* Cf. tamen etiam infra n. 695 sqq.

692 III. Exigi possunt quaelibet, quae sunt *secundum regulas*; non vero, ut aiunt, *infra, contra, supra regulas*, i. e. 1) non res undequaque inutiles, 2) non ea, quae regularum observantiae contradicunt, nisi superior in iis ex iusta causa possit dispensare, 3) nec ea, quae finem peculiarem ordinis superant. Quare eo latius patet facultas superioris iubendi, quo latius patet finis specialis ordinis, et quo magis eius exsecutio manibus superioris eiusque arbitrio commissa est.

Ad quae nota: 1. Relate ad ea, quae superior secundum regulas iubere possit, excipiunt communiter actus plane *heroicos*, nisi pateat, eos in peculiari fine ordinis contineri: quare etsi dicatur, «in omnibus esse oboediendum», id intelligitur non de necessitate, ne peccetur, sed de oboedientiae perfectione. *Laym.* l. c. n. 2 cum *S. Bonav.* et *S. Thom.* 2, 2, q. 104, a. 5. Cf. *S. Alph.* n. 40. Hinc etiam negatur, poenitentias extraordinarie graves ex stricto praecepto iniungi posse nisi propter poenam delicti.

693 2. In *dubiis* communiter scriptores docent, superiori plane oboediendum esse: quod intelligitur, si satis quidem constat, in tali rerum genere superiorem praecipere posse, sed dubitatur, num possit spectatis adiunctis, aut num res sit licita; si vero valde gravis ratio suadet, in hoc rerum genere superiorem nihil posse praecipere, etsi non demonstretur ad evidentiam, dici nequit, subditum sub peccato eoque gravi ad praeceptum adstringi. Cf. hac de re *S. Alph.* IV, n. 44 et 47; I, n. 100; *Castrop.*, De consc. d. 3, p. 13, qui tamen aliquantum nimis in favorem subditi declinare videtur.

Actus *internos*, saltem in quibusdam ordinibus, praecipere posse, etsi a compluribus in dubium vocatur, mihi tamen probatur, atque etiam externa auctoritate ita comprobatur, ut subditum recusantem a peccato contra votum eximere nequeam. Nam et finis religiosorum ordinum et subditi directio plane extenditur ad mera interna: alioqui quomodo superior votum mere internum irritare posset? Quare cum praesumptio omnino faveat superiori, si praecipit res non nimis extraordinarias et difficiles, obtemperandum est.

694 3. Satis implicata quaestio est, utrum teneatur subditus oboedire, si superiores inducant maiorem rigorem, quam praescriptum est in constitutionibus aut ex consuetudine legitima observatum, an excusetur.

Scil. 1) Qui invenerunt observantiam relaxatam, per se ad primaevum rigorem non tenentur: *S. Alph.* n. 44; minus etiam maior rigor per se imponi potest, quam qui fuit primitus approbatus.

2) Nihilominus, si quae necessaria sunt, ut substantia religiosi ordinis, i. e. observantia vötorum, vel peculiaris finis huius instituti, in tuto collocetur, rigor augeri potest, atque collapsa disciplina reformari. Nam qui vota emisit, in omni casu ea implicite promisit, quae ad ea servanda sunt necessaria; quare quaecumque querelae de errore in professione audiendae non essent, sed summum error accidentalis putari deberet. — Extra hanc necessitatem a *S. Alph.* IV, n. 44 cum *Laym.* l. c. n. 10—13 aliisque recte tenetur, solius maioris perfectionis causa arctiorem disciplinam praecipere non posse reluctantibus; sed nihil relinqui, nisi ut ii, qui de novo admittantur, ad strictiorem regulam obligentur.



3) Verum claritatis causa puto distinctione opus esse. Si agitur de obligationibus imponendis, ut ieiunandi, vigilandi etc., recte tenetur, quod dictum est hactenus. At si agitur de *licentiis retrahendis*, quae in usu quidem plane erant, sed quae *ex natura sua* arbitrio superioris debebant esse subiectae, id ubique fieri posse, dubitari nequit. Quare reformatio collapsae disciplinae tali modo semper perfici atque sub gravi omnibus imponi potest. Ut exemplum afferam, peculium in quolibet ordine religioso plane auferri potest, modo alia via necessitatibus religiosorum provideatur.

Quae dicta sunt de praelatorum potestate in adstringenda disciplina, etiam de R. Pontifice valent: at facilius ipse de necessitate iudicans ex suprema potestate iurisdictionis praecipere atque dubium dirimere potest. Quodsi putet, non expedire per praecepta nimis rigorose procedere, potest ordinem, interclusa potestate novitios recipiendi, morti devovere, vel statim, exigentibus rationibus, eum suppressere.

IV. Inoboedientia religiosi est laesio virtutis religionis, et veri nominis sacrilegium atque foederis fractio: verum adiungi potest alia specifica malitia; nam superior diversis utitur potestatibus, non solum dominativa, sed etiam iurisdictione et domestica potestate, ex quibus diversa malitia in inoboediente oriri potest.

**Explicatio.** 1. Inoboedientia religiosi, ut censeo, *infidelitas et sacrilegium erga Deum* semper committitur, at simul etiam semper *iniustitia erga ordinem* seu institutum religiosum, ad cuius fines se laborare velle secundum oboedientiae normam, non solum Deo, sed etiam ordini stricte promisit; utriusque etiam nomine, et Dei et ordinis, superior agit praeceptum iniungendo. Et revera in oboedientia praestanda quam maxime elucet et exerceri debet traditio, qua religiosus se intuitu Dei religioso instituto tradidit.

Quodsi sistere licet in his malitiis, necesse non est, ut explicetur ipsa res in confessione, in qua religiosus inoboediens fuerit; nam diversae res in hoc peccato sacrilegii et iniustitiae materialiter se habent, novam formam atque speciem peccati non efficiunt. *Lugo*, De poenit. d. 16, n. 170 cum *Sanchez* l. 4, c. 11, n. 25 et *Suarez* tract. 7, l. 10, c. 6, n. 8, alii.

2. Verum aliter se res habet, si oboedientia exigebatur ex potestate *iurisdictionis*; haec enim, ut supra *de legibus* dictum est, in diversis materiis diversam speciem sive virtutis sive peccati efficit. Quare ut inoboedientis peccatum melius intelligatur, omnes superioris potestates recolere convenit.

Prima *praelati* potestas est *domestica*, cui etiam subiacent novitii et famuli, at relate ad religiosum haec quodammodo absorbetur a secunda *dominativa* potestate, qua superior nomine Dei et religiosi ordinis iubet; tertia est potestas *iurisdictionis*, qua superior ut praelatus *ecclesiasticus* potitur, cum quasi-episcopalem potestatem exerceat.

Porro postrema hac potestate superiorem religiosum etiam uti *posse*, non est dubium; at nisi id constet, putandum est, eum uti sola potestate religiosa dominativa. Nam sine cogente causa neque praecepta neque peccata sunt multiplicanda, sed ad unius potestatis usum vel laesionem restringenda; praelatus religiosus, cum *primo* sit *religiosus* praelatus, et consequenter tantum quasi-episcopus suorum, prima sua potestate, ex qua altera fluit, uti censetur. *Castropal.* tract. 2, disp. 3, p. 3, n. 12.

Attamen iurisdictio certe exercetur, si additur *ecclesiastica poena*, ut excommunicatio, aut si a suprema ordinis auctoritate *leges* feruntur: atque tum *simul vi voti* rem urgent, quando religioso ut religioso praecipunt<sup>1</sup>.

697 *Summus Pontifex* e contrario, cum sit primo loco *ecclesiasticus superior*, et consequenter ac secundarie praelatus religiosorum dominativa potestate vi voti potitus, censetur semper *uti iurisdictione*, eaque sola<sup>2</sup>, nisi exprimat, se vi voti aliquid exigere, aut singularis res postulet, ut hoc titulo exigatur.

Sacrae Congregationes Cardinalium autem, quae in religiosos ordines iurisdictionem exercent, dominativa potestate non videntur frui. Nimirum plus non habent, quam quod communicatum est a R. Pontifice, de solius autem iurisdictionis collatione constat; quare vi voti earum praescripta urgere non puto. Vide plura *Casus consc.* I, n. 333 sqq.

3. Hinc patet, *posse* in uno peccato inoboedientiae multas malitias coniungi:

- 1) malitiam contra eam virtutem, ad quam *res praecepta* ex natura sua spectat, ut intemperantiam, si ieiunium praescriptum erat;
- 2) sacrilegium et infidelitatem erga Deum (de quibus cf. n. 604 et 695);
- 3) iniustitiam erga ipsum ordinem;
- 4) scandalum, vel damnum forte causatum;
- 5) formalem contemptum auctoritatis. — Malitiae 1) 4) 5) non semper adsunt.

698 4. Illa potestatum distinctio quam dixi attendi debet tum in diiudicandis rebus quae praecipui possint, tum in diiudicanda gravitate sive rei praeceptae sive peccati inoboedientiae. Nam: 1) quoad res praecipendas sunt quaedam, quae vel ipse Summus Pontifex iubere solum possit vi iurisdictionis, v. g. accipi episcopatum; alii praelati id iubere possunt nullatenus. Etiam reformatio collapsae disciplinae facilius vi iurisdictionis quam vi voti exigere potest. — E contrario missiones agere inter infideles facilius exigere potest ipse Summus Pontifex vi voti a religioso ordinis apostolici quam vi iurisdictionis. Hinc videndum est, ad quae in certo ordine oboedientiae votum sese extendat. Universim dici potest, iurisdictionis potestatem supremam R. Pontificis latius patere quoad materiam quam potestatem dominativam; at in iis rebus, ad quas votum extenditur, *facilius* atque sine causa necessitatis potestatem dominativam exerceri.

2) Non eadem est ratio, ex qua gravitas rei praeceptae aestimari debeat, in diversarum potestatum exercitio. Nam si superior domestica potestate utitur, aut etiam in religiosum potestate dominativa at non expresse, sed solum consequenter ad domesticum ordinem, certe gravior materia requiritur ad peccatum mortale.

<sup>1</sup> Aliquando tamen fieri potest, ut praelatus regularium, si velit, ex sola iurisdictionis potestate praecipiat, ac proin a violatione praecepti absit malitia violati voti: ut bene exponit *Suarez*, De religione tract. 7, l. 10, c. 6, n. 6. Sed, ut Doctor eximius scite addit, id raro obtinet, siquidem «materia praecepti ordinarie talis non est, ut ex vi *solius* iurisdictionis ecclesiasticae praecipui possit, quia est materia supererogationis vel consilii». Si autem res praecepta ea est, quam etiam episcopus populo sibi subiecto sub gravi possit praecipere, locus esse potest exercitio solius iurisdictionis.

<sup>2</sup> Vid. sufficit in R. Pontifice, ut religiosos consideret ut specialia membra Ecclesiae, in quae potiat iurisdictione formaliter eadem, qua in reliquos fideles.

Si superior utitur aut sola potestate iurisdictionis, aut ea principaliter et tantum consequenter et per accidens potestate dominativa, materia peccati gravis ea censetur, quae alias in lege ecclesiastica *circa eiusdem virtutis exercitium* gravis est.

Si superior directe et per se vi voti aliquid iubet, i. e. ex potestate dominativa, ea res gravis censetur, quae in praeceptis ecclesiasticis *circa virtutem religionis versantibus* gravis est, vel quae alias in voto privato ex se gravis est.

3) Dein quod vi voti exigitur, si ex se materia gravis est, a superiore *nequit exigi sub levi*, etsi velit; quod ex iurisdictione exigitur, *potest* sub levi, etsi res gravis est, exigi. Nimirum si superior vi voti aliquid exigit, *Deo ipsi* religiosus debet executionem propter votum emissum et acceptatum idque eo sensu, quo emissum et acceptatum est, i. e. sensu pleno et severo.

Appendix. Circa vitam religiosam graviter peccatur praecipue <sup>699</sup> his modis:

1. Quando vocatio religiosa contra vehementem impulsum divinum negligitur ab eo, qui illum statum sibi unicum medium esse iudicat cavendi a peccatis.

2. Quando vota religiosa emittuntur ab eo, qui satis certo videt se vocatum non esse.

3. Quando ficte acceditur ad probationem status religiosi.

4. Quando contra alias obligationes, quae erga parentes etc. urgeant, status religiosus assumitur.

5. Quando, statu religioso per vota substantialia assumpto, religiosus ab omni tendentia ad perfectionem sui status desistit.

6. Quando religiosus gravem relaxationem religiosae disciplinae inducit, aut — si superior est — negligentia inducendam permittit.

7. Quando religiosus sine licentia legitima de re pretio aestimabili in materia gravi disponit; earum rerum curam sibi commissam negligit; proprietatem attentat.

8. Quando castitatem sive internis sive externis actibus laedit.

9. Quando leges clausurae violat: nocturno et furtivo egressu, admissione personarum alterius sexus.

10. Quando rem gravem a superiore vi voti praeceptam non exsequitur.

11. Quando superiori eiusve vicem gerenti se oboediturum esse, expresse negat.

12. Quando e monasterio egreditur animo ad saeculum redeundi.

13. Quando profugus e monasterio superiori se abscondit, illius oboedientiae se subtrahens.

14. Quando defectibus voluntariis laxioreve vita se causam dare advertit suae expulsionis, aut — si simplicibus tantum votis ligatus est — suae dimissionis.

## § 6.

### *De favoribus religiosorum.*

De privilegiis religiosorum coetibus a SS. Pontificibus concessis <sup>700</sup> alibi dicitur; cum ex magna parte sacrum ministerium respiciant, ac

proin melius intelligantur, postquam de iurisdictione fori interni et sacramentalis (de Sacramento Poenitentiae) actum fuerit.

1. Ex natura rei seu ipsius professionis plerique derivant plenam remissionem etiam temporalium poenarum, quae Deo adhuc debeantur. Cum enim certum sit, hominem iustum per merita Christi pro peccatis suis ita plene satisfacere posse (et re ipsa, licet non semper per modum plenae satisfactionis, omnes poenas martyrium exstinguit); non videtur ullus actus praestantior, qui ad hunc effectum plus valeat, quam totius hominis pro tota vita oblatio et donatio, vi cuius Deus per vicarios suos plene possit de homine disponere. — Quod signum est magnae caritatis, quam homo erga Deum exercet. Cf. *S. Thom.* 4 dist. 4, q. 3, a. 3 et 2, 2, q. 189, a. 3 ad 3; *S. Antonin.* P. 3, tit. 16, c. 3, § 3; *Navarr.*, De indulg. notab. 20 n. 17; *Laym.* l. 5, tract. 5, c. 10, n. 1; *Suarez* tract. 7, l. 6, c. 13. Quare SS. Patres religiosae vitae professionem secundo baptismo comparare consueverunt, qui non virtute indulgentiae plenariae, sed certius *vi ipsius actus* eiusque meriti hominem ab omni reatu, etiam poenae, eximat. Ad quod sane requiritur, ut in ipsa religiosa professione homo immunis sit ab omni affectione prava, etsi venialiter tantum peccaminosa.

2. Quomodo religiosa professio exstinguat vel suspendat omnia alia vota praecedentia, priore cap. De vot. commut. praecipue n. 616 iam dictum est.

Haec de statu religioso pro scopo nostro breviter tantum attingere potuimus. Qui plura cupit, adeat fusiores tractatus scriptorum, quos supra laudavi.

Gressum facimus ab hoc religionis exercitio, quo homo, ut socialis est, Deum perfectissime colit, ad aliud, quod propter socialem hominis naturam a sociali potestate religiosa, Ecclesiam dico, communi lege praecipitur.

### *Articulus II.*

#### De sociali religionis exercitio communi ab Ecclesia praecepto.

Cf. imprimis *S. Alph.* III, n. 263—332; *Elbel* III, n. 329—420; *Suarez* tract. 2, l. 2; *Del Vecchio* I, n. 190—200 et 748—763; *Ballerini-Palm.* II, n. 711—814; *Marc* n. 651—658; *Pruner* n. 281 sqq.

701 In lege vetere, ut notum est, et sacrificia aliaeque sacrae caerimoniae praecipiebantur, et certi quidam dies, scil. septimus quisque seu ultimus cuiusque hebdomadae praeter alios certos festivos dies requiei colendi Dei causa destinabatur. In ipso decalogo praeceptum tertium sic exprimitur:

*Memento, ut diem sabbati sanctifices.* Ex 20, 8.

Reliqua vero caerimonialia praecepta ad cultum divinum apud iudaicum populum ordinata longum est prosequi neque ad finem nostrum utile, siquidem leges caerimoniales abolitae, immo earum observantia certo sensu «mortifera» facta est.



Peculiares igitur institutiones circa modum colendi Deum solos Iudaeos respiciebant; substantia autem rei est ipsius naturalis legis obiectum, ut videlicet certo aliquo tempore certoque modo ab auctoritate indicto Deus colatur. Certus ille modus, quo numen divinum, sive verum Deum, sive falsos deos, populi omnes colere nitebantur, sacrificium est; quod quo sensu lege naturali praecipitur, dictum est n. 472 sq.

Modum certum et determinatum divini cultus etiam in lege gratiae Christus Dominus induxit, eumque principalem per excellentissimum N. L. sacrificium, Ss. Eucharistiam, secundarium per Sacramentorum susceptionem. Verum ultimam temporis et modi determinationem Ecclesiae suae reliquit, quae pro variis necessitatibus atque temporum populorumque conditione mutata praecipere et relaxare multum possit.

Quare tertium decalogi praeceptum in N. Lege non totam suam vim, sed aliqualem tantum retinuit, ecclesiastica lege temperatum atque suppletum est. De exercitio igitur religionis sociali acturi, praecepta quidem decalogi porro tractare, atque tertium eiusdem praeceptum explicare nos decet, at cum iis mutationibus, quae ecclesiastico iure factae sunt, ita ut non solam divinam et naturalem legem in hac materia exponamus, sed etiam humanam, ne postea eadem cogamur repetere. Reliqua vero, quae ad tertium decalogi praeceptum nullo modo reduci possunt, ad religionis exercitium pertinentia, tum in communibus Ecclesiae praeceptis, tum in Sacramentis explicandis postea complebuntur.

Spectandi igitur sunt *dies* speciali modo divino cultui dicati et *modus*, quo hisce diebus Deum colamus oporteat.

Dies speciali modo divino cultui dicati habes infra in nota<sup>1</sup>. Modus hos dies specialiter sanctificandi est 1) abstinentia a servili opere, 2) participatio Ss. Missae sacrificii (de quibus duabus §§ sq).

### § 1.

#### *De requie festiva ex praecepto servanda.*

Quamquam ipsius diei Dominicae electio, immo septimi cuiusque<sup>702</sup> recurrentis diei sanctificatio non iam ex lege divina, sed ex ecclesiastica Christifideles obligat: tamen huius legis abrogatio generalis fieri posse non videtur; dispensatio particularis utique fieri potest.

**Uerior explicatio.** 1. Adverte, quod *Suarez*, De rel. tract. 2, l. 2, c. 1, n. 4—11 docet, scil. tertium decalogi praeceptum legem moralem et naturalem eatenus esse, quatenus praecipiat *externum Dei cultum*; caerimoniam quoad temporis determinationem, quoad determinationem otii et talem cessationem ab operibus. Tum addit, praeceptum illud quoad *totam determinationem caerimoniam* in lege gratiae cessasse neque amplius obligare qua divinam legem. «Hoc», ait, «de fide certum est.»

Dein c. 4, n. 4 contra paucos omnino scriptores, ex communissima sententia cum *S. Thom.* 2, 2, q. 122, 4; *S. Bonav.* in III, dist. 37; *S. Antonino*

<sup>1</sup> Dies festi lege universalis in Ecclesia praecepti sunt ex Const. *Pii X Supremae disciplinae* d. d. 11 Iulii 1911: Omnes et singuli dies Dominici; festa Nativit., Circumc., Epiphan. et Ascens. Domini; Immaculatae Concept. et Assumpt. B. M. V.; Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum. Quorum aliqua in certis regionibus quoad fori praeceptum transferuntur in Dominicam. — Accedere possunt alia festa pro certis locis.

multisque aliis docet, diei Dominicae observationem — adeoque etiam totum modum illam sanctificandi — non divini, sed ecclesiastici iuris esse. Cf. etiam *S. Alph.* III, n. 265; *Marc* n. 652; *Ballerini-Palm.* II, n. 713; *Koch* § 117 contra *Sporer*, qui destinationem diei Dominicae, et *Fr. Schmid*, qui aliquem cuiuslibet hebdomadae certum diem destinari iuris divini esse putant: quod *S. Thomas* aperte ad legem caerimoniam refert per N. L. abolitam. Cf. etiam *Noldin* II<sup>o</sup>, n. 260.

2. Inde sequitur, infidelibus aut perpetuo amentibus servilia opera iniungere diebus Dominicis et festivis *ex se* non esse peccatum, neque praescripta V. L. hac in parte urgere (*S. Alph.* 271): nisi forte ratio scandali id prohibeat; esse tamen peccatum, ea iniungere haereticis, aut etiam infideles ita laboribus onerare, ut iis opportunitas colendi Deum, si velint, non praebetur. Hinc diebus Dominicis *communiter* iis otium ad hoc nolle concedere, non liceret.

3. Universalis abrogatio huius legis propterea fieri non potest, quia ratio sufficiens vix concipi potest; atque eo magis lex ista sancte conservanda est, quod usque ad apostolicam institutionem, immo *aliquo modo* ad ipsam rerum originem reducat omnemque legis veteris institutionem praevertat.

4. Particularis tamen dispensatio non solum cum singulis hominibus, sed etiam cum maiore communitate per Summum Pontificem fieri non valide tantum, sed etiam licite potest, eo quod sufficiens ratio possit occurrere; uti exemplum prostat in ipso iure canon. c. 3 «*de Feriis*», ubi S. Pontifex dispensavit in piscatione halecum.

703 II. Multo magis *modus sanctificationis* ecclesiasticae auctoritati subiacet, ita ut adstringere atque relaxare eum possit sive expressa lege vel dispensatione, sive consuetudinis tacita approbatione.

Ad quae nota: 1. In aliquibus festis dispensatio pro quibusdam regionibus ita facta est, ut post meridiem, audito Sacro, cesset obligatio abstinendi ab operibus servilibus: de quo singularum regionum mos et consuetudo consuli debet.

2. Dispensatio in particulari casu concedi potest ab episcopo, a praelato regulari quoad suos subditos sive regulares sive famulos saeculares domesticos, etiam a parochio in particulari necessitate occurrente quoad parochianos: *S. Alph.* III, n. 288. Causa autem dispensandi debet esse iis causis, quae excusant, similis, quamquam non tantae gravitatis: de quibus tractabitur infra.

3. Quando ex consuetudine iudicandum est, num certum laboris genus iam liceat, sufficit, non mere dubiam quidem, sed *probabilem* de consuetudine probationem afferre. *S. Alph.* n. 290 cum *Salmant.* et *Mazzotta*. S. Doctor dicit: «sufficit enim dictum unius doctoris eximii, etiam moderni, qui consuetudinem asserat».

704 III. Lege autem universali *prohibentur* diebus Dominicis et festivis (a media nocte ad mediam noctem):

1. Mercatus et nundinae, quae publice cum strepitu fiunt; vide *ib.*: nisi nundinae, quae certo diei affixae sunt, suo tempore in diem festivum incidant; *Ben. XIV* Const. «Ab eo tempore». Immo nunc videndum plane est, quid consuetudo permittat, quia rigor antiquae legis hac in parte non amplius servatur. *S. Alph.* n. 286.

2. Opera forensia seu iudicia, quae cum strepitu exercentur; vide Ius can. ib. et c. «conquestus» 5 de «Feriis»: nisi aliter requirat necessitas vel pietas, vide ib. cap. ult. de «Feriis» — *S. Alph.* n. 284.

Relate ad eos actus iudiciales, qui per se prohibiti sunt, practice vix aliud occurret, nisi utrum ad illos cooperari liceat diebus festivis, necne. At communiter solutio iam ex necessitate eius habetur, de cuius cooperatione agitur: quia compulsus agere debet, nisi velit grave damnum subire. Hinc habet causam excusantem, nisi in odium fidei vel ecclesiasticae auctoritatis compellatur. — Actiones autem praevias privatum facere, ut lustrare causam, praeparare defensionem etc., simpliciter licet.

3. Opera servilia: a quibus ut abstineatur, a primaevis statutis Ecclesiae potius supponitur iam praeceptum, quam formaliter praecipitur: cf. c. 3 de «Feriis»; praxi universali idem evidenter eruitur.

IV. Opera quatenam censeantur inter servilia, videndum est tum *ex natura actionis*, si mentem vix occupet, sed corpore exercetur, tum *ex consuetudine*.

Consuetudo autem ex iis operibus, quae natura sua servilibus accendenda essent, solummodo quaedam licita reddere potest, quae aut leviter servilia sunt aut factu aliquo modo necessaria.

Ad naturam vero servilis aut non servilis operis dignoscendam male recurritur a) ad *gratuitatem laboris*, quia et servilia opera gratuito exerceri possunt, nec licite, et opera non servilia licite pro mercede exercentur (*excusatio* tamen ratione caritatis facilius aderit in labore gratuito); b) ad *intentionem laborantis*: sive enim pro se, sive pro altero ex mera caritate laborat, opus conditionem servilitatis propterea non exiit; c) ad *corporis defatigationem*: nam sunt opera leviter servilia, quae corpus minime fatigant, v. g. labores feminei nendi, manibus texendi tibialia etc.; e contrario organum pulsare et similia corpus multo magis fatigant, servilia opera tamen non sunt.

Regulae quaedam generales, quibus discernatur, quid prohibitum non sit, statui possunt hae:

- 1) Opera principaliter mentalia, quae videlicet ad excolendum animum diriguntur vel ab eo potius exercentur, etsi corporis exercitium ut aliquid accessorium coniungi debeat;
- 2) Opera communia, quae ad cotidianum corporis cultum pertinent, etiamsi praeveniri poterant: quod ut fiat, pro circumstantiis utique consultum est;
- 3) Opera, quae immediate ad divinum cultum proxime exercendum pertinent.

Exempla rem declarabunt, videlicet:

1. *Servilia opera ex se prohibita* sunt: exercitia opificum, fabri ferrarii, lignarii, sive etiam aurifabri, sutoris, sartoris; similiter aliorum operariorum labores, ut agros colere, metalla fundere etc.

2. *Licita* sunt, sive ex natura sua, sive ex consuetudine:

1) Scribere, etiam solummodo transcribere, ex *Suarez* l. c. c. 24 et 25; libros corrigere, etsi fiat cum aliquo levi labore accessorio superpositam chartam conglutinando; delineationes artificum efformare; notas musicas

scribere et lineas necessarias ducere: verum occupari in solis lineis ducendis erit servile. *Gury* I, n. 357; *Reuter* II, n. 292.

2) Pingere, nisi fiat cum magno apparatu et colorum sordibus, ex *S. Alph.* III, 280; similiter permittunt opus femineum acu pingendi, si, ut plerumque, artificiale est (*S. Alph.* n. 281): alia autem levia opera (ut stricken, häkeln etc.) solum permitti aliquo tempore possunt, *sicubi* consuetudo est, nam ex se sunt servilia. — Similiter sculperere non licebit, nisi forte de ultima operis perfectione agitur.

3) In imprimendis libris characteres collocare, complures probabiliter excusant, ut *Laymann* l. 4, tract. 7, c. 2, n. 3; *Busenb.* l. 3, tract. 3, c. 1, d. 1, n. VI; *S. Alph.* n. 282; non autem alia opera, ut prelum versare etc.

4) Iter agere, etiam curru, lectica, non censetur servile.

Sed currum onustum ducere, si identidem labor necessarius est in levandis portandisque oneribus, servile censetur; at si exiguus labor tantum necessarius est, permittitur; facilius quidem aurigae licet prosequi quam incipere iter, vide *Suarez* l. c. c. 27; attamen etiam incipere iter non iam certo prohibitum dici potest. *Gury* I 358; *S. Alph.* n. 276.

5) Venari, piscari, si fit cum sat magno labore et apparatu, censetur servile; at si magnus labor non intervenit, sive ex natura actionis, sive ex consuetudine, non iam censetur illicitum. *S. Alph.* n. 283.

6) Molere licet, si labor humanus est modicus, quod praecipue obtinet, si mola vento, aqua agitur. *S. Alph.* n. 277.

707 7) Cibos praeparare, coquere, etiam maiore arte conficiendos, ut pastillas, placenta, licet; item lectum sternere, vestes scopulis extergere. Immo etiam eae actiones praeparandi cibos ad coquos pertinentes, quae ex se magis rationem servilis operis habent, licitae evadunt aut ex consuetudine, aut ex quadam necessitate melioris praeparationis et conservationis rerum, ut minora animalia occidere, excoriare: si haec commode pridie fieri non potuerunt. Si quid tandem eiusmodi pridie factum non est, etsi cum peccato veniali omissum, ipso die festivo tamen sine peccato fit.

8) Quod tamen ad ipsos laniones attinet, illi in occidendis animalibus excusari possunt potius ob necessitatem: nimirum 1) si pridie non poterant necessitati populi providere, 2) si propter plures dies festivos continuos tempore aestivo periculum est, ne carnes prius praeparatae corrumpantur. *S. Alph.* III, n. 298.

9) Pistores quoad panum coctionem etiam non tam ex natura rei quam aut ex consuetudine, aut ex necessitate excusantur, eo quod non possint sufficientem copiam praeparare antea, aut quod nisi recentem panem habeant, damnum subeant notabile, emptores a se avertendo. *S. Alph.* n. 299. — Quare, ubi consuetudo diebus Dominicis coquendi panis non est, atque pridie satis provideri potest, non puto, licere contrariam consuetudinem inducere, eumque peccare censeo, qui, ut ad se emptores attrahat, ab aliis retrahat, incipere velit cum ista consuetudine; aliud est, si necessitas iam existit.

10) Opifices, qui praecipue diebus Dominicis res suas venales habent propter frequentiam emptorum, licet adaptent res suas emptoribus cum parvo labore, ut calceos, pileos —, ipsius materiae parvitas et quaedam necessitas excusat.

11) Barbitonsores ex quadam necessitate et ex consuetudine excusantur. Nam sibi ipsi barbam radere ex alia ratione non censetur inter opera illicita; quapropter facilius id aliis praestare licitum evadit, etsi propter mercedem fiat. *S. Alph.* n. 290.



V. Praeceptum abstinendi ab operibus servilibus etc. ex obiecto suo grave est, ita tamen ut parvitatem materiae admittat.

Opus igitur *servile* exercere obiective mortale ex se non est, nisi duas horas notabiliter excedat, v. g.  $2\frac{1}{2}$  horas; immo si opus est leviter servile, vel aliqua necessitas etsi non plene excusans accedit, nisi ad 3 horas vel ultra producat. — In operibus *forensibus* etc. magis a qualitate operis quam a solo tempore impenso gravitas peccati repetenda est. Cf. *S. Alph.* n. 305 307.

Practice nota: 1. De peccato *subiectivo* commisso iudica ex conscientia poenitentis, num videlicet *notabiliter* se laborare putaverit.

2. Qui per alios laborat iis laborem servilem imponendo, peccat eodem modo, etsi ipsi laborantes fortasse propter suum grave damnum declinandum excusantur. Verum si nemo ex iis, quibus labor imponitur, per notabile tempus laborat, etsi labor omnium simul sumptus diuturnus sit, mandans per se venialiter solum peccat (v. g. herus mandans sex famulis, ut singuli per horam laborent, ex *S. Alph.* n. 306): nisi forte ratio scandali et publica quietis Dominicae perturbatio peccatum reddat grave.

VI. Praeterquam quod consuetudinem in lege abstinendi ab operibus nonnihil respicere debemus, etiam plures causae sunt, cur liceat opera alias prohibita peragere. Nimirum in ipso iure canonico (ll. cc. supra n. 704) pro causa excusante afferuntur *necessitas* et *pietas*. Quapropter ex titulis 1) necessitatis propriae, 2) necessitatis alienae, 3) pietatis erga Deum, 4) communis necessitatis vel utilitatis quaenam agere liceat, particulatim videndum est:

#### 1. Ratione necessitatis propriae excusantur:

1) Qui alias se suosque alere non possunt, non habentes, unde vivant.  
2) Matres familias pauperes, quae vestes suas filiorumque suorum reficiunt, cum per hebdomadam victum quaerere debeant; neque necesse est, ut cum maiore incommodo diebus ferialibus de somno necessario sibi subducant. Attamen si possint sine mediocri incommodo aliter providere, debent facere. *Scavini* II, n. 133 nota.

3) Idem fere dic de ancillis, quibus tempore dierum ferialium tempus non conceditur ad res suas reficiendas lavandasque: at domini deberent — modo possint — potius extra Dominicam tale tempus concedere.

4) Opifices, qui propter emptorum extraordinariam frequentiam iis satisfacere nequeunt, nisi etiam diebus Dominicis vel festivis aliquod tempus labori impendant, quando, si denegarent, aut damnum sibi timere deberent, emptores a se avertendo, aut ipsis emptoribus magnum incommodum crearent.

V. g. sartores vestes conficere possunt pro nupturientibus, pro iis, qui decenti veste pro Dominico die assistendoque Sacro carent; at si ante diem festum perficere poterant, peccaverunt differendo, nunc autem, necessitate instante, licite laborant. — Dein etiam procurare debent, ut tot adiutores assumant, quot sufficiunt ad *consuetos* labores, ita ut labor die Dominica necessarius non evadat communiter; alias peccant. Vide *Reuter* II, n. 295.

#### 2. Ratione necessitatis alienae:

1) Fabri, qui instrumenta reparant iis, qui sequenti die indigent.  
2) Operarii, qui ad damna communia avertenda pontes similiave restaurant.

3) Ii, qui in necessitate extraordinaria et urgenti, ut incendio, inundatione, succurrunt: cum caritas ad id obliget.

4) Etiam ii, qui ex caritate gratis laborant pro determinato paupere, cui ratione necessitatis propriae laborare liceat.

5) Quod aliqui extendunt ad labores pro pauperibus in communi, saltem si conficiunt ipsae res, quae pauperibus distribuendae sunt, ut vestes etc. Nam laborare, ut lucrum pauperibus detur, non potest pro licito haberi. In priore enim casu ipsum opus pauperibus destinatur, in altero emptori. *Ballerini-Palm.* II, n. 753.

### 711 3. Ratione pietatis excusantur:

1) Qui laborant, ut iam supra dictum est, in iis, quae immediate ad cultum divinum referuntur, ut ornare altaria, «quamquam», ait *Suarez* l. c. c. 21, «consulendum, ut, quantum fieri possit, praeveniatur».

2) Immo «mundare scopis templum, vestire parietes tapetis etc. non fit quidem sine aliqua culpa, at non credo mortale (esse), secluso contemptu, ut bene notat *Caletanus*: unde si omissum fuit (pridie), negligentia, si adfuit, est veniale peccatum; sed nunc iam licite fiunt»: idem ib. n. 11. *S. Alph.* ab *omni* peccato haec excusat III 292; notat tamen ibidem, ea, quae remotius spectant divinum cultum, ut tabulata praeparare ad videndam processionem, de se peccatum grave esse, ad dies festivos differre; verum si facta antea non fuerint, licite etiam ea fieri die festo.

3) Secundum plures licet gratis facere, si paupertas ecclesiae accedit, ea, quibus ecclesia ad decentem statum cultumque divinum indiget, ut: ornamenta conficere, utensilia sacra parare, saltem si ille, qui ecclesiae pauperi sic concurrere vult, aliis diebus suo lucro vult intendere, ne pietas in damnum ipsi vertatur; *S. Alph.* n. 293 in fine ne hanc restrictionem quidem, si de stricta obligatione sermo est, addendam putavit.

4) Pro ecclesia pauperi autem agros colere, lapides secare, ipsam ecclesiam construere, quamquam nonnulli scriptores haec permittunt, tamen puto esse actiones ex se non licitas; at episcopum ius habere per dispensationem haec agendi licentiam concedere. *S. Alph.* n. 293; *Suarez* l. c. n. 12.

### 712 4. Ratione publicae utilitatis vel necessitatis:

Etiam conceditur in publica sollemnitate profana ratione laetitiae et splendoris ea praeparare et conficere, quae antea confici non poterant, aut re ipsa praeparata non sunt: at si anteverti potest necessitas, ea de consulto ad diem festum differre, ex se obiective grave peccatum esse potest. Cf. doctrinam *S. Alph.* n. 292 et 304 supra in simili re «conficere vestes, ornatus, praeparare ignes etc.»

5. Ad **necessitatem** etiam refertur, si laborem omittendo aliquis notabile damnum pateretur, aut *magnum* lucrum amitteret. Quare:

1) Excusantur famuli et similes homines, qui a dominis adiguntur ad laborandum, nisi velint male tractari aut expelli, neque habent alium famulatum, quo se sustentent. At semper supponitur, non iuberi eos in odium religionis vel Ecclesiae. Alias si raro in anno id accidit, ut laborare debeant, potest id praetermitti; si autem frequenter sine causa necessitatis, serio inquirere debent alium famulatum; interim excusantur.

2) Excusantur tum domini, tum operarii et famuli in pluribus artibus, in quantum labores sine gravi damno interrumpi non possunt, ut in fundendo metallo, vitro etc.

3) Excusantur rucicola, qui ingruente mala tempestate segetes colligunt: quodsi necessitas certa est, possunt proprio Marte agere; alias petant consilium vel dispensationem parochi. *S. Alph.* n. 393; *Reuter* n. 295.

4) Ob lucrum non diurnum quidem, sed pro conditione laborantis *magnum* seu *extraordinarium* excusatio saepe admitti potest; quia operariis non leve incommodum est transmittere debere opportunitatem magni lucri, quo sibi suisque diutius providere possint. *S. Alph.* n. 301.

5) Ratio otii vitandi pro excusatione haberi vix umquam potest. Verum si otium probabile periculum succumbendi tentationi induceret, quam aliter homo se victurum esse non speraret, utique sine peccato labor assumeretur: quod certe rarum est. *S. Alph.* n. 302.

## § 2.

### *De participatione Ss. Missae sacrificii.*

Sanctificatio *positiva* diei Dominici vel festivi stricte praecepta hisce 713 regulis breviter enuntiatur:

I. Praecipitur graviter pro omnibus diebus Dominicis et festivis obligatoriis hoc unum, ut Christifideles (ab aetate discretionis, i. e. a septennio, nisi constet aliquem etiamtum usum rationis nondum habere) Ss. Missae sacrificio intersint.

II. Assistentia talis esse debet, ut 1) *moraliter* praesentes sint liturgicae actioni, proin aut in ecclesia, aut ita prope, ut humano modo sint participes: quod quousque extendatur, utique saepe pendet a turba reliquorum, qui Sacro adstant; 2) ut *formaliter* actioni sacrae participes sint, non materialiter tantum.

III. Quamquam integrae Missae quilibet assistere debet, nihilo minus partialis omissio admittit parvitatem materiae, quae non ex sola temporis diurnitate, sed etiam ex maiore minoreve dignitate partis diiudicanda est.

IV. Parochiali Missae assistere obligatio quidem ex se non est; sed ex hodierna disciplina Ecclesiae praecepto satisfit in qualibet ecclesia aut publico loco vel in oratorio sive publico sive semipublico. In oratorio *omnino privato* soli privilegiati, iique qui in instrumento privilegii indicantur, satisfaciunt.

V. Causae mediocriter graves a praecepto audiendae Missae excusant: verum ut aliquis legitime impeditus haberi possit, quominus umquam per annum Missae assistat, gravior omnino ratio requiritur.

**Explicatio.** I. *Ipsa lex ecclesiastica.* 1. Praeceptum idque grave 714 adesse, maxime probatur consuetudine et usu universali, atque ubique in omnibus catechismis ita exhibetur. Cf. etiam varias leges Corp. Iur. c. «Omnes fideles» (62) et c. «Missas» (64), c. «Cum ad celebrandas» (65) de consecr. dist. I.: dein in genere habes confixam thesin 52 ab *Innoc. XI*: «Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.»

2. Praeter assistentiam Missae nihil aliud proprie praecipitur, ita ut neque devotionis pomeridionalis, neque contionis assistentia ex se *obligatoria* sit.

3. Per accidens tamen pro iis obligatio est, eaque pro circumstantiis gravis, audiendi contiones doctrinaeve christianae explicationem, qui satis instructi non sunt in christiana doctrina, sive per se sive propter peculiariora adiuncta scitu necessaria. Qui enim cum acatholicis vivere ab iisque obiectiones contra fidem nostram audire cogitur, pleniore notitia indiget, eamque sibi aut per oralem instructionem, aut per lectionem comparare debet.

715 II. Praesentia requisita. 1. *Moraliter* praesens ille est, qui cum reliqua turba coniungitur, etiamsi longe ab altari et extra ecclesiam est, quae multitudinem non possit capere. — Accuratius attende haec: 1) *intra* ecclesiam aliquis ubique Missae assistere *potest*, modo aliqua ratione discernat, quid agatur in altari sive per se sive per aliorum actiones et motus.

2) *Extra* ecclesiam si multitudo tanta non est, longe facilius notabilis distantia impedit, quominus aliquis Missam audire dici possit. Hinc distantia 30 passuum et ultra ab ecclesia aut a reliqua turba fidelium facile impedire assistentiam legitimam potest. *S. Alph.* III 312. Immo si platea intericitur, in qua frequens est populi concursus, minor distantia sufficit, ut praecepto Ecclesiae non iam satisfiat; alias autem, si parva est distantia, concedunt, ex domo vicina, si forte per fenestram sacerdos in altari conspici possit, satisfieri. *S. Alph.* ib.

Satisfacere ergo aliquis potest in sacristia, modo ne ianua clausa omnem communicationem intercipiat. Immo idem dic, etsi ianua est clausa, si quis adeo sit celebranti propinquus, ut eius vocem audiat; nam tum non minus quam per visum cum celebrante communicat; idque ex sententia *Reuter* II, n. 280 cum aliis etiam conceditur, si quis stat ad murum extra templum ita prope altare, ut audiat sacerdotem. Nihilominus in eiusmodi locis extra ecclesiam positiva attentione maiore opus est, ut aliquis satisfaciat praecepto atque sese vere inter moraliter praesentes transferat, quam si est intra ecclesiam, siquidem ibi iam per ipsum locum inter moraliter praesentes existit.

716 2. *Formaliter* praesens ille est, qui adstat ex intentione colendi Deum atque ita ab iis saltem absteat, quae tali intentioni plane repugnant. Quod alii sic exprimunt: sub gravi requiri saltem attentionem externam, i. e. cum intentione colendi Deum eam externam compositionem, quae cum interna i. e. vera attentione coniungi *possit*. Quare:

1) Certe non satisfacit praecepto, ne ad substantiam quidem, qui actionem externam exercet, quacum attentio ad Deum impossibilis est, ut serio confabulari et tractare de re aliena (intellige per notabilem Missae partem), serio res curiosas lustrare, dormire, res profanas serio legere.

2) Impletioni autem praecepti non obstant, si quis occupatur iis actionibus, quae intra Missam ad divinum cultum diriguntur, ut pulsando organa, aliudve agendo in ipso sacro ministerio, eleemosynas colligendo, modo simul aliquatenus ad Missam attendatur. *S. Alph.* III 317. — Immo voluntarie mentem in aliis rebus occupare peccatum quidem est, idque ex venialibus gravior, tamen si ille, qui se ita distrahebat, adhuc ita assistebat, ut testari potuerit sive sibi conscius fuerit, quid in genere fieret, probabiliter quoad substantiam satisfecit, ita ut a gravi peccato excusetur; vide *S. Alph.* n. 313



cum *Lugo* multisque aliis theologis. Quare, etsi ante factum conandum sit omnino, ut piis cogitationibus et orationibus mens occupetur, tamen post factum raro quisquam anxius esse debet ob scrupulum attentionis non praestitae, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum et ita te gessisse, ut testis in genere esse possis eorum, quae in altari acta sunt: *S. Alph.* ib. Id enim certum est, de praecepto non esse pias preces recitare, etsi commendari hoc debet fidelibus.

Neque propterea aliquis praecepto quoad substantiam non satisfacisse dicendus est, quod cogitationi graviter peccaminosae adhaeserit.

3) Prorsus satisfacit, qui inter Missam preces ex praecepto alio dicendas 717 recitat, ut Breviarium, poenitentiam sacramentalem: illae enim actiones non perturbant, sed promovent intentionem colendi Deum; neque quidquam obstat, quin duo praecepta simul eodem tempore impleri possint.

4) Confiteri peccata praeceptum audiendi Sacrum non censetur impedire, si confessio brevis est, et ad partes principales Missae attenditur. Immo, etsi longior est, si nihilominus poenitens attentus redditur ad partes Missae principaliores, id, maxime ob aliquam necessitatem, potest tolerari. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 655. — Si quis vero plene absorbeatur in enumerandis peccatis suis per principalioris Missae partem, non videtur quidem satisfacisse: verum aliquando ex hoc ipso oritur causa a Missa (alia) audienda excusans. Nimirum si tempus pro alia Missa non suppetit, et proin electio datur aut omitendi confessionem et Missam audiendi, aut omitendi Missam et instituendi confessionem: ultimum tuto eligi potest ab eo, qui alias, cum reconciliatione cum Deo indigeat, aliquamdiu in statu peccati deberet manere (vide *S. Alph.* n. 332), aut cui nimis grave esset diu a sacramento poenitentiae alienum manere. Sic etiam *Marc* I, n. 676.

III. **Materiae gravitas in omissione partis.** 1. Ante omnia nota: 718 eos, qui partem Missae omiserunt, tum graviter peccasse, quando cum voluntate nihil supplendi aut cum impossibilitate aliquid supplendi periculo culpabiliter sese exposuerunt partem quam putent notabilem Missae omitendi. Ergo etsi re ipsa eam non omiserunt, graviter poterant prorsus peccare, maxime si ex consuetudine sero venerunt, ad periculum advertentes. Sed e contrario, etsi notabilem partem omiserunt, si id non praeviderant neque supplere poterant, graviter non peccaverunt.

Attamen confessario sciendum est, quae sit omissio obiective gravis, ut et instruere possit poenitentes et consulere, quando quaestio est de supplenda parte omissa.

2. *Obiective grave* igitur censetur, omittere omnia a principio Missae ultra offeritorium; aut omnia usque ad evangelium inclusive simul cum iis, quae post communionem sequuntur. *S. Alph.* n. 310.

Etiam omittere solam consecrationem et communionem simul, etsi omnia intermedia audiantur; immo videtur idem dicendum de utraque consecratione sola (quamquam scriptores graves iique complures contradicunt)<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Practice haec benigna sententia teneri potest ex ea ratione, quod impossibile videtur esse, inter solam consecrationem aliquem non adesse, nisi agatur de instantanea et brevissima necessitate, quae recedentem et ilico revertentem relinquit in morali quadam unione cum aliis assistentibus, etsi corpore paulo longius recesserit.

Etiam grave est omnia omittere a consecratione usque ad «Pater noster».

719 3. *Grave non est*: 1) omittere tantum ab initio omnia usque ad offertorium exclusive; 2) omittere omnia usque ad epistolam exclusive et simul omnia post Ss. Sanguinis sumptionem. *S. Alph. ib.*

4. Qui audit successive partes duarum Missarum, modo in una eademque consecratio et communio fuerit, gravem deordinationem non committit, atque rationabili causa ab omni culpa excusatur: verum simultanee diversas partes plurium Missarum audiens praecepto non satisfacit, ut habes ex prop. 53 ab *Innoc. XI* damnata. *S. Alph. III 311.*

5. Qui partem omnino levem Missae omisit, non tenetur certo ad aliquid supplendum. Ita *Suarez*, De Euchar. disp. 88, sect. 2, n. 7. Quo magis autem pars omissa ad gravem materiam accedit, eo magis aliqua compensatio consulenda est.

Qui autem cogitur etiam gravem partem omittere, quia sive culpabiliter sive inculpabiliter sero venit, neque alteri Missae potest interesse, partem reliquam audire debet, quando ante consecrationem advenit; si vero peracta consecratione tandem advenit, in rigore ad nihil amplius tenetur, quoniam sacrificii essentiali actui iam praesens esse nequit. *S. Alph. n. 310.*

720 IV. Locus ubi praecepto Missae satisfiat. 1. Antiquitus obligatio audiendae Missae *parochialis* aderat, et ipsum Trid. Concilium hortatur fideles, ut contionis audiendae causa parochialem suam ecclesiam adeant: nihilominus certum est omnino, in hac re *praeceptum* non amplius vigere, sed quoslibet fideles ubilibet satisfacere in quacumque ecclesia, aut oratorio non stricte privato, aut sub divo in litore, in castris, quando ibi Missam celebrare conceditur.

2. Per decretum *Leonis XIII* d. d. 23 Ian. 1899 (S. R. C. decr. auth. n. 4007) omnis ambiguitas sublata est. Nam ita S. P. statuit:

a) Oratoria *publica* ea esse, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam sollemniter consecrata ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum.

b) *Privata* e contra stricto sensu dicuntur oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto S. Sedis erecta sunt.

c) Oratoria *semipublica* ea esse, quae, etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, *ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent.* Huius generis oratoria sunt, quae pertinent ad pia Instituta et Societates votorum simplicium aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad domus spiritualibus exercitiis addictas; ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad nosocomia, orphanotrophia, necnon ad arces et carceres; atque similia oratoria, in quibus

ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent capellae in coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum, ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus patet.

Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum, quibus fruuntur E<sup>mi</sup> Cardinales, R<sup>mi</sup> Sacrorum Antistites atque Ordines Congregationesque Regulares. Quare et Cardinales et Episcopi etiam titulares in propriae habitationis oratorio, et ubicumque degunt, in altari portatili Missam celebrare possunt, et quicumque fideles, qui eiusmodi Missae assistunt, praecepto Ecclesiae satisfaciunt (aliter ac in aliis oratoriis stricte privatis). *Leo XIII* 8 Iunii 1896. 721

3. Solum igitur oratorium stricto sensu privatum, utpote per privilegium strictae interpretationis permissum, excipitur: in quo praeter eos, qui in ipsa privilegii concessione exprimuntur, nemo praecepto Ecclesiae satisfacere potest. Praesertim notanda est clausula consueta: «volumus autem, ut familiares, servitio tuo tempore dicto actu non necessarii ibidem Missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur». Generatim adverte haec:

1) Circa eos qui legitime Missae interesse possunt: «Cognati de familia», qui audire Missam possunt, sunt sive consanguinei sive affines ad quartum gradum usque, si modo cum domino privilegiato vivunt in eadem familia.

«Hospites nobiles» sunt ii nobiles, qui utcumque apud dominum divertunt, etiam ad solum prandium invitati.

«Famuli actu necessarij», i. e. ipso tempore Missae, tamen intelliguntur ii, qui convenienti domini decori necessarij sunt. *S. Alph.* n. 318.

2) Circa dies quibus celebrare liceat: In oratoriis stricte privatis, nisi infirmitatis causa concessum sit, prohibetur omnino Missarum celebratio in principalioribus festis: Natalis Domini, Epiphaniae, Dominicae Paschatis et Pentec., Coenae Domini, Annuntiationis B. V., Ascensionis Domini, Assumptionis B. V., festis SS. Petri et Pauli; Omnium Sanct., Titularis Eccl., ut constat ex variis decretis S. C. — intellige tamen diem festum proprium, non Dominicam, in quam *sola sollemnitatis fori* transfertur. *Gury-Ball.* I, n. 348.

3) Circa reliquas clausulas: Aliis igitur diebus celebrare licet praesente *domino* (aut *domina*, si huic aequae principaliter privilegium datum est), neque licet plures quam unam Missam eodem die celebrari sive a sacerdotibus saecularibus sive a regularibus, nisi ad id specialis licentia data sit. Ita ex indulti tenore consueto colligitur et ex Const. *Ben. XIV* «Magna».

V. **Excusantes rationes.** 1. Rationes quae a lege audiendae Missae 722 excusant, reducuntur ad necessitatem et ad caritatem vel pietatem: Nimirum sive agitur de notabili incommodo, quod a proximo possum avertere, sed quod ut avertam, necessarium est negligere Sacrum; sive de notabili incommodo, quod ego subire deberem, si Missam audirem: cum tanto incommodo haec humana lex non obligat. Sufficit autem quodlibet notabile seu mediocriter grave incommodum, sive in anima, sive in corpore, sive in bonis fortunae, sive in honore, fama, pudore rationabiliter timetur. *S. Alph.* n. 324 cum communi sententia.

2. Hinc excusari censentur:

1) Qui aliquoties ad vitandum scandalum alienum Missam omittit. *S. Alph.* III 331. — Similiter permittit S. D. n. 327 cum aliis, ut pater ex iusta causa

filium in poenam domi retineat reclusum, etsi ille Missam non audiat. Quod dicendum est etiam relate ad filios, quos pater scit in accessu ad ecclesiam peccatis se daturos esse vel grave peccandi periculum incursum, quando eos secum ducere alteriusve viri fidi custodiae committere nequit; filii tamen peccant, nisi emendationem ostendant.

2) Qui notabile incommodum valetudinis timent: v. g. reconvalescentes; item qui ob paupertatem ab aëris inclementia se protegere non possunt et propter hiemalem vel pluviosam tempestatem timere rationabiliter debent, ne infirmitatem contrahant (ut qui tempestate humida laceratis calceis etc. incedere deberent).

3) Qui custodiunt domos, greges, infantulos, quos sine aliorum perturbatione secum ducere nequeunt. — Verum si fieri potest, ut, quando plura Sacra celebrantur, unus alterum excipiat in custodia laboreve, id fieri debet; alias diebus Dominicis et festivis alternare debent, quamquam non ita rigorose, ut v. g. uxor toties accedere debeat, quoties maritus.

4) Qui aegros curant iisque magno solatio sunt, qui cibos parare debent, intellige in loco, ubi ab ecclesia longius distant — quantum fieri potest, cum restrictione modo n. 3) notata. *S. Alph.* III 326.

723 5) Qui gravem indignationem sive parentum, sive domini, sive mariti incurrunt, etsi haec indignatio in iusta causa non fundatur: modo ne fiat, ut in odium religionis iubeantur domi manere, neve frequenter accidat. Nam si frequenter id fit, tandem de alio remedio laborandum est. — Attamen cavere debet, ne ob levem indignationem vel leve incommodum famuli filii ex respectu humano iussioni acquiescant. *S. Alph.* n. 327.

6) Qui damnum subire deberet in itinere, amittendo expensas etc.; qui lucri *extraordinarii* opportunitatem amitteret, ratione habita conditionis eius, de quo agitur. — Immo si cuius conditio muneris vel officii id secum fert, ut Sacrum audire nequeat, facilius etiam *notabilis iactura* excusatur, ut accidere potest aurigis, nautis ib. n. 332. Verum ratio haberi etiam debet *cooperationis* cum peccato alieno et *scandali*.

7) Qui longe distant ab ecclesia. — Secundum *S. Alph.* n. 329 cum *Mazzotta* et aliis distantia bonae leucae vel pedestris itineris per horam cum quadrante absolute excusatur, ita ut urgeri non possit *ecclesiasticum* praeceptum quolibet die Dominico et festivo Missam audiendi; minor etiam distantia, si accedit aut debilitas virium, aut tempestatis itinerisve inclementia. — Quare si quis tanto spatio ab ecclesia distat, potius exhortandus, quam obligandus est, ut, quando id disponere possit, conetur ad Sacrum accedere. Aliud tamen intelligo de eo, qui sine novis expensis currum paratum habet, quo vehatur.

8) Qui notabilem pudorem subire debent, etiam excusantur. Unde excusant eos, qui decentes vestes non habent pro conditione sua, nisi summo mane sine pudore accedere possint; idem ad feminam indecenter gravidam aliquando applicari potest; etiam ad eos, quorum banna proclamantur, si vera pudoris ratio sive ex consuetudine sive ex peculiari circumstantia adest, atque opportunitas alterius Sacri audiendi deficit.

Similiter ratione luctus vidua, filia sororve defuncti excusari ad tempus possunt, si consuetudo est alicubi per tale tempus domo non exeundi.

Vide de omnibus hisce *S. Alph.* n. 330.

724 3. Verum hic attendas velim, praeceptum *divinum* adesse, aliquoties saltem, si fieri possit, Sacro interesse. Si enim ex divino praecepto,



ut communius fatentur, sacerdos aliquoties in anno celebrare tenetur, fideles etiam potiore iure sacrificii N. L. participare debent.

Hinc qui ordinarie impediuntur, quominus intersint Sacro diebus festivis, aliquoties tamen incommodum longioris distantiae gravioremque difficultatem vincere debent, ut possint Missae assistere sive diebus festivis sive etiam ferialibus, siquidem certos dies festos non divina lex constituit.

Iis quae dixi similia habet *Kenrick* tract. 4, p. 2, n. 19 pro circumstantiis Americanis de iis, «qui equo vel curru vehi possunt», seu potius qui fere cotidie suorum negotiorum causa iis mediis utuntur, scil. «eos non semper ideo excusari, quod vel decem milliariibus (ultra tres leucas) ab ecclesia distent». Certe hi suaviter inducendi sunt, ut *saepius* saltem Sacro interesse curent, de stricta obligatione, quae non ita certo definiri potest, mentione non facta.

4. Insuper concludo, eum qui legitime impeditus est, quominus diebus festivis ecclesiastico praecepto satisfaciat, ex praecepto non teneri, domi per orationes fundendas id supplere — quamquam suaderi id debet — neque aliis diebus ferialibus Missam audire, nisi secundum normam modo n. 3 datam ter quaterve saltem in anno ad satisfaciendum legi divinae feriales etiam dies eligere debeat, si toto anno diebus festivis et Dominicis impeditus fuerit.

Appendicis gratia recenseo peccata communia contra III prae-<sup>725</sup>ceptum decalogi. Graviter peccat:

1. Qui labores serviles sine necessitate per notabile tempus (2—3 horas) exercet.
2. Qui sine legitima causa excusante Sacrum negligit, aut eius notabilem partem.
3. Qui per notabilem Missae partem alienas actiones necessario a Missa distrahentes exercet.
4. Qui advertens non cavet a periculo notabilem Missae partem omittendi.



## Liber II.

### De virtutibus et officiis circa homines humanaque bona.

#### DIVISIO I.

#### DE EXTENSIONE THEOLOGICARUM VIRTUTUM AD IPSUM HOMINEM TAMQUAM OBIECTUM SECUNDARIUM.

Haec theologicarum virtutum extensio ad hominem num existat, <sup>726</sup> si quaeritur, id primo *de fide* plane debet negari. Fides enim, quae creaturae vel homini credit, nullatenus est virtus theologica. — Dein neque *spes*, quae in homine fiduciam collocat atque ab eo adiutorium exspectat, theologica virtus esse potest. Summum ad spem indirecte revocari aliquo modo potest fiducia, quam in meritis intercessionemque Sanctorum reponere catholica fides nos docet. Quamquam enim in meritis Christi, seu in omnipotentis Dei bonitate et misericordia, quam propter merita Christi ad nos in supernaturali fine consequendo iuvandos se nobis impensurum esse pollicitus est, omnis nostra spes fundatur: tamen illud divinae misericordiae adiutorium ipsiusque Christi meritorum applicationem per Sanctorum intercessionem facilius et abundantius fieri, non est dubitandum. Sed haec innuisse sufficiat.

Proprio sensu sola *caritas* relinquitur, quae a Deo ad homines extendatur. Quare totam materiam hic tractandam *unica* sectione complectimur, *extensione caritatis* ad ipsum hominem.

Videlicet recolenda est doctrina superius exposita, caritatem divinam seu theologiam verum amorem amicitiae esse, quo Deum tamquam amicum propter se dilectum amplectamur, eamque in intima illa coniunctione seu communicatione fundari, per quam Deus nos suos familiares suaeque naturae participes, adeoque filios adoptivos atque membra familiae divinae constituat. Quoniam autem amicitia cum amico omnia, quae ad amicum pertinent, omnemque eius familiam eodem amicitiae affectu prosequitur, facile patet, nos posse tum proximum tum nosmetipsos tamquam aliquid Dei atque partem divinae familiae diligere.

*Caput I.*

## De caritate et amore, quem homo sibi ipse debet.

*Articulus I.*

De notione et officio caritatis erga nosmetipsos in genere.

727 Cum Deus ipse hanc sublimem elevationem et unionem secum habendam pro fine nobis constituerit: manifestum est, non solum nos posse, sed nos debere nosmetipsos caritate diligere. Quae dilectio postulat, ut nosmetipsos pro vera nostra dignitate *aestimemus*, eamque *conservemus*, efficaciter bona nostra vera procuremus atque *promoveamus*. Nondum enim in boni nostri plena possessione constituti sumus, sed ad eam acquirendam et inamissibiliter tenendam contendimus. Hinc:

I. Cum veri boni cura atque acquisitio ab eius cognitione atque dignitatis nostrae cognitione dependeat, officium primum, quo erga nosmetipsos obligamur, est vera *nostri finis cognitio*.

Quare quae dicta sunt supra de necessitate cognoscendi et credendi principales fidei veritates, non solum ex praecepto fidei et cultus Dei debiti oriuntur, sed summopere ex caritate hominis erga se ipsum obligatoria esse cognoscuntur. Gravissime igitur contra hoc officium caritatis peccant:

1. Qui culpabili negligentia ea addiscere non curant, quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem.
2. Qui culpabili negligentia ea addiscere et retinere non curant, in quibus homo institutus esse debet, ut christianam vitam digne ducere possit.

II. Sed non solum finis atque dignitatis nostrae et aptorum finis assequendi mediorum cognitionem nobis debemus, sed caritatem nobis debitam etiam exercere debemus veri boni nostri efficaci prosecutione. Quae boni prosecutio ad tria potissimum bonorum genera sese extendit:

Primum bonum, quod, etsi non omnium summum in se, tamen omnium fundamentum est, consistit in vitae nostrae nostraeque personae, ut homines sumus, conservatione.

Secundum bonum illud est, quod est in se summum atque summe necessarium: divina amicitia, quae fructivae cum Deo in altera vita unionis germen est et arrha, atque huius amicitiae acquisitio, conservatio, augmentatio, brevi, vita supernaturalis eiusque augmentum.

Tertium bonum ea complectitur, quae ad priora genera servanda vel comparanda media quaedam sunt, quibus pro divina voluntate in hac terrena vita ut homines et christiani, sive ut individui homines sumus, sive ut sumus membra societatis, vivamus digne. De singulis speciatim plura.

*Articulus II.*

De cura nobismetipsis ex caritate debita in specie.

728 Caritas quidem postulat, ut interno affectu nos ipsos prosequamur; at id sive explicitè sive implicitè facimus, quando Deum actu caritatis



amplectimur et in eum tamquam supernaturalem finem nostrum tendimus: quare de huius obligationis impletione amplius disserere opus non est. Id unum huc referri potest, scil. hominem interno affectu contra caritatem sui ipsius peccare, quando sibi malum aliquod grave, ordine recti non servato, exoptat. Postulat caritas insuper, ut curam nostri quoad triplex bonorum genus supra notatum geramus; verum non requiritur, ut in ipsa illa cura gerenda ex affectu seu motivo caritatis moveamur.

Quibus praenotatis, sit

### § 1.

#### *De cura circa corpus vitamque propriam.*

Quomodo corpus nostrum obiectum sit, quod non naturali tantum, sed etiam supernaturali amore, immo divina caritate diligere possimus et debeamus, ex iis apparet, quae theologi de obiecto caritatis communiter disputant. Naturali et psychologicè necessario amore ferimur in corpus nostrum tamquam partem nostrae personae; at amor ille caecus et instinctivus ratione et fide elevari debet, ne extra rectos limites versetur, ne in veri boni, ipsius etiam corporis, privationem pervertatur. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 25, a. 5.

Cum homo non sit dominus sui ipsius, ei non licet se suamque personam vel eius integritatem destruere, sed mediis ordinariis et consuetis vitam suam viresque conservare debet. Summum indirecte ad mortem morbosque sibi conciliandos conferre pro gravitate causae licebit, quod potius est mortem etc. permittere quam causare. Aliter autem quam de causanda morte dicendum est de morte desideranda; desiderare enim mortem pro diversis causis et motivis potest peccatum esse, potest etiam esse actus eximiae virtutis.

Quae ut plenius intelligantur, agendum est 1) de vita atque sive corporis sive animi viribus conservandis; 2) de peccato autochiriae seu directa sui occisione vel mutilatione; 3) de sui occisione seu laesione indirecta; 4) de mortis desiderio.

**I. De propriae vitae et virium conservatione.** 1. Consuetis et ordinariis mediis vitam servare homo eodem iure et officio tenetur, quo iubetur, ne se occidat. Cum enim non adhibitis mediis quibusdam, ut cibo et potu etc., vita ilico declinet atque brevi exstinguatur: natura ipsa docet et impellit ad illa media arripienda, nisi quis reus esse velit vitae propriae exstinctae. Fusius de iis disserere potius medicae artis est et hygienae quam theologiae moralis.

2. Eadem obligatio asseri nequit circa media extraordinaria adhibenda. Nam quae ad manum sunt non adhibere, idem censetur esse ac studiose sibi necem inferre; sed quae difficilia comparatu vel usu sunt non quaerere, est potius mortem permittere quam sibi eam inferre.

Sic communiter docent theologi: 1) hominem generatim non teneri adhibere remedia pro statu suo cum extraordinariis expensis coniuncta, ut se a morte liberet; esset enim praeter exquisitam diligentiam, ad quam communiter nemo obligatur, etiam plerumque magnum damnum suorum; 2) eodem

modo obligationem non esse subeundi magnos cruciatus ad vitam servandam, aut quodlibet malum quod pro conditione hominis — ut magnus pudor in virgine vel aliquando magna deformitas — malum valde magnum putatur, nisi forte bonum aliorum, maxime communitatis, postulet, ut etiam cum gravissimo incommodo vita aliis utilissima conservetur. Cf. de hac re *S. Alph.* III, n. 372; *Tambur.*, In decal. l. 6, c. 2, § 3, n. 3; *Scavini* II, n. 708; *Gury* I, n. 391. Ita etiam *Noldin* II, n. 326 in fine.

Si eius generis causa subest, fateor (quod etiam *S. Alph.* fateri videtur) contingere posse, ut superior recte iubeat subditum amputationem membri pati, maxime cum hodie, spectata arte chirurgica, non iam extraordinaria res sit.

Nisi vero extrinsecus causa aut iussionis aut boni communis vel pietatis magni momenti accedat, mortale peccatum etiam nunc vix committi puto ab eo, qui amputationem, si multum horreat, pati detrectet. Quamquam enim haec antiquorum theologorum communis sententia hodie medicis non amplius placere videtur, eo quod ratio cruciatuum afferri iam non ita possit: tamen omitti non debet, non cruciatus solos, qui ex parte sopiri nunc possunt, sed etiam horrorem magnum pro ratione haberi posse, cur magnam operationem — non enim loquor v. g. de digito eiusque articulo abscindendo — detrectari liceat.

731 3. Magis etiam sequitur, hominem licite posse quaedam exercenda suscipere, ex quibus *non imminet* quidem mors, sed mortis quaedam acceleratio seu vitae quaedam abbreviatio merito timetur.

Cuius vitae abbreviationis si proximum periculum non adest, sed remotum et longe distans, grave peccatum committi non censetur, etsi aliquot annorum abbreviatio probabilis est; attamen peccatum, videlicet veniale, est, si iusta causa defuerit; secus peccatum nullum, immo fortasse opus meritorium. — At si notabilis omnino vitae abbreviatio sequitur vel potius vitae extinctio aliudve grave damnum brevi secuturum praevidetur, graviter per se illicitum est haec causare. Cf. *S. Alph.* n. 371.

Scilicet ex amore virtutis cum magno merito assumi possunt poenitentiae externae et corporis macerationes, modo cum discretione fiant, etsi forte aliquot annis brevior vita reddatur. Et revera nisi id liceret, etiam interdici deberet multarum rerum studium aliaeque occupationes utilissimae, quae vires humanas atterere atque vitam citius finire solent. At id esset non solum dominium corporis, sed etiam rationabilem corporis viriisque usum homini denegare.

Immo docent multi, Carthusianum, qui in extremo morbo a carne absteineat et mori praeferat, non peccare, cum magnum bonum sit regulam sanctam a communitate stricte servandam intactam relinquere: vide *Mazzotta* tract. 2, disp. 2, q. I, c. 1; *Lugo*, De iust. et iure disp. 10, n. 33; *S. Alph.* n. 370 — quod tamen sententia medicorum practice vix potest accidere, cum teste *Stöhr*, Handbuch der Pastoralmedizin c. X (p. 457 ed. I) non sit morbus, cuius curatio esum carnis reddat necessarium. Comedere vero teneri censent eum, qui fame periturus nihil edendum habuerit nisi carnem; nam cum ille casus prorsus per accidens fiat, ex ea causa carnem comedere disciplinam communitatis non laedit, laedit vero esus carnis infirmitatis causa permittendus. At licet vitam suam exponere infirmus possit, tamen non obligatur.

Hinc etiam fit, eum, qui inordinato esu vel potu graviter non laedat sanitatem, quamquam aliquod periculum citius moriendi subeat: peccatum esse non graviter<sup>1</sup>.

4. Neque tenetur reus supremo supplicio afficiendus fuga, etsi possit, vitam servare, modo iuste condemnatus sit, nam amor iustitiae sufficit, ut vitam suam, etsi commode possit, non conservet; quare etiam, si condemnatus est, ut fame pereat, non tenetur cibos clam allatos sumere, tum quia sententiae executionem praeeligere potest, tum quia cibos diu clam afferri periculosus est. Num autem iudicis iussu reus se ipsum interimere possit, vide mox infra ad II. Cf. *Mazzotta* aliosq. l. c.; *S. Alph.* III 369; *Lugo* l. c. n. 27 sqq. Si quis vero iniuste damnatus est, videri debet, utrum magnum sit malum quod perpeti, an periculum, cui se obicere debeat, ut fugam possit arripere.

II. De peccato autochiriae. 1. Sibi positive proprio Marte necem inferre, natura duce, ab omnibus, qui sana ratione utuntur, semper pro gravissimo peccato habebatur, quamquam in quibusdam difficilioribus circumstantiis non ita clare ubique et ab omnibus criminis ratio deprehenditur, ut invincibilis ignoratio debeat negari.

Cui accedit Ecclesiae auctoritas, quae suicidas tamquam gravis sceleris reos etiam post necem illatam a se abiecit atque ecclesiastica sepultura consuevit privare. *Rit. Rom.*, De exseq. tit. 6, c. 2, n. 3; cf. *Decretal.* 3 X 28, 7.

Ratio autem principalis cur grave delictum sit se ipsum directe occidere est, quia illa actio in se pleni domini iniustum exercitium continet cum divini domini arrogatione, utpote cui soli vita hominis humanaque persona subiaceat. Nam destruere aliquam rem est actio, qua plenissime dominium in illam exercetur; ergo destruere vitam adeoque personam hominis, qua homo est, constans animo et corpore, est sese plene tamquam dominum vitae atque humanae personae gerere. Verum 1) nemo sui ipsius dominus, quippe qui superior esse debeat, esse potest; ergo ille, qui nihilominus se ut talem gerit, ordinem recti et veri essentialiter subvertit. 2) Immo nemo nisi Deus de vita et morte hominis potest disponere; ergo qui nihilominus de sua propria vita disponit, ius et dominium exclusive divinum sibi superbus assumit. Quod ut intelligatur, advertendum est discrimen inter humanam

<sup>1</sup> Cf. hac de re discussionem, quam doctus ille Card. *de Lugo* instituit in quaestione, num novitius, cui medici egressum e religione suaserunt, nisi vellet vitam suam periculo exponere, debuerit eorum dictis obtemperare (*De iust. et iure* disp. 10, n. 36): «Existimavi, medicorum illud consilium de obligatione novitii reiiciendum omnino esse, prout de facto a theologis SS. D. *Urbani VIII* iussu congregatis reiectum fuit, et novitius relictus arbitrio suo; qui tamen in religione permanens medicas coniecturas fallaces comprobavit, cum melius multo sub disciplina religiosa postea valeret, et adhuc valeat, quam valisset prius in saecularibus deliciis.»

Antea n. 32 de mortis acceleratione non adeo notabili ita dixerat: «Sicut non damnantur peccati mortalis, qui cibis multis et delicatis utuntur, licet praevideant periculum multarum infirmitatum et brevioris vitae, quod ea de causa frequenter incurritur; sic multo minus peccant mortaliter, qui abstinentia et mortificatione idem periculum incurunt. . . . Sicut enim non tenetur quis abstinere a vino, ut longius vivat, sic nec vinum bibere ad eundem finem . . . sicut non tenetur homo salubriorem locum et aërem quaerere ad vitam prolongandam, sic nec meliorem et salubriorem victum sumere.»

vitam et alias res et bona, quibus homo utitur. In omnes quidem res, etiam quae usui et dominio humano deputatae sunt, Deus *summum* dominium retinet atque necessario sibi servat: nihilominus *verum* dominium in illas res non Deo soli ita competit, ut ab earum dominio participativo homo excludatur. Earum igitur destructio irrationabilis vel abusus aliquam quidem divini domini laesionem (ut in quolibet peccato fit) continet: tamen non exprimit iuris divini et absoluti, sed iuris humani participati exercitium ac proin non includit per se *alicuius iuris divini arrogationem*; destructio autem propriae vitae, utpote in quam dominium participatum haberi non possit, illam arrogationem secum fert. Cf. infra div. seq. De obiecto iuris. — Cum primaria illa deordinatione et malitia, quae numquam non continetur in suicidio, iuris divini laesionem dico et usurpationem, coniunguntur aliae deordinationes: videlicet homo contra se ipsum peccat sibi potestatem eripiens ad suum ultimum finem porro tendendi, immo in necessitatem infelicissimam se coniciens fine suo perpetuo carenti; peccat suicida contra societatem variaeque eius membra pro diversa sua conditione, officiis suis et auxilio, quod aliis praestare possit vel debeat, temere sese subtrahendo. — Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 64, a. 5; *Molina*, De iust. et iure tom. IV (tract. 3) disp. 1, n. 1; *Lugo*, De iust. et iure disp. 10, n. 9 sqq.

733 2. Dictum est, graviter esse illicitum, *proprio Marte* sibi vitam adimere. Licet enim id facere, intercedente legitima auctoritate. Quae legitima auctoritas certo Deus est, qui pro supremo suo et absoluto dominio habet imperium vitae et mortis atque imperare potest, quando sapientiae suae convenire id videatur, ut aliquis sive alienam sive propriam vitam destruat. Verum certa iussione et revelatione ad id opus esset.

3. Nulla alia auctoritas de humana vita disponere pro libitu potest. Sola potestas sceleris commissi pro merito etiam morte puniendi publicae auctoritati supremae competit. Quando igitur de reo agitur, qui a iudice iuste morti est addictus vel addicendus, disputant inter se scriptores, num reus ipse constitui a iudice possit, qui in se ipse poenam mortis exsequatur, ut apud orientales frequenter in usu est, aliis negantibus, eo quod in iustitia vindicativa necessario distinctae sint persona punientis et persona puniendi; aliis affirmantibus, eo quod possit aliquis duplicem personam gerere, propriam et delegatam. Cum non certo constet id esse intrinsecus malum, idcirco *reo licebit* hunc moriendi modum iubente aut permittente supremo iudice subire: attamen quia opinio probabilis etiam est, actionem illam esse prohibitam ipsa lege naturali, et quia insuper est actio nimis gravis, a qua per se natura abhorret, etiam iubenti iudici hac in re oboediendi obligatio non est. Vide *S. Alph.* III, n. 369, ubi habes ex *Salmantic.* complures falso pro licitate allatos (*ed. Gaudé* l. c.). Communis sententia negat liceitatem; affirmant tamen (*ibid.*) ut probabilem *Haunold*, De iust. ut iure tract. 2, n. 613; *Elbel* IV, n. 9; *Illsung* tract. 4, disp. 3, n. 66; *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 781. Ipse *S. Alph.* liceitatem «*probabiliter*» defendere videtur. Cf. etiam *Baller-Palm.* II, n. 862 not. Laudantur quidem pro hac opinione etiam *Victoria*, *Aragon* (in 2, 2 *S. Thom.* q. 69, a. 4), *Sa*, alique: qui re ipsa licere quidem reo condemnato venenum bibere affirmant, negant autem licere reo se gladio confodere.

734 4. Eodem iure, quo prohibetur suicidium, prohibetur etiam sui ipsius mutilatio. Homo enim, cum suae personae dominus non sit, eam integram servare debet, atque integre aptum se tenetur servare



cum membris suis ad omnes functiones, ad quas naturae auctor hominem qua homo est organum atque facultatibus instruit.

Verum quoniam partes sunt propter totum: quando eligendum est inter membri abscissionem et totius compositi destructionem, i. e. corporalem mortem, sine dubio membra aliqua abicere licet, ut vita ipsa cum mutilo corpore servetur.

Quare 1) licet membrum abscindere infectum, ne, reliquo corpore etiam infecto, homo pereat; idque cum primum grave periculum est.

2) Licet etiam, abscisso membro, ei fugam capere, qui vinctus alioqui mortem pati debet, sive a carnifice sive aliunde inferendam.

3) Immo si quis tyrannus iuberet aliquem aut se ipsum mutilare aut occidi, probabiliter liceret illi, ne occideretur, tyranno morem gerere; nam quamquam tyrannus peccat, alter vere alterutrum eligere debet aut vitam aut membrum amittere: igitur licebit minus malum potius incurrere.

5. Ad alios autem fines, v. g. ad subterfugiendam militiam, mutilatio fieri non potest, quia quaecumque membri destructio ad alios fines ordinata disponendi ius supponit circa proprium corpus, quod soli domino competit: dominus autem homo ipse non est, sed solus Deus. *S. Thom. 2, 2, q. 65, a. 1 ad 3.*

Hinc ad spirituales fines non licet evirationem facere aut ei consentire. Quod si factum fuerit, Ecclesia semper reprobavit, immo irregularitatis poenam contra eos statuit, qui suae mutilationi assensum praebuerint. Ceterum illa mutilatio impotentiam quidem generandi efficit, sed a tentationibus carnalibus non plene liberat. Obsoleta etiam videtur evasisse opinio, quasi licita sit eviratio puerorum ad conservandam vocem pro cantu convenientem. — Quando autem in muliere vehementes tentationes per pruritus excitantur, medica incisione curabilem, qua generandi facultas non auferitur, sed sola delectationis capiendae aptitudo minuitur: talis organi excisio, si de illius morbida, etsi non letali, affectione sermo est, non videtur illicita.

Verum ab aliquot annis invaluit operatio quaedam ad praecavendam prolem, ne prole degeneri bonum publicum laederetur, quam *vasectomiam* vocant, qua in genitalibus viri inciditur et occluditur canalicula vasis deferentis, ita ut spermatozoa non amplius cum reliquo semine virili coniungantur et semen — si adhuc semen vocari liceat — evadat sterile. Censeo hanc sectionem esse illicitam utpote mutilationem gravem aut saltem ei aequivalentem. Quam quisque sua sponte sibi infligere nequit nisi sit ad totum corpus seu vitam conservandam necessaria. Neque auctoritas publica eam potest infligere: 1) Non propter bonum commune praecavendae progeniei degeneris; nam non habet provinciam condendi familias, sed eas supponit, atque etiam proli degeneri melius est esse quam non esse; proli futurae prospicere potest summum indirecte. 2) Non pro poena; nam praeterquam quod non in omnibus poena locum habeat, sed solum in reis, vasectomia ut poena plane inepta est, siquidem vix sensibilem dolorem infert, privat autem bono, quo qui privantur, privari solent volentes atque desiderantes. Cf. de hac re Casus consc. I, n. 373 a sqq (cas. 100 a).

Id vero concedi debet, licere ob extraneos fines valde graves absque mutilatione seu membri abscissione sese *deformare*, e. g. virgini, ut deformitate sua castitatis insidiatorem horrore afficiat atque a se repellat. Immo quis accusare audeat heroicum illud exemplum virtutis, quo Sanctus quidam in

scorti sibi insidias parantis faciem «praecisam morsu linguam exspuit» illudque sic in fugam coniecit: ut narratur in martyrologio Romano sub die 28 Iulii?

736 III. De indirecta sui occisione vel laesione. 1. Indirecte ad mortem aliquid conferre aliquando licet. Verum non licet mihi umquam actionem periculosam *eo fine* suscipere, ut peream. Neque licet eo fine corporis austeritates exercere, ut vitam abbreviem. Attamen aliud est mortem vel vitae abbreviationem pro fine habere seu *intendere*, aliud est, quando *ex alio fine* actio periculosa suscipitur, *simul cupere*, ut ipsa etiam vita finiatur vel brevior reddatur. Id utrum liceat necne, pendet ab eo, utrum tam gravis ratio habeatur, quae mortis desiderium inefficax mihi licitum reddat, annon.

2. Difficilius est causas illas assignare, quae tam graves sint, ut propter illas mortis periculum possim subire. Hic iam solum mortis imminetis periculum grave specto: nam si non imminet periculum, sed de sola quadam abbreviatione probabili sermo est, iam supra habes, quid tenendum sit.

In universum dici potest: ad *defendendum* sive retinendum bonum aliquod magnum, sive proprium sive alienum, licet periculo mortis sese exponere; quodsi agitur de bono *acquirendo*, videtur id longe maius esse debere, ut cum vitae periculo gravi tentamen illud acquirendi facere liceat.

737 Hinc: 1) Licet se proicere e fenestra cum *magno* periculo pereundi, ut aliquis evadat sententiam mortis, vel durissimum carcerem, modo spes etiam evadendi mortem adsit.

2) Licet virgini ad evadendam laesionem sui sese conicere in *certum mortis periculum*, modo ne sit in certam mortem: nam si plane impossibile est vitam servari, sed illico necesse est, ut ex actione, quam virgo ponat, mors sequatur, sicut ex projectione ex alta turri, id *agere* non licet, *pati* vero potius mortem quam violari omnino licet. *S. Alph.* III 367 et 368. Immo potius periculum mortis vel mortem subire consilii est, quia peccaminosi consensus periculum cum violentiae perpessione saepe coniungitur; obligationis per se non est.

3) Licet ad gravissimos cruciatus finiendos chirurgicam operationem *periculosam* subire, quae periculum mortis quidem inferat, sed simul etiam cum fine dolorum fundatam spem salvandae vitae relinquat. Nam liberatio a diuturnis cruciatibus magnum bonum est, propter quod mortem quidem inferre non licet, licet tamen eius subire periculum; idem dic, etsi adiungitur membri infecti abscissio, eo quod alioquin toti corpori eiusque convenienti activitati impedimento sit.

4) Licet ad duriozem mortem incendii evadendam sese in flumen seu mare, navi conflagrante, conicere, etsi spes servandae vitae, quae adest, modicissima sit: nam periculum mortis adeo certum subire, quod alias suicidium putari debet, in eiusmodi circumstantiis plane aliam rationem habet. Cf. *S. Alph.* l. c. cum *Lugo*, De iust. et iure disp. 10, n. 50; *Less.*, De iust. et iure l. 2, c. 9, n. 35; *Bucceroni* I, n. 718.

5) Licet in naufragio amico tabulam iam arreptam cedere et ita eius vitae potius quam propriae consulere, nisi propria vita prae vita

amici forte necessaria sit<sup>1</sup>. *Lugo* l. c. n. 48; *Less.* l. c. n. 29 et 81; *Noldin*<sup>1</sup> II, n. 327.

6) Licet in bello iusto navem aut turrim accendere etiam cum propriae vitae *certa iactura*, si hostibus grave damnum per hoc infertur aut magnum bonum eripitur, quia magnum bonum publicum praevallet malo privato; sed idem agere non licet ad privatum incommodum, captivitatem, mortem, quae inferatur etc., evadendam: *S. Alph.* n. 367. Videlicet ex actione militis in hoc casu aequae immediate sequitur et mors propria et aut hostium magna damnificatio aut proprii gravis damni fuga. Porro si aequae immediate mors propria sequitur, ille alius effectus omnino *gravioris* momenti esse debet, ut causam propriae mortis poni liceat; quod obtinet in publico bono gravi procurando malove avertendo, in avertendo malo privato non obtinet.

3. Non licet audaciae causa vel ad ostentandam dexteritatem sese in grave periculum mortis conicere: immo id graviter peccaminosum est.

Quare graviter peccant, 1) qui ex sponsione actionem vere periculosam subeunt, ut periculosam ieiunii protractionem;

2) funambuli aliique gesticulatores, qui gravi periculo sese exponunt, neque excusantur ex eo, quod quaestus faciendi gratia haec agunt, quo se sustentent; nam actio ex se primo est ad temerariam ostentationem, et *consequenter* ex hac ostentatione et temeraria audacia, quam alii mirantur, quaestus habetur: quod intrinsecus malum est. Verum si praecautio atque consuetudine periculum ita minuitur, ut grave pro illis non sit, artem illam exerceri per se peccaminosum non iam est.

IV. De desiderio mortis. I. Mortis desiderium utique non dirigitur in actionem peccaminosam, sed aut in mortem sive a Deo inferendam sive a naturali causa aut in effectum a causa omnino abstrahendo. Quare peccaminositas illius desiderii aut ex modo est quo concipitur, aut ex inordinata comparatione mali mortis cum alio malo.

2. Plane sunt motiva bona et meritoria, ex quibus homo christianus mortem desiderare possit, haec: coniunctio cum Deo dilecto et finis ultimi adeptio, impossibilitas amplius peccandi, contritatio ex tot peccatis quibus in hac vita videt continuus Deum offendi etc.

3. Motivum moraliter imperfectum est desiderium per mortem evadendi quodlibet malum terrenum, si in eo sistitur: quia terrenum sive temporale malum per se summum est ipsa mors, sicut vita summum bonum. Verum quia vita demum in se est bonum indifferens, potest homo evasionem aliorum gravium huius vitae malorum *sine peccato* ipsi vitae praeferre. Ergo si quodcumque grave malum vel aliquid valde molestum sive externum sive internum homini incumbit, quod sibi morte durius videtur: non peccat mortem desiderando, modo fiat cum debita erga Deum divinamque providentiam sub-

<sup>1</sup> Licere tabulam nondum arreptam, sed arripiendam cedere communius omnino scriptores concedunt. Verum *Castrop.* p. 8, n. 7; *Suarez* disp. 9, sect. 3; *Soto*, De iustit. l. 5, quaest. 1, art. 6; *Lacroix* l. 2, n. 177 aliique cum *S. Alph.* III, n. 366 contendunt, tabulam iam arreptam cedere seque ipsum undis committere, quando desit natandi peritia, esse *positive* ad mortem cooperari atque hinc illicitum. — At priori concesso, negari potest esse illicitum, cum sit *indirecta* cooperatio. Ceterum ipse *Suarez*, ut notat *Lacroix*, solum peccatum veniale in illa actione agnoscit, eo quod non sit gravis inversio ordinis; alii vero, ut *Lorca*, *nullum*.

iectione. *S. Alph.* cum aliis II 30 recenset inter ea gravem infirmitatem, etiam mulieris a viro tractationem valde malam etc.

4. Qui vero levi de causa inefficaci desiderio mortem optat vel a Deo rogat, peccatum committit, quamquam per se non mortale. (*S. Alph.*, etsi l. c. rem in se severius diiudicat, practice tamen fere consentit, eiusmodi mortis propriae desideria ex impatientia levique causa oriunda vix mortale peccatum fieri.) Cf. *Gury-Ball.* I, n. 223 cum nota.

5. Graviter demum tali desiderio ille peccat, qui cum rebellionem erga divinam voluntatem, seu oppositionem contra providentiam divinam sibi conscius, mortem sibi optat.

### § 2.

#### *De cura hominis circa vitam suam supernaturalem.*

740 I. In quolibet peccato mortali gravis laesio caritatis hominis erga se ipsum continetur.

*Speciale* peccatum grave contra hanc caritatem sibi debitam homo committit, quando in mortis periculo existens reconciliationem cum Deo, si indiget, sibi procurare omittit.

Ratio prioris asserti est, quia quolibet peccato gravi homo sibi gravissimum damnum ex sese irreparabile consciscit atque ipse se ab ultimo suo fine attingendo avellit. — Haec autem ratio, cum ad malitias peccati «transcendentales» pertineat, in confessione speciatim declaretur non oportet, ut evidens est: nisi forte aliquis — id quod vix accidere potest — formali odio contra se peccare voluerit.

Ut autem posterioris asserti ratio detur, adverte haec: Caritas erga se ipsum hominem obligat non tantum, ne se suo fine ultimo iureque aeternae felicitatis privet, sed etiam ut damnum illud, si incurrerit, reparat caveatque, ne hoc malum per gratiam Dei reparabile *evadat irreparabile*. Quare iam ex hoc capite specialis obligatio est reparandae amicitiae Dei amissae tum in quolibet gravi mortis periculo, tum etiam absque speciali mortis periculo post statum peccati iam notabiliter protractum (siquidem diuturna talis status productio et periculum in illo statu moriendi et periculum seu necessitatem quandam statum illum novis peccatis aggravandi secum fert).

741 II. Augmentum vitae spiritualis seu sanctificantis gratiae et meriti, quatenus per actus sive supererogatorios sive non graviter praeceptos concilietur, negligere in se et per se grave peccatum non est.

Quare licebit etiam propter proximos bonis spiritualibus non necessariis eorumve adeptione sese privare: quamquam id ex caritate proximi facere non tam est spiritualis boni privatio quam potius unius in aliud commutatio. *S. Alph.* II 26.

**Videlicet:** 1. *Augmentum* vitae spiritualis novis meritis procurandi obligatio gravis esse non potest, si agitur de actionibus non graviter praeceptis: qui aliter diceret, contradictoria statueret. Verum qui sollicitus se amat, motivum urgentissimum habet pro facultate sua continentem incumbendi in virtutes meritaque augenda, siquidem de ingenti bono agitur.

2. Tum tandem neglectus meriti etiam non praecepti grave peccatum esset, si *ex vero contemptu* supernaturalis meriti procederet. At non inde *consuevit* oriri, sed ex tepore quodam et fuga laborum, quae, si peccatum est, intra limites peccati venialis sistit.



3. In necessario quidem bono spirituali procurando homo se ipsum omnibus aliis praeferre debet; quare numquam licet ad aliorum bonum spirituale vel ad aeternam salutem promovendam, si possibile esset, Deum offendere. Immo id non solum de peccato gravi verum est, sed caritas saltem erga Deum postulat, ut peccatum etiam levissimum caveam potius, quam ut totum mundum salvem.

Sed bona spiritualia non necessaria adeoque gratiae augmentum aliis potius procurare quam mihi peccatum ex se non est, quia ex supposito non teneor mihi bona illa procurare; attamen caritatis eiusque perfectionis ordo in tali agendi modo non servatur.

4. Verum actiones in se bonas et ex se meliores propter bonum aliorum <sup>742</sup> sive temporale sive maxime spirituale omittere pro re nata opus caritatis est, et propterea haec ipsa omissio magis bona et meritoria esse potest quam actionis illius exercitium. Sic intermittere orationem, ut succurram proximo, potius lucrum est quam detrimentum. Quantum autem *expediat* in non necessariis proximo succurrere potius quam alterius virtutis exercitio incumbere, non eadem regula pro singulis statui potest, cum non solum defectu caritatis proximi, sed etiam defectu caritatis Dei, quae *imprimis propriam perfectionem* exigit, aliquis aberrare possit.

5. Quamquam peccatum nullum licet facere *etiam pro supremo* bono proximi: tamen periculo peccati sese exponere ad proximum salvandum et licitum et pro rei gravitate debitum esse potest (cf. postea de obligatione succurrendi aliorum necessitatibus): *S. Alph.* II 26. Verum id observari debet, ut homo tunc adhibitis cautelis periculum minuere seu ex proximo et gravi periculum remotum efficere teneatur. Ad quod tum maxime juvat oratio et fiducia in Deum, cuius gratia in eiusmodi circumstantiis merito speratur et sperari debet.

Haec in genere dicta circa curam vitae spiritualis sufficiant; particularia enim, quae homo circa bona sua spiritualia agere debet, in singulis eius officii continentur.

### § 3.

*De cura bonorum illorum, quibus homo in hac vita tamquam mediis indiget.*

Bona illa, quibus homo ad vitam suam recte agendam indiget, tum <sup>743</sup> externa tum interna sunt. Externa ad bona fortunae atque bonum famae revocantur. Qualis vero quantaque sit obligatio illis bonis providendi, ex diversis officiis, quae homo in speciali statu suo implere debet, dependet; quid vero in genere circa illa bona debeat, suo loco dicetur, quando officia erga alios explicabuntur circa diversa illa bona existentia. Videlicet ea cura necessaria est, quae aliorum officiorum rectam impletionem possibilem reddat.

Interna autem bona et voluntatis et mentis culturam respiciunt, qua homo sibi expeditiorem reddat ultimi finis assecutionem et se idoneum faciat membrum humanae societatis. Quoniam vero tam multa sunt in humana societate utilia officia, nec omnia membra, ut Apostolus dicit, eundem actum habent, imprimis respici hic debet status vitae electio.

Circa quam si de sola stricta obligatione sermo est, id unum dicendum est, debere quemlibet in electione status ita respicere suam aptitu-

dinem tum internam tum externam, ut obligationes cum statu coniunctas, opitulante divina gratia, se impleturum esse confidat; dein, status solummodo honestos eligi posse. — Si vero, quid *consilii* et maioris perfectionis sit, quaeritur, consule, quae de *statu perfectionis* supra dicta sunt. — Fusius de his disserit *A. Koch* § 75 et 76.

Hic nota pauca sequentia:

744 I. Circa laborem. Plerique ex eo, quod quaerere debent unde vivant, tenentur aliquam artem laborandi addiscere, ut se suosque sustentare possint.

At etiam ei, qui habet abundanter unde vivat, plane desidi esse non licet, sed utili quadam occupatione vitam agere debet.

**Explicatio.** 1. Laborandi necessitas generatim eo maior est, quo maior est in eodem territorio incolarum numerus, siquidem eo minor erit abundantia rerum, quas terra sponte aut sine magno labore humano gignit. Et licet ex consortio sociali multorum singuli iuventur, id tamen maiori populi multitudini non affert laborandi decrementum, praestat nihilominus etiam illis non pauca vitae commoda.

2. Attamen laborandi obligatio sive corporali sive spirituali labore non solum oritur ex rerum necessariarum debita curatione, aliquando ex aliorum hominum necessaria opitulatione, sed etiam ex fuga otii, quae ad declinanda vitia est necessaria. Nam haec est corruptae naturae hominis conditio, ut, si otio diffluat, vitii enervetur.

3. Ceterum huic laborandi legi a Deo impositae nullatenus aversantur, qui ex religionis motivo evangelicam paupertatem professi etiam mendicando vivunt, non ex laboribus suis quaestum facientes, sed aliorum pietati divinaeque sese providentiae committentes. Nam praeterquam quod altiorum virtutum studium, orationis religionisque exercitium cui vacant, labor est isque talis, qui in sociale bonum quam maxime redundet: ipse labor non propter se praecipitur, sed alterius finis atque ultimatim finis summi assequendi medium esse debet; qui si aliter melius attingitur, medium cessat.

4. Periculo otii et desidiae imprimis divites, qui omnium rerum abundantia fruuntur, expositi sunt. Quare ut communi legi laborandi obtemperent atque se ipsos a tentationibus peccatisque immunes servent, aut liberaliori arti scientiisque excolendis se tradant, aut operam suam in publicam aliquam utilitatem impendant. Nostris maxime temporibus habent facile, in quibus utiliter occupentur: curam tot associationum, quas christiana caritas excitavit ad sublevandos pauperes, orphanos, aegrotos, peregrinantes, missionarios etc. etc.; curam rerum publicarum, quae nunc magna ex parte comitiis incumbit, similia. Ceterum pars magna moderati laboris iam in eo consistit, quod pater materve familias curam familiae agat, in domesticos invigilet, eos exhortetur, atque alia officia pietatis et religionis erga Deum studiose exsequatur.

745 II. Circa statum vitae. Obligatio ad *certum* aliquem vitae statum potest 1) negative adesse, *ne* eligatur; 2) etiam aliquando positive, *ut* eligatur, si vel unicum medium censetur esse salutis, vel obligatio iam existens in alio statu impleri nequit.

Scilicet 1. Negativa obligatio ad certum vitae statum, i. e. *ne eligatur*, adest 1) ex defectu virium physicarum sive corporis sive ingenii, ita ut homo officiis status implendis impar sit; 2) ex defectu virium

moralium, si quis sibi persuadere non potest, se tantam habiturum esse animi constantiam et fortitudinem, ut onera illi statui annexa ferre possit.

2. Positive aliquis obligari potest 1) ex eo, quod videat certum statum esse sibi pro circumstantiis medium salutis necessarium, ut status matrimonialis aut status religiosus; 2) ex eo, quod iam obligationes habet graves, v. g. pietatis erga parentes egenos, quibus satisfacere nequeat, nisi certum statum, e. g. continuationem artis paternae, sibi assumat. Ceterum si certi status magna repugnantia existit, cavendum est, ne facile gravis ad eum suscipiendum obligatio statuatur, maxime si obligatio repetenda sit ex auxilio aliis praestando; nam cum tanto incommodo haec obligatio raro urget, ut ex sequenti capite et ex explicatione quarti praecepti decalogi elucebit.

Scholi on. Promovere igitur bonorum temporalium abundantiam aliarum rerum artiumque usum ad vitae humanae commodum conducentium strictae obligationis non est per se *pro singulis*. Verum omnium earum rerum usum atque copiam faciliorem reddere cura officiumque eorum est, qui rebus publicis praesident. Ad id enim prorsus instituta est publica societas, ut securitati maiorique felicitati singulorum provideat eamque promoveat atque faciliorem reddat; attamen id agi non debet sine relatione ad maiora bona et ultimum finem supernaturalem, sed ea ratione, ut singuli possint, si velint, commodius securiusque vivere et consequenter expeditius ad summum bonum prosequendum incumbere.

Quod autem increduli non raro consueverunt Ecclesiae catholicae obicere, quasi sit culturae felicitatique humanae eiusque progressui inimica, id ex inscitia et ex calumniandi libidine oritur. Liberaliores artes atque vera scientia numquam non floruerunt et maxime floruerunt, quando Ecclesiae pax reddita erat atque libertas educationi mentisque culturae praesidendi. Quod autem non unice nec principaliter incumbere debebat in res materiales tractandas opesque congerendas: id sane ab homine rationabili, ne dicam fide illustrato, vitio verti nequit, cum homo materia pecuniave sit altior. Ceterum etiam vitae humanae temporalis materialisque felicitas non tam in congerendis divitiis sita est quam in sobria prudentique rerum distributione. Quae autem aequior distributio, congeriesne immensarum divitiarum in perpaucorum manibus an illud divisionis bonorum temperamentum, ut exsulent tum ingentes divitiae tum paupertas atque egestas?

## Caput II.

### De caritate erga proximum positive exercenda.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 25—32 et q. 36—44; *S. Alph.* II, n. 25—80; *Laym.* l. 2, tract. 3, c. 3 sqq; *Tambur.*, In decal. l. 5, c. 1; *Castrop.* tract. 6; *Elbel* II, n. 207—390; *Suarez*, De caritate.

Ut iam supra, ubi de caritate hominis erga se ipsum egi, aliqua tenus dixi, divina caritatis virtus extenditur non ad solum Deum, sed propter Deum ad eos etiam, qui ad divinam quasi familiam pertinent, scilicet quos Deus ipse in eadem intima unione bonorumque divinatorum

communicatione instituit, quos divinae naturae participes fecit, filios adoptivos membraque de familia reddidit, aut ad hanc supremam dignitatem vocavit.

Quare caritas nostra complectitur: 1) eos, qui indefectibiliter constituti sunt in perfecta consummataque amicitia divina, Beatos in coelis, sive hi homines defuncti sunt sive s. angeli; 2) eos, qui indefectibiliter quidem amici Dei sunt, sed felicitatis consummationem propter poenae reatum nondum sunt adepti, animas in purgatorio detentas; 3) eos, qui amici Dei vere sunt, sed defectibiliter, in statu viae, nondum in termino, scilicet omnes homines iustos in terris degentes; 4) etiam eos, qui amici quidem Dei per sanctificantem gratiam nondum sunt aut, amissa per peccatum gratia, non amplius sunt, sed ad eam dignitatem accipiendam vel recuperandam a Deo destinantur atque invitantur, i. e. omnes homines, etiam peccatores et infideles adhuc in hac terra viventes, quos omnes Deus, quantum est ex se, vult salvos fieri.

Excluduntur igitur a caritate solum ii, qui irreparabiliter Dei inimici sunt, aeternis poenis addicti, daemones atque animae damnatae: illi a consortio divino prorsus exclusi caritatis incapaces sunt, neque ad eos amorem divinum extendere licitum esse potest.

### *Articulus I.*

#### De interno actu caritatis erga proximum.

748 De ipso actu dilectionis proximi tria potissimum consideranda sunt: 1) *ad quam virtutem* ille actus pertineat, 2) de *praecepto* interno actu diligendi proximum, 3) de *modo* eum diligendi.

I. De virtute qua diligitur proximus. Actus, quo proximum diligimus, ad *eandem* caritatis theologicae virtutem pertinet, qua diligimus Deum.

**Explicatio.** I. Esse *eandem* virtutem infusam, qua et Deum et proximum diligimus, est theologiae certa veritas: quae colligitur tum ex multis locis Sacrae Scripturae, maxime ex I Ioan., tum ex PP. effatis. Locos tantum indico. Ita I Io 4, 11 et 12 perfectio caritatis Dei ex caritate erga proximum repetitur. Atqui ab elemento heterogenio et extraneo alicuius rei perfectio repeti nequit. Ergo amor Dei et proximi eiusdem speciei eiusdemque virtutis esse debet. — Aliis locis ut 3, 14 et 4, 7 19 etc. idem sacer scriptor ex caritate proximi praesente vel absente arguit caritatem Dei eiusve defectum, et vice versa: quae argumentatio non consisteret, nisi intima esset utriusque amoris conexio, quae debet esse motivi interni seu formalis obiecti in utroque actu aut identitas aut saltem sub uno aliquo respectu convenientia seu analogia. — Ex Patribus affero unum S. Aug., qui De Trinit. l. 8, c. 8 dicit: «Ex una igitur eademque caritate Deum proximumque diligimus.» Cf. etiam S. Thom. l. c. q. 25, a. 1.

749 2. Videlicet, ut aliqua ratio huius rei reddatur, infinita Dei bonitas et perfectio in se spectata ratio est movens, cur Deum super omnia diligamus,



sed ipsa haec divina perfectio est, ad quam supernaturalem relationem habemus per vocationem ad beatificam Dei visionem. Quae relatio supernaturalis adeo eximia est, ut evadamus et incohativè per sanctificantem gratiam iam evaserimus divinae naturae increataeque bonitatis vero aliquo modo participes: 2 Petr 1, 4. Quare ipsa divina perfectio increata aliquo modo resplendet in ipsis creaturis rationalibus, quas ad intimam suam unionem vocat et trahit, ac proin ratio movens esse potest, cur et ipsum Deum diligamus et cum eo atque in eo omnes, quos secum univit et in quos splendor divinae perfectionis redundat. — Ergo ratio motiva diligendi proximum non tam est perfectio, quae in homine formaliter recipitur per divinae naturae participationem — haec enim semper creata est — sed ipsa infinita perfectio divina, cuius fit pro gradu suo particeps. — Nihilominus sunt theologi, ut *Suarez*, De carit. disp. 1, sect. 3, n. 8, qui putent etiam hanc ipsam participationem divinae naturae per gratiam sanctificantem formaliter sumptam sufficere posse, ut propter eam tamquam rationem motivam proximum diligamus caritate, quae per habitualementem virtutem infusam eandem eliciatur atque caritatis actus erga Deum, licet actus non sit specificè plane idem atque ille, quo diligimus Deum. Sane uterque modus diligendi possibilis est; prior tamen consuetus et communis. Cf. ib. disp. 2, sect. 2<sup>1</sup>.

II. De praecepto diligendi proximum. Actus ille internus, quo <sup>750</sup> proximum diligamus, praeceptus est.

Verum huic praecepto *per se* satisfit omnes homines in communi diligendo: attamen ex specialibus circumstantiis atque relationibus aliquando fit, ut particularem hominem speciatim interno caritatis actu prosequi debeamus.

Praeceptum esse etiam internum caritatis actum, tum ex verbis S. Ioan. (1 Io 4, 21), tum ex verbis Christi Domini satis eruitur, cum secundum esse mandatum dixerit: «Diliges proximum tuum sicut te ipsum.» Quod etsi non omnimodam aequalitatem dicit, tamen eundem modum praescribit, quo nosmetipsos amamus. Verum amor, quo homo se ipsum amat, ab interno actu orditur in eoque plane essentialiter fundatur. Quapropter etiam amor proximi sistere quidem nequit in solo affectu, ex vero tamen affectu procedere debet.

Theses ab *Innoc. XI* proscriptae, scil. thes. 10: «Non tenemur diligere proximum actu interno et formali», et thes. 11: «Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos» omnem controversiam praecidunt.

Ad quae nota: 1. Affectus autem internus caritatis consistit in actibus eorum similibus quos in Deum fovemus: 1) ut complacemur nobis in bonis

<sup>1</sup> Immo etiam ille actus, quo proximum diligimus propter increatam divinam perfectionem in illo resplendentem, ex doctrina S. Thomae et *Suarez* l. c. non complete eiusdem speciei est cum actu, quo Deum diligimus, sed incomplete distinctus. Verum id non impedit, quominus uterque actus atque etiam ille actus, quo proximum alio modo propter participationem divinae naturae ipsi inhaerentem diligimus, ab uno eodemque habitu infuso procedat: nam amorem Dei et proximi ad eundem habitum virtutis spectare plane extra controversiam est — habitus enim infusus principium esse potest actuum consimilium.

proximi; 2) ut eius bonum seu felicitatem desideremus; 3) ut velimus pro data occasione eorum bonis providere secundum regulas infra dandas.

751 2. Difficile est determinare, *quoties* haec obligatio interne proximum diligendi urgeat, maxime quoties obligatio *per se* adsit. Sine dubio aliquoties in vita. Aliud de *obligatione*, quae *per se* existat, vix dici potest. Verum, qui christiane vivunt, facillime et abundanter satisfaciunt huic praecepto, orationem Dominicam devote recitantes, atque alia officia christianae vitae occurrentia implentes. Audiatur hac de re *Reuter* II, n. 95: «Moraliter impossibile est, ut, qui christiane vivit, huic praecepto non satisfaciatur: nam is habet animum succurrendi proximo, ubi id necessarium erit, orat pro proximo, offensas remittit etc. Dumque Deum amat, favendo omne illi bonum, saltem implicite proximo vult salutem; sicut dum proximum amat propter Deum, hoc ipso Deum amat. Qui vero animo est inhumano, reflectere debet ad hanc obligationem: si enim *diu* differt hanc proximi dilectionem, per se loquendo peccat mortaliter.» Attamen ex ultimo additamento non sequitur, de hac mortali omissione in confessionibus speciatim esse indagandum; nam ex una parte haec obligatio ab hominibus vix umquam animo concipitur, ex altera parte eius omissio aliis peccatis contra proximum sese prodat.

752 3. Obligatio proximum diligendi est de omnibus hominibus omnibusque amicis Dei consummatis diligendis: cui satisfit omnes diligendo *per modum unius in communi*, neminemque excludendo. — Per se igitur hoc praeceptum non fertur circa singularem personam, sed quorundam singulorum hominum specialis dilectio aliunde fit necessaria.

Videlicet si cum quibusdam hominibus in peculiari necessitudine sum aliasve obligationes pietatis, auxilii ferendi etc. sive interne sive externe implendas habeo: haec dilectio in communi ex natura sua applicatur ad illas certas personas in particulari, adeo ut, si hoc non fiat, id ex conatu non fiat, quo illas positive ab amore excludam. Quod caritati omnino repugnat.

4. Rationes ergo, ex quibus obligatio *gravis* aliquem in particulari interno dilectionis actu prosequendi existere potest, sunt:

Prima, ne dilectionis omissio sit positiva exclusio a communi amore.

Secunda, ne succumbam odii tentationi, quam aliter me victurum esse non confidam nisi positivo actu caritatis.

Tertia — quae cum prima cohaeret ad eamque reducitur — obligatio peculiare homines honorandi, iuvandi, ut parentes, superiores, extraneos necessitate pressos. Videlicet affectus in eos peculiariter ferri debet, etsi non quavis occasione, qua illis debitus honor praestatur, tamen aliquando, ut humano modo procedatur. Nam moraliter impossibile est, ut saltem, quando in communi omnes homines diligo atque memoria eorum occurrit quibus peculiari vinculo coniungor, eos non peculiari benevolentia prosequar, nisi rancore vel odio contra eos me impediri sinam.

Completur haec doctrina ex iis quae de caritate inimicis debita dicentur infra. Nam etiam illos et communi caritate amplecti debemus et pro circumstantiis in particulari sive interno actu diligere sive externa opitulatione iuvare.

753 III. Modus diligendi proximi. Modus quo iubemur proximum diligere est ut eum diligamus sicut nosmetipsos: «Diliges proximum tuum, sicut te ipsum» (Mt 22, 39); quod ut iam dixi non omnimodam aequa-

litem, sed similitudinem dicit, immo diversos gradus diligendi pro diversitate proximorum non excludit.

1. Modus nosmetipsos ordinate et vere diligendi est, ut nos ad Deum referamus, ut finem nostrum ultimum in Dei beatifica visione collocemus, atque ad hoc summum bonum omnia alia nostra bona referamus. Ita etiam proximum tenemur diligere; summum illud bonum ei prae omnibus desiderare debemus, idque, si opus fuerit, etiam cum damno nostri boni inferioris ordinis procurare secundum regulas infra explicandas. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 26, a. 5 in corp. et ad 3.

2. Proximum igitur magis diligere debemus relate ad eius finem ultimum quam nosmetipsos relate ad bona inferiora: verum simpliciter et in eodem ordine, saltem in supremo illo ordine, nosmetipsos magis diligere debemus. Ad quod refertur, quod supra dictum est, nos numquam animae nostrae detrimentum subire licite posse, ut proximi saluti prospiciamus. Si autem alia bona inferiora in quaestione sunt, licebit proximum sibi praeferre, nisi aliae rationes obstant; nam qui ita ex caritate agit, pro detrimento boni inferioris commutat supremi boni incrementum. — Sed haec iam de actibus externis potius quam internis caritatis valent. Cf. *S. Thom.* ib. q. 26, a. 4.

3. Pro diversis caritatis actibus diversi etiam ordines diligendi varios varie assignari debent. Nam prout sermo est de complacentia in bonis iam habitis, aut desiderio augendi bona, aut de voluntate succurrendi bonorum protectioni: non idem semper ordo est alios prae aliis diligendi. Complacentia maior debetur *melioribus*, desiderium crescendi in bonis imprimis debetur *magis coniunctis*, voluntas succurrendi maxime debetur *maiore necessitate pressis*. At accuratior determinatio postea in seq. art. dabitur.

## *Articulus II.*

### De externis actibus caritatis erga proximum.

#### § 1.

#### *De obligatione proximis opem ferendi generatim spectata.*

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 31.

Ex actu illo interno, quo proximo bene volumus, si vera est vo-<sup>754</sup>luntas, non velleitas tantum, etiam efficax boni alieni procuratio pro tempore et conditione oriri debet. Sicut enim Deum amantes eius bonum — utique solummodo bonum extrinsecum sive externam eius gloriam — per eius glorificationem atque mandatorum observationem promovere debemus, ferme ita proximos diligentes eorum etiam bonum, si casus et necessitas tulerit, protegere atque procurare debemus: Dei quidem externo bono magis intenti esse debemus quam nobismetipsis nostroque bono; nostro autem supremo bono magis quam bono proximorum. Bonum vero proximi, quod sive ex obligatione sive ex supererogatoria voluntate procurare possumus, est aut temporale, ut vita, fama, victus etc., aut spirituale, scilicet vitae aeternae eiusve incrementi media.

Ut autem *obligatio* opem ferendi recte intelligatur, attendendi sunt hi canones:

I. Opem, si quam proximo ferre debemus, necessarium non est ferri *ex motivo* caritatis.

II. *Obligatio* opem ferendi proximo, quatenus sola communis caritas spectatur, *necessitatem* tantum proximi respicit, atque solos casus cuius occurrentes, non vero inquirendi legem imponit.

III. In ipsa hac ope ferenda, si necessitati omnium, quibus alias succurri deberet, provideri nequit, *certus ordo* pro maiore necessitate maioreque coniunctione proximi servandus est.

755 **Explicatio.** I. Nota ad motivum caritatis: Caritas utique postulat, ut actus illi opitulationis, si necesse fuerit, fiant: sicut caritas erga Deum actus externos eosque multo plures exigit, quibus mandata Dei omnia, saltem graviora, impleantur. Verum sicut hinc minime concludi fas est, omnia mandata ex motivo caritatis secundum obligationem servanda esse, sed sufficit, ea utcumque honesto modo impleri (quamquam, si ex caritatis motivo fiat, id multo melius magisque meritorium est): ita etiam pro modulo suo de actibus externis, qui ad caritatem proximi pertinent, dici debet. Neque hoc modo necessitas internae caritatis aufertur.

Si quando enim Deum vere super omnia diligimus, ut fieri aliquando debet, eo ipso ex caritatis motivo implicite voluntas concipitur servandi omnia Dei mandata, etsi in singulis mandatis postea re implendis actu caritatis non ferimur. Simili modo quando proximos interno actu caritatis complectimur, implicite saltem ex hac caritate fovemus voluntatem et propositum proximos, si necesse fuerit, adiuvandi et sublevandi: at in huius propositi executione opus non est, ut caritatis motivum denuo menti obiciatur eamque permoveat. Actus enim illi externi in se bonitatem seu honestatem habent, ut misericordiae, pietatis etc., quae voluntatem sufficienter trahere potest.

Nihilominus etiamtum caritatis motivum assumere longe efficacius magisque meritorium est. Et sine dubio, qui id in proximo considerat, quod eum in intima unione cum Deo collocat, i. e. vocationem ad aeternae beatitudinis consortium, redemptionem per Christi sanguinem, participationem eorundem Ecclesiae sacramentorum etc., facillime instigatur, ut non solum necessarium auxilium proximo ferat, sed ut omnem suam operam, quantum possit, ad id impendat.

756 **II. Nota ad obligationem communis caritatis.** 1. Ad eam explicandam iuvat afferre verba S. Thomae 2, 2, q. 26, a. 5 ad 3:

«Non imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in casu. . . Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad *perfectionem* caritatis.»

Et clarius ib. q. 33, a. 3 ad 4:

«Illud, quod debetur alicui determinatae et certae personae, sive sit bonum corporale (ut pecunia creditoris), sive sit spirituale, oportet, quod ei impendamus non expectantes, quod nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes, ut eum inquireamus. . . Sed illa beneficia, quae non debentur certae personae, sed communiter omnibus proximis, sive sint corporalia sive spiritualia, non oportet nos quaerere, quibus impendamus, sed sufficit quod impendamus iis, qui nobis occurrunt.»

2. A communis caritatis obligatione quae inquirendi legem non imponit distinguere debemus officium 1) quod pietas, arctae necessitudinis



vinculum erga certos homines imponit, 2) quod status superioris seu alicuius communitatis praesidis secum fert. Haec enim et inquirendi obligationem imponunt, ne quid aliis desit, et legem iuvandi promovendique bonum aliorum ultra necessitatis casum extendunt.

III. Nota ad ordinem opitulationis. Ordo opitulationis petitur tum<sup>757</sup> ex diversis indigentium necessitatibus, tum ex diversa cum indigentibus coniunctione.

1. Diversae necessitates distinguendae sunt, pro quibus maior minorve obligatio proximum ex necessitate eripiendi adesse potest, easque tum secundum gradum, tum secundum rerum ordinem distinguimus.

Secundum gradum a) necessitas dicitur *extrema*, quando alter sine meo auxilio salvari nequit, i. e. si neque se ipsum salvare potest, neque alius adest, qui auxilium laturus sit: — dicitur *quasi extrema*, quando valde difficile est, proximum sine meo auxilio effugere extremum malum; aut si premitur malo, quod fere extremo comparatur, et brevi ad illud ducere videtur.

b) Necessitas dicitur *gravis*, quando aliquis sine magna difficultate sibi res *necessarias* procurare nequit, aut quando ipsi imminet periculum magni mali, quod sibi relictus vincere vix potest.

c) Necessitas dicitur *communis* tum ea, ex qua homo se ipsum sine magna difficultate eripere potest, tum quae, etsi maneat, vitam non adeo miseram et molestam reddat, spectata uniuscuiusque conditione.

Considerato *rerum ordine*, in quo necessitas illa versatur, quaelibet erit aut *spiritualis*, aut *temporalis seu corporalis*: posterior vitam, bona fortunae, brevi, omnia bona huius vitae comprehendit.

Ordo autem, quo gravius minusve graviter urget obligatio succurrendi, hic est:

- 1) necessitas spiritualis extrema et quasi extrema;
- 2) necessitas spiritualis gravis;
- 3) necessitas corporalis extrema et quasi extrema: immo in ea pro circumstantiis magis urgere potest succurrendi obligatio quam in necessitate sub 2);
- 4) necessitas corporalis gravis;
- 5) necessitas sive spiritualis sive corporalis communis.

2. Regulae opitulationis pro diversa necessitate. Regulae, quae<sup>758</sup> determinant pressius diversam obligationem pro diversa necessitate, hae sunt ex *Castropal.* tract. 6, disp. 1, p. 9:

1 regula: In *extrema necessitate spirituali* proximi debes non solum bona temporalia, sed etiam vitam impendere, si modo aequae certa est spes salvandi proximum, atque est periculum iacturam patiendi bonorum priorum, neve gravius damnum commune obstat.

Secundum doctrinam enim evangelicam 1 Io 3, 16 «debemus pro fratribus animas ponere»: quod sine dubio aliquando obligat sub gravi: atqui si umquam, saltem quando aeterna salus proximi extreme periclitatur. Cf. etiam *S. Thom.* 2, 2, q. 26, a. 5 cum innumeris aliis<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Quare consentire non possum cum *A. Koch*, quando § 73 negat matrem teneri pati operationem periculosam, ut proles viva prodeat et *baptizari possit*, idque ex ea ratione negat, quod nemo teneatur proximum *magis* diligere quam se ipsum. Nam haec ratio evincit, matrem non teneri ad subeundum vitae periculum, ut proles salvat vitam

2 regula: Extra casum extremae necessitatis spiritualis non teneris cum periculo morali propriae vitae, amissionis membrorum, gravi omnino iactura bonorum proximo succurrere: nisi specialis ratio aut muneris pietatisve aut boni communis accedat.

Nam aut agitur de necessitate quaiibet gravi sive spirituali sive temporali, et ex illa potest tandem proximus ipse se eripere, etsi cum difficultate; quare potius ipse quam alter difficultatem subire debet: aut agitur de extrema necessitate corporali; at ne propriam quidem vitam cum summa difficultate servare teneor, multo minus per se alienam.

Dicitur, nisi 1) ratio muneris (cf. Io 10, 11 etc.) accedit; nam id pro circumstantiis etiam cum vitae periculo impleri debet in gravibus aliorum necessitatibus; 2) nisi ratio boni communis accedit; nimirum si communitas gravi periculo et necessitate premitur, hanc in compluribus membris sumi debet evadere extremam, immo iam haec ipsa in se spectata gravissimum malum est, cui privatum bonum, etiam vitae, cedat facile, si modo illa iactura et necessaria et profutura sit.

3 regula: *Necessitatem gravem* proximi, saltem si spiritualis est, alter depellere sub gravi tenetur, si sine suo detrimento gravi id efficere potest: immo etiam in necessitate gravi temporali obligatio gravis adesse potest, facilior tamen erit excusatio.

4 regula: Ut autem in *ordinaria*, i. e. *levi necessitate* obligatio succurrendi, maxime obligatio gravis, adsit: et commode auxilium debeo ferre posse, et certae circumstantiae verificari debent, quae sequentibus §§ speciatim tractantur.

Cf. hac de re *Reginald.*, Forum poenit., opus a *S. Francisco Sales.* multum commendatum, l. 4, n. 357 sqq.

759 3. Regulae opitulationis pro diversa coniunctione cum indigente. Ordo praeeligendi alios prae aliis, si non omnibus, quibus per se debeam, opem ferre possum, his regulis continetur:

1 regula. Si in aliquo eorum est *extrema necessitas spiritualis*, haec prae omni alia conditione spectari et sublevari debet.

2 regula. In *aliis necessitatibus* potest saltem maior coniunctio, in qua cum indigente exsisto, potius attendi quam maior necessitas. Sicut enim alterius incommodum necessitatemve prae damno *meo* etiam minore mihi negligere licet: sic etiam prae incommodo atque necessitate hominis mihi valde coniuncti et specialiter cari, cuius malum meum malum proprium reputo. Tum igitur maioris coniunctionis vinculum est recta ratio, cur uni ante alterum succurram.

3 regula *pro diversa specie coniunctionis*. Est enim coniunctio: consanguinitatis, religiosae seu spiritualis unionis, amicitiae, civitatis etc. Qua diversitate spectata, ordinaria regula est, quam *S. Thom.* 2, 2, q. 26, a. 8 statuit: «ut scilicet unusquisque (pro gradu coniunctionis arctiore) diligatur

corporalem; plane alia res est in subeundo illo periculo, ut salvetur prolis *vita aeterna*. Ad hanc proximi vitam salvandam esse obligationem exponendae propriae vitae, vide *S. Alph.* II, n. 26 27.

magis in eo, quod pertinet ad illam coniunctionem, secundum quam diligitur. . . . Et ideo in his, quae pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos; in his, quae pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives etc.»

Verum haec regula non ita attendenda est, si de vera gravique necessitate sublevanda agitur, sed potius de communi et ordinaria rerum provisione et communicatione. Nam in vera et gravi necessitate cuiuslibet ordinis proxime cognati, *maxime parentes*, omnibus aliis praeferendi sunt, cum haec coniunctio sit omnibus aliis coniunctionibus prior, immutabilior, magnisque beneficiis fundata. Quando vero de cognatis non ita propinquis agitur, non est cur spirituales coniunctionem aut amicitiae vinculum non praeferamus. *Suarez*, De carit. disp. 9, sect. 4.

4 regula *pro diverso coniunctionis gradu*. Inter ipsos cognatos sequens ordo servandus est, ut succurri debeat: 1) parentibus (patri prae matre), 2) uxori, 3) filiis, 4) fratribus, dein reliquis cognatis; ita tamen, ut ordinis inversio, ubi non est notabiliter magnum discrimen, v. g. inter patrem, matrem, filios, grave peccatum non sit. *Mazzotta* tract. 2, disp. 2, q. 1, c. 2, § 3 in fine et *Lacr.* l. 3, p. 1, n. 729 cum *Suarez* l. c., *Castrop.* tract. 6, disp. 1, p. 10, *Bonacina* etc. Verum in communi necessitate et ordinaria rerum provisione uxor et filii parentibus praeferendi sunt, quia per se parentes filiis, non filii parentibus providere debent, nisi necessitas gravisque pressura aliud iniungat.

Posse autem propter bonum publicum accidere, ut debeam hominem publico bono necessarium prae omnibus aliis salvare, per se intelligitur.

Ordo et gradus caritatis, quando agitur de *bono alicuius efficaciter promovendo* eiusve promovendi desiderio, ut explicatum est, sumitur a gradu coniunctionis inter amantem et amatum: quare absolute primo se ipsum homo illa efficaci caritate prosequi debet. Sed si agitur de caritatis actu *appretiationis et complacentiae*, gradus caritatis attenditur secundum maiorem coniunctionem cum Deo. Igitur qui sanctior Deoque similior est, amore complacentiae et appretiationis magis diligendus est. Et licet, quamdiu nondum sumus in termino coelestis patriae, augeri possimus in sanctitate, illudque augmentum et nobis et aliis nobis coniunctis intensius et maius quam aliis desiderare: tamen post finitam hanc vitam, cum desiderium cesset, caritatis ordo postulat, ut meliores simpliciter et omni sensu magis amemus quam minus sanctos, immo etiam nobis meliores secundum quid magis amemus quam nosmetipsos. Vide *S. Thom.* 2, 2, q. 26, a. 7 et a. 13.

## § 2.

### *De eleemosyna corporali in specie.*

Eleemosyna presse quidem intelligitur de largitione eorum, quae ad victum pertinent, et hoc sensu etiam per se a nobis sumitur. Verum si de obligatione dandae eleemosynae sermo est, ut proximus e necessitate liberetur, facile patet, eadem referenda esse ad quodlibet auxilium, quo proximum iuvenimus *malum temporale* ab eo avertentes.

Praenotanda 1. Regulae supra datae circa opitulationem in genere sane applicandae sunt etiam ad opitulationem in necessitate

corporali rebusque temporalibus ferendam. Ut autem huius opitulationis obligatio accuratius definiatur, tum conditio eorum quibus auxilium ferendum sit, tum eorum conditio quibus auxilii ferendi imponatur obligatio, considerari debet. In conditione priorum praecipue considerandae sunt necessitates diversi generis, in quas proximus incidere potest, quas supra § I declaratas habes: extremam, gravem, ordinariam. — Nota tamen de gravissima vel quasi-extrema, eum, qui in illa versetur, vix non idem agere posse, ut sibi provideat, atque in extrema; alios tamen non eodem stricto titulo ad ferendum auxilium teneri.

2. In conditione eius, de cuius obligatione ferendi auxilii quaeritur, imprimis videri debet, quibus ipse utatur bonis fortunae. Qua in re distinguuntur: 1) bona vitae necessaria; 2) bona statui necessaria, idque aut simpliciter necessaria, aut decentiae eius necessaria; 3) bona simpliciter superflua.

*Vitae igitur necessaria* ea sunt, quibus homo indiget, ut suam suorumque vitam sustentet. — *Statui necessaria* ea sunt simpliciter, sine quibus homo e statu suo descendere cogitur, sive ut a vita nobili ad exercendam artem transire debeat, sive ut notabiliter sit diminuendus famulatus, liberalis hospitem exceptio, filiorum educatio atque provisio etc. Immo etiam pertinent ad bona statui necessaria quaedam, quibus provideatur casibus fortuitis infirmitatis etc. *Ad decentiam status* haec omnia ita pertinent, ut eorum provisio intra limites honestae liberalitatis consueto modo continuari possit: immo prout conditio praesens plus minusve inferior est, ad status decentiam etiam referri licet acquisitionem bonorum ad modicum status ascensum. Vide *Castrop.* tract. 6, disp. 2, p. 2, n. 2; *S. Alph.* II 32.

782 Quibus praenotatis obligatio eleemosynae hisce declaratur:

I. Nemo ratione solius caritatis praecepti proximo tenetur succurrere ex bonis vitae necessariis.

II. Occurrente extrema necessitate proximi quilibet sub gravi succurrere debet, modo possit sine incommodo damnove vere magno, etiam ex bonis statui necessariis.

Verum, ut ex ipsa re patet, ad depellendam extremam necessitatem generatim non tantum requiritur, ut notabile incommodum donanti inde oriatur.

III. Divites, qui vere superflua habent, videntur omnino graviter obligati esse, ut aliquando eleemosynam dent, sive gravis, sive ordinaria pauperum necessitas spectatur, attamen non ut singulis dent pauperibus, neque ut singuli singulorum necessitatem plene auferant. Multo certius *gravis* obligatio est, ne frequenter repellant gravi necessitate obstrictos.

IV. Neque a veniali peccato excusatur, qui non superflua quidem, at statui commodoque suo convenientia bona habens 1) pauperes ordinaria necessitate pressos plerumque sine ullo auxilio a se dimittit, 2) aut ut singularis hominis necessitatem omnino gravem sublevet, ne leve quidem donum concedere velit, maxime cum id fere fieri possit ex iis rebus, quibus ipse pro se suisque iam uti nolit.



V. In reliquis autem casibus qui occurrunt fideles exhortandi potius proposito merito eleemosynae quam obligatione urgendi sunt; idque multo magis nostris temporibus valet, quando tributis a re publica impositis fere quilibet etiam ad sublevandos pauperes cogitur.

VI. Incumbente necessitate et angustia, non solum pauperes fideles et pii, sed etiam peccatores, infideles, peregrini etc. sublevandi sunt; siquidem caritas omnes homines amplectitur: nihilominus in pari causa fideles, cives, paucis qui in aliquo arctiore nexu cum donatore existunt, prae ceteris sunt iuvandi.

Restat solum, ut ea potissimum quae n. III dixi fusius explicem.

768

De obligatione eleemosynae in ordinariis necessitatibus. 1. Mirum est, quanta sit, si minus in re, tamen in loquendi modo diversitas inter scriptores, quos videre licet apud *Castrop.* l. c. p. 2, n. 10 sqq. — Sententiam in hac re damnatam habes in thes. 13 ab *Innoc. XI* proscripta: «Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.»

Putant aliqui, ex sententia *S. Thomae* gravem obligationem eleemosynae statuendam tum tantum esse, quando et extrema necessitas indigentis pateat, et danti superfluae divitiae exstent (2, 2, q. 32, a. 5). At alii *S. Doctorem* ita explicant, ut *duplicem* titulum gravis obligationis attulisse dicatur, quorum utervis pro se sufficiat: ita *Caiet.*, praestantissimus *S. Thom.* interpres, *Suarez*, *Laym.*, quem confer l. 2, tract. 3, c. 6, n. 4 et 5. Atque ita obligatio re ipsa sustineri debet. Egregie hanc quaestionem evolvit *Suarez*, De carit. disp. 7, praecipue sect. 3. Videlicet:

1) Christus Dominus eleemosynae praeceptum proposuit pro necessitatibus, quae de facto existunt et semper existiturae sunt in humana societate, atque ita obligationem proposuit, ut ex neglecta eleemoyna universim sententiam aeternae damnationis incurri doceret. Atqui talis obligatio et gravis est, et respicit necessitates ordinarie sine multa inquisitione sese offerentes: qualis utique extrema necessitas non est, quae raro sese offert, rarius evidens fit. Verba enim Christi adeo late ad divites patentia de re plane obvia tractent oportet. Ergo dicendum est, divites eleemosynas facere *simpliciter* debere, atque ab eo solum grave peccatum non committi propter transmissas necessitates ordinarias non graves, qui *re ipsa* in gravioribus necessitatibus pauperes sublevet.

2) Communis est regula, hominem ex caritate erga proximos graviter obligari, ut, si commode possit, grave malum alienum avertat. At necessitates pauperum, prout re ipsa occurrunt, grave malum humanae societatis sunt, atque nisi succurratur, in graviores et gravissimas angustias singulos deicient; ex altera parte divitibus incommodum verum aut nullum aut leve omnino oritur ex eleemosynae largitione. Ergo illi tenentur absolute eleemosynas facere, neque a gravi peccato excusantur ex eo, quod praetendant, graves sibi non occurrere pauperum necessitates. Cf. etiam *Bucceroni* I, n. 408.

2. Nihilominus practice audiendum est, quod *Laym.* l. 2, tract. 3, c. 6, 764 n. 5 observat: «Confessarius absolutionem a peccatis diviti non facile negare debet, quod communes (i. e. non graves) pauperum miserias per eleemosynam sublevare monitus recuset: tum quia de obligatione hac, an et qualis sit, Doctores non consentiunt, tum quia moraliter vix accidit, divitem nullam,

saltem in specie, causam afferre posse, cur eleemosynam dare non soleat.»<sup>1</sup> Ceterum, qui *gravi* necessitate pressos *frequenter* repellit, cum ex *superfluis facile* succurrere possit: a gravi peccato immunis haberi nequit.

3. Si autem quaeritur, quanta eleemosyna dari debeat: id sane dicendum est, si agitur de extrema vel gravissima necessitate, tantum, quantum sufficiat ad eam avertendam, sive unus solus succurrit, sive plures communi consilio re ipsa succursuri sunt. Si autem de ordinariis necessitatibus agitur, quas in singulis sublevare obligatio non est, *S. Alphonsus* cum aliis (II 32 et *H. A.* tract. 4, n. 19) censet, divites debere, si his amplius vere superfluum sit, quinquagesimam circiter partem annuorum redditum pro eleemosynis destinare, seu 2% ex redditibus: si vero haec superflua non sint, minus; immo etiam, si ingentes essent redditus, non eadem proportione obligationem urgere. Verum hanc quantitatis determinationem nostris temporibus vix practicam esse puto.

765 4. Cum non solum pecuniae vel victus largitio necessaria esse possit, sed specialis operae collatio: dici debet, medicos, advocatos similesque in officio constitutos debere pauperibus gratis succurrere, nisi publicis sumptibus provisum sit. Quanta vero sit obligatio, quantum laboris iis impendendum sit, pendet a gravitate necessitatis, in qua pauper versatur, et ab incommodo, quod opem laturo creatur<sup>2</sup>.

5. Aliquando accidit, ut re in commodatum vel in mutuum data necessitas proximi satis sublevetur: quare tunc necessarium non est, rem donari, ut praecepto caritatis satisfiat. Ita communiter.

6. Omittendum non est, posse etiam discretionis defectu in largiendis eleemosynis peccari. Nam sane iis, qui ob socordiam et pigritiam egent, parce tantum subveniendum est, ne eorum pigritiae atque otiositati faveatur.

### § 3.

#### *De spirituali quasi-eleemosyna seu de correctione fraterna.*

766 Spirituality misericordiae opera exhibentur:

1) Docere ignorantem, 2) consulere dubitanti, 3) consolari afflictum, 4) corrigere peccantem, 5) condonare offendentem, 6) ferre onerosos et graves, 7) orare pro vivis et defunctis.

Ex quibus alia aut gravem miseriam non supponunt, aut difficulter ab iis, qui in officio constituti non sunt, possunt exerceri. De condonatione offensae speciatim agendum erit. De oratione pro aliis dictum

<sup>1</sup> Videlicet communis omnino doctrina theologorum est, etiam in communibus pauperum necessitatibus divites *obligari* ad eleemosynas dandas; sed pauci sunt, qui de gravitate obligationis quaerant. Testem habes *Baller.* in notis ad Gury I, n. 228. Plerique dicunt, esse obligationem; aliqui expresse dicunt, *gravem* obligationem *non* esse: quamquam ex his ultimis non desunt, qui dubitanter et timide gravitatem peccati eorum negent, qui in communi necessitate omnes pauperes repellant, ut *Laymann*: «at vero, si abundans divitiis, nulla rationabili excusatione motus, omnes a se mendicos et pauperes inhumaniter repellat, is . . . in malo statu versari videtur.» Quare perperam agere mihi videntur, qui probabilitatem alterutrius sententiae auctoritatibus definitam esse statuunt.

<sup>2</sup> Immo omnia opera, quae vocantur misericordiae corporalis, huc referri licet, nimirum: esurientibus cibum dare, sitientibus potum porrigere, nudos vestire, peregrinos excipere, captivos redimere, infirmos visitare, mortuos sepelire.

est satis tum in art. praeced., tum in tractatu de religione. De sola correctione delinquentis hic fusius disserendum.

Distinguitur potissimum *fraterna* correctio, et *iudicialis*. Fraterna, quae tendit in solum privatum bonum delinquentis; iudicialis, quae ad bonum commune dirigitur, ad servandum et reparandum ordinem iustitiae per delinquentis punitionem. Fraterna correctio igitur a quolibet, etiam privato homine aequali et inferiore, fieri potest; iudicialis a solo legitimo superiore. — Mediam quandam correctionem distinguunt, paternam scil. superioris, quando nondum iudicis partes agit, sed patris, ideoque bonum delinquentis pro norma agendi habet, poena non addita nisi ad summum aliqua medicinali. Quae correctio *fraternae* accensenda est.

Cuius obligatio ut rite intelligatur, explicanda sunt: 1) ipsa obligatio eiusque obiectum; 2) obligationis limites; 3) ordo servandus.

I. Obligatio eiusque obiectum in fraterna correctione. Cum agatur <sup>767</sup> de gravissimo malo spirituali a proximo avertendo, dubitari nequit, quin quodlibet peccatum mortale materia apta sit, quae aliquando obligationem gravem fraternae correctionis secum trahere possit: re ipsa tamen raro haec obligatio occurrit.

1. **Praeceptum** correctionis fraternae ex verbis Christi Mt 18, 15: «Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum», communis interpretatio colligit. Ratio autem est, quia caritas obligat, ut proximum, si commode possim, a *gravi malo* eripiam. At quodlibet mortale peccatum grave malum est. Et quamquam grave peccatum non fit nisi *propria* voluntate peccantis, tamen fieri potest, ut 1) resipiscentia practice difficilior reddatur, quia peccator non recogitat, ac propterea in magna miseria detentus manet, 2) ut peccandi voluntas externo aliquo periculo inducatur, a quo difficile sit, peccatorem ipsum se extricare, nisi admoneatur et adiuvetur. Quare in hac re non eadem limitatio obligationis admittitur, atque in auxilio contra malum temporale ferendo, ubi obligatio per se non est, eum impedire atque a damno eripere, qui libera voluntate sua bona proicit: nihilominus etiam in rebus temporalibus vere urgebit obligatio opem ferendi, si quis quodammodo mente captus grave malum sibi illaturus sit; similiter igitur dic, obligationem esse in miseria peccati a proximo auferenda vel avertenda, modo advertas condiciones mox explicandas, quibus limites huius obligationis definiuntur. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 33, a. 2.

2. Immo si omnes circumstantiae allatae adsunt, praeeptum grave <sup>768</sup> esse, et consensus theologorum et ipsa rei natura docet, cum res in se sit gravis. Verum ut rite intelligatur praeepti obiectum: hoc non tam est peccati iam facti correctio quam futuri mali spiritualis impeditio, videlicet 1) impedire, quominus proximus graviter peccet aut grave peccatum iteret, 2) impedire, quominus per diuturnum tempus cum novo periculo gravis spiritualis damni sine resipiscentia maneat. Cf. etiam *Laymann* l. 2, tract. 3, c. 7, n. 2.

Inde sequitur: Delinquentem *statim* corripere non solum propter circumstantias non verificatas plerumque non convenit, sed ne ex sese quidem obiectum praeepti fraternae correctionis est. Nam instantanea

post peccatum commissum resipiscentia ne peccantis quidem gravis obligatio est, multo minus alter ad eam efficiendam sub gravi tenetur.

769 II. Limites obligationis. Ut autem gravis obligatio corrigendi re *exsistat*, generatim debet 1) constare de proximi peccato gravi *commissso*, aut de eius gravi periculo *committendi*; 2) improbable esse, quod proximus per se resipiscat aut periculum evitet; 3) spes positive probabilis fructus adesse; 4) deesse alter aptior, qui admoniturus sit; 5) abesse periculum gravis damni vel incommodi pro corrigente. Cf. *S. Alph.* II 38 cum aliis. Quare:

1. Si putari prudenter potest, peccantem non relapsurum, sed brevi ex sese ad meliorem frugem se conversurum esse, cessat fraternae correctionis obligatio.

2. Si prudenter timetur, ne correctio proximi rem peiorem reddat, tantum abest, ut adsit obligatio corripiendi, ut potius sit obligatio silendi, nisi de aliorum etiam damno agitur.

3. Si superior probabiliter correcturus est, obligatio inferioris seu eius, qui delinquenti aequalis est, cessat: eodem modo, si alium aptiorem prudenter puto correcturum re ipsa esse. Quodsi tandem alii officio desint, ad quemlibet aptum obligatio devolvitur.

4. Ignotum corrigendi raro obligatio erit — nisi alia pericula coniunguntur —, quia vix scitur cum probabilitate spes fructuosi exitus, immo non raro exitus peior timeri debet.

5. Homo privatus, qui pusillanimitate, verecundia etc. se minus aptum ad corrigendum putat, et propterea correctionem omittit, tamen paratus est ad eam faciendam, si sciret eam necessariam et efficacem fore: per se *venialiter* peccat, non graviter. Vide *S. Thom.* 2, 2, q. 33, a. 2. Immo privati raro inter se tenentur stricte ad correctionem, nisi quaedam familiaritas inter eos existat, quia raro omnes conditiones impletae sunt; rarius etiam inferior ad corrigendum superiorem.

6. Multo magis scrupulosi generatim loquendo ab obligatione correctionis fraternae excusantur, quia nesciunt circumstantias excusantes discernere, imprudentias multas facile commissuri sunt, immo non levi incommodo subicerentur, si se obligatos esse putare deberent: quare pro illis obligatio in solis casibus extraordinariis et evidentibus aderit.

7. *Inquirere* autem in aliorum vitam non est hominis privati, sed superiorum; immo etiam illi inquirere sane moderate debent. Quare correctio stricte fraterna de casibus cuilibet obviis intelligitur, seu in iis rebus, quarum notitia nobis haurienda offertur.

770 III. Ordo correctionis. Obligatio per se est, *secrete* admonere, antequam ulterius procedatur; sed huius ordinis servandi lex cessat: 1) si agitur de avertendo damno tertii innocentis, maxime si de damno communi, cui per secretam admonitionem non satis certo occurratur; 2) si delatio fit ad superiorem ut patrem, qui putatur melius et efficacius posse corrigere; 3) si ipse delinquens cessionem famae suae hac in re fecerit, neque evidens sit, secreta admonitione aequae bene aut melius provideri posse quam per delationem ad superiorem.



Videlicet. 1. Ordo per se a Christo praescriptus est, ut proximus primo secreto admoneatur, dein coram aliis, tandem denuntietur. Nisi igitur gravis causa contrarium suadet, *secreti* criminis correctio primo debet fieri *secretò*. Verum cum uno homine aptiore ad corrigendum id communicare, ex se non notabilis mutatio ordinis, immo pro diversitate rerum omnino est licita.

2. In communitatibus, quando agitur de delicto nocivo, maxime si de 771 periculo pervertendi plures, seu de communi damno gravi agitur: periculosa et inefficax generatim est privata admonitio, sed requiritur statim delatio rei ad superiorem, qui viderit, utrum paterna admonitione an poena malum potius avertat. Quare etiam cum gravi incommodo haec denuntiatio facienda est; quod observari debet circa seductores aliorum in collegiis, convictibus etc. Cf. Müller II, § 31, 6; Noldin II, n. 97; Bucciaroni I, n. 417.

3. In religiosis ordinibus quandoque fit iuris ad famam renuntiatio in eum finem, ut cuilibet liceat defectus aliorum deprehensos immediate ad superiorem deferre. Quod ubi factum est, rarissime accidet, ut non immediate superior moneri possit, praetermisso delinquente. Nam aut agitur de graviore defectu, aut de levi famam non laedente. Si prius, de stabili emendatione deque absentia omnis damni pro communitate absque superioris interventu vix unquam plene et certo constabit; si defectus levis fuit, caritas non postulat, ut eius notitia coram superiore tegatur, sed potius ut ei manifestetur, quo melius possit corrigi. Quare practice privata delinquentis monitio vix non semper *potest omitti*, at saepe etiam *praemitti* potest. Ceterum si quando ageretur de defectu gravi non noxio ante longum tempus commisso, de cuius emendatione plenissime constaret, caritas vetaret, ne eiusmodi res panderetur. Vide Busenb.; S. Alph. II 42 cum Suarez, Sanchez, In decal. l. 6, c. 18, n. 49 et 60; Lugo, Resp. moral. l. 4, dub. 46 etc.

Scholion. 1. Quod de fraterna correctione dicitur, debere eam 772 fieri posse sine gravi incommodo, ad obligationem superioris non refertur. Ille enim, quando vi muneris monere et corripere debet, propter incommodum magnum non excusatur.

2. Generatim obligatio correctionis restringitur ad defectus graves. Verum id duplici limitatione indiget: 1) In communitate religiosa defectus per se nullo modo mortales, si frequentiores fiunt, disciplinam graviter relaxare possunt: quod est damnum grave. Quare ne hoc periculum oriatur, gravis obligatio occurrendi defectibus levibus existere potest saltem pro superiore et iis, qui cum eo invigilare debent. 2) Si quis cum altero familiaritate utitur, eumque commode a peccato etiam non gravi liberare vel praeservare potest, neglectus huius officii veniale peccatum contra caritatem esse potest: prudentia tamen etiam maiore hic opus est.

3. Cum fraternae correctionis praecepto hucusque exposito cognationem 773 habet officium monendi seu corrigendi eum, qui ex *ignorantia* non (graviter) peccaminosa vel inadvertentia legem objective laedit. Circa quod breviter nota:

1) Obligatio monendi oriri potest ex avertendis: a) damno ipsius ignorantis, b) aut damno tertii, c) aut scandalo, d) aut laesione divini honoris, e) aut alio periculo damnove religionis.

2) Quorum si nihil occurrit, in homine privato fere abest obligatio monendi. Facilius quidem aderit obligatio praecavendi vel impediendi laesionem obiectivam legis naturalis aut divinae: quando enim de lege mere humana agitur, seclusis causis enumeratis, plures scriptores (vide *Lacr.* l. 2, n. 214) hominem *privatum* ab omni obligatione veri nominis eximunt, etsi facile possit monere, plerique obligationem nihilominus statuunt, nisi quaedam rationabilis causa sit, cur res silentio prematur.

Exemplum habes, si quem vides amicum ex oblivione abstinentiam ieiunium violare.

### Caput III.

#### De caritate negative servanda seu contrariis actibus non violanda.

Postquam de actibus positivis caritatis sermo fuit, peccata contraria declaranda sunt quibus caritas laeditur, simulque officia quae inde deducuntur. Atque primo de odio et inimicitia et de caritate ipsis inimicis debita; secundo de scandalo; tertio de cooperatione cum alieno peccato dicendum est.

#### Articulus I.

##### De odii inimicitiaeque peccato atque de caritate inimicis debita.

#### § 1.

##### *De notione odii et peccatorum similium.*

774 I. Distinguitur odium *abominationis* et odium *inimicitiae*. Prius est odium seu aversatio *alicuius mali in persona*, et aversatio personae, quia et quatenus illud malum in ea apprehenditur; odium inimicitiae est *odium personae* eo tendens, ut malum in ea apprehendatur seu tendens in gaudium vel desiderium circa malum proximi, ut *ipsi malum est*. Cf. *S. Alph.* II 30; *Reuter* II, n. 124; *Laymann* l. 2, tract. 3, c. 8, n. 1; *Vasquez* in 1, 2 *S. Thom.* disp. 23, n. 7 et 8; *Caiet.* in 1, 2, q. 29, a. 1.

Odium inimicitiae in proximum est semper peccatum idque ex genere suo mortale; odium abominationis potest haberi sine peccato, immo cum laude, potest etiam esse peccatum sive grave sive leve pro causa, ex qua concipitur, et pro gravitate rei.

**Explicatio.** 1. In abominatione displicentiam mali proximo adiacentis concipio, in inimicitia illius mali complacentia habetur; in inimicitia personae displicentia primum et principale est, in abominatione solummodo est consequens atque tantum secundum quid concipitur. Ita homo criminosus potest mihi, quatenus crimen aversor, obiectum abominationis esse; at nihilominus inimicus mihi nondum est, immo possum et debeo sincere eum amare optando eius conversionem. Inimicus autem eius, quem odit, bonum et felicitatem aegre fert, non desiderat, de eo tristatur potius quam gaudet, gaudet vero de inimici malo, infortunio, paupertate, infamia etc.

775 2. Odium inimicitiae directe et essentialiter opponitur caritati eamque penitus excludit; quare necessario peccatum mortale est — excipe

si ad propriam inimicitiam non attingit, sed eam in re parva *imitatur*, optans aliquod malum non magnum.

3. Odium abominationis, si concipitur ex iusta causa, i. e. ex re, quae abominationem vere meretur, immo ea nos afficere debet, scilicet ex gravi atque pernicioso crimine, ordinem recti nullatenus laedit, modo abominatio in ea causa sistat, aut si eam desiderium mali proximi comitetur, id sub ratione veri boni optetur; v. g. si quis populi seductorem propter seductionem eiusque damna abominatur, eique, ne tot seducantur, mortem aliave mala, quibus impotens fiat ad nocendum, adprecatur a Deo infligenda.

4. Si autem odium abominationis concipitur ex re non absolute mala, sed relative tantum, videlicet quatenus aliquis mihi aliisve est causa alicuius mali temporalis, abominatio non ilico quidem peccatum dici potest; at si maior est, quam ullo modo meretur, aut si propter minus malum ab altero imminens eius malum gravius desideratur, evadit peccatum, idque mortale aut veniale pro gravi aut non gravi excessu.

II. Ab odio inimicitiae moraliter non distinguitur *tristitia de bono* <sup>776</sup> *alterius*, quatenus ipsi bonum est; distinguitur invidia, quae etiam est peccaminosa tristitia de bono alterius, quatenus consideratur id ipsum tamquam malum proprium propriae excellentiae diminuens.

Verum de alterius bono tristari vel ei malum optare potest ex diversis causis fieri. Si ex *iusta* causa fit, peccatum non est; si sine iusta, immo ex mala causa, peccatum est, idque ex genere suo grave.

Videlicet. 1. Tristitia de aliqua re concepta necessario supponit in animo gaudium vel amorem rei oppositae saltem interpretativum; quare si de peccatis loquimur, non idem quidem peccatum est, cum actus sit diversus, tamen *eiusdem specificae malitiae* vel moralis valoris atque amor ille.

2. Invidia vero non est plane eiusdem speciei ac tristitia inimicitiae; *in se* est minoris malitiae, quamquam non raro ex inimicitia oritur atque inimicitiae tristitiam adiunctam habet. Est nihilominus ipsa etiam invidia ex genere suo mortalis, admittit autem parvitatem materiae. Invidus scilicet voluntarie considerat id, quod proximus ipsum superat aut aequat in bonis sive quod ad eam aequalitatem accedit, tamquam suum malum suique depressionem; ideoque de illo bono proximi voluntariam tristitiam concipit, idque proximo potius ut desit, desiderat. Verum id contra caritatem est, cum caritas postulet, ut potius gaudeam, quod proximo bene sit, non vero, ac si malum meum sit — quod est falsissimum —, contrister.

3. Praestat hic distinguere plures affectus seu plures causas, ob quas <sup>777</sup> tristitia de bono alterius concipi potest, quas christifideles in accusatione sacramentali non raro confundentes omnes invidiam vocant: quo melius instruantur atque a peccati vel gravis peccati timore vel occasione removeantur.

Tristari de bonis alterius, quibus utitur, ut mihi damnum inferat, non est invidia: malum non est, nisi propter excessum.

Tristari de bonis alterius, quia iis utcumque male utitur, non est invidia; neque malum, nisi propter excessum.

Tristari de alterius bono, quia vere indignus est, non est invidia, neque malum, nisi forte divinam providentiam quodammodo accusem.

Tristari de alterius bono sive promotione, eo quod ego revera inde malum patiar bonisque priver, si ita vere est, nondum est invidia, neque malum, modo ne *ordo caritatis* laedatur.

Tristari non de eo, quod proximo bene sit, sed de eo, quod non ego potius boni illius — cum plures non possint — particeps evaserim: invidia nondum est, neque per se peccatum, modo maneam inter limites iustos *ordinis caritatis*<sup>1</sup>. — Haec ultima affectio facile concipitur ab hominibus in cotidianis victus quaerendi occasionibus: cum venditores potius ad se velint attrahere emptores, quam ad alios. Si igitur affectus non transit in tristitiam de eo, quod alteri bene sit: non est, quod poenitentes condemnentur, nisi forte *immodice* sibi prae aliis divitias quaesiverint. Nihilominus melius et consultius semper est, ab omni tali tristitia mentem avertere, ne affectus primo innoxius transeat in malum; atque potius rerum temporalium caducitatem considerent.

Cf. de variis hisce affectibus *Reuter*, Neoconf. n. 75 sqq; *S. Thom.* 2, 2, q. 36, a. 1—3.

778 4. Similiter desiderii mali alieni causae variae distingui debent. Dico «desiderii», quod utique de inefficaci desiderio intelligitur; nam desiderium efficax seu voluntatem inferendi malum fovere (cui simile est desiderare, ut ab altero iniuste malum inferatur), non magis licet quam ipsum malum proximo re ipsa inferre.

Porro ratio, eaque unica, ex qua licet alicui malum exoptari, est, ut maius malum evitetur secundum rectas caritatis regulas. Quare:

1) Nemini possum optare aeternam damnationem: possum tamen in aeterna damnatione eorum, qui iam culpa sua perierunt, divinam iustitiam laudare deque ea gaudere.

2) Non possum desiderare mortem alicuius deque ea gaudere, eo quod optem adire eius hereditatem: esset enim evidens ordinis caritatis laesio, cum bonum inferioris ordinis praeferrem bono vitae, quod est ordinis longe superioris. Cf. prop. 13 14 15 ab *Innoc. XI* damnatas.

3) Possum alicui malum temporale optare, ut inde sumat ansam respiscendi a peccatis: verum aliquando in his desideriiis affectus inimicitiae latere potest.

4) Item possum desiderare, ut aliquis nunc in statu gratiae constitutus moriatur, si alias periculum est, ne malam vitam agat.

5) Immo mortem alicuius desiderare possum, Deo relinquendo modum, eo quod aut commune damnum grave secus causaturus sit, aut mihi alterive iniuste sit illaturus necem; et similia.

6) Neque peccatum est, sed in se bonum, mortem seu supplicium eius ex amore iustitiae optare, qui crimine suo vere mortem meruit: at cavendum est omnino ab affectu iniustae vindictae, qui tum maxime irreperere potest, si mea causa agitur.

<sup>1</sup> Ordo scilicet caritatis plus minusve laeditur, si ego, opibus non ita indigens, meas opes potius auctum iri cupio, quam opes alterius qui in penuria est.



## § 2.

*De caritate inimicis debita.*

I. Caritas christiana etiam inimicos amplecti debet, ut patet ex<sup>779</sup> praecepto Christi, Mt 5, 44: «Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos» et 18, 35: «Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.» Idem ex constanti doctrina SS. PP.; ex quibus sufficit attulisse S. Hier. Comment. in Matth. 5: «Sciendum est ergo, Christum non impossibilia praecepisse, sed perfecta. . . . In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem praetendere; ad habendam vero dilectionem nullus se potest excusare.» — Quare 1) non licet homini velle malum inimico, 2) debet aliquo modo quilibet inimico positive bene velle, atque absentiam pravi animi, benevoli existentiam suo modo ostendere.

II. Verum dilectio inimicorum, qua praecepta est, communis caritatis lege circumscribitur: quare *specialis familiaritas* eiusque signa inimico non ex praecepto debentur, sed si dantur, ex *perfectionis* lege fiunt. Cf. S. Thom. 2, 2, q. 25, a. 9.

III. Quo magis autem communis caritatis officium declaretur, notandum est:

1. *nolle malum* dicit:

1) Non licet malum pro malo rependere velle, seu vindictam sumere animumve vindictae fovere.

2) Etiam positive venia danda est petenti, sive petitur formaliter, sive aequivalenter<sup>1</sup>, i. e. *personalis* offensae remissio seu extinctio concedenda est. — Si quis vero statim post gravem omnino offensam acceptam ob iustum dolorem non ilico positive daret veniam petenti, non positive negans, sed silendo differens: non posset iam incusari peccati saltem gravis. Vide *Tamb.*, In decal. l. 5, c. 1, § 3; *Bucceroni* I, n. 391 et 393.

3) Sponte veniam offerre offensori non petenti veniam, per se non est de praecepto, potest aliquando necessarium esse per accidens, videlicet si facile fieri potest, alias vero proximus per hoc Deo lucrandus in peccato tabesceret, vel scandalum aliud oriretur.

2. *Positive velle bonum*; quare nullatenus sufficit dicere: nolo meo<sup>781</sup> offensori malum optare, sed neque bene ipsi velle possum. Videlicet

<sup>1</sup> Scil. *Formalis* veniae petitio, quamquam per se debetur et aliquando pro honoris laesione exigi per offensum potest, tamen non raro admittit excusationes, ut 1) si offensor est multo superior; 2) si plena satisfactio alio modo facta est; 3) si laesus eam non curat; 4) si iudicatur, laesum non concessurum esse veniam (tum *expectari* potest) etc.: cf. *Mazzotta* l. c. c. 2, § 2 Q. quinto; *Tamb.*, In decal. de car. c. 1, § 3. — Quare summopere cautus esse debet confessarius in imponenda obligatione formalis petitionis veniae; immo etsi haec obligatio re ipsa adsit, saepe prudentia suadet, ut rem silentio praetermittat neve bonam fidem poenitentis sine spe fructus perturbet.

1) etiam inimicus inclusus esse debet in communi oratione, non quod specialiter de eo cogitari debeat, sed saltem non licet eum excludere. Hoc igitur est officium commune caritatis *ex se* debitum.

2) Ex speciali conditione *offensoris* debitum est, ut ei, qui in necessitate est, eodem modo succurratur, sicut aliis esset succurrendum, si indigerent.

3) Immo (quod ad speciales circumstantias *offensi* pertinet) si *libere* exercentur actus caritatis circa multitudinem, inter quam per se offensor est, non licet eum plane excludere: quia id iam signum est vindictae et exclusionis a communi caritate. Si quis igitur omnibus civibus indigentibus annonam distribuit, non licet ei transire inimicum.

4) Ex relatione mutua inter offensum et offensorem possunt signa specialia debita esse: ut, si intercedit e. c. relatio ex se insolubilis cognitionis etc., etiam offensor secundum modum omnibus *cognatis* debitum tractari debeat.

3. Signa specialis familiaritatis, quae nemini debentur, neque per conditionem personae et consuetudinem regionis exiguntur, inimico exhiberi non oportet: quamquam, si fit, perfectionis est.

Si quae autem signa non sunt omnino particularia, neque omnino communia: videndae sunt variae circumstantiae, ut aut urgeatur, aut non urgeatur eorum exhibitio, videlicet

1) ne denotetur animus vindictae,

2) ne inimicus, quem facile sine gravi incommodo lucrari possim, diu remaneat in malo statu. Ceterum hoc in casu potius suaviter inducendus est poenitens quam stricte urgendus, maxime quia, si valde ipse repugnat, id sibi etiam satis difficile apparet.

782 Ad maiorem declarationem nota:

1. Aliud est velle vindictam, aliud velle reparationem iuris laesi. Quare licet postulare omnino reparationem damni illati, immo etiam, si accidit, reparationem laesi honoris, magis etiam famae, idque, si opus fuerit, actione iudiciali. Immo *in se* ne illicitum quidem est actionem criminalem contra offensorem instituere, si res tanta est, ut publica fiat iustitia et ordinis recti reparatio per poenam delinquentis. Quod si amore iustitiae fit, non est reprehensibile: at si ex animo vindictae, peccatum est per se grave. Quare potius retrahendi sunt fideles, ne urgeant criminalem actionem ad puniendum offensorem, cum difficulter animus vindictae absit.

2. Post praestitam satisfactionem aut voluntatem praestandae satisfactionis offensus *debet* veniam personalis offensae dare; offerre eam antea, etiam implicite per alloquium aliave signa amicitiae, ex se quidem obligatorium non est, potest esse per accidens: vide supra ad 3. Cf. *S. Alph.* II 28 et *S. Antonin.* p. 2, tit. 8, c. 2, § 6.

783 Hinc etiam fere solvitur quaestio, num aliquis teneatur salutare eum, a quo gravem offensam passus est. Per se id non exigitur, antequam ille offensor priorem gressum fecerit, nisi forte salutatio sit signum debitum honoris erga superiorem, aut alia obligatio per accidens accedat: quod facilius obtinet, quando salutatio est signum *commune* caritatis erga obvios, a

quo *diutius* abstinere facile pro signo odii haberetur<sup>1</sup>. — Resalutatio vero debita est inimico, nisi forte superior ab inferiore offensus non resalutando aliquo tempore iuste ostendat suam indignationem; immo etiam pro gravitate iniuriae id brevi tempore post iniuriam acceptam semel omittit in signum iusti doloris, neque aliis statim peccato verti potest. Verbo, omissio alicuius signi benevolentiae aliquando ex circumstantiis sumi debet rationabiliter ab offensore et ab aliis pro *iusti maeroris tantum manifestatione*; quod si obtinet, illa omissio non est peccatum, nisi offensus *interne* coquat vindictam et inimicitias. Si quando autem talis omissio rationabiliter haberi debet pro *manifestatione vindictae et inimicitiae*, omissio ex se et per se peccaminosa est, sive offensus coquit sive non coquit vindictam: quae merito supponitur; quamquam pro confessione non *idem* est peccatum, prout revera animus ille adfuit aut non adfuit. Cf. *Tamb.* et *Mazz.* l. c.; *S. Alph.* n. 28 cum aliis. — Positivum signum rancoris exhibere, ut torvis oculis aspicere, cum despectu praeterire, numquam licet.

Declinare diutius inimicum ex industria saepe denotare potest animum odii et vindictae, si procedit ex voluntate vitandi occasiones, in quibus communia signa benevolentiae exhibenda sint. Verum si subest causa iusta ex parte inimici, utpote hominis contentiosi, qui, si alterum obvium haberet, iniurias adderet, peccatum non est, sed prudens cautio.

3. Offensor igitur primo reconciliationem incipere debet; si vero mutua<sup>784</sup> est offensus, ille, qui *gravius* offendit, reconciliationem quaerere debet; si est fere aequalis offensus, qui *prior* offendit. — Verum in mutua offensione cum facile quis sibi persuadeat, se graviolem passum esse iniuriam: nisi prorsus evidens sit gravior offensa, quis a confessario urgendum est, ut *quaerat* reconciliationem, adeoque, etsi putet alteri potius incumbere officium, saltem incipiat salutare, vel per alios reconciliationem proponere.

4. Etiam post reconciliationem et offensae condonationem intima quaedam familiaritas, etsi antea exstiterat, non est ex obligatione redintegrandam.

5. Sponte occasionem inimico benefaciendi quaerere, speciatim pro eo orare, pro malis positiva bona extra necessitatem conferre, perfectionis est et magni meriti. Utrum autem confessarius ea poenitenti pro sacramentali satisfactione iniungere possit necne, ipse prudenter perpendere debet, ne forte supra vires poenitentem tentet.

## Articulus II.

### De scandalo et cooperatione.

In primo capite de positivis obligationibus caritatis agentes primo<sup>785</sup> internos caritatis actus *necessarios* exposuimus, dein actus externos, quibus caritas se prodere aliquando pro circumstantiis debet.

<sup>1</sup> Huc etiam refer omissionem salutationis et alloquii inter moniales sive religiosos eiusdem domus. *Tamb.* et *Mazz.* l. c. dicunt, si post rixam per aliquod tempus, ut per paucos dies usque ad hebdomadam, a colloquio abstineant, non statim arguendos eos esse peccati gravis; quod praesumi possit, exspectari interim, dum ira defervescat, opportunitatem alloquendi occasionem. Verum si id aut propter tempus diuturnius aut propter alias rationes praesumi non possit, videndum esse, utrum fuerit causa rixandi levis, an gravis; si levis, eam non praesumi in timoratis causasse grave odium, ac proin omissionem alloquii non facile haberi posse pro odii gravis signo, neque pro gravi, sed pro veniali peccato; si causa rixandi gravis fuerit, diuturniorem omissionem amicabilem convictus pro gravi peccato habendam omnino esse.

In hoc secundo capite tractatum de negativis obligationibus aggressi, illos actus peccaminosos perpendere debemus, qui caritati *contrarii* sunt. Inter quae peccata primo se obtulerunt odium et inimicitia cum invidia, videlicet ea, quae *contrarie* opponuntur caritatis actibus *internis*.

Restat igitur, ut discamus hoc articulo actus peccaminosos *externis* caritatis actibus, i. e. opitulationi proximi per eleemosynam et per correctionem fraternam contrarios, cui utique opponitur proximi damnum positive inducere, sive in re temporali sive in spirituali. Verum haec laesio universe tractanda hic non est, ubi de laedenda caritate agitur. Nam communiter non solum caritas, sed *gravius* iustitia<sup>1</sup> laeditur; quare postea de laesionibus illis diversorum generum fuse acturi sumus. Positivum enim damnum, quando proximo infertur *invito*, contra iustitiam plerumque infertur; invitus autem proximus erit vix non semper, quando de rebus temporalibus agitur, et quando invitus non est, fere ne caritas quidem in hisce rebus violatur. At inter damna rerum spiritualium unum est, in quo proximus vere invitus dici nequit; damnum dico, quod in committendo peccato consistit: in quo subeundo, cum nisi volens peccare non possit, *invitus non est*, nisi forte metu vel dolo et errore fuerit inductus. Nihilominus gravissimum patitur damnum. Quare qui ad hoc damnum alterius confert, caritatem proximi graviter laedit peccato, quod correctioni fraternae, utpote tendenti ad illud peccati damnum removendum, directe opponitur. De hoc peccato iam acturi sumus.

786 Conferre ad peccatum alienum duobus modis possum: 1. ita ut ego alterum ad peccatum aliquo modo *determinem*, causam inducentem vel ansam praebeam; 2. ut alterum iam determinatum aut ex sese determinandum *in perpetracione iuvem*. Uterque modus nomine cooperationis comprehendi potest. Tamen prior modus scandali nomen sortitur, alter cooperatio presse sumpta vocatur.

Theoretice conceptus scandali ab alia cooperatione distingui omnino debet. In actione ex sese indifferenti, si scandalum invenitur, sola ratio laedendae caritatis ratio est, quae *scandali peccatum* constituat; laesio autem caritatis non unica, immo saepe ne principalis quidem ratio est cur *cooperatio aliqua sit illicita*.

<sup>1</sup> Occurrendum est hic axiomati, quod non raro auditur, quasi caritas levius obligaret quam iustitia aliaeque virtutes, eiusque laesio esset minus peccatum quam laesio iustitiae. Quod sic universe intellectum falsum est et in confusione conceptuum nititur. Vera haec sunt: 1) caritas in iis, quae communiter accidunt, non tam facile seu *non cum tanta difficultate* obligat ad positivos actus suos quam iustitia; aliquando tamen cum summo discrimine obligat; 2) caritas si sola laeditur, *postquam* laesa est, *non trahit secum tam gravem obligationem* quam laesa iustitia. Attamen 3) peccatum, quo caritas laeditur, saltem si positive et immediate in se laeditur, specifica *malitia* interni actus *gravius est*, quam quo iustitia laeditur: ut ex gravitate odii et inimicitiae, atque etiam ex gravitate scandali conicere licet. 4) Iustitia vix laedi potest sine laesione caritatis; quare mirum non est, iustitiae laesionem in concreto saepissime graviorem esse quam laesionem solius caritatis.



Quoniam vero ipsius peccati malitia, *quatenus contra proximum est*, et in scandalo et in alia cooperatione, quamvis gradu discrepet, specificè est eadem: facile intelligitur, cur per plurimi scriptores scandalum et quamlibet cooperationem coniungentes de utroque promiscue disputaverint. Accedit etiam alia causa. Practicè enim in diiudicandis quibusdam actionibus, utrum licitae sint an illicitae, utraque, i. e. *et scandali et cooperationis ratio considerari debet*, quia non raro utraque occurrit, idque ita, ut, si *una* spectetur, pro circumstantiis variis peccati ratio ab actione abesse videatur, si altera, ipsa illa actio peccato obnoxia dici debeat.

Nos vero claritatis gratia notionem et principia distinctim 1. de scandalo, 2. de cooperatione recensebimus, hic singulares quasdam actiones, in quibus peccata illa frequentius occurrunt, aut, num occurrant, difficiliter discernitur, etiam exhibituri. Attamen minime impedimur, quo minus, quando cooperationem in singularibus et certis actionibus consideramus, qua licita, qua illicita sit, statim etiam ad scandalum forte simul occurrens oculos — ut vere fieri debet — coniciamus.

### § 1.

#### *De scandalo.*

Scandalum aliud est *activum*, de quo per se et directe agimus, et quod consistit in ipsa occasione ruinae proximi; aliud *passivum*, quod est ipsa proximi ruina. Activum igitur scandalum est ratio passivi: de quo posteriore eatenus agere debemus, quatenus correlativum est activi scandali, eius obiectum vel effectus.

#### Punctum I.

##### *Principia de scandalo explicantur et illustrantur.*

I. **Definitio scandali.** Scandalum activum definitur cum *S. Thoma* 787 2, 2, q. 43 a. 1: *Dictum vel factum minus rectum praebens proximo occasionem spiritualis ruinae.*

Scandalo sic definito correlativum est scandalum *passivum simpliciter sic dictum*. Verum aliquando opus per se omnino rectum occasio peccandi alteri esse potest. Quod si fit ita, ut proximus ex actione bona vel indifferenti ob meram malitiam peccandi ansam sumat, *scandalum pharisaicum* vocatur. Si sumitur occasio peccandi potius ex fragilitate aut ignorantia, ita ut alterius actio per se ansam non dederit, vel notabiliter non dederit, *scandalum pusillorum* habemus: ut si ex honesto ornatu mulieris iuvenis ansam sumit libidinis, aut si ex recta decimarum aliorumve iurium exactione aliquis illegitime ansam sumit clericorum ordinem avaritiae incusandi.

Scandalum (activum) distinguitur *directum* et *indirectum*: prius habetur, si intentio agentis fertur in peccatum alterius, sicut in seductore obtinet; posterius, si peccatum alienum non intenditur, attamen, quamvis praevideatur, non praecavetur, neque propter praevisum peccatum alienum actio propria omittitur.

Scandalum directum, si peccatum proximi formaliter ut peccatum intenditur, ut est malum proximi (aut Dei), dicitur scandalum *diabolicum*, cum procedat ex gravissimo odio proximi aut Dei, quod diabolo potius quam homini proprium est; dicitur igitur et est scandalum *directum et formale*. Si proximi peccatum seu *actio*, quae peccatum est, intenditur *non qua peccatum*, sed propter aliam rationem utilitatis, voluptatis, scandalum est *directum simpliciter tale*.

Explicationis causa haec nota: 1. In definitione scandali, quando *dictum vel factum* dicitur, intellige sive verba sive facta, vel etiam omissionem: omnia haec alteri ansa labendi esse possunt.

2. Quod dicitur *minus rectum*, proprie sic intellige, ut sit aut opus *malum*, aut *mali speciem prae se ferens*, quamquam in se bonum vel indifferens. Hinc proprie concludi debet, scandalo pusillorum non semper, scandalo pharisaico numquam respondere scandalum activum vere dictum. Nihilominus, quoniam — ut ex postea dicendis patebit — etiam obligatio esse potest abstinendi ab opere bono ex se nullius mali speciem habente propter scandalum pusillorum, interdum propter ipsum scandalum pharisaicum: quando contra hanc obligationem peccatur, ipsam illam actionem in se omnino bonam latiore sensu *minus rectam* dixeris respectu habito ad concretas circumstantias, atque nomine *scandali* latiore sensu vocare potes.

783 II. Malitia scandali. Scandalum, si diabolicum est, continet malitiam contra caritatem specificè distinctam ab ea caritatis laesione, quae alias in scandalo est.

Quodlibet autem scandalum, sive directum sive indirectum, continet malitiam contra caritatem proximi; directum insuper specificam malitiam contra eam virtutem, contra quam alienum peccatum versatur.

**Explicatio.** 1. Scandalum directum est semper actio in se aut ex se peccaminosa; nam intentio peccati alieni non potest non esse mala, ideoque quidquid ex hac intentione ad producendum peccatum alienum agitur, hanc malitiam pravae intentionis participat. — Directum scandalum saepe fit verbis: iussione, consilio, laude, petitione peccati committendi.

2. Neque haec scandali directi malitia abest, si quando praevidetur, conatum illum sollicitantis valde probabiliter fore incassum; gravior tamen plerumque malitia contrahitur, si effectus praevidetur certior.

3. In scandalo directo laedi non solum caritatem, sed etiam illam peculiarem virtutem, contra quam peccatum alienum intentum versatur, adeo est certum, ut nullum oriri possit dubium. Nam approbare homicidium sine omni dubio aliam malitiae speciem habet quam approbare furtum; et sic porro: at qui alterum ad certum peccatum inducere cupit, ad hoc peccatum provocando ipsum approbat. Est igitur certissima obligatio poenitentis in confessione scandali directi addere, quodnam fuerit peccatum, ad quod alterum induxerit aut inducere voluerit <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> In peccato, quod cum complice committitur, sume luxuriam, *etiam consentiens* alterum suo modo inducit ad peccatum; quare, *qui prior seducendo incepit*, graviore quidem circumstantia, sed non specie diversa peccat, nisi forte scandalum fuerit diabolicum.

4. Verum in scandalo indirecto non est formaliter volitio et ap-<sup>789</sup> probatio peccati alieni, sed potius permissio, et consequenter, quando eam fieri non licet, *interpretativa tantum volitio*: quare probabile est ex multorum theologorum sententia, malitiam consistere in *sola* caritatis laesione. In hac sententia necesse non est, ut in confessione addatur species peccati alieni, cui poenitens ansam dederit, secundum obiectum suum et circumstantias, sed sufficit explicatio scandali et illius malitiae, quam actio a poenitente posita forte *in se* habet. Ita *Lcssi*, *Hurtado*, *Lugo*, De poenit. disp. 16, n. 159 sq; *Tambur.*, Meth. conf. l. 2, c. 1, n. 105; *Suarez*, De carit. disp. 10, sect. 2, n. 9; contrarium putant *Castrop.*, tract. 6, disp. 6, p. 3, n. 7 sqq; *Reuter* II, n. 129, *S. Alph.* II 45 etc. Cf. etiam de hac re *Ballerini-Palm.* II, n. 246 et 247; *Bucceroni* I, n. 424.

Inde nota pro confessionibus excipiendis, quoad accusationem sermonis inhonesti, modo ne ad *gravitatem* huius scandali cognoscendam requiratur, necesse non esse inquirere conditionem eorum, *coram quibus* poenitens ita locutus sit, quando seducere non intenderat; debere tamen *per se* intelligi *aliquo modo*, *quid* locutus fuerit, si materiae turpis approbatio — ut plerumque fit — aderat, quia haec in se ipsius obiecti approbati malitiam habet.

5. Actio, qua scandalum datum est, potest in se continere malitiam<sup>790</sup> gravem scandali, et venialem aliam malitiam ex sua propria natura: at etiam e contrario malitiam gravem ex sua propria natura, scandali malitiam levem.

Nam inductio, adeoque directum scandalum — multo magis indirectum circa peccatum proximi veniale, per se non mortale, sed veniale peccatum est. Idque adeo est verum, ut secundum *communem* sententiam contra paucos (*Vasquez*, *Cominck* . . .) per se nondum mortale peccatum sit, aliquem in peccatum veniale inducere, qua seu quia illius malum est. Ex sese enim talis affectus pravus non supponit grave odium vel vindictam, sed vult sese continere intra limites levis inimicitiae vel displicentiae. *Potest* tamen affectus graviter malus accedere, ut gravis odii, aut affectus Deum aliquo malo extrinseco afficiendi: — quod utique parvitatem materiae non admittit. Cf. *Castropal.* tract. 6, disp. 6, punct. 2 cum *S. Thoma* q. 43, a. 4 in fine; *Azor*, *Bonacina*, *Navar.*, *Suarez*, *Sanchez* etc.

Alias etiam fieri potest, ut nexus actionis ceteroquin graviter malae cum scandalo passivo adeo remotus sit, ut non sufficiat ad statuendum reatum gravem scandali dati. Sume v. g. religiosum, qui in itinere contra peculiarem legem vel praeceptum ieiunandi sibi impositum delinqueret, alias regulas modestiae et temperantiae nullatenus laedens. Si qui ieiunii legem violatam ignorantes inde sumerent ansam religiosi detrahendi quasi ventri deditis: quis dixerit, religiosum illum scandali dati magis reum esse, quam si lege ieiunii non obstrictus vires refecisset? Cf. infra n. 793.

III. **Conditiones ad scandalum necessariae.** Ut scilicet, quando<sup>791</sup> scandalum passivum non intenditur, actio alicuius malitiam scandali (indirecti) *habere possit*, requiritur, ut, sive per se sive per circumstantias, relate ad alios homines vim quandam movendi ad peccatum habeat.

Ut eiusmodi actio, si ex se bona vel indifferens est, malitiam scandali *re ipsa habeat*, requiritur insuper, ut agens causam sufficientem ruinae

alterius permittendae non habuerit, sed ut obligatus fuerit potius omittere actionem et subire incommodum inde oriturum, quam ut alterius spirituale damnum permetteret.

**Explicatio.** 1. Vis illa commovendi ad peccatum potest actioni alicui inesse aut a) *ex sese cum respectu* ad aliorum dispositionem, aut b) *ex sola aliorum dispositione*.

Quamquam, ut iam antea notatum est, si ex sola ipsorum dispositione alii ad peccatum commoventur, scandali dati peccatum *proprie* committi dici nequit: tamen si propter tale peccatum alienum praevisum obligatio alicui incumbit abstinendi potius ab actione sua bona vel indifferenti, vere peccatum contra caritatem eiusdem speciei contrahit, cuius est scandalum indirectum stricti nominis, nisi actionem illam omittat.

2. E contrario actio etiam in se mala et apta ad dandum scandalum non semper re ipsa scandali reatum habet. Nam si ii, coram quibus illa actio committitur, sunt adeo stabiles in bono, ut nullatenus videantur commoveri, aut ita perditis moribus imbuti, ut non iam alterius facto ad malum demum induci posse videantur, cum aut ex sese iam sint satis determinati, aut adeo malis assueti, ut a re aliis periculosa vix moveantur: peccatum scandali, nisi *directum sit*, non committitur. Cf. *Castropal.* tract. 6, disp. 6, punct. 1, n. 4.

792 3. Neque *scandali* peccatum committitur, si ex alterius actione mala aut mali speciem habente sola admiratio vel detestatio oritur, atque peccantis diffamatio; sed scandalum tum est, quando alii spectantes sive audientes a virtutis amore declinant, ad legem infringendam invitantur, ad dicitaria iniusta suspicionemve iniustam concipiendam vel ad totum certorum hominum statum communitatemve ob peccata unius contemnendum permoventur, sive haec certo praevidentur, sive probabiliter timeri debent.

Ceteroquin, quia omnes istae sequelae ex actione mala (vel pro circumstantiis ex minus recta) *publice facta* oriri solent, praesertim si agens alias pius esse censetur aut religionem pietatemque specialiter colere obligatur: scandalum per talem actionem dari praesumendum est, et vere scandali reatus contrahitur secundum regulas modo datas.

4. Ut rite intelligatur, cur et quomodo etiam cum praevisione alieni peccati secuturi nihilominus mihi agere liceat, recolenda sunt ea, quae de «voluntario indirecto et in causa tantum» dicta sunt; nimirum non semper ea, quae ex actione mea aliquo modo sequuntur, mihi esse imputabilia et pleno sensu voluntaria, sed propter effectum bonum me non raro effectum malum conexum permittere posse. Id eo magis valet in hac re, quod tandem alienum peccatum ipsi committenti sit voluntarium et liberum; atque res tota eo reducitur, utrum secundum regulas caritatis tale spirituale malum alterius ab ipso volitum impedire teneat, annon.

793 IV. **Criteria scandali.** 1. *Brevis regula generalis* qua discernatur, utrum actione mea scandali malitia contineatur necne, haec esse potest: Si propter meam actionem proximo *difficile* erit a peccato abstinere, proportionate gravis causa ex mea parte requiritur, ut agere possim, igitur gravior, quo maior est alterius difficultas maiusque peccatum. — Si vero proximus *facile* prorsus a peccato abstinere potest, non teneor difficultatem aut incommodum subire, ut ego actionem omittam.



*Hinc:* 1) Si actio mea speciem mali continet, ea mali species, quantum fieri potest, auferenda est, v. g. docendo alios etc., alias gravis causa requiritur.

2) Si actio mea scandalum parit ex aliorum ignorantia, hi etiam tum dedoceri debent antea; quod si fieri nequit, omnino causa proportionate gravis requiritur, quoniam ignorantia facit, ut difficilius a peccato absteatur.

3) Si actio mea mala quidem non est neque proprie mali speciem habet, at alteri tentationem superatu difficilem creat, etiam causa plus minusve gravis requiritur, ut mihi nihilominus agere liceat.

4) Si vero actio mea in se undequaque recta est neque alteri occasio est peccandi nisi remota aut vitatu facilis, causa non gravis me a scandali reatu immunem facit. — Potest etiam accidere, ut a gravi quidem reatu immunis sim, non vero ab omni etiam levi culpa; immo si sine ulla ratione prorsus temere permitto alterius grave peccatum, ex iis, quae de correctione fraterna dicta sunt, a gravi peccato immunis non sum. — Ceterum scandalum plene pharisaicum, modo peccatum nobis displiceat, vix umquam tenemur vitare sub gravi, immo accedente aliqua causa raro sub veniali. Cf. *Tamb.*, In decal. l. 5, c. 1, § 4, n. 69 sqq.

2. *Regulae magis ad particularia quaedam descendentes:*

794

1) Non licet umquam ad vitandum scandalum aliquid intrinsecus malum facere; ac proin non licet omittere praecepta legis naturalis, si vere in iis circumstantiis praeceptum urget. *Reuter* II 132; *Elbel* II, n. 359.

2) Opera bona praecepta, si sunt hic et nunc necessitate medii necessaria, propter scandalum non sunt omittenda: ib.

3) Opera bona lege positiva praecepta non sunt omittenda umquam propter scandalum pharisaicum: sed propter scandalum ex infirmitate et passione aliorum oriundum rectius *aliquoties* praecepta illa omittuntur, etsi de stricta obligatione omittendi non ita constet propter auctoritatem theologorum diverse opinantium.

Hinc mulier, quae scit, se ab aliquo certo iuvene turpiter amari, si scandalum illud passivum non frequenter accidit, recte aliquoties a Sacro abstinet diebus festis, ne se eius aspectui offerat. Cf. *Castrop.*, *Illsung*, *Reuter* II, n. 132, alios.

4) Opera bona, etsi consilii tantum sunt, agenti aliisve utilia, non sunt omittenda propter scandalum pharisaicum. Propter scandalum ex ignorantia oriundum, si fieri potest, differenda sunt, donec aliis data fuerit ratio: quodsi pergant scandalizari, iam est scandalum pharisaicum. Propter scandalum ex infirmitate vel passione in *certo* quodam homine oriundum, actio bona non praecepta differenda aut una alterave vice omittenda est, ut omnes docent; attamen non saepius, quia hoc notabile esset incommodum.

Ex regulis sub 1) et 2) datis colliges: a) Si scandalum cognati sumerent ex ingressu meo in ordinem religiosum, generatim antea essent instruendi,

iisque ratio reddenda: quo facto, sibi suam malitiam imputare debent. *Reuter* l. c. — Magis etiam clericus, religiosus etc. teneretur rationem reddere vel declarationem praesentibus, coram quibus legem abstinentiae non observaret, quamquam legitime dispensatus esset.

b) Mulier, quae turpiter concupiscitur, una alterave vice a Sacro diebus ferialibus abstinere debet, si ita scandalum tollat, non autem frequenter.

5) Idem fere dicendum est de rebus indifferentibus, in se speciem mali non habentibus: a quibus *frequentius* abstinere, aut abstinere propter aliquod periculum scandali pusillorum *indeterminati*, non erit obligatio, etsi propter honestam tantum recreationem exercentur.

Hinc: a) Mulier, quae ex industria aut temere sese viri ipsam turpiter amantis aspectui obicit, graviter peccat.

b) Si una alterave vice abstinendo a deambulatione, a publico non necessario conventu etc. scandalum certi viri evitare potest nec facit, cum comode possit, graviter peccat.

c) Si vero diutius aut frequentius sese domi continere, aut anxie pendere deberet, utrum haberet sufficientem rationem necne: ad illud incommodum subeundum non teneretur; sicut neque tenetur ad dimittendum ornatum honestum ex eo, quod prudenter conicit, aliquos inde sumpturos esse ansam libidinis. Quare tum sine alia causa utilitatis libertate sua frui potest citra peccatum mortale; ex qualibet rationabili causa etiam citra peccatum veniale. *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 6, n. 16 17; *Tamb.* l. 5, c. 1, § 4, n. 27.

6) Immo quod de rebus et actionibus indifferentibus dicitur, sic extenditur ad res et actiones venialiter malas nec graviter ad peccatum alios provocantes, ut haec agere non censeatur mortale peccatum scandali, sed veniale tantum esse, modo iisdem limitibus circumscribatur, ac antea sub 5), vid. sub gravi aliquem obligari ad eas res actionesve omittendas, si per breve tempus omittingo spiritualem ruinam personae determinatae impedire se posse videat.

796 Praestat hic ea afferre, quae de ornatu mulierum *Lessius*, De iustitia etc. l. 4, c. 4, n. 113 et *Tambur.*, In decal. l. 7, c. 8, § 8, n. 7 (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 169, a. 2) habent. Loquuntur enim de ornatu, etiam de superfluo venialiter peccaminoso, cui adnumerant denudationem pro more regionis *non graviter* inhonestam. Ita *Lessius* n. 105 sqq. Dein pergit: «Notandum tamen, non ex eo censeri ornatum scandalosum (i. e. graviter peccaminosum), quod multi occasione illius putentur ad prava desideria provocandi, ut recte praedicti Doctores (scil. *Caietan.* et *Navarrus*) tradunt: alioquin etiam pulchritudo naturalis scandalosa esset; nam multo magis provocat quam artificiosa, cum natura longe superet artem. Itaque etiamsi femina putet, aliquos peccaturos, *non tamen idcirco sub peccato mortali tenetur talem ornatum dimittere*; sicuti is, qui a multis odio habetur, non tenetur a publico abstinere, ut inimicis non detur occasio odii. Ratio est, quia ornatus iste solum remote ad malum provocat; ergo non tenetur ab eo abstinere, ne alii peccent, alioquin perpetuo abstinere deberet, cum illa occasio sit perpetua et universalis — quod nimis grave esset humanae conditioni. Sufficit igitur, ut ei peccatum proximi displiceat, et illius salutem non contemnat. Et confirmatur: quia, quod illi peccat, ex eorum provenit malitia, non ex conditione ornatus; sicut enim circa hanc (mulierem) peccant, ita etiam circa alias eximiae pulchritudinis; atqui id, quod ex aliorum malitia provenit, non tenemur cum tanto gravamine nostro impedire. Secus, si aliquo casu ad breve solum tempus ob

peculiare periculum alicuius abstinendum esset (idque, ut *Diana* notat p. II, tract. 15, resol. 56, etiamsi ornatus non sit superfluus . . . et de se non sit quasi provocativus ullatenus): tunc enim caritas postulareret, ut *pro eo tempore* talem ornatum superfluum omittam, ne proximus, qui alioquin putatur non peccaturus, inde peccandi occasionem habeat.»

Cf. quae hac de re dicentur in praeecepto sexto.

## Punctum II.

### *Peculiares actiones cum scandalo conexas discutuntur.*

Supra dictum est, scandalum directum adesse, idque numquam sine <sup>797</sup> peccato, quando quodcumque agitur ex intentione alieni peccati. Ex qua doctrina difficultas oritur definiendi, num umquam licitum esse possit, 1) aliquid ab altero *petere*, 2) eive *consulere*, quod sine peccato non est praestiturus, 3) ex consulto aliquid facere, ut sit alteri ansa seu *occasio* peccati, 4) eamve occasionem *ex consulto alteri relinquere*. Tractemus de hisce rebus inverso ordine.

I. *Occasionem* peccati oblatam *non auferre* videtur collidere cum obligatione correctionis fraternae, idque eo magis, si, qui non aufert, ipse posuit occasionem, aut illius, qui forte peccaturus est, peculiarem curam ex officio agere debet.

Quae eatenus vera sunt, quod gravior causa requiritur, ut ii possint occasionem non auferre. Nam, si nihilominus gravis causa est, licebit ex intentione magni boni peccatum *permittere*. Id tamen cave, ne umquam *peccatum* intendas, aut aliquid, quod peccatum alienum supponat, absolute intendas. Sic non licet absolute poenam peccato futuro debitam intendere; quia tunc vere intenderetur antecederetur ipsum peccatum; licebit tamen, supposito peccato, adeoque conditionate, poenam velle. At sola poena non est iusta causa peccatum permittendi.

Iusta causa est cur, relicta occasione seu non ablata, peccatum permittatur:

1) Efficacior correctio seu emendatio delinquentis, modo satis certa spes sit. Vide *Castrop.* disp. 6, p. 5, n. 3 cum *Návar.*, *Valentia*, *Sanchez*, De matrim. l. 10, disp. 12, n. 52; *Bonacina*, *S. Alph.* II, n. 58 cum *S. Thoma* Suppl. 3, q. 62, a. 3 ad 4.

2) Indemnitas propria, cui provideatur, deprehenso delinquente; aut si permissio uno peccato praecaventur plura. Ex hoc motivo etiam custodes agrorum etc. sese abscondere possunt et dissimulare praesentiam, ut damnificatores, qui alias saepe damnum illaturi sint, deprehendant; non vero eo solo fine, ut aliquem deprehendant, a quo mulctam recipiant vel poenam sumant.

Vide *Castrop.* ib. cum aliis.

NB. Ob solam mulctam capiendam sese abscondere, peccatum mortale esse ex doctrina *Med.*, *Sanchez*, *Bonac.* refertur quidem; addit vero *Castrop.*: «quod est satis durum»; neque puto, subjective custodes in ea re gravem malitiam apprehendere, nisi agant ex odio.

3) Experimentum sumere de fidelitate alicuius famuli etc., cui res propriae committi debent, etiam ratio est, ex qua liceat occasionem peccati *permittere*.

798

II. Ex iisdem fere rationibus, modo de re gravioris momenti agatur, contra multorum sententiam *S. Alph.* II 58 cum *Laym.* l. 2, tract. 3, c. 13, n. 5; *P. de Navarra, Elbel, Sporer* tract. 5, c. 1, n. 63—69 probabile videtur, licere occasionem peccandi ex consulto ponere (quod alii ut *Castrop.* l. c. n. 5 et 6; *Tambur.*, In decal. l. 5, c. 1, § 4, n. 4 sqq nolunt positive approbare nec positive reicere). Recenset *S. Alph.* has actiones:

1) Ex consulto occasionem furandi filiis sive famulis non auferre.

2) Mulieris suspectae fidem, admissio adultero, tentare; (*Tambur.* adiungit: dicere uxori per aequivocationem, ut conveniat cum amasio, ut is veniat tali hora — monet autem, non licere dicere, ut conveniat ad peccandum — quo sic deprehendi possit et emendari).

3) Servo a fure saepe sollicitato res proprias tradere, ut eas ad furem deferat, ut fur sic deprehensus et punitus sollicitare desinat. Quod ultimum tamen, nisi satis dextre famulus agat, facile in formalem cooperationem seu furti *suasionem* degenerare potest.

799

III. Consulere peccatum quodcumque, si absolute consulitur, numquam licet: verum aliquando licebit ei, qui ad maius peccatum determinatus est, consulere seu suadere peccatum minus.

Quod ut rite intelligatur, advertendum est, eum, qui sic agat, nullatenus optare nec consulere *ut peccetur*, sed id intendere ipsum atque consulere, *ut peccatum diminuat*, seu, ut alter sub illa conditione, quod absolute nolit a peccando desistere, saltem peccatum diminuat. Quodsi ita rem consideras, non videtur ulla difficultas esse, nec ratio, cur aliqui, ut *Castrop.* l. c. p. 6, *Valentia, Caietan.*, id licere in tam multis circumstantiis inficientur.

Igitur licebit:

1) Suadere minus malum, quod iam inclusum est in malo illo, ad quod alter alias iam determinatus existit: e. g. si quis alterum vult occidere, ut potius vulneret; aut etiam ei, qui vult adulterium committere, id proponere, quod meram fornicationem perpetrare via sit gravius peccatum declinandi. Immo etiam de peccato omnino disparato tantum dicere, minus graviter tandem offendit Deum, si hoc committatur: omnes fateri debent et fatentur, hoc licitum esse. Cf. *Castrop.* l. c. n. 12.

2) Suadere minus malum prae maiore omnino disparato: quando detrimenti certae personae, de qua alter non cogitavit, inferendi causa vel occasio non sur. Ita quam plurimi cum *S. Alph.* II, n. 57 secundum effatum *S. Aug.* (De coni. adult. II 15; ML 40, 482): «Si enim facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, et non faciat homicidium.»

3) Immo etsi mea suasio occasio sit, cur alteri personae, quam illi, de qua peccaturus cogitaverat, damnum inferatur: si peccatum a me propositum vere minus est, neque ego alteram personam determinatam, cui malum inferatur, designavi, non est ratio cur id dicatur illicitum. V. g. «Si furari vis, potius a divite aliquo rem aufer quam a paupere (sive: quam ab hoc paupere); aut: «si fornicari demum vis, potius cum corrupta quam cum virgine pecca», et similia.

4) Atque etiam si alter secum deliberat, cui malum inferat, Petro diviti an Paulo pauperi, alterutri certo damnum illaturus: videor suadere posse,



ut potius Petro diviti quam Paulo pauperi in re temporali damnum inferat; cum suasio mea in id solum tendat, ut peccatum diminuatur.

5) Sola una hypothesis difficultatem parit: si alter determinatus est ad damnum Paulo inferendum, nihil cogitans de Petro: num suadere possim, ut, relicto Paulo, Petro, qui minus sentiat, damnum inferatur. Quod *Soto*, *Lugo*, De iust. disp. 19, n. 54; *Sporer* n. 59; *Sanchez*, De matr. l. 7, disp. 11, n. 24 etc. negant licere utpote contra Petrum iniuriam continens; alii, ut *Vasquez*, De scand. a. 1, n. 14; *Tambur.* l. c. (qui n. 6—14 id fuse prosequitur per plura exempla discurrens); *Gury-Baller.* I, n. 237 not. id etiam licere contendunt, neque dominum laesum rationabiliter invitum esse posse contra suadentem, sed contra exsequentem. Negantem tamen sententiam in praxi tenendam esse puto cum limitibus infra exponendis, ubi de restitutione ex cooperatione ad damnum sermo erit.

IV. Petere ab altero, quod sine peccato non est praestiturus, num-<sup>800</sup>quam sane licet sine causa; quia aliter semper aliquam scandali rationem habet. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 98, a. 4; *S. Alph.* II 47.

Dein videndum est, quid sit, quod petatur et cur alter peccaturus sit.

1. Si igitur, quod peto, sine peccato praestari *non potest*: id semper illicite petitur.

2. Si sine peccato potest quidem praestari, sed non praestitum iri praevideo, idque ita, ut alter ad actionem illam ex se nondum determinatus sit: mihi non licebit petere nisi mea magni interest; v. g. iuramentum ab eo, quem periuraturum esse praevideo, vel qui per falsos deos iuraturus est, modo petere licet, modo non licet.

Ceterum quo maius est ius meum, quod ad alterius actionem habeo, eo minus gravis causa accedat opus est, ut ius meum urgeam, in quo praestando alter ex sua culpa peccaturus est. — Quare causa *mediocriter* gravis sufficit, ut parochianus petat sacramenta a parochi in statu peccati illa ministraturo.

3. Si autem, qui peccaturus est, iam ad quodlibet eiusmodi peccatum ex sese determinatus est, quaelibet rationabilis causa videtur sufficere, ut ab altero actionem petam, quam utrum cum an sine peccato exerceat, ab ipso pendet. *S. Alph.* tamen l. c. severius loquitur.

Scriptores communiter pro exemplo afferunt petere pecuniam ab eo, qui illicitas usuras accepturus est: quod licebit, si *indigeo* pecunia; immo etsi ex qualibet *rationabili causa* uti volo, ex sententia multorum licebit, quando usurarius certo pecunias suas ad illicitas usuras alicui tandem daturus est. Cf. *Lugo* disp. 25, n. 235 de iust. et iure, et *Tamb.* l. c. § 4, n. 63—72, qui allegatis diversorum scriptorum sententiis pro probabili habet, me posse sine speciali causa, quando peccatum alienum nullatenus impediri potest, atque interno actu iam est consummatum, actione indifferenti non omnino proxime ad peccatum ordinata ad illius peccati complementum concurrere, idque pro me aut nullum aut veniale tantum peccatum esse.

V. Praecipue autem in tractatu de scandalo quaedam dicenda sunt<sup>801</sup> de exercendis illis actionibus, quae aliis creant grave periculum seu excitationem ad peccatum. Inter quae eminent ea, quae aut castitatem aut fidem in periculum inducunt.

## 1. Generalis regula haec est:

1) Ii, qui talia libere exercent, gravissimi peccati rei sunt, si res notabiliter movet ad libidinem; ita ut necessitas gravissima tantum a peccato scandali excusare possit.

2) Si res non ita notabiliter movet, causa mediocriter gravis excusat, quando agitur de peccatis indeterminate praevisis.

3) Eodem modo gravissimi peccati reos illos habere debemus, qui proxime aliquid agunt, quo fides aliorum etiam indeterminate tantum in periculum vocatur; qui autem solam cooperationem aliquam praestant, pro gradu propinquioris aut remotioris cooperationis ex necessitate plus minusve gravi excusantur aut non excusantur.

De cooperatione vide postea. Nunc quaedam nota ad singulares actiones.

## 802 2. In materia luxuriae gravissimi scandali reatus contrahitur:

1) ornatu scandaloso et periculoso: de quo confer quae dicta sunt n. 796. Verum quinam ornatus, quaenam denudatio graviter peccaminosa dici debeat, a consuetudine multum pendet.

*Lessius, S. Alph.* alique etiam paulo notabilem pectoris denudationem non absolute gravis peccati damnant; peccare vero graviter dicunt eas feminas, quae talem denudationem non consuetam introducerent, ut mamillae denudatae apparent. Cf. *S. Alph.* II, n. 55.

2) Choreas instituere, in quibus ratione nuditatis, gestuum etc. aliquid notabiliter inhonestum externe agitur, easve promovere graviter peccaminosum est.

Si vero haec non occurrunt, licet timeantur plurium peccata, occasione chorearum patrandae, gravis peccati obnoxii dici per se non possunt, qui eas instituunt, locum concedunt (ut caupones etc.). Nihilominus circumstantiae in concreto spectari debent, ex quibus aliquando severius quid contra caupones aliosque a parochis, missionario dici possit vel debeat, praecipue si laudabilem unionem eorum, qui spondeant se choreis nullis affuturos atque in malis exstirpandis adlaboraturos, inturbare, diffamare, dissolvere nitantur. Nam obligatio non impediendi meliora certe gravior est, quam ea faciendi. — In singulis autem iuvenibus et puellis maxime considerari debet periculum, quod subeant. Quare si illis sive ipsae choreae sive earum circumstantiae sunt proxima occasio, aut choreae plane sunt interdicaendae aut saltem, accedente aliqua causa vel necessitate pro accessu ad choreas, circumstantiae ita mutari debent, ut occasio non amplius sit proxima.

3) Idem fere de spectaculis dici debet. Praestat verbis *S. Alph.* rem exponere:

III, n. 428: «Certum est, repraesentantes seu componentes comoedias notabiliter turpes nullo modo excusari posse a peccato gravi ob scandalum aliorum, quamvis non intentum.» (Exceptionem specietenus potius, quam re factam a *Castrop.* vide infra n. 826.)

427: «Qui pecunia vel plausu ad has comoedias notabiliter turpes concurrunt» (ita ut aliquo modo positive influant, ut fiant vel ut frequentiore habent spectatorem; immo ex *S. Alph.* ne id quidem requiritur, sed sufficit, ut sine necessitate positive concurrant, etsi comoediae sine ipsis fierent), «graviter peccant. . . Non damnarem vero de mortali *simplices spectatores,*

sine quibus comoedia etiam feret (eodem modo), praeciso periculo turpis delectationis» (quod periculum S. D. communiter assumit — idque recte — adesse in adolescente, qui sine necessitate, curiositatis causa, iis vellet interesse). Alias autem haec statuit:

427: «Si in comoedia repraesententur res notabiliter turpes, vel modo turpi, mortale quidem esset, illam spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem, ob curiositatem tantum vel vanum solatium, secluso periculo consensus in turpem delectationem.»<sup>1</sup>

4) De expositione picturarum vel statuarum vere graviter ob-808  
scoenarum, et generatim etiam de earum *confectione* prorsus dici debet, grave scandalum dari.

Immo etsi tantum periculum in se non continent, si tamen lubrico modo sint confectae: nemo non videt, maximopere elaborandum esse, ut deleantur, praecipue vero ne omnium aspectibus obiciantur. Ceterum si haec *conficiuntur* altero postulante, non exponuntur, vide quae dicentur de cooperatione n. 827.

5) De accipiendis munusculis, quae dantur ad fovendum pravum amorem, dicendum est, etiam exclusa prava intentione accipientis, id graviter illicitum esse, nisi contra pravum finem protestatio fiat: secus enim fovetur impurus amor. Immo accepta munera, ne pro futuro periculum creent, ut a se abdicet, puella inducenda est, sive comburendo sive in pauperes distribuendo.

6) Circa conscribendos libros bonis moribus aut fidei contrarios atque huius rei cooperationem confer, quae postea dicturus sum de cooperatione n. 821 825.

## § 2.

### *De cooperatione presse sumpta*

#### Punctum I.

##### *Tractantur principia de cooperatione generatim.*

*Notiones.* Quomodo cooperatio presse sumpta a scandalo distin-804  
guatur, supra dictum est.

1. Cooperatio altera dicitur formalis, materialis altera:

*Formalis*, quae ad actionem peccaminosam alterius, *ut peccatum est*, cooperatur; *materialis*, quae cooperatur ad eiusmodi actionem, *ut actio quaedam physica est*, non ut peccatum est.

Aliis verbis: Formalis cooperatio est actio, quae *in se spectata* malitiam peccati, quod alter patraturus est, etiam continet seu participat; materialis cooperatio est actio, quae *in se spectata* hanc malitiam non continet, sed *qua alter abutitur* ad peccatum perpetrandum.

2. Formaliter autem concurro, seu concurro ad actionem alienam, qua peccatum est, non modo iussione, consilio, efflagitatione, de quo iam priore articulo sub conceptu scandali actum est, sed etiam:

1) Si utcumque alteri auxilium praesto *ea intentione*, ut peccet, aut ut securius, facilius peccet.

<sup>1</sup> Illud «notabiliter turpe» non omnino idem dicere ac «absolute graviter turpe» colliges ex iis, quae in tractando praecepto sexto de causis in luxuriam influentibus infra dicentur.

2) Si actionem peccaminosam secundum id, quo peccaminosa est, re ipsa scienter *laudo vel approbo*, aliis verbis, si actio mea, qua alterum iuvo, illius peccati approbationem in se continet sive ex natura sua, sive ex circumstantiis, sive interne re vera approbo, sive tantummodo externe me ita gero.

Exemplo declaro rem: si quis iudex sponte se ingerit in ferendam sententiam secundum leges iniustas vel si graviorem poenam prae mitiore pro sua potestate eligit: hac sola ratione, quod sic agendo approbet leges iniquas earumque sequelas, *formalis earum cooperatur est*. Nimirum interim abstraho a quaestione, utrum utcumque possit iudex licite secundum iniustas leges sententiam ferre necne.

3) Si actionem exerceo, quae non solummodo pro altero medium est attingendi finem suum peccaminosum, sed quae iam ex *intrinsicca sua natura in eodem genere mala est*, e. g. si quis in festo idololatrico thus idolo adolet, formaliter cooperatur idololatrico festo; si quis cum altero sclopetum in aliquem explodit, formaliter cooperatur homicidio.

3. Materialiter vero, seu ad actionem alienam *quae* peccatum est, sed *non qua* peccatum est, concurro, si neque actio mea alterius voluntatem pravam determinat — quod si in eam aliquo modo influit, de moralitate actionis meae ex regulis de scandalo iudicari debet — neque ego eius peccatum volo, sed *alter meam actionem eiusve effectus assumit, ut peccatum perpetret, vel facilius, securius peccet*.

E. g. Famulus equum vel currum parat pro conditione famulatus sui, herus vero iis atque famuli opera abutitur, ut se conferat ad meretricem. Vel ancilla parat cibos, quibus herus abutitur ad violandam ieiunii legem.

805 **Principia:** I. Formalis cooperatio numquam licita est.

Nota tamen: Quando agitur de illa formali cooperatione, quae in *ea reali alieni peccati approbatione* consistit, quam non ex natura actionis interna, sed *ex circumstantiis colligas*: clarum est, eandem actionem in abstracto consideratum posse pro diversis circumstantiis concretis fieri aut non fieri formalem cooperationem, ac proin modo illicitam, modo licitam evadere, e. g. conferre ad templa scholasve acatholicorum aedificanda.

II. Materialis cooperatio, modo ex sese *nullam* habeat internam malitiam, sed actio ex se bona vel indifferens sit, licita est, quando causa proportionate gravis existit, cur alienum peccatum possit permitti seu non impediri, i. e. generatim incommodum relative grave, quod non-cooperaturus incurreret; deficiente eiusmodi causa, etiam materialis solummodo cooperatio illicita est.

Rationem huius principii vix opus est reddi. Nam posterior pars sequitur ex iis, quae statuta sunt de correctione fraterna, a fortiori; prior pars nihil est nisi applicatio quaedam principiorum de voluntario indirecto et in causa tantum.

III. In aestimanda autem causa relative gravi, seu incommodo illo, propter quod liceat peccatum alienum negligere, tum ratio est habenda caritatis erga proximum, de cuius spirituali ruina aggravanda agitur,



atque caritatis erga Deum, cuius offensam impedire, cuius protegere honorem valemus, tum ratio damni alicuius tertii vel damni communis, cuius causandi cooperaturus se forte participem reddit.

Verum haec principia maxime generalia difficultates practicas, quae, 806 si umquam, hic occurrere consueverunt, non tollunt. Neque omnes difficultates in hac parte possunt solvi. Theologus principia tantum et regulas quasdam dare potest, quas in singulis casibus applicare, practicae prudentiae agentis vel consulentis committere debet. Nihilominus regulae magis particulares addi possunt et debent: immo multum iuvabit ad expoliendum practicum iudicium prudentiae, vidisse solutionem singulorum casuum a viris prudentia et auctoritate praestantibus. Quod utrumque in sequentibus, quantum huius libri brevitatis permittit, praestituri sumus.

Difficultas igitur in praxi occurrere potest 1) in aliquibus actionibus, *utrum sint* in se intrinsecus malae, annon; 2) si constat, eas non ita esse, *quam gravis causa* in occurrente casu requiratur.

Quod modo dixi 1) caritatis erga proximum, qui peccet, rationem habendam esse, id facile intelligitur, non oportere ut fiat cum magno incommodo proprio, siquidem non iam agimus de altero ad peccatum inducendo, ut in scandalo, sed de homine, qui iam paratus est aut se ipse determinaturus ad peccandum, adeoque reatum peccati coram Deo ex sese iam contraxit. 2) Divinae vero offensae, quatenus ea ex complendo peccato extrinsecus multum aggravari, Deive honor laedi potest, aliquando *maior ratio* est habenda. 3) *Maxime* autem habenda est ratio *damni aliorum*, si quod forte efficaciter ex cooperatione oritur vel promovetur.

Plenius haec statui debent:

807

1. Eo gravior causa requiritur, quo magis necessaria est cooperatio, ut alterius peccatum fieri possit, aut quo certius est, illum sine cooperatione peccatum commissurum non esse.

2. Eo gravior causa requiritur, quo propinquior est cooperatio, seu quo magis et intimius cum peccato alterius cohaeret.

3. Eo gravior requiritur causa, quo gravius est peccatum alterius tum in se, tum maxime relate ad damnum, si quod infert divino honori, bono publico, tertio cuilibet innocenti.

Cf. *Reuter* II, n. 136; *Prickartz* tract. de car. n. 143; *Elbel*, In decal. p. 2, n. 364 aliosque passim.

Hinc *regulas magis particulares* accipe:

1. Concurrere efficaciter et proxime ad actionem bono religionis aut cuilibet bono publico necessario, sive supernaturalis sive naturalis ordinis, graviter nocivam, propter nullum damnum privatum a peccato mortali excusatur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Licet tamen propter bonum publicum vel ad avertendum maius malum aliquando aliquid facere, quod secus in se damno publico esset, v. g. libertatem cultus falsae sectae concedere.

Videlicet esset ordinis perversio, si bonum privatum publico et communi bono anteponeretur.

2. Ut alias cooperatio *omnino proxima* licita evadat, praecipue si ad peccatum alterius est necessaria, aut tertio innocenti graviter damnosa: causa seu incommodum grave omnino, immo pro circumstantiis gravissimum requiritur, ut metus mortis alteriusve fere similis mali. Cf. *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 7, n. 12 sqq; *Suarez*, De car. disp. 10, sect. 3, n. 4; *Castrop.* tract. 6, disp. 6, p. 8, n. 8 etc.

808 3. Si ex una parte cooperatio est satis remota, ex altera parte agitur de peccato eius, qui iam expeditus est ad peccandum, aut de peccatis indeterminate tantum cum probabilitate praevisis: causa mediocris sufficit, ut cooperans a peccato excusetur, ut conditio famulatus, status subiectionis erga iubentem, incommodum venditoris ex non vendendis rebus suis oriundum etc. Attamen ratio, quod, uno non cooperante, alter cooperaturus sit, sola non est sufficiens excusatio: cf. *Tambur*, In decal. l. 5, c. 1, § 4, n. 62 sqq; *Castrop.* l. c. p. 9, n. 4; nihilominus in re omnino indifferenti et remota *Sanchez* l. c. n. 16; *Lessius*, De iust. l. 4, c. 2, n. 24 aliique taliter cooperantem a peccato saltem *mortali* excusant.

4. Si actio cooperantis non omnino proxime quidem, tamen propinquius cum alterius peccato cohaeret, aut ille nondum per se expeditus est ad peccandum, ita ut ad meram cooperationem quaedam scandali ratio — licet ex sola culpa peccantis — accedat: media via incedendum est, ita ut non semper gravissima causa requiratur, qua cooperans a gravi peccato immunis evadere possit, at neque sola aliqua levior vel mediocris causa sufficiat, sed incommodum vere notabile, pro circumstantiis plus minusve grave, sit oporteat, v. g. periculum gravis iurgii, dimissio e famulatu cum periculo non inveniendi alterum, detrimentum notabile in bonis fortunae, similia.

Regulas illas pluribus exemplis illustrari necessarium est. Quod eo magis fieri debet, quia in pluribus actionibus non raro dissident scriptores inter se, quando quaeritur, num illa actio dicenda sit proxima cooperatio, utrum gravior an levior causa sufficiat ad eam licitam reddendam. Hinc opus est videre, quid tandem cum vera probabilitate tum propter rationes internas, tum propter auctoritatem permitti possit, quid ut illicitum sit interdicendum.

Conferri possunt hac in re *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 7; *S. Alph.* II, n. 43—80; *Sporer* tract. 5 in decal. c. 1; *Tamburini*, In decal. l. 5, c. 1, § 4; *Lugo*, De fide disp. 14, n. 68 sqq; *Gallo*, Suppetiae missionariorum I et II.

#### Punctum II.

##### *Singulares actiones seu cooperationes discutiuntur.*

809 A. Actiones quaedam *secundum diversa bona et virtutes*, quae tanguntur, dispositae:

I. Actiones, quae spectant *bonum fidei et religionis*.

1. Ancilla potestne comitari dominam ad templum ritumque acatholicum?

R. 1) Si ancilla in ritu precibusque acatholicis participat, se tamquam unam ex asseclis falsae sectae gerit: habetur *formalis cooperatio*<sup>1</sup>.

2) Si in aliis adiunctis fieret templi acatholici frequentatio, quippe cui non adiungatur protestatio vel publica catholicae religionis professio, accessus autem ille professionem ritus acatholici continet: *similiter formalis cooperatio*, adeoque graviter peccaminosa exercetur.

3) Quodsi haec absunt: cooperatio materialis est, neque *qua cooperatio* adeo est propinqua ut non sufficiat pro causa excusante ratio famulatus, si eum deserere satis grave est, vel si ad statum famulatus *gravis* ratio accedit: modo ne quis iubeatur in odium religionis id facere. Cf. exemplum Naaman, 4 Rg 5, 18 sq., cui plures interpretes putant permisisse Elisaem prophetam, ut regi in templo idoli adoraturus pro consueto servitio se adiungeret,

<sup>1</sup> Simile quid habes, quando catholici pueri adiguntur, ut intersint functionibus religionis acatholicis, de quo habetur Instructio S. Officii pro regno Russiaco data die 26 Apr. 1894: «Non semel ad hanc S. Sedem relatum est, in nonnullis imperii Russiaci provinciis accidere, ut publicorum gymnasiolorum scholarumque discipuli catholici aliquoties per annum templa acatholicorum adire, una cum discipulis acatholicis sacris eorum functionibus interesse atque ritibus acatholicis participare, crucem a ministro acatholico porrectam osculari, genu flectere, panes benedictos accipere aliasque caerimonias peragere adigantur. Ex qua re non solum ipsi adulescentes eorumque parentes in grave salutis periculum coniciuntur, sed etiam capellani scholarum, praeceptores religionis confessariique puerorum magnas in angustias atque discrimina incidunt. Quamobrem iterum iterumque a Sede Apostolica postulatum est, ut conscientis fidelium subvenire atque circa rationem, qua sive scholares praedicti eorumque parentes sive confessarii atque magistri in difficillimis illis adiunctis se gerere debeant, opportunas regulas constituere ac praescribere velit. Cui postulationi debitoque custodiendae fidei satisfacere cupiens, S. C. supr. et univ. Inquis. auctoritate Apostolica decrevit quae sequuntur:

1. Discipulorum praesentiam in expositis circumstantiis pro civili tantum caerimonia haberi non posse, sed continere vetitam omnino communicationem in sacris acatholicorum, atque ideo prorsus illicitam esse.

2. Magistros religionis in praedictis scholis teneri, si a discipulis eorumve parentibus interrogentur, eos monere, communicationem, de qua agitur, tolerari non posse divinisque atque ecclesiasticis legibus contrariam esse.

3. Quodsi interrogati semel discipulos monuerint vel praedictae communicationi, licet frustra, obstiterint, non teneri protestationes seu monitiones iterare, nisi fundata adis spes, iterationem utilem et efficacem fore, a qua etiam tum abstinere possunt, cum ex protestatione seu monitione iterata graviora mala timentur.

4. Quodsi magistri religionis a discipulis non interrogentur, attentis gravissimis rerum circumstantiis, remoto scandalo, dissimulare posse, si pueri in bona fide sint. In qua tota re magistri praedicti iudicio episcopi stare poterunt.

5. Confessarii, ad quorum iudicium huius generis casus in tribunali poenitentiae deferri contigerit, tenentur pueros, qui, licet non ignari graviter illicitam esse communicationem in sacris, de qua agitur, eam nihilominus imminentium malorum metu admiserint, similiter parentes, qui filii culpae committendae auctores fuerint, diligenter instruere, corrigere et exhortari; nec eos absolvere poterunt, nisi serio promiserint, se in posterum a vetita communicatione in divinis sive committenda sive praecienda abstenturos esse. — Quodsi tamen adulescentes vel parentes in bona fide sint, poterunt confessarii, attentis gravissimis rerum circumstantiis, dissimulare, eos in hac bona fide relinquere, atque ab eisdem monendis abstinere.

6. Quodsi alicubi mos sit, ut non omnes discipuli scholarum sacris acatholicorum intersint, sed pars tantum a ceteris electa omnium nomine adsistat, declarat haec S. Congregatio, hanc sive electionem sive interventionem illicitam esse, posse tamen, si pueri in bona fide sint, dissimulari, remoto scandalo.

Datum Romae ex S. Officio die 26 Aprilis 1894. »

ibique servitium praestiturus — eo quod aliter id praestare non posset — etiam procumberet cum rege procumbente, modo aliis satis pateret, se non idoli causa id facere. Cf. *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 7, n. 21.

4) Verum quia in frequentando ritu acatholico atque contione periculum perversionis, seu periculum sese falsa doctrina imbuendi, vix non semper adest, et quia accedit scandalum aliorum: ex hac causa raro illa agendi ratio ancillae pro licita haberi potest. Cf. *Laymann* l. 2, tract. 1, c. 11, n. 5.

Quod multo magis valet pro aliis, qui sui iuris sunt atque pro suo libitu ita agere velint<sup>1</sup>. Cf. quae dicta sunt de fide. In Concil. plen. Americae latinae anni 1899 dicitur n. 146 «omnino vetari, contionibus quae in eorum [acatholicorum] coetibus haberi solent interesse, aut eorum cultui quasi simul cum illis agendo assistere.»

810 2. Licetne advocare ministrum haereticum, ut moribundo suae sectae ritus religiosos administret?

R. Habemus responsum S. Officii d. d. 15 Mart. 1848, quod interrogatum, num id liceat monialibus in nosocomio ministrantibus, respondit «negative» seu: «*debere eas passive se habere*». Quod prorsus sustinendum est iuxta interrogata: nam advocare, ut ritum suum administret, ministro *id dicere*, nihil est nisi ab illo aliquid petere, quod sine peccato (saltem obiectivo) facere nequit; quod sane non licet. Vide *Gury*, Casus consc. I, n. 202.

Verum indicare tantum, esse hominem moribundum acatholicum, qui cupiat eius praesentiam, etsi praevideatur, ministrum ritus suos haereticos peracturum esse: est *cooperatio materialis*. Cooperatio est ex se satis remota quidem, attamen pro adiunctis necessaria, ut illa ritus administratio fiat,

<sup>1</sup> Cf. infra «*Instructionem Vicarii Urbis*»: quae sub gravi prohibet, quominus aliquis etiam curiositatis causa templa haereticorum adeat, quando eorum ritus aut contiones celebrantur. Haec autem solum ratione circumstantiarum, aut positivo praecepto *absolute* prohibita videntur esse; nam alias secluso periculo, scandalo, ritusque acatholici participatione ea gravia peccata non videntur esse: immo folium periodicum «*Linzer Quartal-schrift*» anno 1882 pag. 143 hoc sensu sumit responsum S. Officii 14 Ianuarii 1818: «An liceat catholicis adire templa haereticorum» Resp. «Licere, si adeant merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris: Adire enim templa haereticorum est actus in se indifferens, qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus.» Et quamquam suspicor, S. Officium non intendisse hoc responsum extendere ad tempora illa, quibus contio aut ritus haereticus celebretur, sed alia tempora attendisse; tamen in Germania aliisque regionibus haereticis vel mixtis communis sensus est, nisi adiuncta periculi etc. adsint, illam haereticis templi visitationem non esse graviter illicitam. Ad hanc rem, assistentiam dico cultui acatholico exhibitam, prudenter notarunt Patres Conc. plen. Baltim. I et II (art. 400 v. Coll. Lac. III col. 507 et 147): «Cum sapientissimo consilio per leges ac statuta Rerum publicarum cautum sit, ne potestas saecularis ullum usurpet ius sese in rebus sacris immiscendi, meminerint episcopi, quo maximo possunt studio, apud auctoritatem civilem laborandum, prudenter tamen, prout Dominus suggesserit, ne umquam catholici, qui vel militiae vel classi adscripti sunt, cultui acatholicorum contra suam conscientiam adesse cogantur.» Igitur non raro videtur accidere, ut sive milites, sive nautae, sive ii, qui carceribus detinentur, nisi vapulare velint, cogantur sacris haereticorum interesse, quando catholicorum sacris assistendi occasio nulla est. Quod cum fiat potius ordinis causa, non in odium fidei, neque quisquam cogatur, illis sacris *formaliter* seu cum cultus exhibitione interesse: consentio cum *Kenrick* et *Konings* putantibus, haec ex tam gravi causa non esse illicita; edocendos tamen catholicos esse, ne fidei detrimentum sumant neve *formaliter* rituum haereticorum participes evadant.



insuper agitur de re gravissima erga moribundum. Quare censeo, requiri *gravem omnino causam*, ut sic agere liceat; gravis autem causa hic non solum ex privato incommodo sumenda est, sed maxime ex bono communi, cui multum derogaretur, si ex denegatione talis nuntii odium publicum catholicae religionis excitaretur, atque monialibus facultas multa bona praestandi interciperetur. Idem censet *Villada*, Cas. consc. de liberalismo II, sect. I, n. 32 sq.

Nihilominus pro posse curandum esset, ut moribundo, quem in bona fide versari suppono, aliter provideretur, nimirum ut cum ipso actum perfectae contritionis post alios actus necessitate medii necessarios elicerent.

3. Licetne pro ministro acatholico in similibus circumstantiis mensam<sup>811</sup> parare, in qua vult ritum suum conficere, in ipso ritu utensilia, panem et vinum porrigere?

R. Haec omnia, cum ex sese non sint ipsius falsi ritus exercitium, sed actiones indifferentes, quae dirigi et assumi possint ab altero ad fines prorsus honestos et licitos, continent materialem cooperationem tantum, idque ad rem obiective peccaminosam, quae impediri nullatenus possit.

Cooperatio quidem est multo propinquior quam cooperatio sub 2; at minister acatholicus iam supponitur *multo paratior* ad agendum. Quare de licetate vix aliter dicendum esse puto ac in numero priore, vid. requiri causam omnino gravem, eamque sufficere, maxime si respectum ad bonum publicum habet. (Si enim de solo incommodo privato sermo est, id *valde* grave esse debet.) Practice tamen id caveri potest et generatim debet, ne tempore ipsius ritus servitium immediate praestetur: quia tali modo ipsarum rerum praeparatio et procuratio remotior cooperatio est.

Cavendum etiam est, ne eiusmodi actiones ab acatholico ministro postulentur neve a catholicis exhibeantur quasi signum, quo unionem quandam catholicae et acatholicae religionis, vel indifferentissimum quandam religiosum profiteantur.

4. Licetne pulsare campanas in templo acatholico, quo asseclae acatholice<sup>812</sup> sectae ad contionem etc. convocentur?

R. 1. Videri potest alicui re ipsa convocatio ad contionem haereticam esse, ideoque intrinsecus mala atque formalis ad haereticum ritum cooperatio. Et vere, si quis sponte haec agit, id ita esse posse, vel saltem esse utcumque *approbationem* acatholici ritus et contionis, non nego. Cf. *Noldin* II<sup>7</sup>, n. 120.

R. 2. At si quis ostendit, se quodammodo coactum id agere, seque ipsum ritum acatholicum detestari, non puto, illam actionem necessario pro *convocatione* vel approbatione ex parte pulsantis debere haberi. Ex natura rei pulsare campanas *signum est* seu nuntius alicuius rei; est igitur idem ac nuntium dare aliis, mox haberi contionem acatholicam: quod *materialis* est cooperatio. — Verum quia facillime pro invitatione sumitur adeoque cum formali cooperatione proxime cohaeret, puto id non licere, nisi ex valde gravi causa, e. g. ad evitandam extremam necessitatem aliave similia mala, neque tum sine sufficienti signo protestationis. Cf. *Laymann*, qui paulo etiam benignius loquitur de aedituo acatholico nunc ad fidem converso, sed interim pro brevi tempore victui necessariis destituto (l. 2, tract. 3, c. 13, n. 5).

5. Licetne catholicis cum acatholicis *convenire*, ut eodem tempore campanae pulsentur, quo melius per totam urbem asseclae et catholicae et acatholicae religionis pulsum audiant et tempestive in templo adsint?

R. Quamquam nihil obstat, quominus catholici ex sua parte etiam utantur signo per campanas haereticorum datas, tempus divini officii sic accommodantes: tamen ex conventionem cum haereticis id statuere, cum hoc semper libere et sponte fiat neque aliter fieri possit, puto illicitum esse, eo quod contineat sive approbationem convocandi haereticos ad suos ritus sive ipsam hanc convocationem.

813 6. Licetne in templo haeretico pulsare organa cantumve dirigere.

R. 1. Haec, si sponte exercentur, seu lucri causa, clare continent cultus acatholici approbationem et promotionem, eiusque *formalem* cooperationem.

R. 2. Immo etsi constaret, haec coacte fieri: nihilominus quando in ritu religioso acatholico fiunt, ab ipso illo ritu, cuius ornamentum sunt, non possunt separari, ac proin tamquam formalem cooperationem intrinsecus mala esse puto (cf. infra instructionem a Leone XIII sancitam). Quod clarius quidem apparet in cantus directione aut in ipso cantu; at etiam in pulsandis organis videtur inesse<sup>1</sup>. Excipe, nisi forte instrumentorum musicorum concentus *inter* ritum quidem religiosum fieret, sed non ut eius pars vel ornamentum, sed v. g. in honorem principis acatholici praesentis.

R. 3. Si agitur non religiosi ritus celebratio, sed festivitas profana seu civilis, eiusmodi organi seu instrumentorum pulsatio, etsi cantica sint acatholica, horum decantationis materialis tantum, etsi proxima cooperatio sunt (totius quidem celebritatis pars formalis sunt, at festivitatem sumimus esse licitam in se), siquidem eiusdem melodiae plura sunt cantica. Quare valde gravis causa hanc cooperationem excusabit.

Cantum autem dirigere, si vere haereticus est, i. e. haeresin continet, difficile erit, a peccato excusare: immo si solummodo ex libro haereticorum religioso desumatur, gravissima lex ecclesiastica communiter obstat, quominus sine peccato gravi id fieri possit.

814 7. Licetne conficere res falso cultui maloque usui destinatas?

R. 1. Si res illae usum bonum vel indifferentem habere prorsus non possunt, sed solummodo usum (graviter) malum, ea conficere numquam licet, quia est mali finis formalis cooperatio: sed huiusmodi sunt res paucissimae.

R. 2. Si habere quidem possunt bonum vel indifferentem usum, re ipsa autem pro utentium conditione habiturae non sunt: cooperatio ex se non formalis, sed materialis est, verum eo propinquior ad malum, ideoque eo graviorem causam, ut liceat conficere, requires, quo magis natura rerum ad malum usum inclinet, et quo magis constet de malo usu petentium.

Sic idola conficere, cum *possint* habere usum indifferentem ad ornandos hortos, domos, non absolute illicitum est: verum si postulantur ab idololatra, qui vult iis uti ad superstitionem, sola gravissima causa (vel, ut *Tamb.*, In decal. l. 5, c. 1, § 4, n. 38 dicit, *urgentissima* causa) excusare potest cooperantem a peccato: atque insuper ita se gerere debet, ut haec confectio atque venditio non videatur ex ipsa idoli veneratione procedere. — Licetum esse ea conficere, si postulantur ut ornatus sine ulla superstitione, adeo patet, ut superfluum sit commemorare. Videri etiam potest *Bonacina*, De contract. disp. 3, q. 2, p. 2.

<sup>1</sup> Ceterum decretum exstat S. Off. a Leone XIII approb. d. 19 Iunii 1889: «illicitum esse in templis haereticorum, cum ibi falsum cultum exercent, organum pulsare.» Collect. S. C. de Prop. F. n. 1854.

Idem dic de vestibis sacris ad usum superstitiosum, maxime si contineant signa quaedam superstitiosa, vel falso numini honorifica. Immo pro diversa talium signorum expressione fieri potest, ut eorum confectio sit absolute illicita: quia etiam signis loqui possumus, sed honorifica loqui de falso numine, quando ab aliis pro serio honore habetur, intrinsecus malum est<sup>1</sup>.

Paulo mitius loquendum videtur de signis et emblematis francomurarium et similium sectarum. Videlicet vix quidem adhiberi possunt nisi ad pravum huius sectae usum; at ille usus in se superstitionem nondum continet, sed dirigitur tantum ab asseclis ad pravae fines: insuper absolute ludendi causa aliquis iis rebus uti potest. Quare puto, generatim quidem non licere artifici, eas res conficere; licere tamen, si alias non habet unde vivat, in quasi-extremam necessitatem coniciendus. Verum semper cavendum, ne ostendat ipsius pravi finis sectariorum complacentiam seu approbationem: a quo cavere coram sectariis, valde difficile erit. — Secundum haec etiam iudica de ornamentis aliter honestis in aedibus sectariorum faciendis. — Immo si ageretur de exornando idolo, vel de superstitiosis ornamentis in idoli templo faciendis seu appendendis, putarem id numquam licere, quia haec in illis circumstantiis necessario tendunt ad malum usum et falsi cultus honorem.

8. Aliter dicendum est de aedificandis templis haereticorum.

816

Nam cum in iis ipsis nihil occurrat, quod aliquid, quod intrinsecus malum sit, exhibeat: pro diversis adiunctis haec cooperatio licita esse potest. At circumstantiae prorsus expendendae sunt.

1) Si agitur de locis, ubi liberum cultum publicum non habent, aut de secta recenter exorta, quae adhuc in formali rebellione contra Ecclesiam est: nemo non videt, eos, qui aedificandis illorum templis operam dant, nisi forte *gravi causa* adacti, coram aliis re ipsa haeresim fovere, eique formaliter cooperari; facilius ipsi *opifices* seu operarii excusantur.

2) Si autem agitur de iis sectis, quae iam diu in pacifica possessione libertatis cultus sunt: opifices gregarii causa mediocri videntur excusari, e. g. si artificii iam locaverant operam suam ad tempus pro quibuslibet aedibus erigendis, aut si alium laborem difficilium inveniunt. — Pro architecto tamen rationem prorsus graviorem requiri puto quam solam *huius lucri* cessationem, v. g. si alioqui timeret, ne cum gravi suo damno plures a se suaeque artis usu averteret<sup>2</sup>.

Cf. de hac re *S. Alph.* II, n. 72; *Laymann* l. 2, tract. 3, c. 13, n. 4; *Gury* I, n. 252 (qui tamen severius indiscriminatim gravem causam requirit); *Noldin* II<sup>7</sup>, n. 122 a.

<sup>1</sup> Quae de idolo atque superstitiosis signis dicta sunt, applica etiam ad idolorum templa. Quare recte *Gallo* (Suppetiae Miss. I 197) negat, huc referri posse, quae *S. Alph.* tacite docet de extruendis haereticorum templis (vide infra ad 8), sed idoli sacellum construere pro re nata aut nunquam, aut tantum ex gravissimi mali metu licitum fieri.

Sic etiam tempore persecutionis Iaponicae (1636) interrogantibus, num liceat Christianis fidelibus in Iaponia extruere templa et altaria idolorum, Roma negandum esse respondit. (Vide *Hergenrother*, Handb. der Kirchengesch.<sup>3</sup> III 307.)

<sup>2</sup> Nihilominus confessarius attendere debet, in regionibus acatholicorum haec saepe ex leviori causa sine scrupulo a catholicis suscipi et agi, neque scandalum inde oriri: quare prudentiae est, haec silentio transmittere. Quod etiam in aliis quibusdam rebus ante oculos haberi debet.

Idem fere valere videtur de solis aedibus francomurariorum etc. aedificandis, cum sit res in se honesta, et satis remota, immo remotius quam haereticorum templa cum malo usu coniuncta<sup>1</sup>.

817 9. Inde fere solvitur etiam, quid dici debeat de vendendis rebus, quae ad exercitium falsi cultus emuntur.

<sup>1</sup> Instructio Eminent. Card. Vic. gen. Urbis ad parochos Urbis data die 12 Iulii 1878 has normas pro usu parochorum et confessoriorum constituit, a S. Pontifice *Leone XIII* cum consilio collegii Cardinal. sancitas: quorum aliqua valere attendas, quae, pro loci circumstantiis, non pro omni loco eadem ratione:

1. «Excommunicatione speciali modo R. Pont. reservatam incurrunt omnes illi, qui, etiamsi sine animo adhaerendi haeresi, sed solum ex respectu humano, sectae haereticæ cuiusvis denominationis nomen dant.»

2. «A fortiori eandem poenam incurrunt, qui participant in acatholicis functionibus seu officiis, quae vocantur, aut praedicatos audiunt, ex intentione illi adhaerendi, si forte — ut impie dicunt — sibi persuadeat.»

3. «Sic etiam incurrunt eandem excommunicationem, qui aliis auctores existentes spiritualis ruinae, eos quomodocumque inducunt vel ire seu venire faciunt in aulas vel templa haereticorum ad eorum collationes audiendas.»

4. «Tandem eadem poena afficiuntur qui typis evulgant invitationes ad supradictas collationes seu conferentias, aut earum schemata, propterea quod tali modo favorem praestant propagationi aut confirmationi haeresis.»

5. «Strictissime autem prohibetur, quominus aliquis scienter, ex mera curiositate, ingrediatur aulas et templa protestantium tempore collationum, et graviter peccant omnes, qui ex mera curiositate audiunt conferentias protestantium, aut assistunt etiam pure materialiter caerimoniis acatholicis, et omnes artifices, qui etiam solius lucri causa cantant aut instrumenta musica pulsant in templis protestantium, et typographi, etiam subalterni, qui, ne a suis heris dimittantur, collocant characteres ad imprimendos libros haereticos: quinimmo si de libris haereticorum agitur, in quibus propugnatur haeresis, etiam illi typographi subalterni excommunicationem R. Pontifici specialiter reservatam incurrunt.»

6. «Neque eximuntur a peccato mortali architecti, conductores, opificum domini, qui curam et operam suscipiunt ad exstruendum et ornandum aliquod templum protestanticum. Quod ad ipsos vero murarios aliosque opifices subalternos pertinet, ii possunt a peccato excusari, modo desit scandalum neve, quae facere iubentur, fiant in contemptum religionis. Verum parochi et confessarii sedulam operam navare debent ad instruendos eiusmodi operarios, etiam eiusmodi cooperationem materialem illicitam evadere, quando ipsorum labor communiter habeatur pro signo profitendi falsam religionem, aut quando opus exstruendum aliquid prae se ferat quo directe exhibeatur reprobatio cultus catholici aut approbatio pravi cultus haeretici, aut quando constat, ipsos illos operarios ad laborandum vocari vel cogi ab haereticis in odium catholicae religionis; neque umquam licitam esse *intentionem* haeretico cultui cooperandi.»

7. «Tandem eo magis rei sunt gravissimi criminis parentes, qui, vere crudeles in filiorum animas, eos ad scholas protestanticas mittunt, nedum cogant. Evidens est, eiusmodi parentes in eorum agendi modo reprobandos prorsus esse, atque omni modo possibili curandum esse, ut respiciant; interim vero eos arcendos esse a Sacramentis, utpote indignos et incapaces, donec filios suos ab eiusmodi scholis revocaverint.»

8. «Ipsi etiam filii, re in se spectata, ad talem scholam accedendo, certo gravis peccati rei sunt. Verum quando vere coguntur, confessarius considerare debet circumstantias personarum et rerum, atque cum iis agere debet iuxta regulas probatorum auctorum pro talibus circumstantiis propositas.» Ita haec Instructio.

Notavi tamen, non omnia, quae hic sub gravi urgentur, ubique locorum sub gravi urgenda esse, cum pro conditione Urbis quaedam professionem haeresis eiusve favorem expriment aut gravia pericula inducant, quae, mutatis circumstantiis, magis innoxia esse possunt.



R. 1. Si res in se omnino indifferentes sunt, neque intentio mali usus ab emptore exprimitur, quamquam a venditore cognoscitur, videtur mediocri causa sufficere: nam cooperatio est valde remota, malus autem usus impediri nequit, immo fortasse ab emptore bona fide exercetur. Sic loquuntur *Busenb.* l. 2, tract. 3 de scand. a. 3, n. 10 et *S. Alph.* II, n. 72 de vendendo agno Iudaeis sacrificaturis; idem dic de vino, quo ministri protestantes ad coenam ecclesiasticam utuntur etc.

R. 2. Si ab emptore eiusmodi res postulatur cum expressione mali usus, puto, requiri prorsus graviorem causam, ut licite vendi possint, idque ita faciendum, ut appareat (— id quod optime fit aliqua protestatione venditoris seu declaratione —), se *ad illum usum* quidem non vendere res suas, se relinquere tamen usum rei, simpliciter venditae, conscientiae emptoris. Eiusmodi gravis causa esset, si venditor denegatione rei periculum incurreret multis emptores a se avertendi.

Item causa gravis accedere debet, si agitur de rebus, quae in se usum bonum omnino determinatum tantum habent, qui relate ad emptorem prorsus excluditur, neque intendi ab eo potest, e. g. hostias in ecclesia catholica usitatas ministro acatholico vendere, ad suum ritum iis usuro.

10. Licetne catholicis conferre pecuniam ad templa, scholas, instituta 818 haereticorum?

R. 1. Ad ea, quae *religiosa* instituta alicuius sectae sunt aut religioni subiecta, sponte conferre pecuniam, a formali cooperatione excusari nequit. Iudico igitur, id peioris conditionis esse, quam eiusmodi instituti aedes construere; quia qui pecuniam confert, causam ipsam per se formaliter protegit et fovet, qui aedes construit, materialiter tantum iuvat<sup>1</sup>.

R. 2. Verum si ex aerario publico subsidia consueverunt dari confessionibus diversis pro rebus ad cultum religiosum spectantibus: deputati etiam catholici, qui haec decernunt, excusari possunt ex gravi causa boni promovendi communis seu avertendi damni a re catholica, quando aliquo modo declarant vel ostendunt, se has pecunias concedere acatholicis non *ad* cultum acatholicum seu *ut asseclis sectae*, sed *ut concivibus*, quo hi pro arbitrio suo bonos fines promovere possint. Cum tali restrictione et in iis adiunctis cooperatio evadit materialis tantum, ex gravi causa publica a peccato immunis.

R. 3. Ita etiam aliquando homo privatus conferre potest, vix quidem ad templum aut institutum formaliter religiosum, tamen facilius ad institutum, quod ex se finem honestum a diversitate religionis non necessario dependentem prosequitur, ut educationem, curam aegrotorum, pauperum etc., etsi praevidetur, fore ut finis illius prosecutio secundum sectae religionem dirigatur. Quare si rogaretur pecunia ad aedificandam scholam protestanticam, deberet quidem vir catholicus declarare, se ad hunc praecise finem non esse collaturum, tamen concivibus suis etiam acatholicis se libenter pecuniam velle conferre: hoc dico ex *gravi* causa licere, si 1) finis *instructionis* principalis est, ad quem petitur pecunia, non protestantismi divulgatio; 2) si donum collatum etiam *publice sic consideratur*, non autem tamquam causae protestanticae favor ab aliis, qui audiunt, concipitur, aut a donatoriis proclamatur.

<sup>1</sup> Ad templa haereticorum aedificanda pecuniam conferre catholicis *tum* licere S. Poenitentaria respondit, quando catholici hac ratione se liberare possint ab usu eiusdem ecclesiae cum haereticis ad liturgicas functiones exercendas. In hoc casu collatio pecuniae est quaedam redemptio ab iniqua vexatione. Vide *Bucceroni*, Enchiridion n. 192. — Nisi autem eiusmodi ratio subest, cooperatio est formalis ad causam malam.

Quoniam vero Romae adiuncta prorsus alia fuerunt et sunt, facile intelligitur, ibi eiusmodi pecuniarum collationem non posse non procedere ex interno falsae sectae favore aut liberalismi religiosi professione, aut saltem ex amoris in eiusmodi perversam doctrinam ostentatione: quae omnia intrinsecus mala esse patet. Hinc severa similis rei prohibitio in *Instructione*.

819 11. Utile videtur hic subicere, quae in re simili a *Gallo*, «Suppetiae Miss.» 1 199 afferuntur (ad cas. XX), vid. pecuniam conferre ad festivitatem in se supersticiosam non licere umquam, licere autem, si cogaris, ad festivitatem occasione superstitionis celebrandam, si pecunia collecta ad res indifferentes, convivia, impendatur, etsi pars pecuniae forte superstitioni serviat. «Iacobus, idoli festo occurrente, paucos nummos in capita descriptos contribuere adigitur; secus ethnici res suas vi arripiunt.» Resp. Pecuniam (quae hic per modum tributi solvitur), si partim in ea, quae superstitionem prae se ferunt, partim in alia suapte natura licita, ut convivia, pauperum levamen erogatur, fas erit contribuere. Quod comprobatur ex responso S. C. de prop. F. a. 1816 dato, quo permittebatur christianis solvere quoddam tributum, quod inter Sinas exigebatur a quolibet, qui forum frequentabat, quodque saepe in res supersticiosas impendebatur; immo non obstare, quod tributum illud *pecunia thuris* vocabatur, eo quod non iam considerabatur ut pecunia idolo oblata, sed ut civilis exactio, neque thuris concrematio pro honore exclusive divino seu supersticioso habebatur: addebat tamen responsum «praesertim protestatione praemissa», quo indicaret, pro adiunctis hanc *necessariam* esse, ne collatio pecuniae tamquam idoli cultus videretur. — Similiter anno 1840 S. C. fas esse docuit christianis testamento clausulam illam praemittere, quam lex Tunkinensis pro valore addi iubebat «pars bonorum, quae primogenito assignatur, ut thus adoleat defunctis»: modo ethnici noverint, haec verba non addi supersticiosa mente, sed ut valori testamenti prospiceretur. Nimirum verba illa in se non necessario superstitionem expriment, sed possunt honorem non supersticiosum tum ex se, tum ex mente scribentium et audientium habere.

Idem scriptor p. 195 exhibet instructionem S. C. de prop. F. a. 1807 ad Vicar. Apost. Sutchuensem datam, qua declaratur:

a) conducere praedium ad idoli templum pertinens, licere, praesertim si ratio consona contractus concurrat;

b) pretium conducti praedii solvere debitum iustitiae esse, etiamsi putet conductor, delubri causa pecuniam solutam impensum iri;

c) scandalum, si quod fortasse christianis ex ea re oriatur, contestatione et instructione eorum, qui ex ignorantia id illicitum habeant, auferendum esse; pharisaicum scandalum contemnendum;

d) verum si ex frequentiore communicatione cum ethnicis conductori scandalum seu perversionis periculum oriatur, efficiendum esse, ut a praedii illis conducendis absteineat.

820 12. Licetne opus religioni odiosum et illicitum propriae conscientiae salvandae causa in alios reicere?

Sic proponit *Gallo* l. c. p. 186, num christiani, qui permixtim cum ethnicis sese operibus publicis perficiendis locaverunt, possint, quando inter opera praestanda etiam supersticiosa occurrunt, cum ethnicis pacisci, ut, his operibus omissis, sibi pro aliis laborare liceat, supersticiosa ethnicis relinquentes. R. ex Resp. S. C. de prop. F. a. 1841 ad Vicar. Apost. Tunk. Occid. *licere* sic pacisci, ut sibi liceat abstinere ab operibus supersticiosis, neve in illis occasionibus a paganis inquietentur aut mandarinis prodantur, etsi praevideant,

ethnicos illa opera superstitiosa in se assumpturos esse: sed *non licere* circa ipsum opus superstitiosum id pacisci, ut alii (ethnici) pro ipsis hoc opus exercent. In posteriore agendi ratione esse petitionem rei illicitae, in priore solum permissionem. — Sapienter tamen notat doctus ille scriptor, Christifideles etiam in posteriore agendi modo subjective vix peccare, cum rudiores homines discrimen vix capiant, ipsique agant optima fide.

Haec applicari possunt ad aliam rem, quae nostro tempore non fuit inusitata, num vid. iudex catholicus, ne contra conscientiam suam agere cogatur, pro iis diebus, quibus e. g. contra sacerdotes in iudicio agebatur legum politico-religiosarum (sume leges *Maias*, scil. mensibus Maiis an. 1872 sqq latis, in Germania) violatarum reos, cum collega acatholico convenire potuerit, ut hic *in illa causa* suas vices suppleret, ipse eius vices postea suppleturus. Respondendum est: *haec* rogare, aut *sic* cum collega convenire, obiective illicitum est; si vero in illa petitione vel conventionem abstrahi potest a materia tractanda, v. g. quod plures etiam aliae causae tractantur, haec petitio non est intrinseca mala: videndum igitur est, quam gravis sit ratio, et quam probabile fortasse sit, alteri praeberi ansam ad peccatum materiale tantum. Licet etiam catholico iudici praesidentem adire, eumque rogare vel cum eo pacisci, ut pro ipsis illis diebus, quibus talis causa odiosa agatur, sibi parcat atque aliis potius diebus suam operam assumat. Videlicet rogare possum, *ne ego assumar* — quod ille, quem rogo, et potest et debet facere —: sed rogare non possum, *ut alter assumatur* — quod ille, quem rogo, licite facere nequit. At *permittere*, ut me eximens simul etiam alterum assumat, ex gravi causa utique possum.

13. Gravissima, de qua quaeri debet, cooperatio ea est, quae versatur <sup>s21</sup> circa libros, scripta, ephemerides fidei contraria: est autem multiplex.

1) Eiusmodi scripta sive componere, sive imprimenda vel divulganda suscipere prorsus illicitum est, neque lucri cessatio gravisve damni timor excusare potest. At si tandem publici iuris facta sunt, licet utique illa vendi iis, qui talium librorum legendorum licentiam habent, vel quos hanc licentiam habere iure sumitur <sup>1</sup>: quod ipsa Constitutio de prohibitione librorum monet. Cf. vol. II circa finem.

2) Eiusmodi libris sive scriptis imprimendis operam suam proxime praestare, ut collocando characteres, si res ipsa displicet, non est formalis cooperatio per se, neque cooperatio ad id, quod usum non malum habere nequeat.

Librorum enim haereticorum usus ille esse *potest*, ut cognoscatur et impugnetur haeresis. Verum quia ille usus apud paucos re ipsa adest, apud multos pessimus usus cum ingenti damno obtinet: causa *valde gravis* requiritur,

<sup>1</sup> In regionibus, ubi catholicorum est longe minima pars populi, ut in America, Anglia, potest confessarius incidere in librarium catholicum, qui quaerat, num sibi liceat libros precatórios, biblia acatholicorum vendere.

R. 1. Eiusmodi libros exponere atque emptores allicere, plane formalis cooperatio est ad rem obiective illicitam, ideoque prorsus interdicenda.

R. 2. Etiam tantummodo venales habere illos libros catholico viro iam propter solas ecclesiasticas leges prohibentes vel etiam censuram infligentes non licet; neque videtur practice cogitari posse tanta necessitatis ratio, quae titulo gravissimi damni vel metus in singulari causa excuset.

R. 3. Immo librarius ne iis quidem, qui postulant, ut sibi procuret illos libros, indiscriminatim obsecundare potest: nam etsi, quando emptores remittit et ad alios ire sinit, sibi damnum creet seu lucrum cessans, haec tamen sufficiens ratio non est, nisi accedant damna longe graviora. — In dubiis consilium capiat ecclesiastici superioris.

ut haec proxima cooperatio sit licita. Normam habes ex «*Instructione Vic. gen. Urbis*» supra allata, ex qua dimissio e famulatu communiter ne tanta quidem causa censetur esse, quae ab excommunicatione excuset, multo minus ea, quae a peccato gravi possit excusare.

Dixi «communiter»: nam pro specialibus circumstantiis fortasse ita gravis evadere potest, ut *pro brevi tempore* excuset in iis locis, ubi ex tali libro causa fidei non notabiliter peior redditur. Cf. *Laymann* l. 2, tr. 3, c. 13, n. 5.

At si directe omnis religio Deusque ipse contumeliis afficitur, non video, quomodo tale scriptum ullum usum bonum habere possit, quo umquam illius impressio licita fiat.

3) Qui remotiorem laborem in typographica officina praestant, ut qui chartam praeeparant, aut famulus, qui librum emptum domino defert: ex causa mediocriter gravi ad tempus excusari videntur. At inducendi sunt, ut data occasione alium dominum, cui operam suam locent, quaerant.

Immo ii, qui, non cogente aliqua causa, concurrunt etiam remotius, possunt peccare, ut mercatores qui officinae pravis libris ephemeridibusque imprimendis exclusive destinatae chartam aliave utensilia procurant: verum causa excusans facilius adest.

822 4) Quando aliquis in suis hospitiiis, aedibus eiusmodi scripta exponit seu legenda praebet, quae intensionem contra fidem scribendi prae se ferunt seu doctrinis catholicae Ecclesiae adversantur (aut quae lubricarum rerum enarratione bonis moribus periculum non leve creant), *scandalo* per se graviter peccat. Neque ratio excusans ea scripta indiscriminatim exponendi est, quod ii, qui huc confluent, illa postulent, alias cum damno cauponis alio ituri. Solum si talis ephemeris emitur aut ab hospitibus postulatur propter res annuntiatas cognitu necessarias (Annoncen): videtur excusans ratio esse, cur caupo separato in loco talem ephemeridem exponat, nisi obstat et persistat *Ecclesiae prohibitio* (cf. vol. II comment. in Const. «*Officiorum ac munerum*»), etsi forte praevidet, fore qui, hac occasione abusuri, etiam pravas res perlegant. — Haec, quantum fieri potest, summa severitate urgeri debent, cum de gravi damno publico agatur. Si vero rerum conditio ita desperata est, ut fructus nullatenus speretur, prudentiae confessarii relinquitur, ut a severiore monitione interim abstinens malum diminuat, quod penitus nequit auferre.

NB. Si privatus vir propter hanc similemve causam cum venia, si requiritur, pravam ephemeridem sibi emere debeat: summopere cavendum esse, ne ea ad aliorum manus cum periculo fidei perveniat, ex se evidens est.

823 5) Tractatus etiam bonus pro tali ephemeride conscribendo eius aestimationem vere sustinere vel augere illicita cooperatio est. Quare maxime prohibitum est, constanter ex pacto pro ea conscribere. Si autem data occasione tantum id fieret atque raro, ita ut numerus legentium inde maior non redderetur, per se non esset illicitum: immo potest esse bonum. Verum quia facile fit, ut *aliquis*, etsi non notabilis, influxus in pravam illam ephemeridem sustinendam exerceatur, et ut ille per scriptionem concursus approbationis cuiusdam speciem habeat atque scandali: ne id quidem sine graviore causa magnaue prudentia faciendum est. Cf. Const. «*Officiorum ac munerum*» n. 22.

6) In eiusmodi ephemeridibus res suas emendas, vendendas, locandas etc. annuntiare, ex se quidem peccatum non est: attamen si a multis ita agitur, causa existit, cur talis ephemeris latius propagetur, securius sustineatur. Quare etiam illa materialis cooperatio non ilico licita dici potest: verum pensandae sunt circumstantiae, tum damnum, quod aliquis sibi timet ex



annuntiatione illa non facta, tum spes sic diminuendi influxus illius ephemeridis: quae posterior cum levis sit, nisi multorum catholicorum fiat conventio, qui statuunt abstinere ab omni re ope illius folii annuntianda, singulos separatim sumptos non obligat cum gravi damno; immo aliquando pro circumstantiis quaelibet rationabilis causa excusat, saltem si non illi ephemeridi soli, sed etiam aliis bonis *eadem* res annuntianda committitur. Laborandum utique est, ut istiusmodi conventio mutua fiat, qua favor catholicorum pessimis illis scriptis et foliis omni modo subtrahatur, atque in folia bona excitanda atque sustentanda convertatur.

## II. Actiones, quae spectant bonos mores presse sumptos.<sup>824</sup>

In qua re aliae actiones sunt, quae per se rationem scandali habeant: in his igitur non solum cooperatio ad peccatum eorum, qui iam parati sunt sive ad peccatum luxuriae sive ad peccatum scandali activi, sed etiam scandalum passivum seu ruina eorum, qui ad peccandum ex sese parati nondum sunt, respici debet; quare aut omnino non, aut tantum ex causa relative gravi licitae evadunt. Aliae sunt actiones, quae scandali proprie dicti momentum vix contineant: propterea illae actiones ad normam merae cooperationis considerari debent. Inde patet, priores actiones, si quae umquam licitae fiant, ceteris paribus requirere graviores causam quam posteriores.

Ante omnia in sequentibus actionibus, quas discutiendas assumimus, id cavendum est, ne consensus cum principaliter agente seu peccante aut internus habeatur, aut externus ostendatur. Quod si non cavetur — et facillime non fit — de licitate sermo esse amplius non potest, siquidem cooperatio adest *formalis*. Immo ne consensus externum signum habeatur, plerumque necesse est ut positive peccati displicentia appareat.

1. Incipiamus a cooperatione in imprimendis divulgandisque libris<sup>825</sup> scriptisve obscenis.

1) Si agitur de scriptis prorsus obscenis, quae ex se usum bonum nullum habeant, neque conscribere, neque imprimenda suscipere, neque imprimere ea meo iudicio licebit. Nam gravissima causa mortis, quae ex mente *Castropal.* excusat scribentem turpia, quae alter dictans iubet scribi<sup>1</sup>, hic allegari nequit, cum haec causa tantum repentina sit neque toto tempore impressionis libri aliquem occupatura.

2) Immo de conscribente et de suscipiente librum imprimendum puto facilius etiam grave peccatum adesse, quando res ex se bonum usum non habentes<sup>2</sup> aut graviter obscenae, aut graviter periculosae in libro con-

<sup>1</sup> Nimirum *Castrop.* tract. 6, disp. 6, punct. 11, n. 7 putat, id ex *urgente* seu gravissima causa fieri posse, contra *Sanchez* (In decal. l. 1, c. 7, n. 26), *Bonacina* (De matrim. q. 4, p. 14, n. 6), alios, addit vero: «haec sub dubitatione dicta sint».

<sup>2</sup> Dico «bonum usum ex se non habentes». Videlicet contingere potest, ut relatione et discussione rerum obscenarum necessaria vel utilis instructio detur. Hic habes finem bonum, ex quo liceat utique res alioqui periculosas conscribere. Quodsi aliquis dein ex pravo fine ea legit, aut sibi periculum creat, ipse sibi suam temeritatem imputare debet. Verum illas res obscenas sic narrari, ut earum descriptio obiective tendat in pascendam legentium curiositatem, in excitandam concupiscentiam, id est quod intelligo, si dico, librum eiusve partem bonum usum ex se non habere. Neque bonum usum ex

tinentur: neque ullam causam excusationis admitti posse practice, existimo. Multo magis autem communiter loquendo hi condemnandi sunt, quod data opera, nulla excusatione existente, ea conscribunt aut imprimunt; neque propterea a gravi scandali peccato immunes sunt, quod res conscriptae fortasse non inter plene et graviter obscoenas certo collocari debeant: nam et periculum *grave* facilius aderit lectoris, et prava intentio scribentibus et divulgaturis.

3) Eum, qui characteres collocat, facilius causa omnino gravis excusabit ad tempus, si agitur de libro periculoso quidem, tamen tali, qui aut ex sese omnino graviter obscoena non contineat, aut bonum usum aliunde habere possit. Est enim haec cooperatio proxima quidem, sed libri impressio non impediatur, neque legentes coguntur, suntque ipsi ex se causa peccandi, si quam occasionem ex eo libro sumant. Quapropter causa omnino gravis, ut destitutio cotidiani victus, ad tempus videtur excusare posse.

4) Libros eiusmodi pro domino emere, eive afferre, si omnino obscoeni sunt neque bonum usum possunt habere nisi per accidens, non puto licere famulo, nisi ad rationem famulatus timor notabilis damni accedat (cf. *Tambur.*, In decal. l. 5, c. 1, § 4, n. 19 29): si vero non ita obscoeni sunt aut — quod plerumque accidit — de eo ita certo non constat, status subiectionis vel similis conditio, ut operarii conducti, excusare potest ab illa cooperatione, quae scandali rationem vix continet.

Ex his iudicium fer de aliis actionibus, quae per modum cooperationis in hac re occurrere possunt.

826 2. Concurrere cantu et repraesentatione sive actione ad comoedias turpes atque inhonestas est sine dubio proxima cooperatio ad rem peccatorum multorum valde incentivam.

Nihilominus, si notabiliter quidem inhonestae sunt, non tamen absolute graviter turpes, excusant eum, qui actione ipsa vel cantu concurrat secluso affectu pravo, propter valde gravem penuriam, in qua aliter versaretur, ad breve tempus *Sanchez, Pont., Castropol., Tamb.* l. c. n. 28: modo, quantum possit, temperet lasciviam. Nimirum ducuntur ea ratione, quod eiusmodi comoedias spectare «ex mera curiositate vel vano solatio» (ita *S. Alph.* III 427), grave peccatum non sit, secluso periculo pravi consensus, ac proin ii, qui cum suo periculo gravi aut cum pravo affectu intersint, non tam actorem, quam se ipsos accusare debeant, cum actor ex causa valde gravi illud scandalum passivum dolens permittat.

At eos, qui sine necessitate ita agunt, aut qui plausu, pecunia, frequentatione *libera* causa sunt, cur eiusmodi res repraesententur, *S. Alph.* l. c. cum aliis merito gravis peccati damnat, eo quod certo certius *multis* occasionem graviter peccandi praebeant: nedum de pravo affectu dicam, quo generatim omnes ita cooperantes ducuntur, ut inter *formaliter* cooperantes constitui debeant.

827 3. Pingere seu conficere imaginem amasiae, i. e. personae turpiter amatae ab eo, qui imaginem conficiendam postulat, modo artificii constet de turpi amore, non libebit citra grave peccatum nisi ex causa gravis omnino penuriae similisve necessitatis. Nam est res, quae valde foveat turpem amorem; at cum res *in se* non sit mala neque necessario malum usum habeat, cooperatio,

---

eo habet, quod etiam illae partes classice conscriptae sint, atque aptae, ex quibus polita lingua addiscatur; neque ille bonus usus est, qui *per accidens* per modum instructionis utilis ab aliquo lectore possit hauriri.

etsi propinqua, materialis tantum est, modo ne formali petitioni finis turpis obsequium praestetur. *Tamb.* l. c. n. 28.

4. Immo *sic* pingere res per se obscoenas, non ita malum est intrinsecus, ut dici debeat formalis cooperatio ad peccatum eius, qui illis rebus ad lasciviam fovendam utitur, modo res illae bonum finem v. g. artis anatomicae habere *possint*; quare, etsi illum usum defuturum esse praevideatur, pingendi ars non commutatur in actionem per se intrinsecus malam, sed remanet cooperatio materialis. Hinc est, quod *Tamb.* l. c.; *Castrop.* tract. 6, disp. 6, p. 12, n. 6 alique id fieri licite posse concedant *ex gravi omnino causa*; puto tamen, quando ratio petendi est abusus ad lasciviam, sicut communiter supponi debet, nisi de bono usu constet, requiri *gravissimam* causam, ut metum mortis aut *extremae necessitatis*, ut cooperatio adeo propinqua sine gravi peccato praestari possit, atque insuper requiritur, ut ipse artifex a se periculum pravi consensus removeat. Quod num practice sperari possit, difficulter statuitur. Atque haec *gravissima* causa eo magis intercedere omnino debet, ut cooperans a gravi peccato excusetur, si agitur de tali pictura, quae non privatim et clam servabitur, sed multorum aspectui obicietur. Quare si quis me consuleret, auctor essem, ut potius supremum malum heroice pateretur, quam concursum praestaret: at eam gravem obligationem dicere non auderem<sup>1</sup>. Verum existere possunt picturae, statuae etc. ita obscoenae atque ita comparatae, ut ad nihil nisi ad peccatum inservire possint, tales *numquam* licebit efficere.

Notat recte *Tamb.* n. 29, licere facilius famulo, pro hero imaginem iam pictam emere, eo quod minor sit cooperatio, atque dominus multo minus ad peccandum a famulo determinetur, siquidem dominus per se facile possit emere, pingere non possit; nihilominus recte ad ipsius famulatus rationem alteram rationem «notabilis damni timendi» docet idem scriptor accedere debere; neque id extenderem ad eas imagines, quae, ut modo dixi, bonum usum nullum habere possunt.

5. Munera ex iussu heri deferre amasiae (i. e. turpiter amatae), aut litteras amatorias, ex parte peccati, quod herus committit vel commissurus est, est *cooperatio*; ex parte illius peccati, ad quod amasia incitatur, *scandali* ratio considerari debet. Quae scandali ratio *S. Alph.* aliisque scriptoribus adeo gravis visa est, ut eam pro scandalo directo vel invitatione ad peccatum ideoque pro *intrinsecus mala* haberent. *S. Alph.* II, n. 65 66. Idque sine dubio verum est, si famulus pravam mentem heri se adiuturum esse ostendit. Alias autem, si se id aegre facere ostendit, potius assentior *Tamb.* n. 20, *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 7, *Castrop.* l. c. atque aliis, munera deferre esse actionem in se indifferentem atque in adiunctis istis *materiale* cooperationem, neque tantam rationem scandali continere, ut *gravis causa*, quae ad famulatum accedit, vel alia causa sat gravis agentem excusare non possit: siquidem scandalum, quod puella patitur, vere pusillorum est. — Idem putat *Tamb.* licere amico, si eius *multum intersit* amicitiam conservare; sola autem ami-

<sup>1</sup> Id relate ad quasdam actiones iam discussas et discutiendas pro sapienti lectore opus non est notare, quasi non saepe etiamtum consultius esset, cooperationem etiam spreto mortis periculo omittere quam praestare, quando dicitur illam propter *gravissimam* causam licitam evadere. Nam multa, quae licent, ex virtutis amore *omittere* possum, etiam ab iniuste cogente potius martyrium cum summo merito et laude subiturus. Quare etiam ex eo, quod quaedam cooperationes ab iis cum supremo vitae discrimine recusatae sunt, quos Ecclesia ut Martyres colit, nondum necessario concluditur, id obligationis fuisse.

citia ruborque denegandi petitionem a gravi peccato non excusat. — Difficilius utique est discernere aliquid de litteris amatoriiis. Si sola verba urbanitatis continent, etsi praevideatur, turpem amorem auctum iri, idem dic, quod dictum est de munusculis; immo id intelligo et de deferendis et de scribendis illis litteris. — Si autem vere turpia, sive invitationem turpem directe continent, haec scribere simul et deferre ad puellam, etiam invito et aegro animi se exhibenti non licere umquam censeo; prorsus enim idem videtur atque oralis ad peccandum invitatio. Cf. *Gury-Ball*, I, n. 251, Q. 5 notam (ed. 5); *Tamb.* l. c. n. 18 cum *Sanchez*, *Laym.*, *Mazzotta* etc. Verum si famulus, deferens tantum epistolam, urgentissimam causam, v. g. metum mortis, habet, nec plenam certitudinem turpis scriptionis, sed vehementem suspicionem, *Em. Saa*, *Castrop.*, *Rebellus*, quibus *Tamb.* videtur tacite consentire, eum excusant.

829 6. Nuntiare nomine alterius tertio cuidam, ut peccandi causa conveniant, si directe peccati invitatio exprimitur, intrinsecus malum est: si vero sola actio conveniendi exprimitur, habetur actio in se indifferens, cum causae multae conveniendi esse possint. Verum si re ipsa prava causa subest, non licebit sic materialiter cooperari nisi ex iusta ratione, communiter non sine notabilis damni timore; immo gravior causa requiritur, si nondum conventum erat inter utrumque de peccato committendo; demum si ageretur de seducenda vel circumvenienda persona, censeo numquam licere talem nuntium deferre verbis indifferentem, pessimum fine: quae enim sola ratio excusans fortasse esse posset, metum mortis similisve mali sume, numquam in casu proposito impedire nuntiantem potest, quominus simul, insidias structum iri, aperiat.

880 7. Equum sternere domino, quem peccandi causa exiturum esse scitur, ianuam aperire meretrici et similia ratione famulatus licita esse, communius dicitur, vide *Gury* I 250.

8. Comitari ad domum meretricis, eo vehere, neque propter solam famulatus rationem, neque solius lucri causa aurigae licebit; libebit autem, si notabilis damni timor accedit (ut est in auriga, si timere debet, ne *multos* a se avertat aegre ferentes, quod ipse in causam itineris sese immisceat; quod facilius evenire potest, si herus finem pravum non indicat, auriga tamen vehementem suspicionem iure concipit). — Quando vero comitatu famuli herus animosior ad peccandum redditur, alias non peccaturus, damnum, cuius timor famulum excuset, debet esse *maximum*: *Tamb.* l. c. n. 19; idque insuper quam maxime cavendum tunc est, ne famulus videatur hero consentire et ita animum augere.

9. Proponitur a multis alia famuli actio peccato heri quam proxima: humeros subicere, scalam tenere, fenestram vi aperire, ut herus ascendere possit ad stuprandam virginem. De quo habes thesim ab *Innoc. XI* proscriptam n. 51. «Famulus, qui submissis humeris, scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id facit metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.»<sup>1</sup>

Et revera, quo magis agitur de peccato iustitiam erga tertium innocentem gravissime laedente — hic de violanda virgine invita — eo graviores causas requiri, ut materialis cooperatio fiat licita, constat: quae hic solus

<sup>1</sup> Nota tamen, unam ex pluribus causis, cur illa thesis reprobanda sit, iam adesse, quod perperam *pro notabili damno* ponatur, si dominus famulum torvis oculis aspiciat!



timor imminentis mortis similisve gravissimi mali est. Vide *Tamb.* l. c. n. 19 in fine<sup>1</sup>, *S. Alph.* II 66 cum *Bus.*, *Sanchez*, *Lessio*.

10. Vestes pro ornatu muliebri inhonesto conficere *postulantibus*, ex 831 causa graviore licet, etsi utens limites honestatis notabiliter excedat: si vero ornatus in se omnino talis est, quo quis utatur sine gravi peccato, sine dubio minor causa sufficit, etiamsi paulo liberior sit vestitus, quam par est. — Videlicet semper tales vestes esse supponitur, quarum usus non est necessario malus; etiamsi enim ipsae nondum honeste corpus tegunt, alia vestimenta addita defectum supplere possunt. Quod si non fit, utenti veste potius crimini vertendum est quam ei, qui iussus conficit. Nihilominus semper iusta causa, i. e. mediocris aut pro circumstantiis *gravis*, requiritur.

Qui vero proprio Marte conficiunt inhonestum ornatum atque venalem habentes alliciunt emptores ad usum, non minus, sed pro circumstantiis magis in culpa sunt quam mulieres utentes; adeoque gravis aliquando scandalum reos illos esse, iudicabis ex iis, quae supra de ornatu mulierum notata sunt.

### III. Actiones, quae alia praecepta *divina* tangunt. 832

1. Actio, quae frequenter occurrit cauponibus, est vinum etc. dare iis, quos iam larga potatione facta praevident sese inebriaturos esse.

Excitare ad largiorem potum, per se intrinsecus malum est; apponere seu porrigere materialis tantum cooperatio est, non tamen adeo remota; quare causa mediocriter gravis et requiri videtur et sufficere, ut excusatio a peccato adsit. Ita *S. Alph.* n. 69, *Tamb.* et *Lacr.* aliique «ex metu cuiuscumque gravis damni, puta si alias laederentur notabiliter ex diminutione emptorum», quibus addi potest: ex metu gravis rixae aut blasphemiae, ad quam alias homines ebriosi excitarentur<sup>2</sup>.

2. Vendere res suas illis, qui eas adulteratas cum iustitia laesa aliis iterum vendituri sunt, *S. Alph.* II 69 non permittit, «nisi ob metum mortis vel infamiae»; verum aliis id severius videtur. Et quamquam benignius forte, quam par est, aliqui ex causa non ita gravi id licere putant, media tamen via videtur incedi posse, ut scilicet dicamus causam quamcumque gravem sufficere, nisi forte agatur de adulteratione vere nociva: ad quam utpote publico bono graviter damnosam proxime cooperari, vix unquam licere puto.

3. Vendere res indifferentes, quae abusu quidem patent, sed quarum abusus in genere tantum praevidetur, ex mediocri causa licet, v. g. ne venditor lucro careat seu cum damno suo res retineat: nam cooperatio satis remota est, neque abusus simpliciter potest impediri. *S. Alph.* n. 71. Vide etiam infra n. 835.

4. Verum si instat abusus contra iustitiam, eo maior causa requiritur, quo gravius iustitia laeditur; licebit tamen mihi rem alteri praestare, si alias ego potius eodem modo aut gravius in iure meo laederer. Hinc non licebit gladium dare occisuro tertium; licebit tamen, si alias ipse occidendus sum,

<sup>1</sup> Per iniuriam *Tamburini* incusatur, quod thesim damnatam docuerit; legenti enim patet eum nullatenus agere, quando actiones in thesi proscripserat recensitas permittit, de violanda virgine invita. Ceterum ille scriptor incaute inter notabile detrimentum revera recensuit «ne famulus torvis oculis aspiciatur», quod sane mitigandum est.

<sup>2</sup> In Concil. plen. Balt. II, art. 469 repetitum est quoad *caupones*, quod iam in Conc. prov. Balt. IV inculcatum erat: «Moneant (pastores) frequenter oves suas de vitandis cauponis, et caupones a sacramentis arceant, qui potantium excessus fovent praesertim diebus Dominicis.» Coll. L. a. c. III, col. 70.

nisi forte vita alterius mea vita adeo praestet, ut secundum ordinem caritatis cedere debeam. *Castrop.* tract. 6, disp. 6 (de car.), p. 11, n. 9 cum aliis.

5. Apud usurarium ea agere, quae alias in negotiatione agenda sunt, rationes scribere dati et accepti, pecuniam numerare, similia indifferentia agere, *S. Alph.* II 78 permittit ratione solius famulatus: aliud autem omnino est, si agitur de conficienda scriptura seu instrumento usurario.

833 IV. Actiones, quae respiciunt *humanas* leges.

Vix aliquod discrimen inter cooperationem faciendum est, prout ad actionem lege divina aut lege humana vetitam ordinatur: nisi forte dixeris, cooperationem cum actione legi solum humanae contraria facilius *in se* esse indifferentem, atque laesionem legis humanae non cum tanto incommodo ex obligatione impediri debere, sicut divinae vel naturalis legis violationem.

1. Occurrit frequens cooperatio cum laesuro legem ieiunii. Non pauci scriptores (vide *S. Alph.* n. 80) putavere, ei, qui absolute ieiunium servare non velit, licere sine aliâ causa cibos praebere, dicendo conditionate: «Si vis absolute comedere, coenam fac apud me.» — Attamen recte *S. Alph.* dicit, quod alter paratus sit ad peccandum, immo interne peccatum iam consummarit, non esse ex sese sufficientem causam, cur ego occasionem praebeam peccatum externe consummandi. Verum puto *mediocrem causam* in casu allato excusare.

2. Quando autem non agitur de cibis vetitis afferendis, sed de solis cibis licitis largius apponendis, ita ut hospiti praebeatur facultas, mensuram debitam excedendi; revera, si de ieiunio agitur, adeo remota videtur esse cooperatio, ut etiam levior causa excuset; etsi praevideam, hospitem modum excessurum esse, modo alias etiam ieiunii leges servaturus non fuisset. Ita revera plures pro causa afferunt, ne habear pro parco et avaro. Multo minus id mihi culpa vertitur, quando nescio, an hospes causam a ieiunio excusantem habeat, seu quando eum hanc suspicari possum habere.

B. Breves regulae de cooperatione, considerato diverso statu cooperantium.

834 I. Quoad famulos aliosve, qui in statu subiectionis sunt erga eum, cuius cum peccato iussi cooperantur.

1. Si agitur de rebus et actionibus omnino indifferentibus, quae remote tantum cum peccato cohaerent et ex natura sua ad famulatum spectant: solus famulatus est ratio illa praestandi, etsi praevideatur, herum hic et nunc illis servitiis abusurum ad peccandum. Nam nimis odiosum esset, censorem agere et intentionem heri respicere in iis, quae herus ex se iure famulatus exigit.

2. Si vero herus a famulo tale servitium expresse postularet *ad pravam finem*, famulus modeste deprecari deberet illum pravam finem, se ad servitium quidem praestandum paratum dicens, non tamen se pravam illum finem intendere: quodsi igitur herus non desistit, famulus *materialiter*, quod iubetur, praestabit.

3. Si famuli actio propinquius cohaeret cum peccato domini, alia causa ad famulatum accedere debet, eo gravior, quo gravior est peccatum domini et quo propinquior operatio. Exempla supra habes.

## II. Quoad mercatores.

835

1. Quando res sunt plane indifferentes, i. e. ex se non destinatae ad nocendum, neque constat de abusu in particulari, licet in genere de periculo abusus apud complures constet, venditio censetur licita ex eo, quod secus res suas non vendentes lucro carerent.

2. Quando res quidem plane indifferens est, sed praevidetur abusus in particulari, distingui debet, utrum peccatum, me non cooperante, impediatur, annon; utrum alicuius tertii ius laedatur, necne. Si neutrum obtinet, causa mediocriter gravis excusat venditorem<sup>1</sup>; si vero alterutrum accidit, causa longe gravior requiritur.

3. Quando res ipsa non est indifferens, sed ad damnum inferendum ex se tendit, de bono usu constare debet, ut sine alia ratione vendere liceat, sicut venena et similia; quare si abusus eam petit, aut si res ex circumstantiis vix alium usum quam malum habere potest, eam vendere aut numquam aut tantum ex gravissima causa licet. Cf. *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 7, n. 13—18. Quae applica ad res gummi confectas (quae dicuntur «Gummiartikel») inhonestis usibus servientes.

Cum venditione rerum similitudinem habet locatio. — Quaerunt<sup>836</sup> scriptores communiter, liceatne domum locare meretricibus, cum videatur ad meretricium cooperatio praestari, aliis autem, qui cum illis mulieribus libidini indulgeant, scandalum dari. Atque ita revera dicendum est, si per ipsam domum eiusve situm homines alliciuntur, aut si locator negotio peccaminoso favet. Quare hae rationes non raro eiusmodi locationem plane illicitam reddunt.

At si talis favor vel illectio non insit, neque peccata propter domum istam augeantur, neque vicinis nocumentum creetur: cooperatio erit remotior et per se materialis: de quo vide *S. Alph.* II 70. — Verum addiderim, si vir catholicus sciens domum suam locat ei, quam scit meretricium exercere, apud homines habebitur pro fautore turpis illius commercii ac diffamatus existet: quare utique etiam haec ratio esse *potest*, cur eiusmodi locatio pro illicita haberi debeat. — *Castrop.* tract. 6, disp. 6, p. 12, n. 3 dicit: «Verum si domus tua aptior sit ad illam exercendam turpitudinem, existimo te teneri nec vendere nec locare iis perditis personis, si invenias alias quibus loces.» Vide etiam *Sanchez* l. c. n. 19.

## III. De cauponibus.

837

1. Relate ad carnes praebendas diebus esurialibus hodie generatim haec statui possunt saltem in iis regionibus, ubi multi passim hospites accessuri sunt, qui petant carnes, sive excusati sunt sive non:

1) Etiamsi dispensatio generalis cauponibus data non sit, licebit petenti carnes dare: nam odiosum est inquirere, utrum causam habeat petens necne, immo hoc inquirendi modo multos non sine gravi damno a se retrahet.

<sup>1</sup> Azor cum aliis putat iacturam, quae sequeretur, si venditor res suas vendere aliter non posset, esse sufficientem causam.

2) Immo si cauponi iam constat, plerosque hospites carnes esse petituos, licebit carnes ex sese afferre, modo accumbentibus ad mensam optio detur ciborum esurialium et carnum. Potius tamen dispensatione quaesita sibi providebit.

3) Numquam autem licebit carnes dare, quando in contemptum religionis petuntur. Vide *Gury* I, n. 255 ex *Gousset* et *Bouvier*.

2. Relate ad occasionem, quam praebent saltationibus, superiore § satis dictum est.

3. Idem valet quoad admittendas reiciendasve ephemerides: siquidem haec omnia ad scandalum proprie pertinent, de quo confer, quae supra late exposita sunt.

4. Locum postulanti concedere ad peccandum, *Tamburini* l. c. n. 20, de homine privato loquens, graviter illicitum esse dicit, nisi *notabilis necessitas* adfuerit: idem de caupone dicendum plane est. Insuper adverte, etiam in necessitate quae excuset id omnino agi debere, ne approbatio peccati vel adsit vel ostendatur, sed ut eius displicentia potius appareat.

### Articulus III.

#### De reliquis peccatis caritati oppositis.

838 *S. Thom.* 2, 2, q. 37—42 alia peccata erudite pertractat, quae caritati opponuntur: discordiam, contentionem, schisma, rixam, seditionem. Quorum tria posteriora, cum *iniusta* laesione perpetrentur, postea, quando de iustitia et de singulis eius obiectis loquemur, commodius referentur. Immo id in mentem revocari convenit, omnibus illis peccatis, quibus iustitia erga alterum laeditur, laedi simul etiam caritatem, non autem e converso.

De prioribus pauca addam ex *S. Doctore*.

I. *Discordiam* vocat *S. auctor* dissensum seu disiunctionem plurium voluntatum in aliqua re. Discordia opponitur concordiae, qui est effectus caritatis utpote voluntates plurium in unum colligentis.

Discordia tunc peccatum *mortale* est, quando scienter aliquis dissentit cum aliis *in bono necessario*. Cum igitur plerumque dissensus non sit in iis, quae necessario prosequi debemus, neque in iis, quae pro bonis vel melioribus certo cognoscuntur, discordia saepe nullum, saepe veniale peccatum est.

II. *Contentio* ex eodem *S. Thoma* ib. q. 38, a. 2 cum discordia cohaeret: «Sicut discordantes aliqui sunt ex hoc, quod stant corde in propriis (scil. in proprio sensu); ita contententes sunt aliqui ex hoc, quod unusquisque *verbo* id, quod sibi videtur, defendit.»

Evadit tunc peccatum mortale, quando est *impugnatio veritatis*; quod intellige de peccato mortali ex genere suo non toto. Nam ut sit revera ex obiecto suo peccatum mortale, requiritur, ut agatur de veritate magni momenti: si enim eam nosse aut ignorare parum interest, ex materiae parvitate veniale peccatum eius impugnatio erit.



Magis etiam si contendens id, quod sibi falsum videtur, impugnat, per se certe non peccat, nisi forte temere agat: per accidens excedendo modum in contentione peccare potest, quod per se veniale est.

III. Schisma theologico sensu sumitur pro peccato, quo aliquis<sup>839</sup> se separat ab unione Ecclesiae. Quod peccatum opponitur proxime quidem subiectioni supremo Ecclesiae capiti debitae, ultimatim caritati, in qua Christus Dominus omnes fideles suos per supremum caput visibile coniungi et conservari voluit: attamen eo ipso, quod illa subiectio erga supremum caput vinculum unitatis est, schisma iure dicitur *directe opponi unitati*, «quam caritas facit, quae non solum alteram personam alteri (i. e. singulari personae) unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus». *S. Thom. l. c. q. 39, a. 1.* Igitur qui non vult subiacere Romano Pontifici legitime electo atque ita se a reliquo Ecclesiae corpore impius separat, schismaticus est, sive sibi aliud caput creare nititur, sive non.

Quod peccatum mortale esse, est evidens; immo est unum ex gravissimis peccatis, quia, quantum ex se est, destruit bonum sociale supernaturale. Bene autem *S. Thom. l. c. a. 2* docet, ex genere suo infidelitatem sive haeresim peccatum esse gravius quam schisma, non solum ex eo, quod haereticus sit simul etiam schismaticus, non autem e converso, sed etiam si ipsa illa peccata in se solis spectantur secundum propriam virtutem, cui opponuntur. «Illud peccatum», ait S. Doctor, «quod maiori bono contrariatur, ex suo genere est gravius: sicut peccatum in Deum quam peccatum in proximum. Manifestum est autem, quod infidelitas est peccatum contra ipsum Deum, secundum quod in se est veritas prima, cui fides innitur; schisma autem est contra ecclesiasticam unitatem, quae est quoddam bonum participatum, et minus quam sit ipse Deus. Unde manifestum est, quod peccatum infidelitatis ex suo genere est gravius quam peccatum schismatis, licet possit contingere, quod aliquis schismaticus gravius peccet quam quidam infidelis, vel propter maiorem contemptum, vel propter maius periculum quod inducit, vel propter aliquid huiusmodi.»

Ceterum quae de schismate amplius dicenda occurrunt, vide in tractatu de *censuris ecclesiasticis*: siquidem schismatici etiam inter eos sunt, qui gravissima poena ecclesiastica puniantur.

Brevis recapitulatio eorum peccatorum, quibus praecipue<sup>840</sup> caritas, quam homo sibi et proximo debeat, graviter laedatur:

1. Propriae vitae vel corporis integritati grave damnum vel sine sufficienti causa grave eius periculum inferre.

2. Sibi ipsi cum oppositione contra divinam providentiam mortem optare; magis etiam necem sibi inferre.

3. Supernaturalem animae vitam non solum peccato mortali extinguere, sed diuturna impenitentia grave periculum aeterni exitii subire.

4. Proximum interno odio prosequi, malum ei optare, inferre velle, de eius malo laetari, eius bonis invidere.

5. Aliquem a communi oratione positive excludere.

6. Aliquem a communibus benevolentiae signis, ipsi aut pro sua conditione aut pro circumstantiis debitis, excludere.

7. Offensori satisfactionem congruam offerenti et veniam petenti eam denegare.

8. In necessitate proximo non succurrere, quando regulae caritatis id severe exigunt.

9. Si commode fieri potest, atque fundata spes fructus existit, proximum a peccato non retrahere, nec corrigere.

10. Opitulationem proximi eiusve correctionem, etsi cum graviore incommodo conectatur, negligere, si muneris ratio id exigat.

11. Alteri scandalo esse, seu ad peccatum grave allicere, ut: iusione, suasionem, praestita sine sufficienti causa ansa et occasione.

12. Cum altero ad peccatum iam parato cooperari aut formaliter, aut sine causa iusta vel relative gravi materialiter tantum.

Quibus adde peccata modo ex *S. Thoma* notata.

---

## DIVISIO II.

### DE VIRTUTUM MORALIUM, QUAE CURAM HUMANARUM RERUM ORDINANT, DEQUE VITIORUM CONTRARIORUM CONCEPTU ET NOTIONE.

#### SECTIO I.

#### DE VIRTUTIBUS MORALIBUS IN GENERE EARUMQUE RELATIONE AD DIVERSOS HABITUS SUPERNATURALES.

Cf. *S. Thom.* I, 2, q. 55—70 et 2, 2, q. 47 sqq; *Lessius*, De iust. et iure l. 1; *Greg. de Valentia*, Comment. in *S. Thom.* I, 2 et 2, 2; dein: *S. Bonav.*, Breviloq. et lib. de decem praeceptis; *S. Greg. Magn.*, Moral. in *Iob.*

841 I. Virtutes morales, quid sint si quaeritur, brevi definitione dici possunt *habitus operativi boni*, quibus videlicet homo utpote inhaerentibus qualitatibus disponitur, aptus pronusve redditur ad ducendam vitam secundum exigentiam ordinis recti.

Virtus est propria perfectio naturae rationalis, qua rationalis est, seu quatenus est principium intellectionis et volitionis: ita ut tota ratio virtutis ad perfectionem harum functionum immediate ordinetur. Haec autem perfectio consistit in attingendo vero et bono: ut veritatem in qualibet re clare et certo attingat, atque bono, eoque honesto, firmiter inhaereat.

Ab harum functionum perfectione — ut bene prosequitur *Lessius* l. c. introd. ante l. I, n. 3, quem fere sequimur in tota sequenti expositione — pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis, et appetitus inferioris, et potentiae executivae. Et quamvis in facultate imaginatrice et appetitu inferiore sint aliqui habitus, quibus perficiantur ad suas functiones (assuescunt enim ab intrinseco oboedire rationi et voluntati . . .); — tamen probabilius est, hos habitus non esse virtutes, sed tantum virtutum adumbrationes.

. . . Quod ex eo confirmari potest, quod in illis potentiis inferioribus neque sit libertas neque relatio ad ordinem recti; unde earum opus nec est per se liberum nec laude dignum, sed solum ut subest motioni rationis et voluntatis; verum opus virtutis per se maxime laude dignum est. — Neque vis imaginatrix attingere potest rationem veri et honesti, discernendo verum a falso, honestum a turpi; neque inferior appetitus rationem honesti attingit.

II. Virtutes igitur morales disponunt hominem ad bonum rationale<sup>842</sup> seu honestum. At distinguuntur virtutes morales *naturales seu acquisitae*, et *supernaturales seu per se infusae*. Nimirum naturales virtutes exercitio acquiruntur, induuntque hominem facilitate similes actiones exercendi.

Nam ipsum exercitium alicuius actionis in anima sui vestigium relinquit; est enim ipsius facultatis forma quaedam, quae ex conditione indifferentiae animam ad certum actionum genus determinet. — Supernaturalis autem virtus acquiri humanis viribus humanaque actione nequit, sed a solo Deo infunditur simul cum gratia sanctificante et theologis virtutibus, ut est communis theologorum doctrina, quae in S. Scriptura et testimoniis Patrum valde probabile habet fundamentum. Dicitur *per se* infusa, quo indicetur, *posse* Deum etiam infundere illas virtutes morales naturales, quas homo alias actibus suis sibi acquirit; quod si fieret, illae virtutes essent *per accidens* infusae, non per se infusae, quia *essentia* ipsarum non postulat, ut infusione divinitus facta acquirantur.

III. Distinctio autem naturalium virtutum moralium et supernatura-<sup>843</sup>lium multiplex est; de qua haec statuenda esse puto:

Videlicet 1) suppeditant diversam regulam agendi, ideoque *diversum obiectum formale* sive diversam rationem boni honesti respiciunt. Naturales virtutes enim inclinant hominem, ut sequatur in suis actionibus honestatem secundum normam et exigentiam creatae rationis humanae. Supernaturales normam et mensuram, secundum quam de excessu et defectu iudicetur, iustumque medium — quod in virtute morali intenditur — ex altiore regula desumunt, ex ratione scil. fide illustrata, ex destinatione hominis longe altiore, propter quam res inferiores, quarum rectus usus moralibus virtutibus ordinatur, alii mensurae subiacent; paucis normam divinam attendunt, quam homo in vivo et perfectissimo exemplari, in Christo duce, expressam videt.

S. Thom. I, 2, q. 63, a. 4 pulcherrime rem ita explicat: «Habitus distinguuntur secundum speciales et formales rationes obiectorum. Obiectum

autem virtutis cuiuslibet est bonum consideratum in materia propria, sicut temperantiae obiectum est bonum delectabile in concupiscentiis tactus. Cuius quidem obiecti formalis ratio est a ratione, quae instituit *modum* in his concupiscentiis. Manifestum est autem, quod alterius rationis est modus, qui imponitur in iis concupiscentiis secundum regulam rationis humanae et secundum regulam divinam; puta in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur, ut non noceat valetudini, nec impediatur rationis actus; secundum autem regulam legis divinae requiritur, ut homo castiget corpus suum et in servitutem redigat per abstinentiam cibi et potus et aliorum huiusmodi. Unde manifestum est, quod temperantia infusa et acquisita differunt specie, et eadem ratio est de aliis virtutibus. . . . Per virtutes morales infusas homines bene se habent in ordine ad hoc, quod sint 'cives sanctorum et domestici Dei'; secundum alias virtutes acquisitas homo se bene habet in ordine ad res humanas.»

2) Distinguuntur virtutes supernaturales ab acquisitis, eo quod haec dant *facilitatem* in agendo, supernaturales autem ex se facilitatem illam non dant, siquidem opposita vitia non auferunt, sed dant *facultatem supernaturaliter* in sua materia agendi.

3) Etiam eatenus distinguuntur supernaturales virtutes ab aliis, quatenus sicut acquiri non possunt propria operatione, ita *neque propriis actibus ex sese augentur*: nimirum augentur per modum meriti, non immediate *per ipsos actus nostros*, sed immediate a Deo *propter actus nostros meritorios*, quibus et gratia sanctificans et cum ea omnis virtutum *supernaturalium* ornatus, tum theologiarum tum moralium, augetur.

4) Distinguuntur *relatione ad opposita vitia*, quod virtutes naturales oppositum vitium excludant, supernaturales vero simul cum opposito vitio nondum extincto adesse possint et saepissime adsint. Nam virtus naturalis acquisita non est, nisi passiones respectivae domitae sint, supernaturalis vero datur etiam ad pugnam contra passiones, supponit tamen voluntatem firmam pugnandi.

844 IV. Operatione igitur nostra, i. e. frequenti exercitio, naturalis virtus seu facilitas acquiritur et augetur. Verum ne illa quidem inutilis est ad supernaturalium virtutum exercitationem. *Indirecte* nimirum iuvat permultum. Quo maior enim virtus acquisita est, eo magis vitium oppositum stirpitus evanescit, ac proin eo minor existit *difficultas* sequendi ductum divinae gratiae invitantis ad supernaturales actus virtutum, quae difficultas alias, quominus sequamur gratiam divinam, impeditura est. Et quoniam in toto negotio supernaturalis salutis *nostra* pars potissimum ea est, ne ponamus Deo impedimentum, Dei autem, ut nos promoveat atque conservet: ratio haec iam evidens est, cur nostrum sit quam maxime, in acquirendis virtutibus incumbere, ne dicam aliquid de merito, quod in hoc exercitio, modo ex motione divinae gratiae et in statu iustificationis fiat, abunde colligamus.

845 V. Infundi autem revera simul cum iustificante gratia virtutes praeter theologicas etiam morales per se supernaturales, non ita certum quidem est, ut fide certum est infundi theologicas, tamen est sententia longe communior inter theologos, ut etiam absolute docet *S. Thom. 2, 2, q. 63, a. 3. S. Script. Sap. 8, 7* de divina Sapientia loquens dicit: «Labores huius magnas



habent virtutes; sobrietatem enim et prudentiam docet, et iustitiam et virtutem»: quas aliis verbis etiam Sancti Patres saepius commemorant ut virtutes *cardinales* prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae, ut *S. Ambr.*, De offic. l. 2, c. 9: ML 16, 116 B. — Nihilominus, quoniam non ita clare docemur, eas virtutes aliasve ab iis distinctas *singulos habitus* supernaturaliter datos constituere, qui cum gratia sanctificante et caritate et accipiuntur et amittantur, id plane certum atque fide credendum esse nequit dici.

Maior etiam difficultas et theologorum controversa opinio est, *quot* virtutum moralium habitus distincti infundantur. Nam pro actionum diversitate, illas supernaturaliter agendi facultates diversas vocari virtutes, nondum probat, secundum numerum diversorum nominum diversos etiam habitus admitti debere, quoniam, ut iam notatum est circa caritatem et religionem, actus etiam non plane eiusdem sed cognati generis ab eodem supernaturali habitu procedere plane videntur posse. Quod si statuitur, iam satis incertum fit, quanta debeat esse actuum dissimilitudo, ut a diversis habitibus procedere dicantur. Cf. hac de re *Lugo*, De fide disp. 1, n. 36; *Suarez*, De relig. tract. 1, l. 3, c. 8.

*Quot* igitur supernaturales habitus nobis infundantur, incertum est: videntur tamen plures esse quam quatuor illi assignati prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae. Indicabimus mox diversas virtutum species, id relinquentes, utrum diversi habitus sint, necne.

Quatuor autem illae virtutes cardinales praecipue efferuntur, non quod sint omnium maximae, sed 1) quia ad quamlibet virtutem rite exercendam illae animae dispositiones requiruntur, quae istis cardinalibus virtutibus exprimuntur — quamquam sub hoc conceptu non tam singulares virtutes sunt quam generales cuiuslibet virtutis rectitudines; 2) quia, ut sunt speciales virtutes, in ea materia versantur, ad quam reliquae virtutes omnes per analogiam quandam reducuntur et cohaerent. Quare in explicandis virtutibus etiam nos ordinem cardinalium virtutum servabimus, cum illis et in relatione ad illas tractaturi reliquas.

VI. Praeter virtutes infusas etiam dona Spiritus Sancti in homine iusto existere, theologia docet. Nimirum esse eiusmodi dona, negari nequit; quid autem sint, et qua ratione a virtutibus infusis distinguantur, non est una theologorum sententia, neque una est doctrinae *S. Thomae* explicatio. Probabiliora haec videntur<sup>1</sup>:

1. Virtutes infusae, cum non sint hominis naturae proportionatae, sed ad longe altiora dirigantur, neque ita sint congenitae cum homine ut naturales virtutes, facilitatem agendi non tribuunt. At sicuti ad perfecte agendum in naturali bono opus est, ut habitu facilitatem dante homo instruat: ita multo magis tali habitu indigemus in bono supernaturali. Hanc facilitatem et quandam delectabilitatem ad actus supernaturales videntur dona Spiritus Sancti tribuere, maiorem minoremve pro maiore vel minore gradu, in quo singuli haec dona possident.

Hoc videtur esse, quod *S. Thomas* 1, 2, q. 68, a. 1 et saepius alibi docet, dona esse dispositiones divinitus datas, quibus homo fiat facile sive *bene*

<sup>1</sup> Cf. quae scripsit *Boderwig* de donis Sp. S. in «Zeitschr. für kathol. Theol.» (Innsbruck) 1882 et 1883, ubi explicatio paulo diversa datur.

*mobilis a Spiritu Sancto*, quibus promptus reddatur ad motionem et ductum Spiritus Sancti. Movetur nimirum homo simili modo, sicut per rationem et voluntatem se ipsum determinat (*S. Thom. 2, 2, q. 52, a. 1*). Facile igitur tunc mobilis est a Spiritu Sancto, facile ductum, inspirationem, excitantem gratiam sequitur, si habitualis dispositio ipsi inest, quae facilem et delectabilem reddat supernaturalem operationem: quae delectatio, cum potius animi promptitudo sit quam sensibilis gustus, cumque non exstinguat naturales inclinationes oppositas, pugnam internam non negat.

2. Sic etiam intelligitur, quod *S. Thomas* dicit, dona dari cuilibet homini iusto, eaque esse quodammodo ad salutem necessaria. Nimirum non ita sunt necessaria, ut Deus non possit supplere, si velit; at ex convenienti Dei dispositione quemlibet hominem iustum *perfecte* vult instructum esse circa operationes supernaturales: ad quod pertinet illa operandi facilitas. *S. Thom. 1, 2, q. 68, a. 2*.

3. Etiam sequitur, in qualibet actione supernaturali hominis iusti etiam dona Spiritus Sancti suas partes habere; nam principia supernaturalia agendi in actum deducuntur, sicut existunt in anima. Verum praecipue *manifestantur* dona Spiritus Sancti in actionibus extraordinariis et heroicis. In illis enim vis supernaturalis promptitudinis et facilitatis, quae vincat summas difficultates, a quibus homo naturaliter abhorret, maxime prorumpit. Unde multi theologi putavere, dona Spiritus Sancti dari ad solos heroicis virtutum actus.

<sup>848</sup> 4. Tandem facile intelligitur, quod *S. Thom.* docet 1, 2, q. 68, a. 4 et 8 et 2, 2, q. 19, a. 9, virtutes theologicas esse principia et radices donorum, dona earum derivationes; sed e converso dona Spiritus Sancti esse principia virtutum moralium.

Scil. virtutes theologicae illa sunt principia supernaturalia homini indita, quibus vita supernaturalis et divina essentialiter constituitur, cum homini dent illam necessariam relationem cum Deo; propterea ad illorum normam et propter illa communicantur reliqua supernaturalia dona: ita ut et dona Spiritus Sancti et virtutes morales infusae pro fundamento et radice habeant virtutes theologicas.

At si ipsas virtutes morales cum donis Spiritus Sancti comparamus, dona potius principia et regulae virtutum moralium dicenda sunt: nam virtutes morales existunt, ut *exsequantur* ea, ad quae, movente Spiritu Sancto, dona hominem *inclinant*. — Verum haec brevissime tantum indicari licuit, eorum explanationem dogmaticae theologiae reservare debemus. Reliquum est, ut virtutes morales earumque officium, prout ab homine pendent atque eius actus dirigunt, breviter adumbremus.

## SECTIO II.

### DE VIRTUTE PRUDENTIAE EIUSQUE PARTIBUS.

<sup>849</sup> Prudentia, ut virtus specialis, est virtus intellectus morum directrix, seu qua in singulis negotiis occurrentibus noverimus, quid in concreto honestum sit, quid turpe.

Nimirum nota I circa eius definitionem et explicationem:

I. Prudentiam ad intellectum pertinere, et nomen dicit (pro-videre, prospicere), et ipsae eius functiones infra explicandae probant: neque quisquam est, qui hoc non ultro fateatur.

2. Prudentiam veri nominis *virtutem* esse, tum ex auctoritate tum ex natura rei patet. Cf. supra Sap. 8, 7. Omnes S. Patres prudentiam inter virtutes cardinales collocant, immo adeo extollunt, ut, teste *Cassiano*<sup>1</sup>, *S. Antonius* eam omnibus aliis virtutibus praetulerit.

Ipsa ratio ostendit, prudentiam esse mensuram et regulam aliarum virtutum: quare ipsa quoque virtus sit oportet. Immo a prudentia in alias virtutes morales ratio virtutis descendit, cum ipsa efficiat, ut illis nemo male uti possit: nisi enim, prudentia praelucente, quae in qualibet morali virtute mensura recti sit, patefiat, a recto deviari necesse est.

Prudentia porro est certa notitia honesti et turpis, ita ut in suo proprio iudicio *practico* errare non possit. Licet enim homo prudens ab omni errore intellectus etiam in rebus moralibus liber non sit, nihilominus ultimum iudicium prudentiae, quid practice spectatis circumstantiis agendum omittendumve sit, certum est omnino, neque erroneum: alioqui non iam prudentiae, sed imprudentiae actus est.

*Opinio* igitur honesti non est actus prudentiae: verum ex praevia opinione prudentia suum iudicium efformare potest.

3. Prudentia simpliciter dicta versatur circa *honestum*. Nisi enim homo, quid in quovis negotio agendum, quid omittendum sit, *sub hac ratione* consideret, non dicitur simpliciter prudens: sicut non dicitur simpliciter bonum hominis, nisi quod cum rectitudine ordinis et honestate congruit. Hinc sicut alia bona dicuntur et sunt bona fallacia, ita prudentia, quae non secundum honestatem, sed secundum alios respectus, quid agendum sit, proponit, prudentia vel manca vel falsa est.

4. Prudentiae est *particularia* diiudicare: quare iudicium de honestate in genere et abstractiva boni turpisque notitia ab ea *supponitur*.

II. Circa distinctionem et connexionem cum aliis virtutibus:<sup>850</sup>

1. Prudentia ab aliis virtutibus distincta est, 1) quia consistit in *intellectu*, aliae virtutes morales in voluntate; 2) fertur in bonum honestum sub ratione *veri*, aliae virtutes in illud feruntur sub ratione boni; distinguitur etiam a fide theologica, quae etiam in intellectu consistit, at non versatur *ex se* circa res *singulares* in negotiis humanae vitae occurrentibus, neque eius iudicium vel assensus ultimo est practicus, sed potius theoreticus.

2. Verum prudentia *christiana* fidem omnino supponit, siquidem ex ea principia et veritates haurire debet, quibus, quid in negotiis singularibus agendum sit, discernat. Quod etiam magis patebit ex consideratione aliarum virtutum moralium, quae, prout naturales sunt aut supernaturales per se infusae, diversam honestatem diversamque regulam iusti medii habent — ut iam supra n. 843 dixi — eamque *ex fide* haustam: porro prudentiae est, hanc regulam in quovis occurrente negotio proponere.

3. Prudentia, utut distincta ab aliis virtutibus, nihilominus perfecta haberi nequit, nisi aliae etiam virtutes adsint. Nisi enim voluntas ipsa

<sup>1</sup> Col. 2, c. 2; ML 49, 526.

recte affecta est circa bona honesta eaque diversa, quae occurrant agenti prosequenda, iudicium practicum non erit semper rectum, sed perquam facile ab ipso affectu pravo detorquebitur. Sic qui intemperantiae deditus est, circa ipsam temperantiam exercendam saepe non recte iudicabit, maxime in rebus difficilioribus, et similiter dic de aliis virtutibus.

4. Incohatam vero prudentiam licet ipsam synteresim vocari, quae est notitia principiorum moralium, vid. facultatem iudicandi, in genere esse temperate, iuste etc. vivendum: haec incohata prudentia prae-requiretur, ut *incohari* possit quaecumque virtus voluntatis, at cum illa etiam re ipsa potest incohari. Nam incohari virtutem (siquidem de virtute acquisita seu acquirenda loquimur; infusa virtus aliter communicatur) nihil aliud est nisi actum singularem alicuius virtutis exercere. Procedente autem *exercitio* virtutum, ipse habitus constituitur et crescit, et simul prudentia ex parte augetur, ita ut singulae virtutes sese invicem excipiant. Perfecta igitur prudentia praeditus non erit, nisi qui in aliis virtutibus, etsi perfectus nondum sit, tamen multum iam profecerit; sed neque aliae virtutes sine prudentia completae atque perfectae esse possunt.

851 III. Circa divisionem prudentiae haec notari possunt:

1. Distinguitur prudentia *naturalis* et *supernaturalis*; de qua distinctione supra iam dictum est.

2. Distinguitur prudentia *personalis* seu solitaria et *gubernatrix*: quae posterior subdividitur ab antiquis in oeconomicam, civilem, legislativam, militarem; ex ipsis nominibus satis eae declarantur.

Per se patet, prudentiam personalem habere potissimum rationem virtutis, eamque, si perfecta est, comprehendere reliquas saltem pro illo viro, qui in diversis officiis publicis munere fungitur. Nam qui munere gubernatoris, regis, ducis fungitur, *personalem* prudentiam completam non habet, nisi sciverit etiam ea, quae sui publici muneris sint, per prudentiam civilem, legislativam etc. recte peragere. *Presse* tamen prudentia solitaria dirigit vitam hominis *privatam*.

3. Eodem modo sequitur, prudentiam gubernatricem, quae *proxime* bonum aliorum vel publicum bonum respicit, verae virtutis rationem non habere ex se sola, sed solum, quatenus prudentiae personali subordinatur: nemo enim simpliciter prudens est, nisi *suo bono honesto* potissimum prospiciat.

4. Posse autem etiam alias species prudentiae imperfecte sumptae recenseri, facile patet. Pro variis enim muneribus, quae in vita humana occurrere possunt, variae etiam prudentiae species vel potius *partes* assignari possunt.

5. Simpliciter vero et perfecto prudens ille dicitur, qui omnes suos actus in finem vitae aeternae, immo in abundantio rem vitam supernaturalem et in maiorem Dei gloriam, qui est finis omnis creaturae, dirigit. Unde rectissime B. Maria Virgo, quae numquam, ne in minimo quidem, deliquit, sed perfectiora in quolibet virtutum genere secuta est, *virgo prudentissima* vocatur.

852 IV. Circa functiones prudentiae dicendum est:

1. Proprium prudentiae munus, ut fuse exponit *S. Thomas 2, 2, q. 47, a. 6—9*, est bene consultare, bene iudicare, executionem praecipere; idque



«cum sollicitudine et diligentia». Nisi enim pro circumstantiis rei, temporis, personae, diligentia adhibeatur, prudenter agi nemo dixerit.

1) *Bene consultare* est expendere undique circumstantias et inquirere, quae media et circumstantiae necessariae sint, ut actio fiat secundum honestatem et virtutem.

2) *Bene iudicare*. Sequitur enim consultationem iudicium seu conclusio, quid, quomodo, quibusque circumstantiis agendum sit, ut actio honestatis et virtutis normae respondeat. Ad quod, ait *Lessius*, De iust. l. 1, c. 1, n. 17, expedit in promptu habere sententias sapientum, et imprimis quae in Sacra Scriptura in Proverb. et lib. Eccli habentur; hae enim ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant: unde consultum est, eas memoria tenere.

Per consultationem et iudicium dicitur prudentia *invenire et praescribere medium moralibus*.

3) Tertio dicitur prudentiae esse recte *imperare executionem*. Quod imperium, quamquam nonnulli ut actum a iudicio practico distinctum considerant, tamen, si quaerimus quid *necessarium omnino* sit, ut homo post iudicium libere agat, dici debet, *necessarium non esse actum distinctum*, alioqui libertas indifferentiae in periculum vocatur. Igitur illud imperium, quod necessarium est ad actum voluntatis, est ipsum iudicium practicum, quatenus denotat intimationem ab intellectu ad voluntatem directam. Potest nihilominus novus actus reflexus fieri, quo homo se ipsum urgeat ad id opere exsequendum, quod agendum esse concluderat.

2. Functionibus illis bene consultandi et bene iudicandi *S. Thom.* q. 51<sup>853</sup> assignat quosdam peculiare habitus, quos vocat *partes prudentiae potentiales*, quia prudentia iis utitur, ut anima suis potentiis.

Necesse autem non est, ut dicamus eos habitus a prudentia *distinctos*, sed potius dici possunt prudentia *inadaequata* considerata pro distinctis eius muneribus.

Nimirum enumerantur: 1) *evulvia* seu habitus recte consultandi, i. e. inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis et perplexis, seseque ex difficultatibus extricandi;

2) *synesis* seu habitus recte iudicandi ex consideratione communium principiorum, i. e. legum naturalium et positivarum, earumque finis;

3) *gnome* seu habitus recte iudicandi ex altioribus principiis secundum mentem legislatoris contra tenorem verborum in extraordinariis.

3. Functiones vero auxiliares, quibus prudentiae usus integer et perfectus evadit (quae hoc sensu a *S. Thoma* partes integrantes prudentiae vocantur ib. q. 49), enumerari solent:

1) *docilitas*, i. e. affectus et promptitudo ad discendum;

2) *sollertia* seu sagacitas, i. e. rationis, cur res probanda improbandave sit, celeris inventio: utraque maxime iuvat ad acquirendam prudentiam;

3) *memoria* seu recordatio eorum, quae in nobis aliisque experti sumus;

4) *intelligentia*, qua praesens status rei bene perspectus habeatur;

5) *providentia*, i. e. consideratio futurorum eventuum, qui ex opere sequi possint;

6) *ratio*, i. e. promptitudo ratiocinandi, seu unum ex altero colligendi: — quae potissimum iuvant usum prudentiae in consultando et iudicando —;

7) *circumspectio* seu consideratio circumstantiarum, ne qua desit in opere;

8) *cautio*, i. e. cura, ut vitentur incommoda, quibus opus, quod meditatur, est expositum, v. g. ne offendatur proximus, ne damnum incurratur: — quae praecipue operis executionem spectant.

Functiones illae auxiliares ex parte ad ipsam prudentiam intrinsecus pertinent, siquidem actus sunt a prudentia oriundae, ut eae, quae n. 4), 5), 7), 8) enumerantur.

854 V. *Peccata et vitia prudentiae opposita* breviter perstringenda sunt.

Omne quidem peccatum est prudentiae oppositum, cum sit contra prudentiae *iudicium*. Peccans enim agit contra propriam conscientiam, quae iudicio suo dictat, non esse agendum, aut aliter esse agendum, aut melius considerandum. Dico, omne peccatum esse *contra iudicium prudentiae*, non, esse *ex iudicio imprudenti*, quia, ut libertas indifferentiae salva sit, necesse est dicere, *cum iudicio recto et prudenti contra illud agere hominem posse*.

Verum quando loquimur de peccatis et vitiis contra prudentiam, ea prae aliis intelligimus, quae *directe* contra regulas et functiones a prudentia requisitas delinquant. Ut contra alias virtutes, ita etiam contra prudentiam dicitur peccari aut per defectum, aut per modum excessus.

I. Per modum *defectus* peccata contra prudentiam sunt:

1) *praecipitatio*, quae, proposito fine, statim opus aggreditur omissa deliberatione — peccat igitur contra officium prudentiae *consultandi*;

2) *inconsideratio*, quae iudicat non consideratis bene circumstantiis — directe delinquit contra officium prudentiae *bene iudicandi*;

3) *inconstantia*, quae sine ulla vel sine iusta causa mutat sententiam, cum prudentiae sit bene consultatis et iudicatis inhaerere — delinquit igitur contra *firmitatem iudicii*;

4) *negligentia*, qua omittitur debita diligentia in actu intellectus, qui excitet dirigatque voluntatem viresque externas ad operis executionem quod post consilium et iudicium homo sibi proposuit — delinquit contra *rationis vigilantiam* in exsequendo.

Quae peccata non ex se sunt gravia, sed ex circumstantia.

Videlicet *praecipitatio* et *inconsideratio* tunc grave peccatum constituunt, quando aliquis advertenter se exponit periculo alicuius mortalis peccati; atque *species* malitiae, qua peccatur, sumitur ex lege, cuius violandae periculum temere subitur, ita ut necessarium non sit ipsum imprudentiae reatum eiusve singularem modum in confessione explicare.

De inconstantia et negligentia idem observa generatim. Quando ergo agitur de re sub gravi non praecepta, inconstantia vel negligentia grave peccatum non inducit, nisi forte ratio scandali aliudve periculum accedat.

Facilius tamen veniale aliquod peccatum etiam in rebus per se non praeceptis inconstantia et negligentia contrahitur, quia ratio mutandi facile est ipse affectus ad quandam rem venialiter malus.

855 2. Per modum cuiusdam *excessus* vel potius falsa prudentiae specie et simulacro *S. Thom.* q. 55 enumerat:

1) *Prudentiam carnis*, quae excogitat idonea media ad vivendum secundum carnem, seu secundum instinctum et motus naturae corruptae: cf. Gal 5, 19—22, ubi *S. Paulus* «opera carnis» enumerat.

Peccatum igitur est ratione pravi affectus operisque, cui exsequendo studet: quod si mortale peccatum est, hoc idque solum contrahitur; si veniale, peccatur venialiter.

2) *Astutia, dolus, fraus*: ita ut astutia dicatur *notitia* pravorum mediiorum ad fallendum cum affectu exsequendi, dolus et fraus vero *astutiae exsecutio*; dolus generatim sive de verbis sive de factis, fraus potius de factis dicitur.

Quae qua ratione peccata sint, aestimandum est ex affectu, qui subest, et ex nocumento sive intento sive illato.

3) *Sollicitudo temporalium*, et sollicitudo futurorum: qua homo nimis occupatur rebus temporalibus sive conquirendis sive asservandis. Hinc peccatum est ex nimio affectu ad res terrenas, avaritia etc., et ex defectu fiduciae in Deum.

Mortale igitur peccatum tunc tantum committitur, quando aut spes graviter violatur, aut quando aliquis propter temporalia violat vel violare paratus est aliquam legem sub gravi obligantem. — At haec ipsa sollicitudo huius saeculi gravia secum fert incommoda, cum animum retrahat a divinis et spiritualibus eumque paulatim disponat et perducatur ad periculum gravis peccati, ut docet Apostolus 1 Tim 6, 9 et 10: «Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas etc.»

Pulcherrima autem documenta et motiva, quae anxiam curam rerum<sup>856</sup> temporalium restringant atque fiduciam in paternam Dei providentiam augeant, habes ab ipso Salvatore proposita Mt 6, 25 sqq: «Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa. *Nonne vos magis pluris estis illis?* Quis vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescent: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. *Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis modicae fidei.* Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adicientur vobis.* Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.»

## SECTIO III.

### DE FORTITUDINE ET VIRTUTIBUS ANNEXIS.

#### Caput I.

#### De fortitudine.

##### I. Notio fortitudinis.

1. Fortitudo uno sensu sumitur pro certa quadam conditione cuiuslibet virtutis, nimirum pro *animi firmitate* in quolibet bono honesto. Sic non tam specialis virtus est quam cuiuslibet virtutis perfectae conditio.

2. Alio sensu restricto sumitur pro firmitate animi in sustinendis et repellendis iis rebus, in quibus difficillimum est animum regere et

normam rationis retinere, ut sunt pericula mortis. Quoniam scilicet ibi *peculiaris* difficultas est, rectitudinem rationis retinere, merito peculiari virtuti *haec* firmitas attribuitur; nam eo ipso conspicitur in hac firmitate, qua homo ne summo quidem malo se frangi sinat, peculiaris honestas rationabiliter appetenda.

3. Quamvis etiam aliae virtutes ex *suīs* motivis hominem impellere possint, ut eorum bonum prosequatur etiam inter summa pericula, immo per se impellere debeant, nisi a sua perfectione deflectant: nihilominus aliud est propter haec motiva opus virtutis alicuius exercere, aliud propter ipsam honestatem fortitudinis, eo quod deceat hominem nullis malis virtute inferioribus frangi. Quod si fit, fortitudo *formaliter* exercetur; in priore casu formaliter exercentur aliae virtutes, fortitudo materialiter.

4. Fortitudo igitur versatur *immediate* circa *passiones timoris et audaciae* in mortis periculis, seu in earum debita moderatione, ne scilicet nimius sit timor, neve nimia audacia, sed ut et audacia et timor suo tempore et debito modo atque mensura excitentur. — Postquam autem malum evenerit, fortitudo etiam *tristitiae* moderatur.

*Mediate* dirigit fortitudo *externam actionem et externam hominis compositionem*, ut fugam, aggressionem, perpersionem etc.

5. Pericula autem mortis, ut in iis a fortitudine homo dirigatur, debent prorsus honeste suscipi et tolerari; aliter ea suscipere nullatenus fortitudo est, sed temeritas, ferocia etc.: quod obtinet in duello.

## 858 II. Fortitudinis exercitium.

1. Fortitudo potissimum spectatur in periculis bellicis — saltem si spectas fortitudinem naturalem. Haec enim in bello iusto honestissima et maxima censentur, neque humanam conditionem superant.

2. Refertur fortitudo primarie ad pericula mortis ibi occurrentia, secundarie ad omnia gravia mala calamitatesque sustinenda.

3. Moderatio timoris fit tum phantasiae cohibitione et directione, tum consideratione eorum, quae mortem aut minus formidolosam aut etiam expectendam reddunt; quod maxime christiana fortitudo efficere potest, quando per fidem recolit homo bona spiritualia cum morte honesta coniuncta, exempla Christi et Sanctorum etc.

4. Hinc fit, ut etiam in iis, quae per se ambitum naturalis fortitudinis non excedunt, christiana et supernaturalis fortitudo multo plus valeat. Ingens enim est inter utramque fortitudinem discrimen; siquidem naturalis fortitudo timori mortis moderari ea tantum norma et mensura potest, quatenus bonum vitae altero bono naturalis ordinis superatur: at supernaturalis fortitudo id praestat, quatenus supernaturalia bona vitam meliora ostendit; quae cum infinite excedant, non solum mortem non immodice timere, sed plane concupiscere, vitam despiciere, tormenta ultra omnes delicias amare docet.

5. Christianae fortitudinis actus praecipuus est *martyrium*, quo quis sive fidei sive alterius virtutis causa mortem a tyranno inferendam voluntarie subit: quod aliis fortitudinis actibus sive occasionibus longe praestat 1) propter causam, ex qua mala tolerantur; 2) etiam propter modum, quo subeuntur, siquidem multo minus difficile est bellica peri-



cula subire, videlicet oppugnando mala et inferre et sustinere atque per audaciam spem evadendi malis fere semper concipere, quam ad solam cruciatuum tolerantiam se tradere. — Quamquam in subeundo martyrio non semper necessarium est *formaliter* fortitudinis virtutem exercere, i. e. ex ipso motivo fortitudinis agere (nam ex motivo aliarum virtutum, maxime si in perfecto et heroico gradu adsunt, praecipue autem ex motivo caritatis Dei et Christi atque eius vestigiorum aemulatione agere martyr prorsus potest et agere solet): nihilominus fortitudini adscribitur, tum quia materia est propriissima fortitudinis materia, tum quia aliae virtutes, si per martyrium exercentur, illam conditionem communem firmitatis exhibent, quae fortitudinis specialis virtus quidem non est, cum ea tamen similitudinem gerit atque etiam fortitudo vocatur.

III. Ad functiones fortitudinis plenius intelligendas praestat etiam <sup>859</sup> notare partes integrantes, vid. animi affectiones, quae incomplete fortitudinem constituunt, vel ad eius integrum officium necessariae sunt.

1. Enumerantur a *Cicerone*, De inv. rhet. l. 2, c. 54: «Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpassio. Eius partes (sunt) magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia.» Vide *S. Thom.* l. c. q. 128.

Quae affectiones animi, si in ipsa materia fortitudinis, i. e. periculis mortis, versantur, partes integrantes fortitudinis dicuntur; si in aliis materiis, virtutes fortitudini *annexae* vocantur: de quibus sequenti cap.

2. Officium fortitudinis nimirum est in *aggrediendo* et in *sustinendo*. Ad *aggredienda* periculosa 1) promptitudo animi requiritur, et 2) strenuitas in executione; primum praestat *fidentia*, qua quis sperat, se malum imminens superaturum esse, secundum *magnificentia*, quae est ex sententia *Cicer.* l. c. «rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, agitatio et administratio».

3. Ad *sustinendum* opus est, 1) ne animus difficultate et asperitate malorum frangatur, quod praestat *patientia*, quae tristitiae et dolori moderatur; 2) ne diuturnitate laborum fatigatus a coeptis desistat, quod *perseverantia* praestat seu firmitas animi in proposito persistendi.

IV. Vitia et peccata fortitudini opposita sunt:

860

1. Timiditas seu *ignavia*, quae excedit in timore, aut timendo *ubi non* timendum est, aut *plus* quam oportet. Quod vitium, si in se sistit, non excedit veniale peccatum; at quando retrahit ab officio sub gravi implendo, transit in mortale, vel potius causa est mortalis peccati.

2. *Intimiditas*, quae non timet, quando timendum est. Fortitudo enim non excludit, sed moderatur timores. Quod vitium oritur aut ex contemptu vitae, quam, cum homo non aestimat, facile exponit; aut ex superbia, sibi nimis virium tribuendo, aut ex animi stoliditate. — Ceterum hoc vitium eatenus peccatum est, quatenus aut *causa* eius est peccatum, aut quatenus per peccatum aliquis periculo sese exponit.

3. Audacia seu *temeritas*, quae est excessus in audendo vel aggrediendo, scilicet aliquid *quod* non convenit, aut *quando* non convenit, aut *quo modo* non convenit. Oritur fere etiam ex iisdem causis atque intimiditas; potissimum tamen ex iactantia et vana gloria. — De peccaminositate huius vitii dic idem ac de praecedenti vitio.

## Caput II.

## De prioribus virtutibus fortitudini annexis, magnanimitate et magnificentia.

861 Supra pro partibus integrantibus fortitudinis allatae sunt fidentia et magnificentia: quibus respondent in rebus extra strictae fortitudinis materiam duae virtutes similes; loco fidentiae autem melius statuitur magnanimitas, quod ex eius explicatione patebit.

I. Ad magnanimitatem quod spectat, breviter nota haec:

1. Magnanimitas dicit promptitudinem animi ad magna et heroica, seu est virtus ad opera magna et heroica in omni virtutum genere inclinans, i. e. hominem honestissimo illo motivo impellens, quod rationali creaturae conveniat, ea, quae maxima et eximia sunt in virtutibus, praecipue intendere.

2. Non ergo vere magnanimus est, qui magna quaerit extra virtutem: haec enim *vere* magna non sunt. Vera magnanimitas despicit divitias, voluptates, honores huius mundi, utpote quae re ipsa parvi sint momenti: sed adspirat ad coelestia, quae sola sunt magna, et ad ea, quae coram Deo magnos honores conciliant; immo in ipso virtutum exercitio mediocritate contenta non est, sed ad ardua et difficilia, ut ad arduam abstinentiam, ad eximiam patientiam, ad indefessam orationem anhelat.

3. Quod quidem ex reliquis virtutibus unaquaeque in sua materia facit, si heroica existit, at ex suo singulari motivo; magnanimitas in qualibet materia idem praestat, sed ex *alio* motivo, nimirum *quia* magna et ardua (modo honesta sint) prosequi decorum est et convenit animo generoso, homini magnis gratiis adiuto, magnis praemiis illecto, magnis exemplis provocato. Igitur «*esse magnum et arduum*» in operibus aliarum virtutum est ratio formalis obiectiva virtutis magnanimitatis; «*esse magnum et arduum in hac vel illa virtute*», v. g. religionis, est ratio, cur talis virtus (religionis) heroica in id incumbat.

4. Magnanimitas versatur, ut ex dictis patet, *proxime* circa opera magna; *remote* versatur circa magnos honores, quorum appetitum moderatur, atque circa laudem et famam, cuius appetentiam similiter regit: ne videlicet homo ea multum appetat, neve plus, quam par est, ea refugiat; ne, si deferantur, extollatur, neve, si desint vel in contrarium vertantur, decidat immodiceve tristetur. Quare magnanimitas id etiam praestat, ut homo et in prosperis et in adversis *moderate* agat, neque fortunam neque adversitatem multum aestimet, sed thesaurum suum apud solum Deum reconditum habeat.

862 II. Magnificientia videtur pars quaedam magnanimitatis esse; sumitur autem in peculiari prorsus materia, ita ut inclinet in magnitudinem in opere externo, quatenus est opus artis humanis usibus accommodatum, cum magnanimitas simpliciter spectet magnitudinem in qualibet virtute. At quatenus magnitudo in opere externo exstruendo ad virtutem spectat — quod nisi fiat, de *virtute* magnificentiae sermo esse nequit — magnanimitas utpote universalis magnarum rerum appetentia eam etiam amplectitur.

Magnificientia exercetur v. g. in splendidis templis exstruendis, in magnis sumptibus expendendis pro pia vel publica et honesta causa etc.

863 III. Vitia magnanimitati opposita sunt:

1. *Praesumptio*, quae proximo obiecto magnanimitatis opponitur, ad magna *ultra vires* tendendo — quod vitium supponit opinionem falsam in intellectu

culpabilem, et requirit in voluntate affectum ad rem exsequendam sive absolutum sive conditionatum.

Peccatum *grave* committitur, si periculum, aut iniuria vel iniuriae periculum accedunt in obiecto gravi; aut si error contra fidem est, qui praesumptionem producat. — Aliam speciem praesumptionis, quae *in re supernaturali* tendentiam ultra vires committit, vide n. 436 sqq *de spe theolog.*

2. *Ambitio*, quae officio magnanimitatis circa obiectum remotum opponitur, est inordinatus appetitus *honoris* a) appetendo plus honoris, quam par est, aut ex re, quae in se quidem bona, at appetenti non conveniens est; b) appetendo honorem ex re mala; c) appetendo honorem *modo* indebito, ita ut divinae legi (gravi) praeferatur. Unde pro ratione materiae est peccatum aut veniale, aut grave; in causa prima (a) ex se, nisi aliud accedat, veniale tantum.

3. *Inanis gloria*, quae est inordinatus appetitus *laudis et famae*. Distinguitur ab ambitione secundum diversitatem obiecti, sicut honor distinguitur a bona opinione et fama; quorum posterior in bona aestimatione apud alios sita est, prior in huius aestimationis et *excellentiae* per externa signa exhibitione; atque communiter non cuiuslibet aestimationis, sed *magnae* aestimationis significationem ambitio quaerit. — Inanis seu vana gloria etiam variis modis adesse potest, scil. cupiditate gloriae seu aestimationis a) *ex simulata* excellentia — cum hypocrisi coniuncta; b) *maioris* aestimationis, quam personae aut rei, ex qua quaeritur, convenit; c) *apud eos*, qui rectam rei opinionem non habent.

*Per se* peccatum veniale est; ratione *alterius peccati* mortalis evadere potest.

Vana gloria cum ambitione numeratur inter vitia seu peccata capitalia, quia ex ea innumera alia peccata facile pullulant, sive venialia sive etiam mortalia.

4. *Pusillanimitas* — quae una magnanimitati opponitur per modum *de-* <sup>864</sup> *fectus* — est animi compositio, qua quis nimis refugit magna et ardua, ea facilius sibi impossibilia esse reputans.

Ergo difficultatibus homo pusillanimis nimis terretur, neque satis sese erigit in spem divini auxilii; alioquin enim *propriis* viribus non fidere, quando de operibus virtutum agitur, non est tam viri pusillanimis quam humiliter et vere sentientis. Hoc modo opponitur pusillanimitas magnanimitatis obiecto proximo, estque vitium praesumptioni contrarium.

Alio modo adversus obiecta magnanimitatis remota, honorem atque laudem, pusillanimitas peccat, modo scil. directe opposito vitiis ambitionis et vanae gloriae, quando aliquis suam indignitatem considerans nimis abstinet ab honore et aestimatione admittenda et quaerenda, non habita ratione officii et gradus, in quo constitutus est. Nam quamquam personaliter honores et aestimationem fugere et abhorreere eximius gradus christianae humilitatis esse potest, atque illam affectionem animi nemo non laudabiliter gerit: tamen non idem dici potest de omni repulsa honoris et aestimationis re ipsa facta.

Pusillanimitas ex se non dicit grave peccatum: sed tum tantum graviter peccatur, si quis aut officium graviter obligans omittit seu omittere vult, aut graviter contra spem divinam delinquit, aut si ex neglectu honoris vel famae grave damnum in ea re oritur, de qua ipse, qui negligit, non possit disponere. — Vincitur consideratione eorum, quae ad spem divinam pertinent.

IV. Magnificentiae duo vitia opponuntur, per excessum unum, alterum <sup>865</sup> per defectum; prius vocari potest nimia *sumptuositas*, posterius a *S. Thom.* dicitur *parvidecentia*, vel animi angustiae (*Engherzigkeit, Knauserei*), cum

non tam ex tenacitate quam ex indecora a rebus splendidis aversione sumptibus parcitur, quando iis parcere non convenit. Peccaminositas fere ex peccatis *adiunctis* pendet.

### Caput III.

#### De aliis virtutibus fortitudini annexis, scil. de patientia et perseverantia, et quae cum illis cohaerent.

866 I. Patientia virtus est, quae in malis tolerandis maerori moderatur, ne quidquam recedatur a praescripto rationis virtutumque exercitio. Qua peculiaris virtus ab aliis distincta non spectat summa illa mala, circa quae fortitudo versatur; nam in iis persistere intrepidum ad ipsam fortitudinem spectat eamque intrinsecus complet. Peculiaris igitur virtus patientiae spectat alia mala inferiora.

1. Quando in iis tolerandis istud moderamen sibi imponit, quia hoc ipsum honestum est atque consentaneum tristitiae moderari seseque in animi aequalitate continere, *formaliter* patientiam exercet; si idem facit ex amore illius boni atque honesti, quod in operibus, quae exercet, ex se invenitur — id enim etiam facere potest —, patientiam *materialiter*, formaliter alias virtutes exercet.

2. Patientia, ut ex dictis colligitur, versatur ut circa obiectum suum seu materiam 1) immediate circa maerorem et tristitiam; 2) remote circa actiones, gestus, verba externa, ne quid immoderati in iis appareat; 3) circa ipsa mala tamquam obiectum remotissimum.

3. Longanimitas, quae specialis virtus vocatur, est pars quaedam patientiae, quatenus versatur circa illud malum seu *illam molestiam*, quae *ex dilatione rei expectatae* oritur. Praecipue emicat in tolerandis iniuriis, quae non pro iusta expectatione satis reparantur.

4. *Gradus patientiae* pulchre recenset *Less.*, De iust. l. 3, c. 2, n. 44:

1) ex parte malorum: si retinetur patientia a) in damnis fortunarum, b) in detrimentis famae, c) in detrimentis corporis et vitae;

2) ex parte modi perferendi: si tolerantur mala a) sine murmuratione, b) sine lamentatione apud alios, c) cum gaudio;

3) ex parte causae ipsorum malorum: si patienter ferimus mala a) propter culpas nobis inflicta, b) mala sine culpa nostra ab inimicis illata, c) mala illata ab iis, quibus benefecimus — quare summus gradus est eiusmodi mala et iniurias non solum aequo, sed libenti et gaudenti animo ferre, atque ita Christum Dominum imitari, qui summas iniurias et afflictiones ab iis, quibus summe benefecerat, patientissime sustinuit, et pro iisdem Patrem rogavit.

867 II. Vitia patientiae opposita numerantur:

1. *Insensibilitas*, quando aliquis neque propriis neque alienis malis tangitur: quod laudabile non est — at *ex se* non excedit, si peccatum est, peccatum veniale, nisi forte *accedat* gravis officii (erga proximum praecipue) laesio.

2. *Impatientia*, qua quis nimium dolet et ex dolere a recto recedit. Sic impatiens est, 1) qui ob dolorem vel maerorem aliquid mali committit: 2) qui *modum* in dolendo excedit; 3) etiam impatiens dicitur, qui in ira



vel indignatione excedens hunc animi motum foras ostendit — quamquam potius iracundus dici debet.

Impatientia, etsi *ex se* ut animi affectio veniale peccatum tantum est, nisi forte murmurationem contra Deum divinamque ordinationem includat, tamen inducere potest ad alia mala facienda bonaque praecepta omittenda: quare etiam *gravem* legis divinae violationem producere potest.

Hoc sensu homini, potissimum christiano, patientia maxime necessaria est, ut Christus Dominus ipse monet: «in patientia vestra possidebitis animas vestras», i. e. acquiretis, salvabitis animas vestras. Nam tot mala huius vitae hominem circumstant eique inferuntur, si legem divinam servare vult, adeoque ita frequenter sollicitatur ad violandam legem, si velit effugere tolerantiam malorum, ut homo christianus contra ea maxime sese praeparare debeat. Verum sufficit patientiam *materialiter* exercere; immo oportet non formale motivum patientiae solum perpendi, sed alia etiam motiva quam plurima et multo efficaciora, quae ad mala toleranda inducunt, ut coelestem remunerationem, imitationem Christi et Sanctorum, amorem Dei etc.

### III. Perseverantia (vide *S. Thom.* 2, 2, q. 137 et 138):

868

1. Haec sumitur pro speciali virtute, qua homo proponit perseverare in bono opere, quamdiu ratio dictat, eo motivo, quod peculiarem honestatem contineat *perseveranter* agere, sicuti peculiaris difficultas et molestia et taedium ex diuturnitate obrepere solet.

Quare si speciale motivum *eius* virtutis, cuius est illud opus quod agitur, ad perseverandum excitat, *materialiter* potius quam formaliter exercetur virtus perseverantiae: quod prius tamen sufficit, immo saepe magis expedit quam in sola formali perseverantia affectum collocare.

2. Proxima igitur materia huius virtutis est in *cuiuslibet* virtutis exercitio *continuatio* usque ad finem sive singularis negotii sive vitae: prout ratio praescribit. — Materia remota et *secundaria* est molestia et difficultas, quae ex diuturnitate rei laboriosae capitur. Dicitur *secundaria* materia, quia principalis materia in *bonis operibus efficiendis* collocari debet, non obstante ista difficultate: contrarium in patientia obtinet, quae primarie consideratur ex malis perferendis.

3. *Constantia* parum differt a perseverantia. Sunt qui ita distinguant, ut constantia dicatur virtus quae vincat difficultatem ex naturali animi mutabilitate et externis impedimentis oriundam, perseverantia quae vincat difficultatem, quam diuturnitas rei laboriosae per se et ex natura sua secum ferat.

### IV. Vitia perseverantiae et constantiae opposita sunt:

869

1. Per modum excessus *pertinacia*, qua aliquis in proposito permanet contra rationem, cum ex circumstantiis ratio dictet, desistendum esse: est peccatum veniale aut mortale pro materia subiecta, ut si quis pertinaciter persistere vult in re, quam cognoverit esse malam.

2. Per modum defectus habetur *inconstantia*, qua sine ratione sufficienti mutatur propositum. Quod, nisi agatur de re praecepta, *ex se* peccatum non est; potest tamen peccatum esse ex motivo peccaminoso (plerumque venialiter tantum malo).

## SECTIO IV.

## DE TEMPERANTIA ET VIRTUTIBUS ANNEXIS.

*Caput I.*

## De temperantia eiusque speciebus.

870 1. Conceptus temperantiae *latus* quidem ille est, ut significet quamlibet vel omnem virtutem, quae refrenet affectum ab iis, quae ipsum *alliciunt* contra rationis praescriptum: sed *stricto sensu* sumitur pro illa virtute speciali, quae refrenet appetitum in iis, quae *maxime alliciunt* (uti fortitudo versatur circa ea, quae maxime retrahunt); i. e. *in delectationibus gustus et tactus*, seu in usu alimentorum et venereorum.

2. Inde facile colliges, quae sit materia temperantiae, et quae sit eius necessitas. Nimirum quia eiusmodi delectationes homini quasi perpetuo praesto sunt eumque multum alliciunt, non est alia virtus, quae sit frequentioris exercitii aut maioris necessitatis, si homo sese intra limites recti ordinis continere vult. Verum sufficit materialiter temperantiam servare, etsi formale motivum aliud sit quam haec specialis honestas.

3. Regulae temperantiae in cibo et potu sumuntur ex fine, ut sumatur cibus et potus «ad vitae huius atque officiorum necessitatem», sicut *S. Aug.* dicit<sup>1</sup>, scil. necessitatem intelligens etiam utilitatem et convenientiam, quatenus homo et vitam servet et valetudinem corporis et idoneam mentis dispositionem ad suas functiones: quod tamen non excludit, aliquando ex alio altiore fine etiam cibum et potum sumi posse.

Verum cum valetudo corporis non sit nobilissimum bonum, ex virtute altiore haec ipsa regula in sumendo cibo et potu deprimi potest, maxime si mens ad exercitia nobiliora aptior redditur, modo ne brevi sequatur notabilis vel periculosa corporis infirmitas. Quod omnium Sanctorum exempla confirmant. Unde supernaturalis temperantia regulam aliam hanc tradit, ut tantum sumatur cibi et potus, et e contrario tantum abstineatur, quantum christianis virtutibus exercendis conveniat. — Immo etiam *S. Aug.* l. c. longe aliam quam solam naturalem temperantiam spectasse videtur, cum dicat: «Habet vir temperans in huiusmodi rebus mortalibus et fluentibus vitae regulam utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet: sed ad vitae huius atque officiorum necessitatem, quantum sat est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu» et *Confess.* l. 10, c. 31: «Hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.»

De regula in usu venereorum non est quod quidquam dicam, cum extra matrimonium plane sit abstinendum; quid vero in matrimonio requiratur, vide ibi. Ceterum confer, quae postea in sexto praec. decalogi dicuntur.

871 4. Partes integrantes temperantiae *S. Thom.* (2, 2, q. 143) dicit verendum et honestatem, quas etiam dicere licebit *passiones* exercitium tem-

<sup>1</sup> De mor. Eccl. cath. c. 21, n. 39: ML 32, 1328.

perantiae iuvantes: *verecundia* dicit fugam seu aversionem turpitudinis; *honestas* (quae hic non pro toto genere boni moralis sumitur, sed multo pressius pro externa decencia) dicit amorem seu prosecutionem decori, quod in temperantia conspicitur.

5. Temperantiam dividunt secundum diversum obiectum materiale in plures partes subiectivas, seu infimas species, scil.

- 1) in *abstinentiam*, quae temperantiam servat in cibo;
- 2) in *sobrietatem*, quae idem observat in potu inebriante;
- 3) in *prudenciam* et *castitatem*, quae hoc praestat in rebus venereis.

6. Vitia temperantiae contraria *generice* sunt:

a) *Insensibilitas*, quae ita aversatur delectationes gustus et tactus, ut ne tum quidem uti velit, quando uti *debet* — quod est peccatum tantum, quanta est obligatio neglecta seu violata: si vero putantur illae delectationes *ex se malae*, potest esse error haereticus, etiam quando illis utendi nulla est obligatio.

b) *Intemperantia*, quae per modum excessus ultra normam rationis istas delectationes quaerit. Intemperantiae vitium est inter vitia humana maxime probrosum et vile, etsi alia vitia et peccata permulta sunt isto peccato graviora. Nimirum intemperantia homo inhaeret rebus infimis cum bestiis sibi communibus. — Intemperantia etiam vitium est valde vehemens atque curatu difficile, multasque pessimas sequelas secum ducit; nam versatur circa delectationes, quae hominem vehementer alliciunt.

Dividitur autem intemperantia in plures inferiores species: nam dicitur 1) *gula* intemperantia in cibo — quae pluribus diversis modis committitur; comprehendit etiam intemperantiam in potu, quatenus sola adest *gustus* intemperies; 2) *ebrietas* intemperantia in potu inebriante; 3) *luxuria* intemperantia in rebus venereis. Plura vide in cap. *de vitiis capitalibus*.

7. Cum temperantia et intemperantia cohaeret virtus *continentiae* atque oppositum incontinentiae vitium; immo in communi loquendi modo sic distinguitur tantum, ut continentia potissimum intelligatur de temperantia pudicitiae et castitatis.

Alio tamen sensu aliquando a doctis sumitur continentia (*S. Thom.* q. 155), ita ut extendatur ad totum ambitum materiae temperantiae late sumptae, atque definiatur «firma voluntas sese continendi in bono rationis contra impetus voluptatum».

Distinguitur autem a virtute temperantiae (praecipue castitatis) ut incohatio a perfectione: cum virtus temperantiae et castitatis potius talem firmam voluntatem requirat, quae passiones iam habeat domitas et rationi subiectas, ita ut tentationes neque ita vehementes neque tam saepe ab intrinseco patiantur; continentia vero hanc voluntatem firmam dicat in eo, qui pugnet quidem, sed nondum edomuerit passiones.

Hinc patet, incontinentiam minus malam esse ceteris paribus quam intemperantiam; quia intemperans voluntatem firmatam habet in obiecto suo malo, nec tam passione quam spontanea electione peccat, incontinens vero peccat passione victus et post lapsum dolet atque vires animumque resistendi resumit.

Nota tamen, hanc distinctionem inter continentiam et temperantiam potius fieri in virtute acquisita quam in virtute per se infusa. Haec enim, sive eam continentiam dicere vis sive temperantiam, ex se non infert, passiones esse domitas, sed facultatem tribuit praescriptum rationis fide supernaturaliter illustratae servandi contra voluptates, sive magnus earum impetus oritur sive non.

## Caput II.

### De virtutibus temperantiae annexis iis, quae versantur circa iram et vindictam.

874 Appetitus inferior continendus est, ne voluntatem secum rapiat contra rationis bonum, non solum contra concupiscentias et voluptates, sed etiam contra passionem irae. Quod praestat praecipue mansuetudo.

I. Mansuetudo est igitur virtus irarum moderatrix, ne, oblatis rebus irritantibus, homo in iram prorumpat, aut in ea modum excedat.

Proxima *materia* huius virtutis est passio irae, cui modum praescribit, ut homo irascatur, quando, cui, quam ob causam, quantum, quomodo oportet, et ut, si non oportet irasci, ira comprimatur omnino.

II. Vitia mansuetudini contraria sunt:

1. *Inirascentia*, quae ita insensibilem hominem reddit, ut non excitetur ad iram, quando oportet. Scilicet quando obsistendum est aliis in re difficiliore, ut, si quis ex officio iustitiae, caritatis etc. monere, corripere, castigare, repellere debet, animus autem friget et detrectat id facere, ira excitanda est, quae iuvet ad augendum animum torporemque excutiendum. Peccatum vero non tam ex defectu irae quam ex defectu alterius officii implendi existit. — Similiter laudabile est iram concipere, si videtur Deus iniuriis affici, modo recta mensura servetur: cuius exemplum habes in Christo Domino Mc 3, 5: «Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum.»

2. *Iracundia*, quae in ira excedit, idque a) in *obiecto* rationis praescriptum non servans, scil. appetendo iniustam vindictam; b) in *modo* normam rationis non servans: de quo fusius vide infra n. 888 *de vitiis capitalibus*.

875 III. *Clementia*, mansuetudini similis, est virtus, quae inclinatur ad mitigandam et diminuendam iustam vindictam (punctionem), in quantum recta ratio non obstat.

Quoad *materiam* igitur licet et clementia et mansuetudo circa externam vindictam versetur, tamen id diverso fit modo. Mansuetudo circa eam versatur, ne homo obtemperet irae, ac proin pro proxima materia *iram* habet, pro remota vindictam; clementia circa moderationem externae vindictae versatur, quia consentaneum et decorum est homini in potestate constituto, infra meritum punire, proin versatur circa *externam vindictam* ut materiam proximam, et sub alia formali ratione.

Clementia supponit conditionem *superioris* atque potestatem iuste infligendi vindictam: mansuetudo latius patet ad quemlibet hominem.

Clementia diminuit, sed non omnino condonat poenam; idque facit ex animi lenitate atque hac *speciali honestate*: quamquam etiam tum, quando *utcumque*, i. e. ex quocumque motivo, poena, servato ordine rectae rationis et virtutis, diminuitur, clementia materialiter exerceri recte dicitur.

IV. *Clementiae* opponitur:

1. *Lenitas nimia*, quae inconsulte poenam mitigat vel remittit contra bonum sive delinquentis sive publicum. Nam aliquando vitiosum est, clementer agere velle, cum nimirum expediat severitate potius delinquentes coercere.

2. *Crudelitas*, quae excedit in poena, ex animi asperitate compati nescientis poenam ultra iustum modum exaggerans. Quare crudelitas sic ac-



cepta supponit in homine potestatem puniendi, sive legitimam sive usurpatam; supponit etiam causam, quae poenam mereatur.

Quodsi potestas non est puniendi, ut in homine privato, neque causa poena digna, eos, qui alios nihilominus suppliciis afficiunt, potius *feros* eorumque vitium feritatem vel *ferocitatem* dixeris, quam crudelitatem: licet communis usus etiam crudelitatis vocem adhibeat.

Distinguitur ergo crudelitas prorsus a *severitate*, quae est inflexibilis animi rigor, nihil de promerita vel statuta poena remittens.

### Caput III.

#### De modestia et studiositate.

Sicut temperantia in rebus, quae maxime delectant secundum appetitum<sup>876</sup> inferiorem, modum imponit: ita aliae virtutes esse debent, quae modum praescribunt in aliis rebus, specialem delectationem non afferentibus, aut non delectationem inferioris appetitus. Generali nomine hae virtutes modestia appellari possunt; sed non omnes eiusdem infimae speciei.

I. Modestia stricte dicta est virtus, quae moderatur externum hominis habitum, motus, gestus totumque hominem externum, ut omnia ex decoris rationisque praescripto componantur. In quo utique ratio habenda est personae, loci, temporis, negotii etc. (Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 168.)

1. Formaliter modestia est, si decorum et convenientia servatur ex ipso affectu, quo quis fertur in id, ut externi hominis compositio cum internis affectionibus virtutum congruat; si ex alio motivo bono fit, modestia materialiter exercetur.

2. Facile patet, modestiam habere materiam quidem humilem, attamen iure magnam laudem. Nam exterior homo index est interioris, neque facile homo potest in exteriori habitu constanter secundum rectam rationis normam agere, nisi interius omnia bene ordinata habet, aliisque virtutibus bene instructus est. — E contrario autem modestiae exercitium etiam multum iuvat ad alias virtutes acquirendas, augendas, conservandas.

Hinc verum est, quod *S. Ambros.*<sup>1</sup> dicit: «Habitus mentis in corporis statu cernitur: hinc homo cordis nostri absconditus aut levior, aut iactantior, aut turbidior; aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior aestimatur. Itaque vox quaedam est animi, corporis motus.» Cf. *Eccli* 19, 26 27: «Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.»

3. Regulas modestiae in variis materiis hic tradere longum est, atque eo magis supersedere possum, quod non desunt libelli, unde illae regulae hauriri possunt<sup>2</sup>.

4. *S. Thom.* l. c. q. 169 modestiam specialem ab altera distinctam statuit, quae versetur circa exteriorem apparatus et usum rerum humanarum, ut ornatum, supellectilem etc.: quae, utrum virtus distincta dicatur necne, tamen ostendit materiae ambitum a priori distinctum.

<sup>1</sup> De off. l. 1, c. 18, n. 71: ML 16, 44 C.

<sup>2</sup> *Schönbold*, Die wichtigsten Anstandsregeln<sup>2</sup>, Ratisbonae 1868, Pustet. *Hoeflinger*, Anstandsregeln<sup>3</sup>, ib. 1885. *Krier*, Die Höflichkeit<sup>5</sup>, Freiburg 1899, Herder. *Decorum religiosum*, Coloniae 1866.

877 5. Vitia modestiae opposita sunt:

- 1) *petulantia* vel insolentia, qua aliquis gestibus motibusque insolitis vel incongruis utitur, qui indecori sunt atque animum male frenatum indicant;
- 2) *hypocrisis*, quae ficto animo modum in exteriore habitu assumit;
- 3) per modum defectus est *rusticitas*, quae decorem externi hominis nimis negligit.

Haec omnia peccata gravia non sunt nisi ratione alterius malitiae *adiunctae*. Immo rusticitas saepe ne proprium peccatum quidem est. Nihilominus viri christianae perfectionis strenui sectatores admirabili studio vel in istis rebus minimis omnia cavere conabuntur, quae non omnino ordinata sunt. Videri potest *Lancicius*, De recollect. octid. (opuscul. spirit. VI.) c. 1, n. 2, ubi pro fine renovationis spiritualis proponit post peccatorum venialium extirpationem etiam «imperfectionum inculpabilium fugam», quas nominat «defectus civilitati et urbanitati morum contrarios».

878 II. Eutrapelia a modestia eatenus distinguitur, quod versatur circa moderationem exteriorum quidem, sed quae ludendi iocandive causa fiunt: quare species quaedam modestiae est.

1. Ad decorum honestumque convictum humanum enim pertinet, ut etiam in animi remissione rebusque ludicris agendis modus servetur, ne homo ea, quae ad relaxationem necessaria sunt, nimis abhorreat atque aliis hominibus gravem atque molestum se exhibeat, neve illis rebus nimis inhaereat.

2. Maius tamen periculum est in excessu ludendi et iocandi quam in defectu.

Moderatio igitur necessaria est ex parte rei, ut id, quod relaxationis causa agatur, nullam turpitudinem contineat, et ex parte modi, ne homo nimis profusus sit in ludicra. Ad moderationem ex parte rei etiam pertinet, ut non suscipiatur ludus sive absolute sive relate ad quosdam homines prohibitus. (De quo plura vide in tract. *de contractibus*, et *de clericis*.)

3. Defectus eutrapeliae contrarii sunt: 1) *scurrilitas* per excessum, cuius peccaminositas diiudicanda est tum ex ipsa re quae agitur, tum ex circumstantiis personarum, num grave scandalum, iniuria etc. adsit.

2) *Austeritas* nimia, qua aliquis aut a remissione sibi necessaria abhorret, aut aliorum honestam recreationem improbens iis se molestum exhibet: qui defectus *per se* multo levior est.

879 III. Magis pro distincta virtute haberi debet ea, quae moderationem indicit cupiditati sciendi et addiscendi, scil. studiositas. Homo enim naturaliter inclinatur ad rerum scientiam acquirendam. Verum hoc ipsum *studium* cognoscendi a rationis dictamine regi debet.

1. Huius virtutis officium est 1) moderari appetitui sciendi, ne homo appetat plura et altiora scire, quam quae suae conditioni conveniunt; 2) moderari ipsum studium et conatum animi, ut studeat homo ea diligentia, eo fine, iis adminiculis, ut par est, neque plus; 3) etiam interdum excitare et impellere ad studium, quando animus labores cum eo coniunctos refugit atque languidum se gerit. Quare haec virtus secundum unum officium temperantiae annexa est, secundum alterum fortitudini.

2. Vitia opposita sunt:

1) *Curiositas* per excessum — quae *ex se* peccatum grave non est; potest evadere gravis ex adiunctis vel fieri causa gravis peccati. (Cf. ea, quae de virtute fidei theologicae agens de peccatis contra fidem atque similibus dixi n. 416—419.)

2) *Negligentia* vel *pigritia* per defectum: — grave peccatum evadit, quando agitur de rebus sub gravi scitu necessariis, si modo huius gravis obligationis advertentia adsit: sive de scientia rerum agitur *omnibus* necessaria, ut articulorum fidei necessariorum, sive de scientia necessaria *ex munere* suscepto vel suscipiendo.

### Caput IV.

#### De humilitate.

Restat ut agamus de moderatione illius appetitus, qui sensibilem<sup>880</sup> quidem delectationem non movet neque talem *impetum passionis* secum fert, sicut materia temperantiae stricte sumptae, qui tamen, quo nobilior et secundum se rationi magis consentaneus videtur, eo difficilius omnino refrenatur et intra limites rectae rationis fide illustratae redigitur, appetitum dico *propriae aestimationis et honoris*.

Quem appetitum moderatur humilitas.

#### I. Notio humilitatis.

1. Humilitas definitur a *S. Thoma* 2, 2, q. 161, a. 1 «laudabilis sui ad ima deiectio», vel a *S. Bern.*, De grad. humil. (in princ.); ML 182, 942: «Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit»; aliis verbis dici potest. «virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis vel factis profitendam».

2. Humilitas supponit cognitionem, quam habet homo de se ipso suaque vilitate suisque defectibus: at hac cognitione supposita, *est* in *voluntate*, quam inclinatur, ne se extollat in agendi ratione supra mensuram suae cognitionis. Obiectum vero huius virtutis est id, quod congruit nostrae vilitati tum secundum interiorem appetitum tum secundum externam actionem.

3. Quamquam id, quod vile est, per se quidem non est honestum aut rationi placens: tamen rationi maxime placet, ut ita agatur, sicut *cuique congruit*; dein vilia amplecti ratione summopere probatur, quatenus est testificatio nostri nihili et summae a Deo dependentiae — quod ad divinam laudem maxime confert. Hinc quia humilitas est *professio veritatis* rationi summe conveniens, Deo summe placens est.

II. Officium, vel varii actus humilitatis hi recenseri possunt<sup>881</sup> ex *Lessio*, De iust. l. 4, c. 4, n. 48:

1. Vilipensio et contemptus sui, per quem homo se quoad ea, quae ex se ipso habet, nihil aestimet.

2. Homo reputat se omnibus Dei donis indignum, et ad omnia ineptum; idque sine falsitate, talis enim revera est secundum ea, quae ex se ipso habet.

3. Hinc sequitur, ut veritatis amore impulsus non cupiat ab aliis magni aestimari, honorari, vel laudari; quia videt, id sibi non congruere, sed ei, a quo omnia habet. Non enim imago vel pictura laudem meretur, sed pictor.

4. Quantum in ipso est, desiderat etiam vilem se haberi et ab aliis contemni. Talem enim cupit se ab aliis iudicari et aestimari, qualem secundum veritatis sententiam et in oculis Dei se novit esse, quemadmodum *S. Bern.* ait Serm. 16, in cant. n. 10 (ML 183, 853): «Verus humilis vilis vult reputari,

non humilis praedicari.» Attamen dictum est «quantum in ipso est»; quia non semper expedit, ut alii defectus nostros noverint, aut nihili nos aestiment.

5. Cum videt se magni fieri vel honorari, dolet, neque illum honorem in animo sibi attrahit, immo nec admittit nisi forte ratione officii aut doni divini, quod habet; et ita honorem in Deum, saltem implicate, refert.

6. Conferendo se cum aliis, censet se omnibus viliozem et deteriozem; considerat enim se secundum ea, quae ex se ipso habet, alios vero secundum ea, quae ex Deo illi habent, et sic illos sibi praeponez: *S. Thom.* 2, 2, q. 161, a. 3. Nam hoc est ingenium humilitatis, in se intueri sua mala, in aliis eorum bona, ita ut sub certo quodam respectu quasi caeca sit pro bonis et dotibus propriis et pro defectibus alienis: quisque autem secundum sua deterior est, quam sunt alii secundum ea, quae ex Deo habent. Cf. *S. Thom.* ib. art. 6. — Superbia prorsus contrarium facit.

7. Subicit se Deo tamquam infimum mancipium, vel potius sicut testa figulo et opus suo factori, ut de se disponat pro beneplacito in omnibus praesertim quae ad hanc vitam pertinent, v. g. quoad paupertatem vel divitias, sanitatem vel morbum, infamiam vel gloriam, vitam vel mortem.

8. Subicit se hominibus propter Deum, sinens se ab illis tamquam instrumentis Dei gubernari.

9. Denique in externis rebus et functionibus amplectitur, quantum ex se est, semper quod est abiectius: verum re ipsa non semper id amplecti decet aut licet, quia ratio decoris, officii et conditionis propriae haberi debet.

882 III. Humilitatis cum magnanimitate collatio. — Hae duae virtutes in aliquibus conveniunt. Utraque enim cohibet affectum, ne feratur ad excelsa supra conditionem et proportionem ipsi homini congruam. At diverso modo:

Videlicet *retrahere ab excelsis*, prout superant vires, magnanimitatis officium est *secundarium* — primum enim est incitare ad excelsa, prout vires non superant; dein vires excedi aut non excedi, sumitur, prout vires considerantur a Deo adiutae. Humilitatis autem primum munus est *retrahere a magnis et splendidis*, prout homo se ipse et id quod ex se est considerat, et prout res splendidae ipsi afferunt honorem, non ut sunt virtutum opera, quibus peragendis homo ex Dei dono par est, et prouti ad Dei gloriam tendunt.

Verum humilitas et magnanimitas se invicem multum iuvant; immo quo humilior aliquis est, eo magnanimior facile est atque eo fidentior in Deum, cuius gratia fretus facile se ad difficillima et maxime ardua accingit. Multum enim abest, ut humilitas in pusillanimitatem exeat. Et nisi cum magnanimitate humilitas societur, prior in superbiam degenerabit.

883 IV. Humilitas inter virtutes eminentiam quandam habet.

A. Est enim mater et nutrix aliarum virtutum, propter necessitatem ad eas habendas et retinendas imprimis commendata.

1. Hominem reddit legi conformem in omnibus, cum reliquae virtutes morales id faciunt in propriis tantum materiis. Nam humilitas inclinatur ad nos subiciendum Deo in omnibus et cuilibet superiori tamquam Dei instrumento.

2. Humilitas inclinatur ad actus, qui tacitam continent erga Deum honoris exhibitionem seu cultum: quare in suis actibus facile etiam erumpit in formales actus religionis, virtutis omnium moralium virtutum nobilissimae.

3. Humilitas coniunctissima est caritati omnium omnino virtutum reginae: nam humilitas in cognitione, quam homo de se habet, fundatur; porro haec



non concipitur sine cognitione Dei; verum ut homo ex cognitione sui facile transit ad affectum humilitatis, ita Dei cognitionem facile sequitur caritas. Perpende pulcherrimum effatum, quod nomine *S. Augustini* circumfertur, seu oratiunculam ad Deum directam: «Noverim te, noverim me; oderim me, et amem te».

4. Commendatur humilitas ab exemplo et exhortatione Christi, qui, cum summo honore dignus esset utpote Deus-homo, nihilominus nostri amore summam abiectioem et opprobria elegit, quo fortius nos impelleret ad sui imitationem: «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde». Immo eo magis haec christiana virtus discipulis *Christi* commendatur, quo magis ignotam eam fuisse constat ethnicis etiam philosophis, quantumvis praeclare de aliis virtutibus disseruerint.

B. Nihilominus licet sit etiam specie sua eximia, humilitas *non est specificè summa* virtus.

1. Si enim eius *specificam* excellentiam cum aliis virtutibus comparamus, dicenda est ceteris paribus excellentior quam fortitudo, temperantia, cum aliis virtutibus, quae illis annexae sunt, etiam praestantior videtur quam iustitia commutativa. Sed

2. Praestantia vincitur: 1) a *virtutibus theologicis*; 2) a virtute *religionis*, siquidem in se praestantius est, Dei excellentiam profiteri Eique cultum impendere, quam profiteri propriam vilitatem; 3) etiam videtur vinci ab *oboedientia*, saltem non est praestantior quam oboedientia, utpote quae hominem toti legi subiciat — quod commune quidem habet cum humilitate, at magis directe id facit quam humilitas — et obiectum immediatum habeat ex se nobilius. Idem dici potest de *iustitia legali*.

V. Vitia humilitati opposita sunt tum *nimia sui abiectio*,<sup>884</sup> tum *superbia*.

De priore vitio, quod ex nimio seu imprudenti affectu sese demittendi aestimationem propriam parum curat, sufficit dixisse, eius peccaminositatem fere totam sitam esse in damno causato vel iniuria statui, conditioni illata, si quid tale inde sequatur. Ea enim nimia est abiectio sui, quae, spectata propria conditione, non habet rationem conservandae aptitudinis ad officia suscepta rite implenda, ad utilitatem communem prospiciendam, ad aedificationem aliorum promovendam etc.

De superbia utpote fecundo fonte multorum peccatorum paulo latius dicendum.

1. *Superbia ex conceptu* suo est «inordinatus propriae excellentiae appetitus», sive excellentia illa sumitur relative ad alios, quo fit, ut homo aliis se praeferat aliosque despiciat, sive sumitur absolute, ita ut comparatio ista cum aliis non fiat.

Quo intelligitur discrimen inter superbiam et ambitionem aut vanam gloriam: siquidem haec vitia non directe excellentiam propriam, propriamque personam, sed honorem aut aestimationem eorumque excellentiam pro obiecto habent. Verum quidem est, haec ex quadam superbia nasci, et superbiam, si mentem occupaverit, ista alia peccata sponte gignere.

2. Quoad *ortum* et *progressum superbiae* notanda sunt haec: Homo incipit bonum, quod in se habet, considerare, sed ultra modum, considerat

perfectiones suas neque simul considerat imperfectiones nec dependentiam a Deo; tum apprehendit maiorem in se excellentiam, quam re ipsa habet; dein amat seu complacet sibi in illa excellentia apprehensa; demum *aestimat se supra id quod est*, quae aestimatio non in solo iudicio consistit, sed simul in affectu, quo homo erga se tamquam aliquid magnum afficitur.

1) Quae *nimia sui aestimatio* est primus actus completus superbiae (*NB. non dico «completæ superbiae»*): alii actus via sunt et incohatio.

2) Superbus, progrediens ultra, se aestimat dignum rebus magnis se suamque conditionem et vires re ipsa excedentibus.

3) Inordinate appetit honores aliaque ut sibi congrua — *ambitio*.

4) Ab aliis vult magni fieri, honorari, aestimari — *ambitio et vana gloria*.

5) Si videt, se id non obtinere, dolet, irascitur, indignatur.

6) Conferens se cum aliis, se pluris aestimat, alios eorumque acta parvi pendit, contemnit.

7) Recusat se subicere superioribus, quasi id se indignum sit, persuadens sibi, se esse prudentiorem, meliorem etc.

8) Recusat ipsi Deo subiacere, apprehendens id tamquam contra suam dignitatem, volens suo arbitrato vivere, ac si Deo opus non habeat: qui actus est *superbiae completæ*.

885 3. Certae *quaedam species superbiae* distingui possunt pro diversa excellentia vel potius pro diversa excellentiae propriae consideratione<sup>1</sup>, i. e.:

1) Superbia, qua homo practice se putat causam sui boni (dico practice, scil. ita ut theoretice quidem id formaliter non iudicet — hoc enim haereticum plane esset —, sed bona sua ut sua a se dependentia consideret; ultimum autem fontem Deum esse, non negat quidem, sed neque considerat).

2) Superbia, qua quis bona sua se pro suo merito accepisse autumat (scil. relate ad exclusionem *divinae gratiae* idem dic, quod mox sub 1) dictum est; hanc enim divinam gratiam theoretico iudicio excludi necesse non est, at practico agendi modo *quasi* excluditur). Si vero meritum non ut supernaturale coram Deo consideratur, sed meritum humanum, potest utique persuasio proprii meriti plus minusve falsa prorsus adesse, neque propterea peccatum adeo enorme, ut haeresis, accedit.

3) Superbia, qua quis putat, se habere bonum, quod non habet, aut id tamquam excellentiam considerat, quod vere excellens non est.

4) Superbia, qua homo sua bona ita considerat et aestimat, ut prae aliorum bonis sua nimis extollat, aliena pro nihilo reputet.

Vide *S. Greg. M.*, Moral. l. 23, c. 7; ML 76, 293.

In singulis autem speciebus *modus peccandi* diversus esse potest.

1) Si homo apud se in animo se ita extollit; 2) si desiderat, se ita aestimari ab aliis; 3) si externe ita agit, loquitur, ut istam sui aestimationem prodatur; 4) si advertens, se revera non ita excellere, id tamen optat, aliisve id persuasum esse desiderat.

886 4. *Peccaminositas superbiae* exigit distinctionem inter superbiam completam et incompletam. Incompleta ea est, quae aliquid humilitatis etiam compatitur. Quamdiu igitur homo superbiens legibus di-

<sup>1</sup> Species illas communiter non oportet distinguere in confessione, nisi *ex adiunctis* grave peccatum accedat: alias enim plerumque superbia incompleta manet, neque species prima et secunda cum plena advertentia malitiae committi consuevit.

vinis, quod est humilitatis, subiacere adhuc vult, tum immediate tum mediate divinis, seu quibuslibet legitimis superiorum praeceptis, incompleta superbia est, quae *ex se* mortale peccatum non attingit, tamen alia peccata, etiam gravia seu mortalia, facile producit. — Quando autem superbia per voluntatem Deo divinisque legibus non subiacendi consummata est, gravissimum peccatum mortale constituit, quod vere diabolicum est, pessimis tantum hominibus proprium. Peccatum hoc *inter gravissima* recensetur, quia independentiam, et sic quodammodo aversionem a Deo directe vult; tamen non est omnium gravissimum, quia haec aversio non sub formali sua ratione intenditur. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 162, a. 6.

### Caput V.

#### Appendix de vitiis seu peccatis capitalibus.

Praestat. doctrinam de peccatis capitalibus hic supplere et in unum<sup>887</sup> colligere. Attamen solummodo eorum naturam et gravitatem breviter explicandam esse duxi, quatenus hucusque explicata non est. Ceterum de remediis contra illa vitia vide vol. II, de Poenit., sect. 3, c. 3, a. 2, § 2.

*Superbia* non tam inter vitia capitalia ponitur, cum potius aliorum vitiorum capitalium caput et origo dicatur secundum *S. Greg.*, Moral. l. 31, c. 45 (ML 76, 620): «Tentantia vitia, quae invisibili contra nos proelio *regnanti super se superbiae* militant, alia more ducum praeceunt, alia more exercitus subsequuntur. . . . Ipsa namque *vitiorum regina superbia*, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus, devastandum tradit. . . . Radix cuncti mali superbia est. . . . primae autem eius soboles, septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur.» Quod ita intellige, ut, qui superbia imbutus est, facillime in alia quoque vitia dilabatur; et e contrario, licet vitiosus habitus superbiae non requiratur, ut oriri possint aliorum habitus vitiorum, tamen in aliis etiam vitiis et peccatis non expressa, sed implicita quaedam superbia latet.

I. De ambitione et vana gloria vide, quae supra dicta sunt n. 884.

II. De invidia, et de affectibus similibus, sed probe ab ea distinguendis, vide supra (*de caritate proximi*) n. 776 sq.

III. De ira seu potius iracundia.

Iracundia — ab ira ut passione distinguenda — est habitus aut actus irascendi vitiosus seu immoderatus. Ira enim contra malum adiacens insurgit.

Vitium esse potest 1) ex parte *obiecti*, si iniusta vindicta appetitur: scil. a) ob causam non legitimam, b) si maior quam oportet, c) si privatim exercenda. In omni casu *haec iracundia* est *ex genere suo* peccatum mortale; admittere tamen potest parvitatem materiae, si vere modicum malum est, quod infertur aut inferri desideratur;

2) ex parte motus irae tantum; si videlicet homo nimium ira excandescit interius, aut iram per signa externa immodice manifestat: quod

ex se mortale peccatum non est; potest tamen mortale evadere, si valde extraordinario modo homo irascitur, ratione pravi affectus aut ratione scandali.

Irae peccatum, etiam quando est mortale, ex se minus tamen est quam invidia et odium; at generare potest alia peccata. Filiae enim irae dicuntur:

*Indignatio* — inordinatus affectus, quo quis putat, se indigne tractari: quae, si ex iusto iudicio procedat, inordinata non est, alias communiter veniale peccatum; nisi quis in gravem contemptum odiumve alterius prorumpat.

*Tumor mentis* — quo quis morose excogitat diversas vias vindictae iisque cogitationibus mentem inflat: — peccaminositas desumitur ex ipsa vindicta.

*Clamor* — quo iratus homo vocem extollit, multa inordinate effutit: ex se veniale peccatum, nisi aliud addatur.

*Blasphemia* — unum ex gravissimis peccatis mortalibus.

*Contumelia* — de qua vide postea praec. octavum decalogi — ex genere suo (non toto) mortale.

*Maledictio* — (cf. *de inimicitia*) est etiam ex genere suo mortale, neque facile in materia parva sistit.

*Rixae* — ex genere suo mortale saltem ex parte incipientis, si progrediuntur ad vulnera, caedes etc; aliter, si leviculae pugnae sunt, modo ne ex parte personae gravis contumelia sive iniuria appareat.

Vide *Busenb.* et *S. Alph.* V 80—83.

889 IV. Avaritia (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 108, maxime a. 1 et a. 4).

Avaritia est inordinatus appetitus habendarum et retinendarum divitiarum, seu rerum temporalium.

Ex genere suo venialis est, utpote appetitus rei in se indifferentis: qui si tantum ultra debitum modum habetur, peccatum est veniale, nisi quis plane excedat, atque quasi finem suum in illa re constituat, seu rem illam (hic divitias) amori divino praeferat.

Tamen avaritia periculosa est et multorum origo peccatorum, secundum Apostolum 1 Tim 6, 9: «Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem etc.»

Recensentur filiae avaritiae:

*Durities cordis* erga pauperes et miseros, quae *potest* evadere mortalis.

*Inquietudo cordis*, quae nimis curis in conservandis augendisve divitiis hominem occupat: *graviter* peccatur, si homo divinarum rerum aut gravis officii sui curam negligit; aut si Deo plene voluntarie diffidit; aut si ita divitiis occupatur, ut in iis finem suum constituat. Alias nimia cura et sollicitudo veniale peccatum est.

*Violentia, fallacia, fraus*; verbo: omnis generis iniustitia, quae, si materia gravis est, peccatum mortale evadit (cf. infra *de iniustitia*).

V. Luxuria.

De luxuria confer, quae postea in sexto decalogi praecepto dicentur. Hic sufficit notasse, omnem luxuriam seu veneream delectationem directe quaesitam aut voluntario consensu admissam extra matrimonium



esse peccatum mortale. Aliud est de luxuria indirecta, seu de motibus vel affectibus sine consensu permissis: quae quando sit sine peccato, quando peccatum veniale, quando mortale, vide infra l. c.

#### VI. Acedia. (Cf. S. Thom. l. c. q. 35.)

890

Acedia communiter sumpta est tristitia de bonis spiritualibus utpote cum labore et difficultate comparandis. Hoc sensu non tam speciale vitium est, sed vitium, quod diversam malitiam habet, prout diversa seu diversarum virtutum sunt bona spiritualia, de quibus ut difficulter acquirendis tristitia concipitur: quare acedia sic concepta ad omnia vitia pertinet.

Verum si versatur tristitia circa illud bonum spirituale, ad quod omnia bona ordinantur, i. e. circa bonum divinum *divinamque amicitiam*, est vitium *speciale* idque omnino mortale peccatum, si tamen actus est perfectus et deliberatus, ut tristari de eo, quod vocatus ad fidem christianam strictius oblikeris ad virtutes sequendas; optare, ne umquam Deum, fidem cognoveris.

Si autem solum est taedium et animi remissio in spiritualibus exercitiis, ex se grave non est, modo homo ea implere paratus sit, quae sub gravi praescribuntur.

Attamen tepor ille, etiam in rebus minoribus, qui non curat nisi gravia peccata, periculosissimus est et Deo valde exosus, praesertim in iis, qui a fervore spiritus in hunc miserum languorem sua culpa delapsi sunt.

#### VII. De gula et ebrietate.

891

1. Gula seu excessus in cibo et potu exerceri potest variis modis a) in quantitate (nimis), b) in qualitate (laute), c) in modo sumendi (avide et voraciter), d) in tempore (nimis frequenter sine causa), e) in fine (soliis voluptatis causa). Verum nota, aliud esse voluptatis solius causa, aliud «cum voluptate»; quare etsi cum voluptate editur, neque expresse finis sustentandarum virium alterve honestus finis habetur, nihilominus implicite omnino ille finis haberi potest, ita ut nullum committatur peccatum.

2. Gula *ex se* — non loquor de ebrietate — est peccatum veniale tantum, ex ratione supra n. IV. notata.

Graviter tamen aliquando peccatur, scil.:

1) Si quis per excessum in cibo et potu grave nocumentum sanitatis sibi causat: quod maxime intellige, si agitur de gravi damno mox orituro; si enim de infirmitatibus variis agitur, quae oriri *possunt*, illud notabile nocumentum largius sumi debet, ne facilius dicamus excessibus levioribus mortaliter peccari. Lucem affert, quod *Lugo*, De iustitia et iure disp. 10, n. 32 in re prorsus contraria dicit, nempe in exercendis mortificationibus: «Non est illicitum, ea opera mortificationis exercere, licet timeatur aliqua vitae abbreviatio non notabilis (neque notabilis censetur abbreviatio aliquot annorum). In hoc autem pares sunt, qui excessu cibi aut potus, et qui eorum defectu abbreviationem vitae causant (vid. relate ad imputationem *damni sibi causati*: nam alioqui patet, eos, qui excessum committunt, semper saltem venialiter peccare). Quare sicut non damnantur peccati mortalis, qui multis

cibus et delicatis utuntur, licet praevideant periculum multarum infirmitatum (utique non gravium) et brevioris vitae, quod ea de causa frequenter incurritur, sic etc.» (vide supra n. 731 cum *nota*).

2) Si quis ad functiones officii, ad quas sub gravi tenetur, reddit se ineptum, ita ut gravem obligationem omittere debeat. De neglecto Sacro diei festi propter ebrietatem, utrum et quando sit grave peccatum, vide supra de legibus n. 252.

3) Si quis excessu in cibo et potu se reddat imparem solvendis debitis vel familiae sustentandae.

4) Si quis sese excitet ad vomitum, ut iterum possit edere et bibere — ita saltem cum *Reuter*, Neoconf. n. 84, et *S. Alph.* V 73 dicendum *videtur*, quamquam alii complures id etiam in dubium vocant. — Qui autem sine hac intentione, ut scil. denuo se cibo potuque ingurgitare possit, usque ad vomitum edat, non ilico est *mortalis* peccati damnandus, nisi propter frequentem excessum *notabile* damnum valetudini creari praevideatur.

5) Demum grave peccatum est, ita comessionibus et crapulae vacare, ut id ipsum divinae amicitiae praeferatur atque *pro fine ultimo* habeatur.

Addunt, etiam id grave peccatum esse, sine necessitate carne *hominis* defuncti vel iuste interfecti vesci. Cf. *Reuter* I. c.

892 De ebrietate plura insuper notanda sunt.

I. Ebrietas perfecta, i. e. usque ad *privationem* usus rationis, est *ex se* peccatum mortale.

Malitia autem peccati, etsi non ab omnibus eodem modo declaratur, videtur collocanda esse in privatione usus rationis pro notabili tempore facta modo adeo innaturali sine iusta causa.

Nimirum fit 1) privatio usus rationis ita, ut homo non actu tantum, sed etiam *facultate* utendi ratione pro notabili tempore privetur; 2) fit haec rationis privatio *voluptatis causa*, aut si forte aliquando voluptas subiective non habetur, tamen eo modo, qui *ex se* ad voluptatem ordinetur, semper excluso alio fine aeque immediate obtinendo; 3) fit privatio usus rationis *modo plane bestiali*, ita ut inferiores vires hominis plane laxentur, atque quoddam dominium exercent *contra* conditionem rationalis creaturae.

II. Perfecta ebrietas inde cognoscitur, quod homo plane insolita agat, aut quod non possit discernere inter bonum et malum, neque postea recordari ullo modo, quod egerit. Quodsi haec facultas remansit, etsi phantasia nonnihil turbata fuerit, pedes vacillaverint, homo vertiginem passus sit, ita ut obiecta duplicia videret etc.: perfecta ebrietas nondum erat.

Ebrietas imperfecta non est *ex se* peccatum mortale; potest, esse ex adiunctis.

Item privatio usus rationis per breve tempus — e. g. per aliquot minuta, grave peccatum non esset: tempus longum autem sine dubio est *hora*. Ceterum hoc ad ebrietatem potu inductam vix pertinet, cum haec ex natura sua diutius protrahatur; neque inde excusatio sumi potest, quod aliquis, antequam re ipsa ratione privetur, somno se committat; quia in somno ita facultate utendi ratione privatur, ut pro libitu excitari ad usum rationis nequeat.

III. Ebrietatis peccatum non committitur, si aliunde honesta et gravis<sup>893</sup> causa est sumendi tantam copiam vini, ut privatio usus rationis sequatur, ut:

1) Si tanta copia liquoris necessaria esset ad curandum morbum, vel elidendam vim veneni ex serpentis morsu hausti: cf. *Sabetti*<sup>17</sup> n. 149.

2) Probabiliter etiam, si privatio usus rationis inducitur ad securius peragendam chirurgicam operationem: quamquam enim multi contradicunt, tamen vix non omnes concedunt in hoc casu privationem usus rationis et soporem inducendum per aetheream adspiratione haustum; verum essentialia discrimen non videtur theoretice existere, sive per potum sive per inhalationem privatio rationis inducitur. Id tantum practice concedi debet, per usum potus inebriantis periculum infelicis operationis multo minus averti, ita ut ex hac ratione vix umquam adhiberi hoc medium liceat.

3) Si quis metu mortis injecto cogerebatur bibere cum praevisione ebrietatis, id ipsi licitum videtur esse, modo, qui metum incutit, ne velit impellere *formaliter* ad ebrietatem, sed quia putat, alterum id ferre posse, eumque sine iusta causa v. g. ex sui contemptu id denegare. Nam si coactio fit in odium virtutis, seu *formaliter* ad ebrietatem, potius mors subeunda est. Cf. *Gobat*, Clypeus etc., de ebr. c. 18, n. 3 et 9.

Videlicet in istis circumstantiis alius effectus bonus aequè immediatus ex sumptione potus oriundus intenditur, privatio rationis permittitur.

At non licebit medico *moribundum* inebriare, neque aliis mediis usu rationis privare, ne aegrotus dolores sentiat atque *sine doloris conscientia decedat*. Nam si umquam, in tali tempore necessarium est, ut homini servetur facultas merendi seseque cum Deo reconciliandi; immo privatio usus rationis *tunc* aequaret prorsus vitae abbreviationem, saltem si ita privaretur ratione, ut in hoc statu decedere deberet aegrotus. — Quare si aegrotus nondum bene praeparatus est ad mortem, talis medicorum industria omni vi impedienda est; si autem bene praeparatus est, et ex continuato rationis usu periculum graviter labendi oriatur, positive permitti quidem nequit eiusmodi medicorum praxis, silentio praetermitti utique potest. At si labendi periculum abest, nullo modo res silentio permittenda est generatim loquendo, quia occasio multum merendi aegroto subtrahitur.

Item docent merito, obiective non licere, eos, qui supremo supplicio afficiendi sint, inebriare, quo fortiore animo cruciatus ferant. *Tanner*, Theol. schol. tract. 3, disp. 3, q. 3, dub. 3, n. 54; *Lacroix* l. 5, n. 331; *Gobat* l. c. c. 13, n. 38 dicunt ex communi sententia, id graviter illicitum esse.

IV. Ebrietatem in aliis causare, vel ebrietatis ansam dare, sine<sup>894</sup> gravi causa numquam licere, extra omnem controversiam est.

At existente gravi causa, aliquando id licere, etiam dici debet.

Nimirum 1) aliquem ad ebrietatem *inducere*, etiam quae illi formalis est, licebit probabiliter ex eo fine eoque solo, ut idem ipse a maiore peccato, ad quod determinatus est, impediatur, v. g. ab homicidio.

2) *Occasionem* ebrietatis ponere, etsi formalis evadat, licebit facilius ex aliis causis omnino gravibus. Vide *S. Alph.* II 58.

3) Magis etiam possum ex gravi causa alterum inducere in ebrietatem ipsi non culpabilem, i. e. ex tali causa, propter quam malum illud physicum alienum iure parvi pendam, e. g. ut elabar e carcere, quando ius habeo evadendi (nisi forte damnum custodis *adiunctum* adeo grave sit, ut debeam

potius a fuga abstinere); ut detegam secretum magni momenti, quod alter *iniuste detrectat* mecum communicare. Vide *S. Alph.* V 77.

Alias autem grave peccatum est, alterum provocare ad excessum in potu cum probabili periculo ebrietatis, v. g. provocare ad aequales haustus etc.

V. Peccata in ebrietate commissa, si modo probabiliter praevisa fuerint, imputantur ad culpam, eamque gravem, quando obiective gravia sunt, in sequentibus:

1. si agitur de peccatis *operis*, ut sunt damnificatio, caedes, impudicitia (aliud est de pollutione praevisa, sed non intenta, non tunc procuranda, sed naturaliter secutura) etc.;

2. si agitur de peccatis *oris*, non omnia imputantur; contumeliae enim erga homines non aestimantur (aliud esset de vera diffamatione); sed imputantur 1) blasphemiae, maxime si sunt notabiliter graves, quia honor Dei exigit, ut propter eas solas ebrietas vitari debeat; 2) obsceni sermones, si tales sunt, ut audientes scandalum patiantur. Quare qui experientia edoctus est, aut ex ingenio suo id concludere debet, se probabiliter haec et illa peccata in ebrietate commissurum esse, omnium horum peccatorum malitiam specificam contrahit, etsi forte non omnia semper *re* commiserit, cum primum advertens probabili ebrietatis periculo sese exponit.

895 VI. Concludi igitur debet, ebrietate multipliciter mortale peccatum committi posse, scilicet:

1) Quando aliquis advertens ad probabile periculum perfectae ebrietatis nihilominus bibere pergit. — (Aliud est, si probabile periculum non advertit, aut si scit, se tantum ferre posse, si modo statim foras non exeat, atque proponat in cubiculo manere: quodsi postea ex gravioris mali timore foras exire compellitur, ebrietas per accidens est. Etiam ratione solius excessus in potu grave peccatum non est, si quis, ut largius bibere possit, ea comedit, quae ebrietatem impediunt);

2) quando aliquis ebrietate etiam non plena grave nocumentum sibi causat etc. ad normam eorum, quae supra de gula dicta sunt: quod facilius accidit, si quis consuevit semper multum potitare;

3) quando aliquis consuetudine largius bibendi familiae suae curam non habet, eam in indigentia relinquit, debita contrahit, quibus solvendis impar est;

4) quando aliquis, etiam non perfecte ebrius, consuevit mala perpetrare, vel ea perpetrandi periculo probabili advertens sese exponit, i. e. ea mala, quae graviter imputabilia sunt;

5) quando ob speciales circumstantias etiam ex ebrietate non perfecta grave scandalum oriturum esse praevideatur: ut accidere potest, si sacerdos excessui indulgeat;

6) denique si quis etiam citra periculum perfectae ebrietatis ita crapulae comensationibusve indulgere consuevit, ut haec quasi pro fine vitae suae constituat, paratus, divinae amicitiae has infimas voluptates praeferre.

896 Appendix. Peccata contra virtutes morales modo recensitas, si mortalia evadunt, vix non semper speciem suam sumunt aliunde ex speciali obiecto, quod ad earum laesionem inducit, aut ad specificam malitiam alicuius ex «peccatis capitalibus» reducuntur. Quare opus non est, singularia peccata mortalia hic recensere. Peccatis capitalibus mortaliter peccatur praecipue:

I. Superbia perfecta;



2. Invidia, nisi de re levi agatur;
3. Animo vindictae similiter, nisi de re levi agatur;
4. Luxuria;
5. Acedia speciali, seu tristitia de Deo fine nostro laboribus nostris attingendo;
6. Excessu valde gravi in gula;
7. Ebrietate sive perfecta, sive ex circumstantiis cum aliis malis gravibus coniuncta.

## SECTIO V.

### DE IUSTITIA ET VIRTUTIBUS ANNEXIS IN GENERE.

#### *Caput I.*

#### De iustitia.

Praeclare scripserunt de iustitia et iure generatim: *Lugo, Lessius, Molina*; recenti nostra aetate: *Pruner, Die Lehre vom Recht; Marres, Waffelaert, Delama; Vermeersch, Quaestiones de iustitia*; iuridicas notiones persaepe bene exponit *Puchta, Röm. Recht et Pandecten*. Circa ius Gallicum habes *Allegre, Le code civil commenté*; circa ius Anglicum *Croll, De iustitia et iure*; iuris Germanici commentarios amplos habet *Plank, Bürgerliches Gesetzbuch*.

#### § I.

#### *Notiones iustitiae et iuris.*

I. De nomine et conceptu iustitiae sequentia occurrunt ob-<sup>897</sup>servanda:

1. Virtutes fortitudinis et temperantiae cum virtutibus annexis immediate hominem ipsum internumque eius appetitum aut passiones pro materia habent, circa quam versentur. Sed sunt etiam aliae virtutes, quae hominem dirigunt in iis, quae circa alios agere debet.

In quo ordine *iustitia* primo loco occurrit; quam magnus numerus aliarum virtutum moralium, quae circa proximum versantur, cum maiore minoreve similitudine imitatur.

2. At quoniam circa proximum atque officia erga ipsum existentia iam aliam virtutem, caritatem dico, etiam versari vidimus, discrimen inter iustitiam et caritatem indicasse iuvat.

Caritas videlicet nititur omnino in coniunctione et unione eius, qui diligit, et eius, qui diligitur; quam unionem et coniunctionem supernaturalis caritas in Deo consummatam considerat. Quare per caritatem homo ad proximum dirigitur tamquam ad alterum *ego*, et normam agendi et tendendi in proximum sumit ab iis, quae sibi ipsi desiderat atque procurat secundum effatum Domini «Diliges proximum tuum sicut te ipsum» (de cuius sensu confer, quae dicta sunt supra de caritate n. 750 et 753).

Iustitia autem e contrario nititur in distinctione unius hominis ab altero. Utrumque enim verum est, et homines esse debereque esse coniunctos, ut eiusdem naturae et destinationis participes, et eos esse ab invicem distinctos utpote possidentes singulos personalem dignitatem et individualem independentiam, qua pro se quisque finem a Creatore et Reparatore praestitutum prosequi, seque ut ens rationale perficere *debet*. Quo fit, ut etiam quisque pro se *facultate* donetur independenter ab aliis finem suum prosequendi et necessariis mediis ad id utendi, utque haec facultas inviolabilis sit, divino utique iudicio et correctioni subiecta. Aliis verbis, huic facultati unicuique insitae ex parte aliorum hominum respondet officium et obligatio, qua revereri debent et illaesam servare hanc alterius moralem facultatem inviolabilem.

Virtutes iustitiae annexae a iustitia eo distinguuntur, quod non in tam plena distinctione unius hominis ab altero nituntur, sed tum distinctionem quandam, tum ex altera parte aliquam coniunctionem supponunt. De quibus seq. cap.

898 3. *Iustitiae* tamen nomen varie usurpatur, scil. 1) sensu latissimo pro omnium virtutum collectione, seu pro rectitudine morali tota et integra;

2) — id quod cum priore acceptione cohaeret — pro statu gratiae sanctificantis, nimirum pro illa rectitudine, quae nunc in ordine supernaturali sola vera hominis rectitudo est, rectam simpliciter dispositionem dico ad finem ultimum supernaturalem, in qua per gratiam sanctificantem collocamur;

3) pro pluribus quibusdam virtutibus, quae ad alterum, etsi non ita perfecte, diriguntur, ita ut diversi nominis iustitias vocent: legalem, distributivam, vindicativam; de quibus vide mox infra;

4) denique sumitur pro speciali illa virtute, quae iustitia commutativa, sive iustitia stricta vel rigorosa, sive simpliciter iustitia vocatur; quae definitur: «virtus inclinans (vel iuvans) voluntatem ad uniuscuiusque ius strictum illaesum servandum».

4. Motivum seu obiectum *formale* huius iustitiae est illa specialis honestas, in eo sita, quod homo alterius ius reveretur atque unicuique tribuat, quod stricte ipsius est. — Obiectum *materiale* propinquius actiones illae sunt, quae in alieno iure illaeso servando occurrunt, scil. quod aliorum est illis *dando, non violando*, si laesum fuerit *reparando*: remotius obiectum est ipsum ius alienum et varia obiecta, quae illud ius constituunt.

899 5. Quo plenius igitur iustitiae virtus intelligatur, explicandum est, quid sit *ius* sive quid sit illud, quod dicimus *meum et tuum*. Haec autem explicatio ex iis repetitur, quae ab initio diximus, videlicet cum obligatione uniuscuiusque hominis, qua teneatur ut homo in hac terrena vita ad Deum ut finem suum ultimum tendere, seseque secundum indolem humanae naturae perficere, conexam esse facultatem moralem utendi mediis necessariis, sine quibus haec tendentia aut nullatenus aut non convenienter fieri potest: quod comprehendit facultatem ita disponendi de certis rebus, quasdam ita sibi vindicandi, ut nemini nisi ipsi, neque ulli alii ipso dissentiente, in easdem res facultas ulla competat.

Esse igitur aliquid meum, seu habere me in aliquam rem ius, dicit, hanc ipsam rem ad me ita referri, mecum ita conexam esse, ut in eius usu omnibus aliis praeferri debeam, neque me invito ullus alius eam invadere possit. *Res* autem latissime intelligitur, ut pro quovis, quod aliquid utilitatis afferre potest, sumatur.

6. Inde colligitur: Iustitia stricta 1) virtus est, cuius obligationi respondet in altero facultas coactiva; nisi enim homo nativam facultatem moralem haberet arcendi quoslibet, qui, quod suum est, laedere conantur, ius nihil iuvaret.

2) Iustitia stricta est virtus, quae perfecte est *ad alterum*, cum in plena distinctione hominis ab homine nitatur, ac proin homines sub eo respectu consideret, quo unus ab altero independens sit, eique aequalis.

3) Iustitia stricta non respicit personarum conditiones diversas, sed sive quis dives sive pauper, sive nobilis sive ignobilis est: iustitia considerat solum *rem*, seu quid uniuscuiusque sit, ut ei aequaliter reddatur.

4) Iustitia stricta respicit aequalitatem rei ad rem, seu aequalitatem arithmetica, ut aiunt, scil. ut in rerum commutationibus, quae in humana vita frequenter occurrunt, nisi donatio interveniat, ille, qui unam rem alteri cedit, aliam rem *tanti* valoris recipiat, quanti erat prior; nisi enim ita fit, non servatur unicuique, quod suum est. Quare etiam *commutativa* iustitia dicitur, siquidem vera et perfecta commutatio servari debet, ita ut res reddenda tanti sit valoris, quanti est res accepta.

II. *Distinctio iuris*. Iuris nomen primarie adhibetur ad ex-<sup>900</sup> primendam illam facultatem moralem coactivam, quam quilibet in res suas habet. Sed saepe adhibetur etiam de ipsis obiectis, circa quae illa facultas competit.

1. Distinguitur ius *in re* et ius *ad rem*. Ius *ad rem* dicor habere, quando illa res nondum ita mihi devincta atque conexa est, ut ab ea quemlibet alium possim excludere, sed si habeo ius ab altero postulandi, ut res mihi ita devinciatur. Quare hoc ius immediate fertur in personam actusque alterius, contra quem actionem (apud iudicem) instituere possum. Ius *in re* habeo, quando res ipsa mihi iam ita immediate devincta est: ad quod tamen non est necessarium, ut ipse rem possideam. Ius ad rem est igitur *via ad ius in re*.

2. Ius in re potest esse perfectum seu illimitatum, et imperfectum seu secundum aliquid. Ius plenum seu *dominium perfectum* est ius stabile disponendi de rei utilitate et substantia, ita ut homini sit facultas disponendi de re universaliter tamquam de sua.

Ius *imperfectum* vario modo adesse potest: 1) Alicui competere potest sola *radicalis* facultas de re tamquam de sua disponendi, quae tamen in actualem usum et utilitatem transire nequeat — *dominium airectum*.

2) Si dempta illa sola radicali facultate, ex qua homo «dominus» vocatur, *plena* facultas stabilis est percipiendi quamlibet rei utilitatem, habes *dominium indirectum*, seu *utile*.

3) Si vero facultas utilitatem rei percipiendi restricta est seu partialis tantum, alio nomine ius illud vocatur: de quo postea, quando de iure in res fortunae loquimur.

Loquuntur scriptores non raro de *dominio alto*, quod principi, seu publicae auctoritati in res subditorum vindicant. Verum potestas, quae illi competit, *dominium* recte non vocatur, siquidem in propriam utilitatem disponendi facultatem per se habet nullam. Potestas, quam intelligunt, nihil est nisi facultas propter supremam iurisdictionem, quando bonum commune id exigit, singulares subditos proprietate certae rei privandi cum obligatione eos, quantum fieri possit, reddendi indemnes: v. g. si constructio viae publicae exigit, ut ager hominis privati occupetur, publica auctoritas possessorem etiam invitum, soluto tamen iusto pretio, agro privare potest, quia bonum publicum privatae affectioni praeferrī debet.

At certe sine boni seu utilitatis communis necessitate ne principi quidem licet, privatorum bona invadere, cum dominium superioris ordinis minime habeat.

901 III. Reliquae species iustitiae a notione *strictae* iustitiae plus minusve deficient. Videlicet:

1. *Iustitia legalis* ordinat membra communitatis ad communitatem, seu inclinatur ad hoc, ut membrum civitatis secundum modum suum conferat ad bonum commune. Haec honestas, quae in eo conspicitur, quod singuli *ut partes* proportionate promoveant bonum communitatis, est motivum seu obiectum formale; praecepta legesve supremae auctoritatis impleri, praebet obiectum materiale, quia ad normam ab auctoritate praescriptam singuli conferre debent. Quare haec virtus aliter est in subditis, aliter in principe. Posterior a iustitia legali ex amore boni communis ad iustas et convenientes leges ferendas determinatur, subditi ad leges illas implendas.

2. *Iustitia distributiva* inclinatur ad servandam proportionem in distribuendis bonis et oneribus publicis: quare principaliter est in superiore; in inferioribus, quatenus hac distributione contenti sunt.

Id autem discriminis est inter distribuenda bona et onera, ut, si quis in oneribus imponendis alterum nimis premit, simul commutativa iustitia violatur; quod in muneribus honoribusque distribuendis per se non obtinet.

3. *Iustitia vindicativa*, qua specialis virtus, inclinatur ad puniendos reos ex amore recti ordinis, quia honestum est, eum, qui fruendo bonis illicitis ordinem recti laesit, patiendū mala quandam *dare reparationem*. — Ceterum quatenus in delictis puniendis *bonum commune* spectatur, iustitia vindicativa pertinet ad *legalem* iustitiam, ut in superiore est: quatenus *proportionem servare* intendit inter culpam et poenam, ad *distributivam* iustitiam pertinet.

Omnes illae iustitiae non sunt ita perfecte ad alterum, ut iustitia stricta; neque aequalitatem rei ad rem sive arithmeticae proportionem intendere possunt.

902 Nota autem, in diversis illis iustitiis *laedendis* non raro iustitiam strictam seu *commutativam simul laedi*, ut: a) si princeps contra distributivam iustitiam officiis publicis praeficiat homines indignos et ineptos: quo fit, ut damnum iniustum inferatur membris communitatis; si autem digni et apti praeficiuntur, etiam dignioribus forte omissis, per se ius communitatis et membrorum strictum non laeditur, quia ad dignam et aptam, non ad optimam administrationem strictum ius adesse dicendum est;

b) si forte *dignioribus* sive lege sive pacto ius quoddam factum est ad maiora munera et officia, sane etiam erga eos iustitia commutativa laedi potest, quando, ipsis praetermissis, minus digni praeferruntur: de quo sermo redibit infra, ubi agitur de laesione in bonis fortunae;



c) si contra iustitiam vindicativam poena iusto gravior imponitur: quia secundum hunc excessum iustitia commutativa *erga reum* laeditur; etc.

## § 2.

### *De subiecto dominii et iuris in genere.*

Quoniam haec materia potius in disciplina iuris tractanda est, quibusdam thesibus breviter eam hic expediám.

I. Dominii et iuris capax est sola natura rationalis; eaque ita capax est, ut nullus homo, nec infantes vel amentes etc. necessario excludantur a dominii iure.

**Explicatio.** 1. Ius ex natura sua dicit potestatem arcendi alios, ne, me invito, res, quarum ius et dominium habeo, attrahant; ideoque supponit, subiectum iuris posse esse invitum: atqui invitus esse nequit nisi qui habet voluntatem rationalem, seu invita esse potest sola natura rationalis; ergo haec sola iuris capax est. — Quod aliis verbis sic efferrí potest: iuris capax non est nisi qui iniuriae patiendae capax est; iniuriam vero pati non potest nisi qui sit invitus; ergo etc.

2. Quoad infantes et amentes nota: a) Quamquam hi *actu* inviti esse nequeunt, possunt tamen esse et sunt aut habitualiter, aut radicaliter et interpretative; quare essenziale elementum iuris habendi non deest; atque revera radicaliter iam habent facultatem de rebus libere disponendi.

b) Eaedem rationes, quae postulant divisionem bonorum et eorum in familiis conservationem et transmissionem, etiam postulant, ne infantes aut amentes ab illis bonis eorumque iure excludantur. Ceteroquin actualis usus rationis ad subiectum iurium et dominii constituendum requiri nequit; alias quoties aliquis somno se daret, iuribus et dominio privaretur, ut excitatus ea denuo acquirere deberet: quo nihil absurdus.

c) Insuper quoniam neque infantes neque amentes perpetuo usu rationis carebunt, sed saltem post hanc vitam ratione prorsus utentur; saltem in iis laedi cum iniuria maxima illa possunt, quae pro altera vita prodesse aut obesse valent.

II. Sunt etiam communitates seu personae morales, quibus ut talibus<sup>904</sup> competant naturaliter dominium et iura, seu existunt naturaliter quae sunt personae tantum iuridicae. — Ceteroquin potestas suprema, cum circa quaedam bona iura restringere possit atque etiam extendere, etiam personas morales iuridicas potest constituere.

**Explicatio.** 1. Non solum singulares personae, sed etiam communitates qua tales possunt rebus temporalibus indigere, ut finem suum prosequantur. Quare cum *naturaliter* saltem *aliqua* eiusmodi societas existat, ipsa natura ius contribuere debuit. Cogita solummodo *civitatem*. — Sed id ipsum prorsus eodem modo valet de Ecclesia a Christo Domino instituta: nam cum eius institutione et fine ius nativum possidendi, acquirendi datum est, quod nulla potestas terrena valet auferre.

2. Quousque autem haec facultas possidendi et acquirendi ad alias societates non perfectas neque necessarias extendatur, non est huius loci inquirere. Saltem concedi debet, auctoritatem publicam, sive civilem sive ecclesiasticam supremam, quamlibet intra limites sui finis, eiusmodi socie-

tates constituere iisque ius possidendi, acquirendi dare posse. Hoc enim modo multo convenientius bonum commune secundum peculiare fines suos et in singulis locis procuratur.

3. Etiam in quibusdam bonis publicam auctoritatem ius nativum singulorum restringere posse, non est quod speciatim demonstrarem. Hoc enim in thesi negari a nemine potest, cum possibile sit, ut communis boni necessitas seu convenientia id postulet. Verum quando in ipsa re haec necessitas et proin auctoritatis publicae potestas adsit, una generali regula definiri nequit, sed prudenti considerationi singularum circumstantiarum relinquitur.

Id observa, et ecclesiasticam et politicam auctoritatem aliquos revera iurium quorundam reddidisse inhabiles, auctoritatem politicam in poenam criminis, ecclesiasticam christianae perfectionis promovendae causa: quo modo religiosos singulos reddit generatim dominii incapaces.

### § 3.

#### *De obiecto iuris in genere.*

905 I. Homo habet dominium utile circa bona sibi interna, non vero dominium directum.

**Explicatio.** 1. Hominem circa omnia illa bona, quae intrinsecus hominem constituunt vel perficiunt, habere ius quoddam, ex eo patet, quia eiusmodi bona, i. e. *facultates et vires tum internas tum externas* habet, ut iis utatur, easque exerceat, quo tendat vel melius tendat ad finem suum: cum ergo habeat obligationem, etiam facultatem iis utendi easque quodammodo administrandi habere debet. Dein habet hanc facultatem inviolabilem; cum enim intrinsecus liber sit, atque in tendentia saltem ad ultimum finem nemini subiectus, sed plene sui iuris, alienae coactioni subiacere non potest.

2. Attamen in interna bona, quae hominem perficiunt, ut essentialiter homo sit, aut ut perfectius haec persona sit, *dominium* veri nominis, seu ius in eorum substantiam non habet.

Nam 1) nemo sui ipsius dominus seu superior esse potest; ergo in illa dominium non potest habere, quibus ipse constituitur, i. e. in facultates animae, rationem, voluntatem, memoriam, in vitam, in corporis membra. 2) Dominum alicuius rei esse dicit, illam rem ad dominum tamquam ad suum finem (saltem proximum) referri: verum repugnat ea, quibus homo ut homo constituitur, ad eundem tamquam ad finem referri; ad solum enim Deum ut finem ipse refertur, solus Deus plenum et verum dominium in hominem habet. Cf. supra, quae dicta sunt de malitia autochiriae n. 732 sqq.

3. Si quando igitur de membro aliquo homo disponere posse videatur, id eatenus tantum potest, quatenus totius humani compositi curam agat, et partem potius quam totum pessumdari sinat.

4. In actiones autem seu operationes suas homo dominium exercet: eo ipso enim, quod uti possit facultatibus *ut* suis, habet dominium in fructus earum, i. e. in operationes suas; nec quidquam est, quod tam intime homini conecitur, quodque tam plene suum ipse vocat, ut proprias operationes.

906 II. Homo habet vel habere potest dominium plenum in bona externa fortunae, seu ius proprietatis tamquam ius nativum homini vindicandum est.

Brevis ratio huius iuris, quod fusius in ethica probari solet, ea dari potest, quia, si solus usus rerum, non autem stabile ius disponendi homini naturaliter competeret, perpetuis timoribus esset expositus, stimulis laborandi careret, ad omnis generis artes, quae pro humana societate ornatissimae, utilissimae atque necessariae sunt, non excitaretur; paucis: omnis humana activitas et energia langueret et plane iaceret, immo dissidiis et rixis omnia replerentur, perfectior culturae status impossibilis evaderet.

### III. Homo habet ius plenum seu dominium in famam suam.

907

Rationes: 1. Homo, ut modo dictum est, habet dominium in actiones suas; magis igitur etiam in effectus suarum actionum: at fama tamquam effectus ex actionibus hominis quodammodo resultat.

2. Ius utendi idque exclusivum et inviolabile circa famam homini competere, nemo est qui negare possit: idque ostendit omnium persuasio, qui putant, sibi summam fieri iniuriam famae laesione. Neque subest ratio, cur in iure *utendi* sistamus, ut debuit fieri in considerando iure hominis, quod in facultates et membra sua habeat. Nam ratio, cur circa haec dominium existere negatum sit, ea tandem est, quia non est distinctio sufficiens inter ipsum hominem et eius facultates. At id dici nequit de fama; haec enim extrinsecus homini accidit, acquiri, augeri, amitti plane potest, hominis persona manente integra. — Quare etiam ex iusta causa homo famae laesionem condonare, se ipsum diffamare sine novo peccato vel defectu morali, immo aliquando laudabiliter potest; non potest *licite*, si ipsius aut aliorum interest famam servari; immo si cum propria diffamatione aliorum damnum coniungitur, *contra iustitiam erga alios* esse potest propriam famam prodigere.

IV. Homo in alios homines plenum dominium habere nequit; potest<sup>908</sup> habere diversis titulis in diversas alterius actiones. Immo ius in omnes alterius labores et operationes utiles alterum habere, per se quidem non repugnat; at etiam eiusmodi ius plenum et illimitatum saltem minus decet dignitatem humanam. Quare servitus 1) sensu ethnico prorsus repugnat recto ordini; 2) servitus etiam sensu moderatiore gravissimam iniuriam continet, si iniusta via inducitur, aut 3) si ultra iustos limites exercetur; tandem 4) etsi intra iustitiae limites omnino coërcetur, legi christianae minus conformis est.

1. Nullus homo quoad suam personalitatem ad alterum ut finem dirigitur, sed ad solum Deum; ergo repugnat, hominem in hominem habere verum dominium.

2. At opera et labores unius possunt alteri deberi. Id pro certo tempore videmus cotidie per contractus fieri. Sed substantiale discrimen non est, utrum solum pro certo tempore, an pro toto vitae spatio labores unius alteri addicantur. Neque solum per contractus libere initos hoc ius creari potest, sed etiam alii sunt tituli, ut iusta poena alicui inflicta: cui aequiparabatur antiquum ius belli. Quando enim victori in bello iusto facultas competebat in certis casibus hostem captum occidendi, etiam potestatem per se habuit eum servum faciendi.

3. Sed praeter facultatem plene sibi vindicandi omnes labores atque opera alterius, homo ius in hominem habere nequit. Quare etiam tum, quando alter quoad labores ita ipsi plane devinctus est, cavere prorsus debet, ne eum laedat in iis rebus, in quibus quilibet homo sui iuris manere debet,

videlicet: ne eius conscientiae vim inferat vel verum religionis exercitium ei interdicit; ne, si qui legitimo matrimonio iuncti sint, citra gravissimam causam separet, neve reditum et mutuum cohabitationem impossibilem reddat; neve ipsos servos a matrimonio contrahendo impediatur. Haec, quae matrimonium spectant, dicta sunt potissimum, si servitus contractu aut natiuitate fundatur: nam si vere in iustam poenam personalis criminis inflicta esset, per se nihil absolute obstaret, quin seuerius ageretur. Nihilominus etiam tunc Ecclesia potestatem haberet id inter christianos prohibendi atque servis ius contra dominos conferendi, cum causa matrimonialis et matrimonii libertas ad ecclesiasticum forum spectet. Immo, si modo indemnitate iustae ratio habeatur, et Ecclesia inter christianos et lex civilis in suo territorio potestatem habent per se servitutem abolendi. Etiam per se quilibet servus, utpote non omnis iuris expertus, servat ius ad vitam, ius ad famam, ius ad bona spiritualia. Hinc si dominus eum crudeliter tractare, ad illicita cogere conetur, servus, qui aliter satis se defendere posse sibi non videtur, fugere prorsus potest (immo aliquando, si potest, debet) sumpta simul compensatione damni sibi illati ex bonis domini, si is iniustitia sua causam fugae dedit.

4. Servos igitur legitime in servitute existentes vendere nihil aliud esse potest nisi ius ad eorum labores et opera in alterum transferre: quod, nisi servitus fuerit restricta exclusive ad priorem dominum, per se fieri licet; verum maxime hac in re observandum est, quod dixi modo de matrimonio servorum religionisque exercitio.

5. Homines autem liberos vi aut deceptione libertate privare eosque in servitutem redigere et pro servis vendere gravissimum flagitium est. Cf. quam plurima edicta SS. Pont. *Pauli III, Urb. VIII, Ben. XIV, Greg. XVI* «In supremo apostolatus» 3 Dec. 1839. *Leo XIII* «Catholicae Ecclesiae» 20 Nov. 1890.

6. Ecclesia non solum contra hoc iniustum servorum commercium semper restitit, sed a suis primordiis, cum plane auferre servitutem non posset, non solum restrinxit, non doctrina sua solum servorum conditionem lenivit, sed etiam eorum manumissionem tamquam opus bonum et meritorium maxime commendavit.

Cf. etiam hac de re *Scavini* II, n. 601; Lugo, *De iust. et iur.* disp. 3, sect. 2; *Möhler*, *Gesammelte Schriften und Aufsätze* II, 3 (Bruchstücke aus der Geschichte der Aufhebung der Sklaverei, herausg. von Döllinger), Regensburg 1840; *Ratzinger*, *Die Volkswirtschaft in ihren sittlichen Grundlagen* 2, Freiburg 1895, p. 162 sqq.

#### § 4.

*De obligatione iustitiae eiusque laesione, seu de iniustitia et eam reparandi necessitate in genere.*

909 I. De gravitate obligationis. 1. Laesio iustitiae commutativae ex genere suo gravis est, ita tamen, ut parvitatem materiae admittat.

2. Determinatio gravis materiae fieri debet 1) ex damno illo privato, quod alteri infertur eumque prudenter reddit graviter invitum, 2) ex damno et periculo, quod bono publico publicaeque securitati inferretur, si impune id agere liceret.

**Explicatio.** Ex genere suo esse gravem obligationem iustitiae habetur ex S. Paulo 1 Cor 6, 9 10 «Nolite errare: neque fures . . . neque



rapaces regnum Dei possidebunt». Nam quod a regno Dei excludit, certe grave peccatum est.

Si internas rationes quaeris, attende haec: 1. Finis iustitiae gravissimus est, scilicet ut cuiuslibet libertas atque independentia et humana activitas conservetur, ut pax et concordia imperturbata maneat. Quare, qui iustitiam laedit, huic fini gravissimo resistit: quod si notabiliter facit, graviter ordini recto repugnat, et proin grave peccatum committit.

2. Id etiam in ipso infimo genere bonorum, quae ad ius et iustitiam spectant, facile elucet, in bonis dico fortunae. Nimirum iustitiam in iis servari tam necessarium est, quam necessaria est proprietatis et divisio bonorum; siquidem ex facultate laedendi in hac re iustitiam proprietatis ius illusorium redditur. Verum proprietatis necessitas gravissima est pro hominibus, ut supra innuimus; ergo etiam necessitas seu obligatio iustitiam circa bona fortunae servandi.

3. In reliquis bonorum generibus iuris laesionem ex se graviter repugnare ordini recto seu grave peccatum esse, ex natura illorum bonorum, ut vitae, integritatis personae etc., per se patet.

4. Attamen tam levis potest in aliqua re esse laesio, ut merito gravis contra ordinem repugnantia negari debeat: quare tum veniale peccatum committitur. Ex quo autem petatur, utrum laesio fuerit reipsa gravis an levis tantum, supra indicatum est.

5. Videlicet ius singulorum servari illaesum, postulatur ex duplici causa tum propter singulos homines, tum propter humanae societatis tranquillitatem. Si quis igitur in iure suo laesus sive propter suum notabile incommodum sive propter laesam communem securitatem merito *graviter* invitus censetur: habes laesionem mortaliter peccaminosam. Ceterum quae laesio talis sit practice, tractabitur postea, maxime si de furto agemus.

5. Interdum accidere potest, ut aliquis ex re minima laesa graviter offendatur, non quod incommodum grave vere patiatur, sed quia immodice ad rem illam afficitur, aut quia immodice ad iram atque indignationem proclivis est. Quod *iustitiae* laesionem non reddit gravem, at contra *caritatem* potest esse grave seu mortale peccatum. Iustitia enim respicit sequelas, quae ex natura rei et ex rationabili affectu domini ad rem suam oriuntur.

II. De onere restitutionis. 1. Iustitia commutativa eaque sola ad<sup>910</sup> restitutionem illati damni obligat.

2. Haec obligatio *per se* restringitur ad eundem rerum ordinem, in quo laesio facta est, sive laesio principalis sive laesio accessoria, i. e. ex principali oriunda; extrinsecus tamen obligatio imponi potest ad restitutionem faciendam in rebus alterius ordinis.

3. Ut obligatio reparandi damni adsit *per se*, actio, qua alter in rebus suis laesus est, debuit esse iniusta *formaliter, realiter et efficienter*.

**Explicatio.** 1. Iustitiae commutativae est, illaesum servare ius strictum alterius. Atqui laesio, si facta est, *perdurat*, donec fiat restitutio. Ergo iustitia commutativa impellit et obligat ad illam restitutionem faciendam, idque quam primum.

Aliae species iustitiae, legalis, distributiva, vindicativa, sub-gravi quidem obligare possunt, sed ex se solis non obligant ad restitutionem.

Nimirum gravis obligatio adesse potest, sed secundum aliam mensuram. Legalis iustitia sub gravi obligat, si lex, prout communiter eam interpretantur,

graviter praecipit. Iustitia distributiva materiam longe graviorem requirit, ut gravis sit deordinatio. Idem dic, si *sola* vindicativa iustitia laeditur: quod obtinet, si in iusta poena imponenda deficitur; nam si exceditur in iusta poena, etiam commutativa iustitia erga reum violatur, ut supra dictum est n. 902. Simile quid occurrere posse in laesione iustitiae distributivae, vide ib.

Illas autem alias iustitias ex se solis, videlicet, si commutativa iustitia laesa non est, non inducere restitutionis obligationem, ex eo dici debet, quia nullius ius strictum laesum est. Poterant quidem nonnulli cuiusdam boni assecutionem fortasse sperare: at ex stricto iure non poterant.

911 2. Obligatio faciendae restitutionis propterea incumbit, quia, sicut illicitum est iniuriam primo inferre, ita etiam eandem *continuaré*: quod multi scriptores sic exprimunt, ut dicant, obligationem reparandae iniuriae esse principaliter *negativam* (scil. non continuandi iniustitiam), secundarie positivam, quatenus ad positivam actionem restitutionis obliget; eamque proin obligare *semper et pro semper*. — Nihilominus cum sint causae, quae a restitutione excusant plene, magis etiam sunt causae, quae dilationem aliqualem licitam reddant; quare brevis dilatio, saltem ex causa facta, novam iniustitiam, maxime gravem, non continet. — Causa autem etiam diutius differendae restitutionis est, si ex restitutione damnum amplius quam duplo maius restituenti oriretur. *S. Alph.* III 598; *Gury* I, n. 710; cf. infra de *modo* restitutionis.

3. Num autem ex restitutione culpabiliter dilata, seu potius diu non volita, peccatum *numero* crescat in confessione distincte declarando, non conveniunt theologi. Probabiliter committitur *unum* peccatum diu productum seu cum circumstantia *aggravante*, si quis diu permanet in voluntate non restituendi; si quis autem post iniustitiam commissam voluntatem reparandi conceperat, eamque iterum iterumque mutavit, *tot numero* peccata commisit, *quoties post verum propositum restituendi hanc voluntatem denuo retractavit*. Cf. *S. Alph.* V 40.

912 4. Iustitia commutativa in restitutione postulat aequalitatem rei ad rem<sup>1</sup>: quare si nullum aequivalens, ne ex parte quidem, dari potest, obligatio restitutionis, utpote impossibilis, per se non adest. Bona autem diversi ordinis inter se comparari et mensurari nequeunt; ita ut damnum in membris vel in fama illatum per se pecunia aestimari nequeat. At attendas velim, aliud prorsus dicendum esse, si ex damno membris, vitae famaevae illato etiam damnum in ipsis bonis fortunae consequitur. *S. Alph.* III 626; *Scav.* II, n. 820; *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 962.

Verum pro ipso illo damno superioris ordinis iudex reum condemnare potest ad compensationem certae pecuniae faciendam: qua sententia secuta, reus prorsus obligatur.

Immo non desunt scriptores, qui homini ita laeso concedant, ut compensationem pecuniariam sibi exigat, immo occulte sibi procuret, si modo ad vitandum excessum id fiat ex prudentis viri consilio et aestimatione. Vide *S. Alph.* III 521. At nisi pecunia exigatur pro cessione iuris, quod laesus habet agendi apud iudicem, non assentior; privata compensatio occulta admitti posse non videtur. Vide *S. Alph.* ib.; *Lacroix* l. c.

<sup>1</sup> Quod sane sic intellige, ut res laesa et res restituenda inter se mensurari et sic ad aequalitatem *pretii seu valoris* reduci possint, non quasi necessaria sit aequalitas speciei infimae. Hinc qui laesit bona fortunae, bona fortunae restituere debet; verum plerumque sufficit, ut faciat restitutionem in pecunia, quae est omnium bonorum fortunae mensura et repraesentatrix.

5. Conditiones illae ad restitutionis onus requisitae fusius infra exponentur, quando de restitutione in bonis fortunae, quae frequentius occurrit, sermo instituetur. Hic breviter eas indicasse sufficit. Nisi scilicet actio *iniusta* fuerit, omne fundamentum illius oneris deest; nisi *formaliter*, i. e. culpabiliter iniusta fuerit, deest proportio inter poenam, quam qui restitueret passurus esset, et culpam (aliud est, si iudicis sententia intercessit); nisi *realiter* iniuste fuerit, materia reparationis deest; nisi *efficienter* iniusta, ei, qui actionem posuit, sicut imputari nequit damnum alienum, ita neque eius imponi potest reparatio.

Quare aliquando ex sola intentione agentis fieri potest, ut eadem actio materialis iniusta sit et restitutionis onus inducat, aut etiam non inducat. E. g. qui librum amici aufert eumque postea casu amittit, si furto librum sibi vindicare voluit, utpote iniustitiae reus, ad restitutionem tenetur; si levitatis seu iocandi causa id fecit, non tenetur.

## Caput II.

### De virtutibus iustitiae annexis, speciatim iis, quae morale tantum debitum continent.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 106—120; *Less.*, De iust. et iure l. 2, c. 47; *Müller* II, § 86—91.

Aliquas virtutes, quae iustitiae annexae dicuntur, iam, quantum satis<sup>913</sup> est, consideravimus, ut iustitiam legalem aliasque sic dictas iustitiae species. Etiam supra fusius actum est de religione, quae, si cui ex virtutibus cardinalibus adnectenda est, ad iustitiam referri debet. Relinquantur autem praeterea non paucae virtutes ex iis, quae, utpote *ad alterum*, ad iustitiam ut partes potentiales referuntur.

Quarum duo genera sunt, unum earum virtutum, quae dicuntur respicere debitum *legale*, alterum illarum, quae *morale tantum* debitum respiciunt. Explicandum est breviter, quid sibi theologi hac voce velint. Nimirum *legale debitum* dicitur, quod *ab altero ut sibi debitum* exigi potest, ita ut is, qui reddere debet, extrinsecus quasi lege imposita, urgeatur; *morale debitum* id vocatur, quod alter stricte exigere nequit, sed eius obligationis ratio potius ei, cuius est alteri aliquid reddere, intrinseca est, atque ex ipsius moribus earumque rectitudine repetitur, ne videlicet ipse a se suaque morum honestate recedat.

Ad prius genus praeter virtutes supra nominatas pietas, observantia, oboedientia pertinent, ad posterius gratitudo, veracitas, liberalitas, misericordia, affabilitas, urbanitas etc. spectant.

Obligatio igitur virtutum illarum, quae solum morale debitum secum ferunt, iustitiae obligatione inferior est: quae autem legale debitum important, graviorem potius obligationem ex sua specie habent — nisi *ex parte* observantiam excipias — quamquam *singuli actus*, quibus earum debitum solvitur, quippe quod numquam exhauriatur, non ita praescribuntur et urgentur, sicut illi actus, qui ad iustitiam rigorosam pertinent.

914 I. 1. Gratitude est virtus, quae conatur beneficium acceptum aliquo modo rependere. Debitum eius virtutis fundatur quidem in beneficio alterius, at quoniam beneficium est donum gratuitum, obligatio formaliter non tam a potestate ex parte benefactoris exigendi retributionem oritur quam ex morali necessitate, quae donatario incumbit, ne maculam aliquam et turpitudinem in propriis moribus admittat.

2. Id, quod dictum est, locum habet in privatis beneficiis inter aequales. Nam si superior quidam titulus accedit, quo unus alteri devincitur, ut titulus generationis, gubernationis etc., ratio meri beneficii altiore illa relatione quodammodo absorbetur, vel strictum debitum eiusque exigendi potestatem quasi auget. — Hinc est, quod *S. Thom.* gratitudinem erga Deum, parentes etc. non tam pro illa speciali virtute inferioris notae habeat, quam potius ad ipsam religionis, pietatis etc. virtutem referat.

3. *Officia gratitudinis* sunt: beneficium aestimatio, benigna acceptatio, gratiarum actio (gratiae acceptae seu beneficii absque debito dati benevola protestatio cum quadam demissione ad benefactorem directa), grata commemoratio, retributio.

915 4. *Ingratitudo* alia formalis est, alia materialis.

*Formalem ingratitude* committit, qui beneficium vel animum benefactoris contemnit, ne illi videatur esse obnoxius. Quod ex genere suo mortale peccatum est, cum gravius sit, quamquam in alia specie morali, quam iudicium temerarium. Sed ut mortale peccatum sit ex se, requiritur *gravis contemptus*: quare ipsa formalis ingratitude veniale peccatum fit 1) ex imperfectione actus, 2) secluso scandalo et gravi offensione, ex parvitate materiae; ipsam autem materiae parvitate hac in re valde late *Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 47, n. 16 explicat, docens, nisi alias malignus animus subsit, non esse mortale, «si beneficium aliquod *temporale* et affectum benefactoris reputes minoris momenti».

*Materialis ingratitude* est absque contemptu officia gratitudinis omittere, ut: 1) nihil rependere — quod tamen peccatum non est, nisi, benefactore egente, succurrere possum; 2) dissimulare beneficium, gratias non agendo — quod erga homines non est per se mortale peccatum, facilius tamen aliquod veniale, mortale fieri *potest* ratione offensionis; 3) nolle agnoscere beneficium — quod gravius quidem est, quam gratias non agere, sed erga privatum hominem non videtur esse per se mortale peccatum, attamen ratione offensionis facilius mortaliter peccari potest, quam in priore; *positiva actione* 4) mala pro bonis retribuere — quod si ex beneficii contemptu fit, formalis est ingratitude; alias sine dubio peccatum mortale aut non mortale est secundum rationem mali, quod infertur; ut autem *nova mortalis malitia* ingratitude accedat, excessus *valde magnus* esse debet sive ratione actionis, qua benefactor laedatur, sive ratione beneficii, quod ingratus malis rependat. Cf. *Lugo*, De poenit. disp. 16, n. 311.

Tandem alii modi ingratitude positivae, quae ex natura sua formalem ingratitude dicunt, sunt: 1) vituperare beneficium, 2) reputare beneficium pro maleficio

916 II. 1. Veracitas virtus est, quae veritatem in signis vult et procurat. Est virtus specialis, cum specialeni honestatem respiciat, quae



est in conformitate mentis hominis cum signis, quae exprimit; turpe enim est, esse dissidium inter ea, quae intus latent, et quae exterius homo prodit.

2. Virtus haec dicitur iustitiae esse annexa et circa debitum morale versari, siquidem 1) ad alterum quidem dirigitur, cum signa sint pro aliis, sed 2) non nititur *per se* in exigendi potestate, quam alii habent, sed in propria loquentis moralitate.

Verum aliquando in altero, ad quem loquor, ius seu exigendi facultas esse potest, ut verum ei pandam, aut ne cum suo damno decipiatur: quare non raro officium veracitatis ab ipsa iustitia exigitur, utraque virtus simul operatur.

3. *Officium* veracitatis est: 1) amare veritatem in dictis et factis; 2) cavere, ne quid contra iudicium mentis dicatur; 3) pandere aliis mentis iudicium, at non semper, sed pro circumstantiis; 4) inquirere rei veritatem, si quid absolute affirmandum aut negandum est; 5) exsequi promissa.

4. *Veracitati opponitur* imprimis *mendacium*, quae est *locutio contra mentem* sive verbis sive factis. Videlicet, ut scite notat *Lessius* l. c. n. 33 sqq, ad mendacium tria concurrunt: 1) voluntas dicendi falsum, 2) locutio, 3) significatio contraria iudicio mentis: ex quibus sequitur plerumque deceptio proximi. Sed neque deceptio, neque decipiendi voluntas ad essentiam mendacii requiritur, ut patet ex eo, qui mentitur, *ne convinci possit*, quamquam scit, alterum minime credere: qui vero decipere vult sua locutione, semper mentitur.

Hinc 1) mendacium non est, dici falsum ab eo, qui putat esse verum; sed e contrario mendacium est, dici verum ab eo, qui putat esse falsum; non enim veritati, sed veracitati mendacium directe opponitur;

2) mendacium proprie non censetur esse, dicere ex ioco aperte falsa, i. e. quae audientibus clare apparent falsa, eo, qui loquitur, id sciente nec decipere volente: siquidem falsa *non ut falsa* materialiter tantum profert.

3) mendacium non sunt locutiones ironicae, hyperbolicae; quia verba ipsa in illis circumstantiis ad aliam significationem revera trahuntur;

4) mendacium non est, famulum a domino iussum dicere, dominum domi non esse: quia ex consuetudine haec verba nihil significant nisi: «adiri non vult»; vel, si mavis, cum restrictione non pure mentali significant verba: «domi non est *ad alloquendum*». Doceri tamen debent famuli timorati, ne subjective peccent.

5. Mentiri semper peccatum est, at ratione mendacii veniale tantum: quare ut grave fiat, alia malitia (gravis damni) extrinsecus accedere debet.

Nimirum malitia mendacio essentialis consistit 1) in abusu signorum, quibus mentiens utitur contra naturalem institutionem et finem, eum positive laedendo; siquidem instituta sunt ad exprimendum mentis iudicium et ut socialis vitae indispensabile medium atque fundamentum: at cuiuslibet rei abusus numquam non inhonestus est; 2) in contradictione inter mentem et linguam; sed quaelibet in uno eodemque homine contradictio inter externa et interna turpis est. Accedit autem — id quod vix non in 1) continetur — 3) socialis vitae laesio quae-

dam, cui incommodum infertur saltem in causa et radice et quantum est ex ipso mentiente; 4) plerumque etiam proximi deceptio, qua ei aliquod malum, scil. error, causatur. At hoc malum ultimo loco notatum secundarium est, idque si solum adesset, ex graviore aliqua causa non intendi quidem, sed permitti posset.

Nulla autem ex illis malitiis *ex se* gravis est, neque communiter sociali vitae notabile praeiudicium creatur.

Distinguitur mendacium *iocosum, officiosum* (quo mentiens vel sibi vel alteri officium seu utilitatem praestat), *damnosum*: solum ultimum, si grave damnum causatur, cum gravi peccato coniunctum est. Nihilominus Spiritus S. (*Sap.* I, 11) monet, consuetudinem mentiendi peccati mortalis facile ansam dare, «os autem», inquiens, «quod mentitur, occidit animam»: scil. non proxime et formaliter inferens mortem, sed inducens et disponens ad eam. Minime autem dicendum est, hanc consuetudinem vel animum mentiendi *ex sua specie* posse esse mortale peccatum, ut putat *Linsenmann*, *Moraltheol.* § 127.

Ad mendacium pertinet: *simulatio, hypocrisis*: de quarum malitia similiter ut de mendacio iudicandum est.

918 6. A mendacio saepe immunis est restrictio mentalis: quare ea uti aliquando licitum et necessarium est, aliquando illicitum.

Est autem restrictio mentalis retentio sensus verborum vel eius determinatio mente facta. Quod fieri potest variis modis: 1) si verba secundum ipsam suam significationem *sunt ambigua*, ita ut mens loquentis certum sensum determinare debeat; 2) si verba non ex sua nativa quidem significatione alium quam obvium sensum habent, bene autem *ex circumstantiis* loci, personae, temporis talem sensum ab obvio distinctum admittunt, e. g. vox «nescio» ex circumstantiis admittit sensum «nescio scientia communicabili»; 3) si verba neque in se neque ex circumstantiis talem sensum habent, sed per *solam additionem mente factam* ad alienum sensum trahuntur seu restringuntur, v. g. si quis interrogatus, num fuerit Coloniae, respondet: «fui», sed intelligit: «fui ibi animo et desiderio».

Quibus notatis, dicendum est: 1) Ultimus modus loquendi, quae est restrictio *pure* mentalis, numquam est licitus, sed ad mendacium referri debet, atque mendax est.

2) Alii duo modi ex causa proportionata liciti sunt: nam nullam continent locutionem contra mentem, siquidem verba, prout proferuntur, — sumuntur enim et sumi debent cum circumstantiis — sensum verum, quem loquens in mente habet, significant, etsi non clare et distincte; ea autem non intelligi pleno sensu ab audiente, intenditur, idque iure; ea intelligi forte sensu positive falso, permittitur. Celatur igitur aliquid veritatis: quod fieri licet, immo saepe debet, ex iusta causa. *S. Alph.* III 152, ubi hanc opinionem vocat communem fere DD.; et vere evidenter colligitur ex verbis Christi Domini Io 7, 8 et Mc 13, 32.

919 3) Quando autem interrogans ius habet ad veritatem plenam, usus illius restrictionis aequivalet mendacio; immo si utcumque sine iusta causa adhibetur, vix non idem dici debet: nam in iis circumstantiis

aequivalenter vel implicite negatur, aliquid veritatis occultari — quod, cum nihilominus re ipsa fiat, mendacium est. Quamquam si aliqua causa, etsi levior, adest, proprie mendacium non fit.

4) Quando licite utor restrictione non pure mentali, fere etiam, *pro gravitate causae*, cum tali restrictione iurare licet. Si vero interrogans ius ad plenam veritatem habet, cum restrictione iurare est omnino periurium; si alter ius non habet, sed loquens ex leviori causa cum restrictione iurat, ex circumstantiis damnorum iudicandum est, utrum pro periuro haberi debeat, an solum temere iurasse dicendus sit. Vide *S. Alph.* ib. et confer, quae dicta sunt de *religione* circa iuramentum.

Verum aliquando satis difficile est distinguere, utrum aliquis loquendi modus restrictio pure, an non pure, sed late mentalis sit.

Attende in praxi ad theses ab *Innoc. XI* damnatas, quas *S. Alph.* de restrictione pure mentali intelligit: videntur tamen etiam intelligi de restrictione utcumque sine causa facta.

Thes. 26: «Si quis vel solus vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est periurus.»

Thes. 27: «Causa iusta utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.»

Thes. 28: «Qui mediante commendatione vel munere ad magistratus vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.»

Ratio igitur huius condemnationis est, quia 1) *non omnia haec*, quae in illis thesibus asseruntur, legitimam causam continent, 2) neque omnia de restrictione *late mentali* intelliguntur.

III. Affabilitas et comitas. 1. Secundum earum *definitionem* virtutes sunt, quae procurant, ut conversatio grata et decens sit, spectata conditione personae, i. e. neque nimis blanda neque asperior: quod si potissimum in alloquio spectatur, affabilitatem habes; si in actionibus et officiis, comitatem.

2. *Officium* harum virtutum est, proximo sese cum moderatione accommodare idque in rebus virtutis; nam si ludus et animi recreatio spectatur, eutrapeliam habes, de qua supra dictum est occasione modestiae.

3) *Peccata contraria* sunt 1) blanditiae et adulatio, quae omnia in aliis laudant atque ubique, etiam contra rectam rationem, se accommodant; 2) morositas, quae parum se accommodat, ubique difficilem se praebet aliisque contradicit. Utrumque peccatum *per se* veniale tantum est; nihilominus ex adulatione non raro peccata gravia fiunt.

IV. Liberalitas. 1. Secundum *conceptum* suum virtus est, quae amorem pecuniae moderatur atque hominem promptum reddit ad eam expendendam. — Quodsi moderatio affectus pecuniae spectatur, liberalitas ad virtutes temperantiae annexas referenda est; si autem ipse externus actus manifestationis respicitur, qui ad alios dirigitur, virtus est iustitiae annexa, eiusque formale

obiectum illa honestas est, quod deceat hominem et consentaneum sit eius sociali naturae, in alios bona externa largiri.

2. *Peccata opposita* sunt 1) avaritia et 2) profusio seu prodigalitas, quae distribuit bona a) iis, quibus non oportet, b) plus quam oportet, c) in res, in quas non oportet: peccatum *per se* veniale tantum est: quamquam mortale peccatum facile potest adiungi. De avaritia vide, quae supra dicta sunt de peccatis capitalibus.

921 V. Misericordia 1. *definitur* virtus, quae inclinatur ad compatiendum et sublevandum miseriam alienam. — Quamquam igitur actus externos cum liberalitate eisdem saepe habet, tamen formaliter diversa est, cum honestatem illam respiciat, quae est in sublevandis alienis miseriis.

2. *Obiectum* igitur remotum sunt miseriae aliorum hominum, tum mala corporalia et temporalia, tum mala spiritualia et alterius vitae; proximum obiectum materiale sunt actus illi, quibus aliorum malis occurritur.

3. Haec virtus imprimis est divini numinis imitatrix, cum S. Scriptura in numeris locis testetur: «Universae viae Domini, misericordia et veritas» Ps 24, 10, et «Superexaltat autem misericordia iudicium» Iac 2, 13; eaque potissimum a Christo Domino commendatur, licet non tam formalis misericordia quam misericordia materialis ex caritate oriunda. Quare etiam eius opera seu officia vide supra, ubi de caritate in proximum eiusque officii actum est n. 754 sqq.

VI. Addit S. Thom. vindicationem et epikiam sive aequitatem. — Verum vix opus est de illis plura dici, cum vindicatio ad iustitiam vindicativam referatur, quae in personis publicis inesse debeat, in privatis facile sit vitiosa. Aequitas autem seu epikia pro speciali virtute non est necessario habenda; est enim officium prudentiae, — id quod epikiae adscribitur — contra verba legis secundum altiore considerationem, eius (vel saltem supremi legislatoris, Dei) mentem in extraordinariis casibus interpretari. Cf. *Vermeersch*, Quaestiones de iust. n. 610.

### Caput III.

De iis virtutibus iustitiae annexis, quae debitum legale respiciunt: pietate, observantia, oboedientia.

S. Thom. 2, 2, q. 101—105; *Lessius*, De iust. etc. l. 2, c. 46; *Reuter* II, n. 228 sq; *Müller* II, § 83 et 85.

922 I. De pietate. 1. Pietatis vox non uno sensu adhibetur. Sumitur pro devotione et cultu divino; sumitur pro misericordia et opitulatione erga indigentes. Sed alio prorsus sensu accipitur, si de hac *speciali* virtute sermo est: sic enim est virtus, quae respicit *principium nostri ortus*.

2. *Definitur* autem virtus, qua parentibus, patriae et sanguine iunctis officium et cultus praestatur. — Primarie respicit parentes ut proximam ortus nostri causam; redundat dein 1) in patriam, utpote per quam parentes potuerint nobis ortum convenientem atque educationem congruam praestare; 2) in consanguineos propter coniunctionem sanguinis et ortus communis.



3. Extenditur illa virtus etiam in coniuges et liberos, ita ut officia, quae coniugi a coniuge, et quae liberis a parentibus debentur, etiam *pietatis* officia dicantur: quamquam ratio honestatis *infima specie* non eadem est. Convenit nimirum eatenus cum pietate a filiis exercenda, quod ipsi parentes etiam in suis filiis communem stirpem et progenitorum suorum propaginem quodammodo revereri debeant — id quod cum S. Ioan. Chrys. in h. l. (MG 62, 567) significatum esse putant 1 Tim 5, 4, ubi S. Paulus docet, ut sic discat vidua «mutuam vicem reddere parentibus» —: discrepat autem, quia haec reverentiae causa remotior est, proxima relatio superioritatis et gubernandi officium.

Similis ordinis, non eiusdem, est pietas, qua obligamur parentibus spiritualibus. Immo haec pietas, etsi in beneficio altioris ordinis nititur, principalis pietas non est; quae semper ad parentes corporales refertur. Nulla enim alia relatio adeo intima, immutabilis et omnium aliorum bonorum fundamentum est quam relatio ad illos.

4. *Formale obiectum* pietatis est illa honestas, quae est in praestando honore et officio propter hanc specialem superioritatem, quam principium ortus habet super eos, quibus ortum dedit: specialis enim in ea excellentia et dignitas elucet, quae cum nulla alia communis est. — *Obiectum materiale* sunt omnia illa officia, quae parentibus etc. debentur, vel potius actiones illae omnes, quibus id, quod in *sua specie* debetur, in concreto praestatur, sive singularis illa actio debita est sive non. — Debetur autem ex pietate parentibus *reverentia, amor, oboedientia*, prout postea in quarto decalogi praeepto fusius explicabitur.

5. Pietas violatur iis actibus, qui debito officio contrarii sunt. Quoniam autem id, quod debetur, non est eiusdem virtutis infimae speciei: etiam peccata contra pietatem non eiusdem infimae speciei malitiam continent.

II. Observantia pietati similis est: sic enim vocatur virtus, qua<sup>923</sup> honor et obsequium alteri praestatur propter quandam excellentiam, imprimis *gubernationis*, dein etiam propter eam excellentiam, quae non in actuali quidem gubernatione, sed in quadam eius aptitudine — quae tandem in qualibet maiore seu meliore qualitate inveniri potest — consistit.

Haec gubernandi excellentia etiam parentibus erga filios inest, quamdiu sunt sub paterna potestate: at necesse non est, ut dicantur filii duplici virtutis specie parentibus alligari, ita ut, si inoboedientia peccent, et pietatem et observantiam malitia specificè duplici laedant; sed una virtus pietatis altiore et eminentiore modo etiam id continet, quod est observantiae honestas.

Observantia, cum excellentiam unius supra alterum respiciat, ex excellentia *diversi plane ordinis* etiam *diversa virtus* fit; id tamen non obtinet, si ordo idem, *gradus* excellentiae diversus est.

Distinguitur potissimum 1. observantia *politica* et *religiosa*; 2. religiosa observantia est aut naturalis, aut supernaturalis, ad quam posteriorem praeter observantiam erga praelatos ecclesiasticos pertinet observantia in Sanctos, scil. *dulia*, et *hyperdulia*, qui vocatur cultus erga B. Mariam V., de quibus tractantes *de religione* diximus.

924 III. Oboedientia. 1. Haec ut *virtus* quidem formaliter ab aliis distinguitur, eius autem *debitum* pars illius debiti est, quod exigit observantia, pietas, religio.

2. *Formale obiectum* seu motivum est honestas illa, quam habet id ipsum, quod est «subiectum esse voluntati superioris, sese voluntati eius, qui praecipere potest, conformare». — *Obiectum materiale* est praeceptum vel voluntas declarata superioris; obiectum *cui* est superior, qui auctoritatem in alterum habet.

3. Prima ratio formalis obiectiva in hac virtute est *ius et potestas regendi*. Quae, cum ex diversa radice oriri possit, multiplex est. Scilicet 1) ratione *praelationis causae super effectum* potestatem iubendi habent Deus et parentes, 2) ratione *praelationis totius super partes* respublica, 3) ratione *spontaneae subiectionis* herus, dein superior religiosus, cuius potestas per auctoritatem S. Pontificis completur.

4. Attamen ex diversis illis titulis probabiliter non infertur oboedientia specificè distincta, maxime cum ad divinam legem tandem omnia reducuntur; sed oboedientia respicit legitimam imperandi potestatem, undecumque oriatur. Verum etsi oboedientia qua talis non distinguatur, tamen communiter adiungitur alia virtus eaque specificè diversa pro diversa imperandi potestatis origine, religio, pietas, observantia, quia communiter aderit in oboediente affectus, per oboedientiam superiori obsequium, honorem praestandi; idque saltem si oboedientia *formalis* seu affectus subiaccendi superioris voluntati exercetur. Id tamen addi potest, quando oboedientia *exigitur*, non exigi formalem oboedientiam, sed sufficere materialem ex quocumque alterius virtutis motivo; at formalis oboedientia opus est virtutis non mediocris.

5. Dixi supra, motivum internum oboedientiae respicere subiectionem et conformitatem erga *voluntatem* superioris, qui *praecipere possit*. Ita videtur esse mens S<sup>i</sup> Thomae 2, 2, q. 104, a. 2 in corp. Scio equidem, alios aliter sentire, cum ad actum oboedientiae proprie dictae verum *praeceptum* a superiore *latum* exigant. Ita cum aliis Lessius l. 2, c. 46, n. 22; Suarez, De incarnatione disp. 43, sect. 3, n. 2. At non est cur non sistamus in qualibet superioris, ut talis est, voluntate, etsi praeceptum latum non sit. Perfectior enim est subiectio, et perfectius obsequium, quod auctoritati imperanti praestatur, si ipsius iussio *praevenitur*; neque tamen alia ratio motiva necessaria est sive in praecepto, sive in re non praecepta, sed quae praecipì potest et cuius beneplacitum superior expressit; eadem ratio motiva modo strictius, modo levius debiti exactionem urget.

925 6. De oboedientiae relativa praestantia si quaeritur, breviter dici potest: a) Christiana oboedientia communis praestantior est ceteris virtutibus moralibus, vincitur religione. b) Religiosa oboedientia (in ordinibus religiosis) etiam communi oboedientia christiana praestantior est, non tamen religione praestantior, sed si eius motivum praecise spectatur, etiam inferior: quamquam si sumitur non praecise, sed sicut re ipsa communiter exercetur, religionis virtutem implicite continet.

Ratio autem huius praestantiae est, quia 1) per oboedientiam fit subiectio hominis erga Deum legitimosve superiores in omnibus obiectis, saltem obligatoriis, sed aliae virtutes hanc subiectionem in quibusdam tantum obiectis efficiunt. 2) Oboedientia continet actiones omnium virtutum, saltem quatenus praeceptae sunt, aliae virtutes in propria sua materia sistunt.

3) Oboedientia, ut ex S. Greg. M. *S. Ignatius de Loyola* ait (Ep. de oboedientia), virtus est, «quae ceteras menti inserit, insertasque custodit», siquidem modo ad huius, modo ad illius virtutis actus impellit, quibus virtutes generantur, crescunt, conservantur. 4) Quoad religiosam oboedientiam id accedit, quod voluntarie homo per eam relinquit id, quo maius relinquere nequit in Dei honorem, propriam scil. voluntatem, propriumque arbitrium et iudicium in totius vitae directione — quod multo maius est, quam honores, opes, sensuum illecebras reliquisse.

7. Inoboedientia materialis in quolibet peccato committitur: cuius specifica malitia desumitur ex oppositione ad eam virtutem, ad quam opus praescriptum spectat, si legislativa auctoritate praeceptum est, aut ex oppositione ad religionem, pietatem, etc., si hoc tantum titulo oboedientia debebatur.

*Formalis* autem *inoboedientia* committitur eo, quod aliquis nolit auctoritati legitimae in hac vel illa re subiacere; est igitur *auctoritatis qua talis contemptus*, ac propterea etiam in laesione rei obiective levis per se grave peccatum: ex qua ratione interdum veniale fieri possit, habes n. 690.

---

## DIVISIO III.

### DE SINGULIS OBIECTIS, CIRCA QUAE VIRTUTES MORALES ET OFFICIA HUMANARUM RERUM EXERCENTUR.

Postquam generalem notionem et conspectum diversarum virtutum <sup>928</sup> dedimus, in uberiore explanatione eorum, quae ad virtutum exercitium et obligationem et ad peccata opposita eorumque gravitatem pertinent, sequendum duximus potius ordinem diversorum obiectorum seu bonorum, circa quae virtutes morales officio suo funguntur. Nam laesae virtutis malitia mortalis plerumque non tam ex ipsius virtutis specie quam ex obiectis singulis desumitur; in theologia morali autem potissimum id patere debet, quandonam *graviter* circa aliquam virtutem peccetur, quando non.

Ita igitur, ad singula descendentes, tractationem de virtutibus completuri sumus, ut de obligationibus

1) circa bonum sociale; 2) circa bonum individuale, ipsius scil. hominis vitam et personam; 3) circa bonum coniugale; 4) circa bona externa fortunae; 5) circa bonum famae tractemus.

Quo patet, id etiam commodi sequi, ut prosequi possimus explanationem eorum, quae ad decalogi praecepta spectant, fere ex ipsius decalogi ordine consueto, siquidem obligationes circa bonum ordinis socialis quarto praecepto, circa bonum individuale quinto, circa bonum coniugale sexto et nono, circa bona fortunae septimo et decimo, circa bonum famae octavo praecepto continentur.

Peccatorum catalogum, quem alias longiorem praecipuis capitibus adieci, hic merito contrahere possum, quoniam uberior explicatio et enumeratio eorum, quibus contra singula praecepta peccari possit, huius totius partis tractatio est principalis. Quare me continere possum in iis peccatis, quae magis consueta sunt, post singula decalogi praecepta explanata breviter in unum colligendis.

## TRACTATUS I.

### DE OFFICIIS HUMANIS ATQUE PECCATIS, QUAE BONUM ORDINIS SOCIALIS SPECTANT.

Agunt de hac re imprimis: *S. Alph.* III, n. 333—361; *Elbel* III, n. 530—610; *Reuter* I, n. 347 et *Neoconf.* n. 128—137; *Pruner* n. 286 et deinceps; *A. Koch* § 162—170.

927 Obligationes circa bonum ordinis socialis respiciunt virtutes morales illas, quas ultimo loco praecedenti capite explanavimus, pietatem, observantiam, oboedientiam cum iustitia legali.

Socialis hominis natura eum collocat primo per coniugalem unionem in societate domestica, per eam et cum ea in societate civili; supernaturalis autem rerum ordo per Christum restitutus et ad perfectionem adductus eum in Ecclesia atque sub eius regimine constituit. Hinc ex relatione ad diversos superiores diversa officia obligationesque oriuntur. Accedere potest subiectio a) libere electa, b) ex necessitate auxiliarium institutorum oriunda.

*Honora patrem tuum et matrem tuam.* Ex 20, 12.

Hoc decalogi praeceptum quartum solius erga parentes subiectionis meminit, utpote quae prima omnium sit et maxime necessaria, et contra quam frequentius homo possit delinquere. — Constans autem interpretatio ad hoc praeceptum implicite reducit officia, tum quae ex qualibet subiectione oriuntur, tum quae ipsos superiores erga subditos ligant.

Idque merito: nam quaelibet auctoritas, cui homo subicitur, aut primitus et radicitus in paterna potestate latet, aut paternae potestatis analogae est; et quaelibet subiectio eiusque obligationes pro fundamento habent curam et officium, quod vicissim superiores egerunt et agere debent.



*Caput I.***De societate coniugali.**

Unio vel societas coniugalis germen est domesticae atque hinc civilis <sup>928</sup> societatis atque universim totius societatis humanae. Et quamquam illa coniugum unio liberrima voluntate initur, eius tamen finis et indoles, libero arbitrio subtracta, a natura eiusque auctore, Deo, praefinita est. Ad id enim vir et femina uniuntur, ut mutuam sibi opem et auxilium praestent, unus alterius defectum suppleat, atque ita ambo naturam humanam perfectam compleant et unum conservandi propagandique generis constituent principium.

Indoles enim mulieris ex natura diversa est ab indole viri, qui aptior est ad providendum, ad negotia gravia et implicata gerenda, ad aggrendenda laboriosa et periculosa; mulier autem ad leviora et minutiora providenda diligentior, ad sustinendum patientior, ad emolliendum pacatior est. Quae diversitas indolis plane a natura est, ab exordiis mulieri indita, sive eam in ipso animo collocas, ex qua in corpus eiusque efformationem redundet, sive eam repetis ex diversa corporis structura in germine praeformata, ex qua oriantur sua sponte diversae animi affectiones et habitudines.

Ex qua ingenii indolisque diversitate naturaliter nascitur mulieris sub virum subiectio, cui ipsa sit adiutrix, et a quo accipiat tutelam et protectionem.

Hanc *in matrimonio* esse mulieris conditionem, extra controversiam esse debet. Id enim non solum omnium gentium mos et consuetudo observat per omnium saeculorum decursum (cf. *Rösler*, *Die Frauenfrage* 144 sqq), sed etiam S. Scriptura manifeste declarat. De initiis generis nostri iam habetur Gn 3, 16: «Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.» Similiter in lege christiana habes I Petr 3, 1 6: «Mulieres subditae sint viris suis . . . sicut Sara oboediebat Abrahae, dominum eum vocans»; et S. Paulus I Cor 14, 34: «Mulieres», ait, «in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit»; et Eph 5, 24: «Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.»

Quae quidem subiectio spectat ad res domesticas. Neque tamen mulier serva est, sed socia, ut S. Scriptura non semel effert; dicit enim Eph 5, 25: «Viri diligite uxores vertras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam», et I Petr 3, 7: «Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam et coheredibus gratiae vitae: ut non impediatur orationes vestrae.» Immo in re coniugali paritas est uxor cum viro conditionis et iuris, ut I Cor c. 7 Apostolus enucleate docet.

Haec viri et mulieris in matrimonio coniunctio pro genere quidem <sup>929</sup> humano necessaria est, non ita pro singulis. Immo christiana lex sive pro viro sive pro femina statum coelibatus et virginitatis semper habuit pro statu perfectiore quam matrimonium. Quo statu femina, quae eum

elegerit, subtrahitur ex parte sententiae illi divinae comminatoriae «sub viri potestate eris», et incipit vindicari in libertatem filiorum Dei, quam Christus Redemptor humano generi restituit. Attamen non plenam adipiscitur cum viro aequalitatem, sed naturali conditione manet inferior, neque impune in ea se ingerere potest, quae natura viro reservavit.

Insuper animadverti debet, feminas, quae religionis causa inuptae manere suamque virginitatem et totam vitam Deo eiusque speciali servitio consecrare nolunt, generatim ad matrimonium a Deo destinatas esse, cum alias periculis nimis obiciantur. Quod etiam S. Paulus 1 Tim 5, 14 effert: «Volo ergo iuniores [viduas] nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia», atque universim loquens de muliere dicit 1 Tim 2, 15: «Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate». — Nihilominus non omnes possunt nubere. Statistica enim abundantiosem ostendit numerum feminarum, imprimis quod viri numerosiores varias causas mortis incurrunt. Ideoque pars feminarum, cum inuptae manere debeant, extra matrimonium sibi ipsae providere coguntur. Praeterea socialis conditio ea evasit, ut mulieres etiam nuptae per labores etiam non domesticos subsidium pro sustentanda familia quaerere cogantur. Contineri igitur intra muros vel inter labores et curas domesticas feminae minus possunt quam antea; atque ita revera pro hodiernis temporibus exorta est quae vocatur *quaestio feminea*.

<sup>930</sup> Quam solvere non est solius theologiae moralis: verum ex ea principia quaedam repetenda sunt, ne contra mores christianos in ea re peccetur.

1. Cum longe communissima sors feminarum sit status coniugalis: educatio puellarum eo dirigi debet, ut aptae evadant ad gerendas res domesticas et ut in omni arte muliebri, quantum fieri possit, rite instituantur.

2. Si quae tamen ingenium et otium habent, utiliter instrui possunt in iis, quae ad communem culturam animi altiosem pertinent, videlicet in iis fere, quae in scholis mediis tradi solent. Attamen haec institutio ingenio muliebri adaptanda est neque debet esse cum pueris adolescentibus communis, tum ut institutio sit aptior, tum ut pericula contra bonos mores exsulent.

3. Mulieri adultae, imprimis inuptae, aditus patere debet ad negotia vel opera praestanda extra domum, quo et necessitatibus suis atque victui providere possit et otium vitet. Nam in hodiernis conditionibus sunt non paucae feminae, quae solis domesticis laboribus sibi providere non possunt. — Verum ratio habenda est tum feminae viribus infirmioribus tum eius verecundiae, ita ut non omnia, quae virum decent, deceant etiam feminam.

Mulieres igitur inferioris conditionis in fabricis — separatim a viris — certos labores sane praestare possunt. Superioris conditionis et culturae feminae officia quaedam, imprimis secundaria, gerere possunt in negotia-

tionibus agendis, in scribendis literis et rationibus, in ducendis et educandis puellis, in curandis infirmis, in omnis generis officiis caritatis praestandis; etiam in regendis domibus minoribusque institutis. — Certa autem graviora munera et labores, officia stricte publica, maxime politica, vel ea quae maiorem quandam artem gubernandi secum ferunt, a feminis sunt aliena; sicuti etiam ab officiis hierarchicis in Ecclesia feminae divinitus excluduntur.

4. Cum aliqua ex officiis, quae mulieres gerere possunt, altiore<sup>981</sup> instructionem studiaque altiora requirant, v. g. officium medicum ad curandas feminas, institutio altior puellarum: certe mulieribus opportunitas praeberi debet altioribus studiis incumbendi. Quare aut peculiare pro ipsis academiae instituendae sunt; aut, si publicas universitates frequentare maluerint, cura haberi debet, ut omnis modestia atque decencia observetur. Feminae autem, quae religiosam vitam amplexae sunt, si ulterioribus indigent studiis, certe, in quantum fieri potest, convenientius in ipsis religiosis institutis ea peracturae sunt.

5. Supra dictum est, exterioribus illis officiis vel laboribus imprimis innuptas feminas sese addicere posse. Non quod coniugatae ab omni exteriori labore plane excludendae sint. Attamen his eiusmodi labores cum magno tantum moderamine conveniunt. Nam earum cura praecipua dirigi omnino debet in educationem filiorum et in res domesticas atque familiares. Quae communiter melius curantur, si mater, etiam quando ab his curis necessariis otium habet, tempus otii in labores domi praestandos impendit, quam si labores vel officia exteriora exercet. Sane cum notabili domesticarum rerum dispendio eiusmodi exteriora officia vel labores ne permittenda quidem sunt, nisi forte gravis necessitas urgeat atque rebus domesticis quoad necessariam curam alia via provideatur.

6. Quae vero ad societatem coniugalem qua talem spectant, ad officia mutua et peculiaris mariti et uxoris, haec tractandi propria sedes est in tractatu de matrimonio. Ubi complementum invenies eorum quae hic habes exposita.

## Caput II.

### De mutua obligatione in societate domestica.

#### § I.

##### *De obligatione parentum.*

Natura ipsa specialem parentibus amorem erga filios indidit, quo<sup>982</sup> in cura, quam non sine multis incommodis iis impendere debent, excitentur et iuventur. Qui specialis amor etiam *internus* titulo coniunctionis ex obligatione foveri debet, neque umquam haec obligatio cessat, sicut coniunctio ista intimaque relatio ad filios, in qua fundatur, numquam dissolvitur.

Officia autem positivae curae *externae* et providentiae ex se temporanea sunt, possunt illa tamen per accidens quolibet tempore revi-

viscere, sicut quovis tempore erga hominem prorsus extraneum officium succurrendi per accidens ex communi amoris seu caritatis lege enasci potest.

Quare de amore eiusque laesione, dein de debita cura filiorum dicendum est, eaque tum corporali, tum spirituali.

I. Amoris interni 1. *positivum* officium non est eiusmodi, quod accuratius determinetur. Quamquam enim negari nequit, parentes etiam positivo actu filios suos aliquoties diligere debere: id tamen, quando alia officia implentur, satis superque fieri solet, neque, *quoties* illa obligatio per se urgeat, accurate dici potest.

933 2. *Negative* autem violatur per actus amori contrarios: qui si secundum ea, quae de caritate erga proximum dicta sunt, graviter peccaminosi evadunt, malitiam specificè graviorem mortalem continent quam contra communem caritatem, scilicet contra *pietatem*. — Circumstantia igitur intimae coniunctionis parentum in peccatis illis, quibus amor vel cura debita contra filios graviter laeditur, in confessione aperiri debet; aliter infima species peccati non declaratur.

Huiusmodi peccata sunt: filios odio prosequi; invidiam erga eos fovere; eosque ab aspectu aliisve signis externis paterni affectus ita excludere, ut id merito pro manifestatione gravis odii habeatur; malum grave iis serio imprecari.

Plerumque illa mali imprecatio seria non censetur; quare tum, seclusa imperfectione actus, grave peccatum ex solis adiunctis fit, si forte aut *gravem iniuriam* contineat — quod summum erga filios adultos est, neque erga eos facile —, aut *grave scandalum*, quo pueri parentum exemplo diras imprecari doceantur.

3. Similiter si gravia mala filiis inferuntur, ut contumelia (quae tamen facilius levis manet quam erga extraneos), diffamatio etc., praeter peccatum grave, quod actio ex sua propria natura continet, in confessione declaranda est circumstantia propinquitatis, cum malitia mortalis diversa sit, praeter iustitiam aut *pietatem* aut communem *caritatem* delinquendo laedere.

Delicta igitur occulta externis revelare secundum ea, quae dicturi sumus postea circa octavum praeceptum, grave peccatum esse potest; parentes vero sibi invicem delicta filiorum manifestare saepe expedit et necessarium est, quo melius praecaveantur peccata.

4. Peccari contra amorem potest etiam excessu: 1) omnia permittendo neque delicta puniendo etc. — quod tamen potius ad externam curam pertinet —, 2) uni filio prae aliis sine causa magis favendo: quod si notabiliter fit, grave peccatum — utique unius malitiae contra pietatem — esse potest atque fons multorum malorum gravisque in familia dissidiae.

934 II. Cura impendenda est corporalis.

1. Quam curam si omittendo negligunt, parentes *unam* laesae pietatis malitiam contrahunt — declarare tamen debent in confessione,



*quid* neglexerint; si vero malum inferendo offendunt, *duplicis* malitiae, contra iustitiam et pietatem, rei sunt.

2. Cura igitur corporalis prima est circa *vitam infantis*:

1) Ante nativitatem, ne mater uterum gestans foetui periculum inferat immodico vel imprudenti labore, lasciviis, saltationibus aliisque actionibus (diuturno itinere), quibus uterus multum agitatur, vehementi passione etc.; — ne maritus uxorem praegnantem male tractando, percutiendo abortui ansam det.

2) Post nativitatem, ut a filiolo suffocando caveant, aliave mala diligenter avertant. — Unde est quod Ecclesia (vid. Rit. Rom. post *baptism. infant.*) moneat matres, ne filiolos secum in lecto retineant. Quod utrum ex se grave periculum suffocationis ac proin mortale peccatum inducat annon, a circumstantiis et moribus matris pendet. *Von Olfers*, Pastoralmedizin 37 putat, hodie, cum mos non amplius sit, infantulum pannis tam arcte adstringere, periculum suffocationis communiter tantum non esse, ac proin causas rationabiles adesse posse facilius, cur mater malit, infantulum secum in lecto collocari; verum si mater in somno inquieta est, periculum grave videtur esse, ne infantuli caput conterat.

3. Circa *sustentationem* 1) parentes tam diu filios sustentare debent, donec sibi ipsi providere possint.

2) Immo etsi filii in adulta aetate sunt, si tamen re ipsa gravem necessitatem patiuntur, quamquam ex culpa sua, parentes liberos saltem alere debent, cum illi se alere non possunt. Hinc est quod *S. Alph.* III 337 et 949 dicat: Etsi filius aut filia invito patre nuptias iniit etiam indignas, pater eum *indigentem* alere tenetur et uxorem eius. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 101, a. 2.

4. Peculiaria circa victum et sustentationem quaeruntur de matre,<sup>935</sup> scil. 1) de eius officio lactandi filiolos. Proprio lacte filios alere communiter dicitur esse ex praecepto: *S. Alph.* n. 336.

At nota: a) hoc praeceptum, si aliunde filiolo satis providetur, per bonam nutricem, sub levi tantum obligare; b) causam iustam debilitatis, aut aliquatenus consuetudinis apud nobiles posse ab omni stricta obligatione sub peccato excusare; c) nihilominus grave praeceptum esse, *bonam* nutricem quaerere non solum relate ad corporalem infantis vitam, sed etiam relate ad influxum moralem, ne forte a nutrice vitiorum germina infanti cum lacte inserantur. Quare parochi et confessarii est, quantum fieri possit, matres potius *inducere*, ut proprio lacte filios suos alant. — Quod autem vix liceat unquam pro nutrice matrem sumere, quae sine *proprii* infantis cura *graviter* neglecta id munus suscipere nequeat, inde patet, quia non potest quispiam alterum ad grave officium laedendum inducere, etsi sibi maximo commodo sit.

2) Quaeritur de peccato, quod mater abiciendo prolem committat. Nimirum haec quaestio agitari solet pro iis circumstantiis, quando mater ex peccato gravida prolem edidit, atque famae suae tuendae causa eam retinere nolit. — At etiamtum cum gravi periculo pro vita infantis illum exponere gravissimum est peccatum duplicis malitiae infanticidii, contra iustitiam et pietatem. Verum si hoc periculum abest, simulque bonae educationi etiam spirituali in religione catholica satis providetur, *S. Alph.* III 336 putat, licere ad praecavendam gravem diffamationem prolem illegitimam ad orphanotrophium mittere.

936 5. Parentes curare debent, ut filii secundum statum suum etiam in posterum vitam agere possint. Quare peccant:

1) Si negligunt, quominus filii pro conditione sua sive artes sive litteras addiscant, quo honeste se postea possint sustentare atque secundum conditionem suam vivere; verum quoad studia litterarum animadvertatur oportet, rationem etiam potissimam habendam esse integritatis morum conservandae: de qua mox infra.

2) Si bona sua dilapident et propter dilapidationem atque prodigalitem causa sunt, cur filii decentiam iustam status sui servare non possint. Quamquam enim parentes nullatenus obligantur, omnem curam impendere in divitiis augendis atque servandis, tamen moderata cura filiis suis *prospicere* debent secundum Apost. 2 Cor 12, 14: «Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.»

3) Si absque legitima causa dotem convenientem filiae negant, quo minus honestum matrimonium inire aut, si velit, ordinem religiosum ingredi possit.

937 III. Cura spiritualis etiam maior habenda est. Quare vitam spiritualem supernaturalem debent 1. filiis procurare per *baptismum*, 2. promovere per *institutionem* et *bonum exemplum*, 3. protegere per *vigilantiam* et *correctionem*.

1. Quomodo baptismi dilatione peccetur, vide II *de baptismo* c. 3.

2. Ad institutionem filiorum pertinet, 1) ut parentes, potissimum mater, per se ipsos a teneris annis in necessaria fidei doctrina filios instruunt, utque etiam praeveniant plenum rationis usum consuetudine orandi cum filiis; 2) ut filiis adolescentibus bonos magistros praeficiant. — Sed quoniam nostris temporibus scholae publicae adeo late patent, atque ad eas pueri mitti coguntur, operae pretium est videre, quousque parentes ex obligatione praecavere debeant damna spiritualia filiis facile oritura<sup>1</sup>. Ad quod respondeo:

<sup>1</sup> Doctrinam hic n. 937—939 datam egregie illustratam habes in Instructione Sac. Congreg. de Propag. Fid. ad episcopos Statuum Foederatorum Americae Sept. missa:

«Pluries S. Congregatio de Prop. F. certior facta est, in Foederatis Statibus Americae Sept. catholicae iuventuti e sic dictis scholis publicis gravissima damna imminere. Tristis quocirca hic nuntius effecit, ut amplissimis istius ditionis episcopis nonnullas quaestiones proponendas censuerit, quae partim ad causas, cur fideles sinant liberos suos scholas acatholicas frequentare, partim ad media, quibus facilius iuvenes e scholis eiusmodi arceri possint, spectabant. Porro responsiones a laudatis episcopis exaratae ad supremam Congregationem Univ. Inquisitionis pro natura argumenti delatae sunt, et negotio diligenter explorato, feria IV, die 30 Iunii 1875, per Instructionem sequentem absolvendam ab Emis Patribus iudicatum est, quam exinde SS. Dñs Noster feria IV, die 24 Novembris praedicti anr adprobare ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberatione: cadere imprimis debebat ipsa iuventutis instituendae ratio scholis huiusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculis plena ac perquam adversa rei catholicae. Alumni enim talium scholarum, cum propria earundem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent neque Ecclesiae instruentur praeceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur. Enimvero in eiusmodi scholis iuvenes educantur iam inde a prima pueritia ac propemodum a teneris unguiculis, qua

a) Si filii grave periculum contra bonos mores aut contra fidem subeunt, quod remediis adhibitis auferri nequit, sed proximum periculum manet, ne-

aetate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter haerent. Aetas igitur tam flexibilis si absque religione adolescat, sane ingens malum est.

Porro autem in praedictis scholis, utpote seiunctis ab Ecclesiae auctoritate, indiscriminatim ex omni secta magistri adhibentur, et ceteroqui, ne perniciem afferant iuventuti, nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela insuper ex hoc impendit, quod in iisdem scholis aut saltem pluribus illarum, utriusque sexus adulescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi iuxta feminas iubentur. Quae omnia efficiunt, ut iuventus misere exponatur damno circa fidem, et mores periclitentur.

Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis S. Pontifex edixit, Friburgensi quondam Archiepiscopo die 14 Iulii 1864 ita scribens:

‘Certe quidem, ubi in quibuscumque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur vel ad exitum perduceretur consilium expellendi e scholis Ecclesiae auctoritatem, iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet instantissimo studio omnia conari, nullisque curis parcere, ut eadem iuventus necessariam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, iisque declarare eiusmodi scholas Ecclesiae catholicae adversas haud posse in conscientia frequentari.’ — Et haec quidem, utpote fundata iure naturali ac divino, generale quoddam enuntiant principium, vimque universalem habent, et ad eas omnes pertinent regiones, ubi perniciosissima eiusmodi iuventutis instituendae ratio infeliciter inducta fuerit.

Oportet igitur, ut praesules amplissimi, quacumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil tam necessarium, quam ut catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis igitur catholicis sive condendis, ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, [ut] in institutione ac disciplina scholas publicas adaequent, omni cura prospiciendum est. Ac tam sancto exsequendo consilio tamque necessario haud inutiliter adhibebuntur, si episcopis ita visum fuerit, e Congregationibus religiosis sodales, sive viri sive mulieres, sumptusque tanto operi necessarij, ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportuna oblata occasione, sive pastoralibus litteris, sive contionibus, sive privatis colloquijs, serio necesse est, ut ipsi commonefiant, sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaue scholis providerint. De quo potissimum monendi erunt, quotquot inter catholicos ceteris praestant divitijs ac auctoritate apud populum, quique comitijs ferendis legibus sunt adscripti.

Et vero in istis regionibus nulla lex obstat civilis, quominus catholici, ut ipsis visum fuerit, proprijs scholis prolem suam ad omnem scientiam ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi catholici, ut feliciter avertatur clades, quam scholarum illic publicarum institutum rei catholicae minatur. Religio autem ac pietas ne a scholis vestris expellantur, id omnes persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam florentissimae Americanae nationis, quae tantam de se spem Ecclesiae dedit.

Ceterum S. Congregatio non ignorat, talia interdum rerum esse adiuncta, ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant; ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit necne, id conscientiae ac iudicio episcoporum relinquendum erit; et, iuxta relata, tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adulescentibus. Quae autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis, cum propria ipsarum ratione plus minusve num-

que parentibus filios in eiusmodi scholam mittere, neque filiis ire licet; sed potius quaevis poena iniuste imposita debet tolerari.

b) Si possibile est periculum grave ita mitigare, ut proximum esse desinat, fieri potest, ut propter causam omnino gravem eiusmodi scholam frequentari liceat, modo efficaciam remedia *re ipsa* adhibeantur. Talis causa gravis est: valde molesta vexatio ob iniustam legem; impossibilitas aliter filiis providendi, ut postea decenter secundum statum suum vivere possint etc.

c) Nihilominus etiam tum, quando fortasse causa obiective excusans tanta non est, ut periculum, quod vix non semper notabile manet, subire liceat, confessarii vel parochi est videre, utrum severiorem admonitionem atque pleniorum institutionem praevideat profuturam esse, annon. Si eam profuturam non esse merito putet, nihil relinquitur, nisi ut abstinendo a severiore agendi modo summopere et sancte inculcet parentibus obligationem, qua teneantur saltem filios praemonere et praemunire sufficienti instructione religiosa et admonitione seria, ne aures praebeant umquam iis, quae sive a discipulis sive a magistris contra catholicam fidem dicantur, vel quae alias ad peccata possint allicere, utque sibi fideliter referant, quae forte hac in re acciderint, quo melius pro futuro possint prospicere. Nimirum necesse est, ut id saltem parentes sibi persuadere possint, filios *re ipsa* satis praemunitos esse atque animi satis firmi, ne succumbant periculis: alias in bona fide neque relinqui, neque esse possunt<sup>1</sup>.

---

quam non coniunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum. Est ergo imprimis videndum, utrumne in schola, de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi, quod fieri remotum plane nequeat, velut quoties ibi aut docentur quaedam aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, neque peragi. Enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali, etiam vitae. Debet porro iuventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholae tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi et missionarii, memores eorum, quae providentissime hac de re Concilium Baltim. constituit, catechesibus diligenter dent operam, iisque explicandis praecipue incumbant fidei veritatibus ac morum, quae ab incredulis et heterodoxis impetuntur; totque periculis expositam iuventutem impensa cura, qua frequentius usu Sacramentorum, qua pietate in Beatam Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitent. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sunt, per alios de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et, si quid noxium ibi deprehenderit, antidota praebeant, eosque a familiaritate et consortio condiscipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant et prohibeant. Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertiri quotquot parentes negligunt; aut qui frequentare eos sinunt tales scholas, in quibus animarum ruina evitari non potest; aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt scholis publicis, sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis et proximo remotum fiat: eos, si contumaces fuerint, absolvi non posse in Sacramento poenitentiae, ex doctrina morali catholica manifestum est.» Collectanea S. Sedis n. 1339, sive Collect. S. Congr. de Propag. n. 481.

<sup>1</sup> Aliquando autem lege particulari recursus ad episcopum praescribitur, ut parentibus liceat scholam non catholicam eligere: quae lex in suis locis certe obligat. Ita Concil. plen. Baltim. III art. 196: «Itaque parentes catholicos non solum paterno amore hortamur, sed iis etiam *omni qua valemus auctoritate praecipimus*, ut dilectissimae proli



d) Pericula quidem graviora esse solent in scholis superioribus, academiciis etc., quam in inferioribus et elementaribus scholis: verum facilius etiam quam in his, in illis remedia adhiberi possunt efficacia, si filii ipsi volunt; quoniam adulescentes firmioris animi et prudentioris iudicii sunt, quam tenellae aetatis pueri.

e) Pro scholis superioribus alias periculosis frequentandis remedium optimum et summopere inculcandum est, 1) ut parentes filium commendent viro pio et amico, qui in eum invigilet; 2) ut filius ipse studeat, at cum magna circumspectione, amicum pium et fidelem sibi deligere, quae coniunctio animum firmiorem reddat contra respectus humanos atque retrahat ab illicitis consortiis; 3) ut filius saepe accedat ad sacramenta, atque stabilem habeat confessarium doctum et pium, quocum non in confessione tantum, sed etiam privata visitatione difficultates libere communicare possit atque communicet.

f) Mittere ad scholam acatholicam, si praesto est catholica, etsi aditu nonnihil difficilius, facile grave peccatum evadere potest 1) ex eo, quod sine causa iusta fides atque boni mores periculo obiciantur; 2) quod positiva educatio religiosa negligatur; 3) quod pravum exemplum detur, quo alii pertrahantur ad imitandum, atque eo magis id attendi debet, quo magis forte a frequenti numero discipulorum facultas pendet catholicam scholam sustinendi; 4) accedere potest conniventia quaedam cum secta acatholica vel indifferentismo, sive ista agendi ratio ex tali affectu oritur, sive externam speciem eiusmodi pravi affectus praefert.

g) Quae prava conniventia si neque adest neque apparet — quod saepe ex conditionibus loci pendet —, aliae rationes supra recensitae adeo diminui possunt ex variis circumstantiis, ut de reatu gravi non iam constet, si modo magister acatholicus contra catholicam religionem nihil proferre audeat. Quare si non leve incommodum accedat, quod catholicam scholam frequentando incurratur, mitius iudicandum est de parentibus, qui acatholicam scholam eligant; atque sola suasionem insistendum, quo suavius inducantur potius, quam severe urgeantur ad mutandum consilium.

h) Tandem convenit, immo necessarium est, ut in qualibet regione, collatis consiliis, confessarii et parochi eandem methodum in monendis parentibus sequantur. Atque rationem gravis peccati etiam ex ipsius loci circumstantiis multum pendere, discas, si recolligas, quae dicta sunt supra de scandalo et cooperatione. (Cf. etiam Instructio Vicarii Urbis n. 816 not.)

### 3. Bono exemplo parentes doctrinam datam confirmare debent. 940

suae . . . atque ideo eam in scholas parochiales vel alias vere catholicas mittant, nisi forte *Ordinarius* in casu particulari aliud permitti posse iudicet». Dein art. 199 IV «Decernimus: Omnes parentes catholicos prolem suam ad scholas parochiales mittere teneri, nisi vel domi vel in aliis scholis catholicis christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant, aut ob causam sufficientem ab episcopo approbatam et cum opportunis cautionibus remediisque eos ad alias scholas mittere ab iis liceat.»

Similiter in Concil. plen. Americae lat. anni 1899 n. 667: «Itaque parentes catholicos atque tutores pupillorum omni, qua valemus, auctoritate, non solum hortamur sed iubemus prolem sibi commissam a scholis arcere, in quibus Ecclesiae auctoritas et salutaris sanctae nostrae religionis influxus excluditur, nisi forte eae sint circumstantiae, ut, ob causam sufficientem ab episcopo approbatam et cum opportunis cautelis ac remediis frequentatio huiusmodi scholarum in casibus particularibus et ad tempus tolerari possit.»

1) Quare si malo exemplo seu *scandalo* sunt filiis suis in re graviter peccaminosa praeter peccatum directi scandali, si adfuit, semper malitiam gravem contra *pietatem contrahunt*.

2) Hinc potissimum cavere debent, ne coram filiis imprecationibus, blasphemis utantur, de rebus turpibus — etsi sibi fortasse licitis — loquantur, aut negligentia sua filiis ansam haec cogitandi inquirendive praebeant.

3) Magis etiam scandalo directo peccant parentes, si filios ad peccata sollicitant atque inducunt.

4. Vigilantia parentum versari debet tum in vitia filiorum, quae prodeant, tum in consortium eorum, quibuscum filii conversentur, tum in agendi modum, quem filii teneant, quando se latere putant.

941 Hinc 1) jam a tenerrimis annis videri debet, ne vitia naturae foveantur vel crescant, sed ut potius succidantur. Imprudentissime igitur et pessime agunt parentes, si de ira et indignatione pueruli ratione nondum utentis gaudent, quasi virile quid proludat, aut si puerum, qui offendit contra mensam, sellam, indignationem et vindictam in res inanimes exercere docent; et sic porro de aliis.

2) Si grandiusculi fiunt filii, parentes invigilare debent, quid agant in cubili; caveantque multum, ne pueros et puellas simul dormire sinant, immo, quantum fieri potest, ut ipsi pueri puellaeve singuli in singulis lectulis dormiant, suadendum est. Cf. II de poenit. sect. 3, c. 4, de *confessione puerorum*.

3) Scire debent filii parvuli, se numquam securos esse et immunes a parentum invigilantia, sed quovis momento se posse deprehendi, etsi se solos putent. — Multo magis etiam quando filiae nubiles sunt, filiive adoleverint, invigilandum est in consortium cum aliis, ne juvenis cum puella solus conversari sinatur, neve leviter familiaritatem contrahant, aut eam matrimonii causa initam diutius in statu sponsalio protrahant. Sciunt parentes, se gravissimam reddere debere Deo rationem, si indulgentius agendo causa sint ruinae filiorum.

4) Prospiciant prorsus parentes, cum quibus socii filii versentur, sive in tenera aetate sive in maiore, neque omnibus fidant, sed ipsi experimentum sumant; nam qui bonis moribus instructi videntur, pessimi aliquando existunt seductores. Maxime autem videant, ut fidere possint ancillis et famulis, eosque prorsus amoveant, a quibus periculum timendum est. Praeterea etiam severe caveant, ne, se insciis, filii alicubi versentur, sed semper, quantum fieri potest, ipsi sciant, ubi et quibuscum sint; neque in locis absconditis sinant infantes relinquere.

942 5) Disputatur, quid fieri oporteat vel conveniat circa instruendos filios filiasque de re sexuali, siquidem tum praepropera harum rerum cognitio periculosa esse possit atque fons peccatorum, tum ignorantia diutius protracta in curiosam atque peccaminosam inquisitionem inducere et incautos periculis seductionique obnoxios reddere facile queat. Quae instructio sane pro diversis circumstantiis diversimode facienda est eaque vigilantiae et prudentiae parentum relinquenda, ne in unam alteramve partem peccetur. Quamquam vagam scientiam, parentes esse qui filiis vitam dederint, cum iis communicare convenit, cum post plenum eorum rationis usum occasio se obtulerit: notitia tamen de ipsa re sexuali et venerea, eaque *sobrie et breviter* danda, differenda est usque ad tempus, quo pubescere incipiant, neque generatim

ultra id temporis diu in ignorantia relinquendi sunt. Verum quo purior fuerit mentis educatio atque a lubricis imaginationibus remotior, quo magis aliena ab omni mollitie sed coniuncta potius cum moderata duritie corporis cultura: eo felicius protrahi potest rerum sexualium sancta ignorantia, atque eo diutius retardatur ipsa corporis pubertas.

5. De educatione spirituali quaedam documenta optima dedit *Fr. Clericus*,<sup>943</sup> Zehn Gebote kathol. Kindererziehung (Mainz 1872), videlicet

1) Cum frequens experientia doceat, educationem ex maxima parte primis sex annis fieri, antequam filii plenum rationis usum attigerint: mater illis primis annis summopere incumbere debet, ut infantem rite informet, neve passiones stulte foveat.

2) Quando rationis usus iam plenior est, ne confundant parentes defectus inculpabiles et culpabiles. Si quid igitur poena dignum commissum est, i. e. moralis defectus, prudenter puniri debet; at ab his distingui plane debent inculpabiles defectus, v. g. si filii defectu dexteritatis aliquid fregerunt etc. Post poenam vero inflictam ne umquam ostendatur commiseratio: quod praecipue mater cavere debet, ne contra poenam a patre inflictam aut infligendam partes infantis suscipiat.

3) Caveant omnino, ne dicant, infantes haec et illa agentes — quando de peccatis venialibus agitur — detrudendos esse in infernum; sic enim pessime filiis suis consulunt, cum falsam conscientiam creent atque frequenter mortalis peccati subiectivi causa sint. Ita circa mendacia, furtula quamquam summo horrore filios imbuere debent, tamen sine ulla exaggeratione; rite igitur gravissimum malum etiam levis peccati doceant, atque periculum paulatim labendi in mortale, ita ut probe intelligant infantes, haec et illa gravia peccata nondum esse. Immo si filii erronee videantur hoc et illud pro gravi peccato habere, omnino dedocendi sunt, ita tamen, ut, quemadmodum dixi, peccati venialis horror non exstinguatur, sed augeatur.

4) A tenerrima aetate doceantur filii orare ad Deum, atque B. Mariae Virg. patrocinium Angelique custodiam implorare; verum poenae causa ne iubeantur orare, ne orationis aestimationem minorem concipiant.

5) Ne educatio corporalis sit mollis, sed etiam incommodis et duris ferendis assuescant infantes, discant aliquem aetati et viribus convenientem laborem amare, quamquam amplum etiam ludendi tempus concedi debet; ne cibis *onerentur*; assuescant exercere etiam quandam mortificationem et abnegationem in licitis; nam qui genio suo nihil scit defraudare, ne humanam quidem, multo minus christianam vitam ducturus est.

6) Quando filii filiaeve, postquam adoleverint, ad famulatum alio mittendi<sup>944</sup> sunt, parochus in id incumbat, a) ne mittantur a parentibus neve sinantur proficisci in urbes, ubi morum corruptio est; aut si hoc plane impediri nequit, ne sine cautelis huc proficiscantur neve mittantur illi vel illae, quibus propter levitatem speciale et proximum periculum ibi exstiturum esse praevidetur. b) Inculcet maxime puellis, ab ipsis pendere, utrum felices an infelices evadant: quare ut servent felicem statum bonae conscientiae, 1. statim, saltem intra quindecim dies sibi eligant stabilem confessarium; 2. studeant frequenter sacramenta suscipere, quantum fieri possit, saltem singulis mensibus; 3. devotionem erga B. Mariam V. excolant; 4. fugiant consortia et sensuum oblectamenta; 5. fortiter resistent respectui humano. Cf. *W. Liese*, Handbuch des Mädchenschutzes<sup>2</sup>, Freiburg 1908.

7) Quando agitur de filia in matrimonio collocanda, prudens et pia mater ipsa cum filia varias quidem familias adire potest, ut filia nota fiat; sed alium quaerat praetextum, ne umquam filiae haec matrimonii intentio innotescat.

## § 2.

### *De obligatione filiorum.*

945 A. Officium pietatis in genere spectatum eiusque laesio:

I. S. Scriptura obligationes filiorum erga parentes nomine *honoris* complectitur; in quo tamen triplex officium ex pietate debitum continetur: *reverentia, amor, oboedientia*. Qui igitur contra haec officia delinquit, peccat contra pietatem filialem, modo specificè diverso, prout reverentiam, amorem, aut oboedientiam laedit.

Accidere potest, ut una actione pietas pluribus modis specificè diversis laedatur. Sume, filium coram parentibus ex animo iis graviter maledicere, habes peccatum saltem duplicis malitiae 1) contra pietatem ratione laesi amoris, 2) contra pietatem ratione reverentiae graviter laesae. Immo tertia malitia, v. g. contra iustitiam, accedere potest.

II. Haec pietatis laesio est *sola* malitia in eiusmodi peccatis contenta, quando sola specialis relatio filii erga parentes causa est, cur actio illa praecipitur sive prohibeatur (respectivè *sub gravi* praecipitur prohibeaturve), aut quando actio talis est, qua erga extraneos commissa sola caritas laedatur: si vero actio aliunde iam habet gravem malitiam, actio peccaminosa erga parentes novam malitiam mortalem superaddit.

III. *Duplex* igitur malitia gravis potissimum tum adesse potest, quando officium filialis pietatis actu positivo contrario laeditur: at non semper, quia actio illa, si contra extraneos exerceretur, non semper mortalem malitiam contineret. Non raro enim, quando amor, vel praecipue quando reverentia laeditur, facilius laesio mortaliter gravis est contra parentes, quae levis fuerit erga extraneos. Quod si obtinet, quoniam *gravis* obligatio ex sola pietatis virtute pendet, dic, unam malitiam gravem contractam esse.

Aliquando fit, ut haec ipsa ratio, quod contra parentes exerceatur, peccatum diminuat: quod obtinet in furto, adeo ut plus requiratur ad constituendum peccatum grave; neque peculiaris malitia contra pietatem contrahitur nisi forte ratione contristationis. praevisae. Nam parentes relate ad suos, qui ius quoddam incohatum in bona habent, de bonorum laesione minus inviti sunt quam relate ad extraneos.

B. Officia pietatis singillatim considerata:

946 I. *Oboedientia*. Officium reverentiae et amoris numquam exstinguitur; oboedientiae autem obligatio per se cessat, quando filii ex paterna potestate dimittuntur, nisi forte ratione reverentiae etiam postea in gravioribus negotiis consilium parentum audiendum sit.

Oboedientia enim fere educationi respondet: quare refertur et restringitur ad ea, 1) quae ad ordinem domesticum spectant, 2) quae ad bonos mores pertinent. Ad eius laesionem quod attinet, ut graviter



delinquatur contra oboedientiam, debet adesse a) verum praeceptum et b) gravis materia: nisi quis formalem inoboedientiam committat, nimirum contemnens auctoritatem parentum, negando se velle oboedire. Quare saepe inoboedientia filiorum a gravi peccato excusatur tum propter inconsiderationem, tum propter veri praecepti defectum, tum propter materiae parvitatem.

Si autem filii natu maiores superbe et aspere nolunt oboedire,<sup>947</sup> possunt graviter delinquere tum ratione irreverentiae, tum ratione *formalis inoboedientiae*.

Nota autem: 1. Materiae gravitas alia mensura determinari debet quam in lege a publica (ecclesiastica) auctoritate lata, nisi forte ipsam illam legem parentes vero praecepto iubeant impleri. Spectandus enim est finis potestatis, quam parentes habent, qui est tum bonum ipsius filii, tum bonum familiae. Hinc gravis materia ea est, a) cuius neglectus notabiliter perturbat ordinem domesticum, aut b) quae notabile incommodum infert parentibus, vel comodo notabili eos privat. Hoc enim ut sibi praestetur, parentes iure postulant a filiis sub potestate sua manentibus. Filiorum enim est ad commodum parentum et familiae pro statu suo secundum praecepta parentum conferre vel laborare. Gravis materia etiam c) res, quae ad bonos filii mores necessarios pertinet aut multum confert, e. g.: implere praecepta religionem spectantia; aut aliquoties etiam extra tempus Paschale ad Sacramenta accedere, quando id necessarium aut multum conducens iudicatur, ut filius in officiis suis contineatur; magis etiam, vitare consortia periculosa, etsi forte nondum existat certo occasio proxima peccati pro filiis. At die feriali Missam audire, nemo sane dixerit, id ex se rem gravem esse relate ad oboedientiam parentibus debitam. Similiter gravis materia est, d) notabiliter praeceptum parentum negligere in addiscendis litteris, arte etc. secundum diversam conditionem filiorum.

2. Graviter igitur peccant filii contra oboedientiam, si contra mandatum serium parentum religiosa praecepta *negligunt*, vel etiam quae ab Ecclesia non praecipuntur, sed ipsis vix non necessaria sunt, *notabiliter* omitunt; consortia prava, choreas, theatra etc. frequentant; si in re domestica superbe respondent, vel oboedire recusant, aut notabile incommodum creant; si contra parentum mandatum studia artesve addiscendas notabiliter negligunt. — Hinc, seclusa formali inoboedientia, communiter vere dicunt *Sporer*, In decal. tract. 3, c. 5, n. 16 et *Elbel* III, n. 555 (cf. *S. Alph.* III 335), tunc filium graviter peccare, quando *frequentius* praeceptum transgreditur, non, si aliquoties ex negligentia.

3. Filii parentibus oboedire non tenentur in electione status, sive matri-<sup>948</sup> monii, sive status perfectionis: nisi forte propter gravem indigentiam eorum filius, cuius opera necessaria sit, statum electionem ad tempus differre debeat. Verum in matrimonio ineundo communiter sub gravi consilium parentum capere debent. Quod *si iniustum est*, sequi utique non tenentur (*S. Alph.* III, n. 335). At *sine iusta causa* matrimonium certum a parentibus volitum repudiare, posset aliquando grave peccatum esse, quando per hoc odia extinguenda, parentum necessitates sublevandae esse praevidentur. *S. Alph.* ib.

In status perfectioris electione consilium prius a parentibus petere saepe non expedit, cum caro et sanguis non capiant, quae sunt spiritus: post rem

deliberatam et firmiter propositam per accidens saepe expedit, rem cum parentibus communicare, at non ad mutandum consilium; immo si circumstantiae id permittunt, etiam contra parentum voluntatem non raro propositum executioni dandum est, secundum verba Christi Domini: «Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, . . . adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus» (Lc 14, 26; Mt 10, 37).

949 II. **Reverentia.** Reverentiae officium prohibet 1) internum contemptum, 2) signa externa, quae contemptum redoleant, 3) praecipit suo tempore etiam positiva signa honoris et subiectionis. Quare:

1. Contra reverentiam graviter peccatur iniusto contemptu gravi, etiam interno.

2. Externe graviter peccat, qui parentes etiam leviter percutit, aut percussionem minatur, manumque contra parentes attollit deliberate.

3. Si contumeliosis verbis eos alloquitur, quibus praevidet graviter parentes offendi. Quare quid hac in re grave peccatum sit, multum pendet a conditione et consuetudine personarum. — Idem dic de alijs gestibus, subsannatione.

4. Si parentibus maledicit, ita ut ipsi audiant, aut ab alijs eos audituros esse praevideatur, etsi non fiat ex animo. Nimirum si fit gravis imprecatio ex animo, semper graviter contra amorem peccatur; si autem maledictio non fit coram parentibus aut ijs, qui id relaturi sunt, neque ex animo, ita ut gravis contemptus non concipiatur, grave peccatum non est, utpote contumeliam proprie non continens. *S. Alph.* III 334.

5. Si parentes cum contemptu nolit agnoscere. Quare si filius ex gravi causa dissimularet eos cognoscere, non peccaret; immo si etiam ex causa non ita iusta solum externe id faceret, sine interno contemptu, idque parentes sciant, facile a *gravi peccato* excusatur: siquidem parentes *graviter* invitati non censentur, vel, si pro filio iusta causa subest, rationabiliter invitati esse non possunt. *S. Alph. ib. 6°.*

6. Si filius superbe, aspere parentes alloqui consuevit, torvis oculis aspicit, eos superbe non salutatur, paucis, si agendi ratio pro signo interni contemptus gravis haberi debet.

950 III. **Amor filialis.** Amor exigit tum 1) internum affectum, 2) tum externa auxilia, quibus parentes indigeant, 3) specialiter prohibet parentum laesionem.

Quare: 1. Graviter peccatur interno odio, seria imprecatione gravis mali; grave malum inferendo, etiam contra pietatem graviter peccari, vide supra. — Dein filius graviter in parentes peccat:

2. Si voluntatem ultimam iustam non implet, aut eos iniuste impedit ab ultima voluntate declaranda; si nihil curat, ut suffragia vel Sacra offerantur pro parentibus defunctis.

3. Si parentibus in gravi necessitate spirituali aut corporali non subvenit, quando potest: e. g. si non curat, ut ijs moribundis administrantur sacramenta.

4. Si citra contumeliam (secus enim etiam contra reverentiam peccatur) deliberate aliquid facit, quo scit parentes graviter contristatum iri: cf. *S. Alph.* III 334, 3°.

Scholion. Peccata contra alios cognatos lineae rectae, immo etiam proximos lineae collateralis saltem primi gradus, etiam contra pietatis virtutem censentur offendere; contra remotiores cognatos peccata non censentur specie differre a communis caritatis laesione.

Caritas autem fratribus et sororibus ex pietate debita postulat, ut graviter indigentibus, quando fieri possit, auxilium feratur: quae obligatio pro *gravi* habetur. *Gury* I, n. 377; *S. Alph.* III 340 946.

Appendix peccatorum praecipuorum contra *quartum* decalogi 951 praeceptum inter parentes et filios.

1. Iniuria gravi afficere parentes aut filios est plerumque *peccatum duplicis malitiae*, ut:

- a) iniuriosa percussio,
- b) contumelia, gravis contemptus, parentum abnegatio,
- c) gravis infamatio.

2. *Specificè distinctae* malitiae est gravis tristitia, quae parentibus causetur: verum vix non semper habes ibi etiam gravem iniuriam, ut si fit agendi modo parentibus valde amaro vel superbo.

3. Idem observa in aliis peccatis odii et laesae caritatis, quando filii parentibus sive parentes filiis

- a) grave malum ex animo cupiunt;
- b) aut etiam inferre desiderant;
- c) in necessitate non succurrunt;
- d) a voluntate ultima conficienda impediunt (aut eam declaratam non implent);
- e) pro defunctis christianam curam graviter omittunt: — quo tamen *una pietas* laeditur, ut in c) et generatim in a).

4. Pietas filialis laeditur inoboedientia:

- a) si in re vere gravi strictum praeceptum impositum erat;
- b) si formalis inoboedientia committitur;
- c) vel si per frequentem praeceptorum laesionem implicite rebellis contra parentes animus ostenditur.

5. Parentes contra filios speciali malitia peccant:

- a) positivo scandalo;
- b) negligenti cura vitae et convenientis prosperitatis temporalis;
- c) negligenti cura vitae spiritualis eiusque tutelae, inducendo aut non auferendo periculum, quod contra bonos mores aut fidem ex pravo consortio, pravis magistris etc. oriatur, aut
- d) negligentia gravi in correctione defectuum et peccatorum;
- e) inaequalitate seu *partialitate*, ut vocant, qua filios alios aliis ita praeferre ostendunt, ut alios negligent vel ab amore et cura paterna quodammodo excludant.

*Caput III.***De mutua obligatione in societate publica.**

Circa ecclesiasticam auctoritatem quae dicenda sunt, alibi de diversis statibus tractaturi dicemus. Hic solum breviter noto aliqua.

*Articulus I.***De relatione inter principes et subditos.**

## § 1.

*De obligatione principum seu eorum, qui gerunt summam auctoritatem politicam sive civilem.*

952 I. Eorum officium est imprimis: 1. iustitiam administrare sine acceptatione personarum; 2. publicis muneribus dignos et aptos viros praeficere; 3. publicae securitati prospicere; 4. bonum publicum temporale promovere, salva tamen singulorum libertate; 5. Ecclesiam revereri eiusque consilia ad bonum publicum divinamque gloriam adiuvari.

II. Praecipua peccata mortalia, quae facilius occurrere possunt, ab *Antonio a Spiritu S.* tract. 7, n. 139 ita recensentur:

1. Immodica regnandi cupido — etsi in se non sit mortale — facillime ad peccatum grave ducit, ut ad invasionem, iniustam detentionem alieni principatus. 2. Bellum iniustum suscipere. 3. Necessitatibus communibus atque pauperibus non prospicere. 4. Tributa iniusta exigere; aliisve oneribus, exercitu non necessario populos gravare. 5. Leges iniquas condere. 6. Viros ineptos officii publicis praeficere. 7. Pravas consuetudines sine necessitate permittere, ut ludos pravo, theatra bonis moribus contraria etc. 8. Libertatem cultus seu religiosae confessionis indiscriminatim et sine necessitate inducere; aut e contrario veram religionem vexare.

Quamquam haec omnia, sive positiva sive negativa officia, nostra aetate non tam a principe quam a «gubernio» immediate observanda sunt; principis tamen erit prospicere, ut aptis tantum et bonis consiliariis, quibus gubernandi onus immediate incumbit, semper utatur, et ut pravis sive consiliis sive legibus fortiter resistat.

De cetero confer egregium opusculum Card. *Bellarmini* «De officio principis christiani, ad sereniss. principem Wladislaum, Sigismundi III Poloniae et Sueciae regis filium».

## § 2.

*De obligatione subditorum.*

953 Obligatio subditorum duobus concluditur, subiectione et reverentia.

I. Ad subiectionem debitam pertinet 1. oboedientia erga leges non iniustas: quae si violantur, iustitia legalis laeditur, ad quam pertinent inter alia solutio tributorum et patriae defensio. Ceterum vide ea, quae



de legibus dicta sunt, et quae postea circa iustitiam dicentur de tributis et de militia. Cf. Rom 13, 2: «Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt etc.»

2. Fidelitas, ne contra legitimam auctoritatem audeant rebellionem vel revolutionem suscitare: id enim ab omni lege naturali et christiana prohibetur, etsi ille, qui summa potestate potitur, ea per tyrannidem abutatur. Verum aliud est rebellionem facere, aliud iniquis legibus earumque executioni resistere. Quodsi enim vis aperte iniusta infertur, non iam auctoritati, sed iniustae violentiae resistitur: at num et quanta vi vim repellere liceat aperte iniustam, si nomine seu sub specie publicae auctoritatis infertur, pendet ab eo, utrum successus sperari possit, annon, vel num fortasse maiora mala publica merito timenda sint.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 69, a. 4 in corp. — De cetero vide thesin 63 ex *Syll. Pii IX*, *Const. Greg. XVI* 15 Aug. 1832 «Mirari», *Leonis XIII* 29 Iunii 1881 «Diuturnum».

II. Ad reverentiam spectat, ut principibus aliisve officialibus pro<sup>954</sup> munere et conditione ipsorum honor praestetur. Contra quam graviter peccari potest tum interno contemptu, tum externo contumeliae signo.

1. Circa internum contemptum nota:

1) Contemptus formalis principis, ut superior sive legislator est, seu auctoritatis legitimae contemptus in ipso — grave peccatum est.

2) Contemptus ipsius, qua persona *talis* est, his et illis qualitatibus instructus, est peccatum mortale, aut veniale, aut nullum, prout *iniuria* committitur aut gravis, aut levis, aut nulla. Nam ille contemptus refertur ad iudicium forte iniuriosum et temerarium in eoque nititur. Peccati ratio et gravitas pendet a) a gravitate maculae, qua superiorem affectum esse apud me iudico, b) a gravitate indiciorum, quibus ad sic iudicandum moveor.

NB. Si vero tale iudicium aliis manifestatur, perpendendum est praeterea gravitas detractionis et alterius damni forte orituri.

2. Reverentia externa graviter laeditur:

1) Si contemptus graviter peccaminosus coram aliis manifestatur.

2) Contumelia ipsi personae superioris illata, aut eius imagini et signo publice exposito.

3) Contumelia in superiorem absentem congesta, sive publice sive ita ut facile publica fieri possit, aut ita prolata ut in aliis subditis notabilem iusti honoris diminutionem gignat.

4) Denegatione iniusta externi honoris signi, quando publice princeps honorandus est, si pro gravi contemptu ex circumstantiis habetur.

5) Transgressione legis ob formalem contemptum. Cf. *Lacr.* l. 5, n. 243; *Castrop.* tract. 2, disp. 2, p. 9, § 2, n. 3.

### § 3.

#### *De obligatione populi ad gubernandum concurrenti.*

Nostris temporibus, cum fere ubique populo ex regnorum con-<sup>955</sup> stitutione pars regiminis et boni publici procurandi committatur, illi

etiam incumbit, maxime deputatorum electione, ad finem ipsi praestitutum conferre. Quare

I. Obligantur populi in bonorum deputandorum electionem incumbere, si fundata ratione sperant, fore ut tali modo iniquae leges bonum commune vexantes impediuntur, aboleantur, leges bonae atque utiles promoveantur: nisi forte haec ipsa electio sumi possit pro usurpatis regiminis agnitione. Quare *pro circumstantiis* aut non licet ad electionem concurrere, aut non expedit, aut licet et expedit, aut etiam oportet.

II. Immo gravis obligatio concurrendi ad eligendos bonos candidatos adest pro iis, qui iuste timere debent, ne abstinentes ab electione causa sint, cur sufficiens numerus bonorum deputatorum desit, atque ita pravae leges in grave damnum publicum cum effectu ferantur vel sustineantur. Cf. *Del Vecchio* I, n. 332; *Scavini* I, n. 676.

Qui autem id iure non timent, generatim peccant quidem abstinendo, si modo interest demonstrari, quae sit bonorum virorum (catholicorum) publica opinio, at communiter peccato non mortali: immo si gravior quaedam ratio privati damni adest, abstinendo peccatum generatim non committunt.

956 III. Aliquem pro deputato eligere absolute, qui prava principia sectatur, numquam licet: verum hypothetice licere potest; nimirum si possibilitas eligendi est solum inter duos, quorum neuter iusta et sana principia fovet, licebit eum, qui minus malus est, eligere, saltem si 1) aut verbis aut factis declaratur, quo sensu et quo fine haec electio instituitur, et si insuper 2) illa electio seu cooperatio ad electionem necessaria videtur, ut peior candidatus excludatur. — Similiter licebit suffragium (maxime si est secretum) dare homini *indigno*, si moralis coactio seu gravissimi mali metus electori infertur, dummodo ex tali suffragio bonum publicum detrimentum ne patiat; nam eo quoque casu ad malos actus, quos electus perpetraturus est, cooperatio non habetur nisi materialis. Cf. *Bucceroni*, Comment. in IV praec. n. 196.

Unde: 1) Si sine catholicorum concursu aliquis malus, at minus malus, certe victor evasurus est, generatim non est ratio, cur in eius electione concurrant.

2) Si sine catholicorum concursu in prima electione neuter candidatus victor esse potest, in illa prima electione generatim debent catholici, *nisi gravior ratio obstet*, suffragia sua viro catholico et bono dare, ut hoc modo declarent suam propriam intentionem, atque manifestam reddant rationem, cur et sub qua in posteriore electione ad alterutrum ex acatholicis candidatis accedant. — Ratio gravior, quae obstet, ea esse potest, quod prima ipsa suffragatione in favorem viri non undequaque boni electio peioris *certius excludatur*; aut quod hoc modo pro electione viri catholici in alio loco efficaciorum aliorum auxilium conquiratur.

957 IV. Deputati ipsi gravissimum munus habent IV 1) numquam consentiendi legi pravae propositae; aut si forte quaedam minus recta accipienda esse putaverint, ut peiora excludantur, sane hanc suam intentionem declarare atque iis, quae minus recta sunt, non nisi cum protestatione consentire debent; immo hanc ipsam utcumque consentiendi rationem intelligo de iis rebus, quae non sunt *absolute intrinsecus* mala. — Quare etsi deputatus electoribus suis, qui pravis principiis ipsi imbuti sint, quidquam illicitum promiserit, his promissis debet non stare.

2) Sua praesentia et suffragio impedire debent, ne qua prava lex proposita evadat lex: quodsi absentia culpabili in causa sunt, cur eiusmodi lex acceptata sit, iam rei sunt iustitiae commutativae violatae, saltem quatenus bonum commune suae civitatis laeditur; immo si eo fine ex parte populi et ea promissione ex sua parte electi sunt, ut etiam pro bono religionis dimicarent, violatae iustitiae commutativae rei sunt etiam, in quantum religionis bonum damno suorum electorum laesum fuerit.

3) Tenentur pro viribus positive promovere bonum commune, praesertim eo sensu, quo electoribus suis consentientes fidem dederunt; nam quodammodo pactum bilaterale initum est, quo deputatus acceperit honorem, et promiserit vicissim operam suam ad promovendum bonum commune, vel certam eius partem.

Confer hac de re etiam *Del Vecchio* l. c. — De positiva deputatorum cooperatione ad malum vide, quae infra dicentur *de iure et iustitia* sect. 3, c. 4.

Scholion. Sunt qui putant, officium et obligationem esse hominum<sup>958</sup> christianorum atque catholicorum, ut strenue intendant vires ad congerendas divitias, quo idonei evadant ad munia publica et honorifica gerenda, atque ita promovere fines bonos efficacius valeant contra molimina impiorum, qui alioquin munia publica graviora et altiora omnia sibi vindicaturi sint. Hac ratione, eaque sola, fieri posse opinantur, ut post longum tempus demum viri boni et catholici praevalere et principatum rerum publicarum gerendarum sibi comparare possint.

Quas prorsus censeo esse fallacias. Nam 1. Christus Dominus tam aperte spiritum paupertatis commendavit, suorumque animos ab amore divitiarum tam fortiter avellere studuit, ut certe noluerit suos divitias omni ope *quaerere*, sed quaestu rerum necessariarum voluerit eos esse contentos, de cetero strenue quidem laborantes in omnibus implendis status sui officiis, at rerum abundantiam, si forte illa expediat, a divina providentia expectantes (cf. Mt 5, 3; 6, 19 31 sqq). Neque victoriam causae suae suaeque Ecclesiae divitiis quaerendis annexuit, sed humilitati, patientiae, rerum terrenarum despicientiae (Lc 12, 32 sqq).

2. Ad effectum post longum tempus producendum non convenit mediis uti adeo suspectis; multo minus haec potest esse obligatio. Sufficit praesentibus mediis malis praesentibus mederi; pro futuro rerum statu tam longe dissito confidere debemus, Deum subministratum esse media tum temporis idonea. Ut enim divitiae quaesitae futuro tempore medium aptum sint, necessarium est, ut quam plures generationes in quaerendis divitiis bonam et supernaturalem intentionem constanter retineant, ipsas divitias parvi pendentes easque ad altiores referentes fines: aliter enim studium divitiarum aperte damnabile existeret. Verum spectata humana natura vix sperare licet, fore ut cum possessione divitiarum tanta series hominum earum contemptum coniungat. De singulis enim Spiritus Sanctus testatur «Quis est hic, et laudabimus eum?» Eccli 31, 9. Longe facilius accidit, ut in quaerendis divitiis moderamen deficiat, immo leges iusti negligantur, ut cum divitiarum possessione et augmento augeatur earum cupido atque aestimatio, et ut cupido divitiarum coniciat «in laqueum diaboli». Neque adeo rarum est,

ut qui, cum mediocritate bonorum contenti esse debuerint, boni fuerint atque fervidi catholici, iidem cum divites evaserint, a pristino fervore, immo a fide desciscant.

950 3. Futuris igitur temporibus futuraeque rei catholicae victoriae aliter et securius providetur, si vires, quantum fieri possit, intendantur directe in conversionem errantium, ut populus christianus seu catholicus augeatur. Si enim quam maxima populi pars fidem catholicam receperit atque moribus expresserit: officia publica non possunt non ad catholicos devenire vel ad normam christianae legis administrari.

Si vero numerus bonorum non ita augeatur, sed hi ut pusillus grex cogantur in medio iniquorum vivere, numquam fiet, ut boni iniquos divitiis superent atque honorifica munia publica sibi arripiant, «quia filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt» atque per fas et nefas in cumulandorum bonorum terrenorum studium incumbunt — quod sane vere christiani propter conscientiam non possunt.

4. Nihilominus, si Deo dante alicui divitiae affluent vel etiam labore atque industria augeantur, certe bene ille facit earum usu altiores fines promovendo seque ad eos promovendos aptiorem reddendo. Verum, si divitiae non affluent, immo si totus populus catholicus hac in re acatholicis fuerit inferior: de victoria causae catholicae deque regno Christi propagando non est propterea desperandum. Nam Christus Dominus, sicut sibi paupertatem et humilitatem elegit, ita etiam per media humilia et abiecta Ecclesiae suae triumphum praeparabit.

## Articulus II.

### De publicis iustitiae administris et eorum civiumque mutua obligatione.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 67—71; *S. Alph.* IV, n. 192—292; *Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 29—32; *Lugo*, Item disp. 37—30; *Pruner* n. 311—sq; *Waffelaert*, De iust. II, n. 427—442.

#### § I.

#### De iudice.

960 I. Habitualis dispositio, qua iudex debet esse instructus, est

1. *scientia* competens, qua comprehenditur et prudentia in singularibus rebus necessaria et iuris vigentis notitia;
2. *iurisdictio*, qua per legitimam institutionem potitur; neque suae iurisdictiones limites excedere iudici licet.

Unde sequitur: 1. Qui sine sufficienti scientia iudicis officium suscipit atque gerit sciens, ad restitutionem damnorum tenetur, quae aliquo modo praevisa ex sua inscitia causavit.

2. Absolutio in incapax esset iudex inscius, nisi vellet officium suum dimittere; aut, si brevi posset, serio studio scientiam debitam acquirere atque interim a gerendis causis abstinere (si modo etiam tum iis, qui causas iudiciales agi volunt, possit per alterum satisfaceri).

3. Iurisdictionis defectus quaenam peccata secum trahat, maxime considerari debet in iis, qui *supremam* potestatem usurpatione tenent: quamquam etiam in minoribus officiis simile quid accidere *potest*.

Nimirum qui ut intrusus seu usurpator munere fungitur, peccat etiam ferendo sententiam iustam. Scil. a) in iis casibus, quando iurisdictione non



suppletur, etiam contra iustitiam commutativam peccare potest, partes litigantes periculo exponens, ne propter sententiae nullitatem damnum subeant; b) quando iurisdictio suppletur, peccat saltem *usurpatione*, idque in re notabili graviter: nisi forte seriam voluntatem conceperit, cum primum fieri possit, deponendi officium; tum enim interea, ne res publica damnum capiat, ius dicere potest et debet.

4. Ex usurpata iurisdictione iudices saeculares per se graviter peccant, si causas illas, quae ecclesiasticum forum respiciunt, ad se vocant easve tractant; ideoque etiam si immunitatem et exemptionem clericorum laedunt. Attamen si res ex natura sua spiritualis non est, non solum propter derogata privilegia aliquando, sed etiam ob ignorantiam saepe peccatum non committitur.

II. **Actuale iudicis exercitium.** Iudicium instruere causamque finire <sup>961</sup> iudex debet secundum leges, si modo non sint iniustae seu illicitae, idque sine studio partium et sine prava intentione. Ad leges quidem servandas immediate et per se tenetur ex *iustitia legali*; ad id autem, ne laedendo leges aut male fungendo officio aliis damno sit, ex *iustitia commutativa* tenetur.

**Explicatio.** 1. Iudex supremus seu legislator, qui ipse legi formaliter non subiaceat, non tam stricte ad normam legis adstringitur; verum ratione damni, quod, illa neglecta, alicui fortasse oritur, aut ratione scandali prorsus teneri potest.

2. Finis seu intentio prava, quae in ferenda sententia iudicis mentem occupaverit, peccatum quidem constituit; restituendi autem onus non infert, si modo re ipsa iustitia laesa non fuerit.

3. Quando vero re ipsa iudex male fungitur officio suo, damnis reparandis obnoxius fit non solum ut causa positiva, sed *etiam ut causa negativa*, qua alii impediti fuerint, quominus consequantur aut retineant, quae sua erant. Quae obligatio existere potest tum erga communitatem, tum erga privatos homines. Attamen ut gravis damni reparatio urgeat, semper antecedere debuit grave peccatum iudicis aut in ipso errore committendo, aut in errore, quem postea sine difficultate relative magna corrigere potuit, non corrigendo.

4. Qui falsa sententia causa fuit, ne *fisco* mulcta addiceretur — puta absolvendo reum, qui secundum leges condemnari debuit — ex probabili sententia non semper tenetur ad mulctam illam fisco restituendam. Ita saltem, contra *Suarez* cum aliis, statuunt *Less.*, De iust. etc. l. 2, c. 13, n. 73 et *Lugo*, De iust. et iure disp. 37, n. 97, quorum sententiam *Salmantic.*, *Sporer*, *S. Alph.* IV, n. 196 probabilem esse putant. Nituntur nimirum ea ratione, quod leges intendant per se ut puniatur reus, ut autem ditescat fiscus, solummodo per accidens. — Si quando igitur restitutio imponenda est, id summum tum fieri debet, quando ob speciales causas intentio legis princeps feratur in hoc, ut fiscus ditescat seu tributum iusti mensuram compleat; at etiam tum vix fisco restitutio fieri debet, sed aliis, eo quod spectatis hodiernis conditionibus fiscus re ipsa damnum non ferat. Cf. infra tract. 4, sect. 3, c. 3, § 1.

5. Iudex vi muneris solum iudicis partes agere debet, non alterutrius partis patronum. Quare si videt, ab advocatione unius partis aliquid omitti, quo adducto, vinceret: distinctione opus est. Nimirum si, quod omittitur, res iuris est, iudex utique corrigere vel monere debet. Si res facti est 1) eaque aut notoria aut in actis iuridicis relata sit, vi muneris, i. e. ex iustitia, corrigere debet (nam res notorietate manifesta quasi per testes est

adducta, et quidquid iam in actis iuridicis continetur, ad res iuris quodammodo pertinet); 2) si de gravi damno publico, aut periculo animae, aut de causae piae damnificatione agitur, ex caritate monere debet; 3) alias obligatio vix est, neque semper expedit, eo quod ipse se suspectum redderet de studio partium. Cf. *Reuter* III, n. 465.

962 6. Leges, secundum quas iudici iudicandum est, supponi debent iustae, dum eas iniustas esse non constat. Si vero constat, iniquas eas et iniustas esse, ut leges libertatem Ecclesiae violantes, certum est, iudicem ferendo sententiam eas exsequi non posse. Nam notorie innocentem reum declarare et poena afficere, per se loquendo, intrinsecus malum est. Neque iuvat dicere, aliquando licere innocentem condemnare (vide n. 964), aut iudicem ferentem sententiam enuntiare tantum, quid leges statuunt, neque peccatum esse id declarare quod lex iniqua contineat. Nam ad *primum* responderi debet, licere aliquando innocentem punire, qui secundum leges in se iustas iuridice de crimine convictus sit, non autem eum, quem innocentem esse plane pateat et quem solae leges iniquae reum statuunt. Ad *alterum* respondeo: istam rationem prorsus evertere rectam notionem actus iudicialis; nam ad poenam condemnare non est solum declarare, quid lex statuerit, sed est aliquem certae poenae obnoxium facere, cum lex solum mandet, ut obnoxius fiat; ideoque habes iniqui mandati executionem. Immo etsi tantum ageretur de sententia non condemnatoria, sed declaratoria tantum, haberes etiam tum declarationem authenticam, quae ius sive verum sive fictitium statuatur atque inducat. — Aliter sane, si ageretur de *doctrinali* tantum legis, etiam iniquae, declaratione: quae intrinsecus mala non est. — Concedunt tamen complures auctores: quando agatur de lege invalida quidem, sed quae non iniungat intrinsecus mala neque in odium Ecclesiae sustineatur, posse transgresso levioere poenam, v. g. pecuniariam non nimis gravem, imponi ex causa valde gravi, puta, ne iudex officio cedere cogatur, neve viris catholicis aditus ad publica officia occludatur. Nihilominus etiam tum requiritur, ut ratio scandali absit et ut appareat, iudicem hanc multam non ut poenam, sed ut suae vexationis redemptionem imponere. *Bucceroni*, Theol. mor. II<sup>5</sup> 19; *Génicot-Salsm.* II<sup>7</sup> 5; *Gury-Fereres* II<sup>6</sup>, n. 4, Q. 7.

963 7. Utcumque autem sententia iudicis *iniusta* est: haec per se non obligat neque ullius roboris est in foro conscientiae, sive sententia lata *non est formaliter iusta*, eo quod ordo iuris violatus sit, sive *obiective iniusta* est propter facti falsam suppositionem vel probationem, idque, sive iudex sciens iniustam sententiam tulit sive inscius.

Haec nimirum valent, si sententia certo est iniusta; nam in dubio prorsus standum est iudicio lato, quia alias lites numquam finirentur, aut appellationi interponendae locus est.

Immo etiamsi sententia certo iniusta est, ea in foro externo plerumque observari debet, ne scandalo publicaeve perturbationi ansa detur. At hae rationes non impediunt eum, qui iniuste laesus est, a quaerenda occulta compensatione secundum ea, quae postea de illa re dicentur<sup>1</sup>. Cf. *S. Alph.*

<sup>1</sup> Accidere etiam potest, ut sententia secundum ea, quae nunc exstant, iusta sit, ex iis autem factis, quae postea deteguntur, obiective iniusta deprehendantur: quod si obtinuerit, videri debet, utrum ille, cui res per sententiam adiudicata sit, legitimi temporis praescriptionem iam perfecit, necne; si perfecit, privari illa re amplius nequit.

IV, n. 215. Neque haec ab ullo theologo in dubium vocantur, siquidem evidens est, iudicem non posse pro libitu quid voluerit statuere, sed et legum positivarum et naturalis iustitiae normam omnino sequi debere, multo minus eum, quod iniustum est, facere posse iustum.

8. Arbitri, i. e. ii, qui ex consensu litigantium instar iudicum eliguntur vel assumuntur ad litem finiendam, iisdem obligationibus adstringuntur, ut veri nominis iudices. Quare etiam leges vigentes sequi debent, nisi ex consensu litigantium iis commissum sit, ut ex aequo et bono causam componant: summopere autem, maxime tunc, a studio partium cavere debent.

Utrum autem talis arbitratorum electio pro publica causae definitione habeatur necne, aut quibus in causis, ex diversis legibus civilibus sciendum est: secus privata est et amica compositio; quae, nisi de iniustitia constet, in conscientia tamen servari debet.

Quare singillatim de arbitraris agere supersedeo; nam quid eorum officii sit, ex iudicum officiis lector ipse facile intelliget.

III. **Sententia in re criminali.** Axioma generale est, in dubio fa-<sup>964</sup> vendum esse reo, ne quis innocens aut ultra debitum puniatur: nisi forte, quando plene constiterit de criminis facto, modum poenae vel mensuram lex iudicis arbitrio relinquat. Quod si ita est, iudicis est perpendere circumstantias, secundum quas minuat vel non minuat poenam.

Quaestio alia quidem sed cohaerens est circa causam rei, quem crimen perpetrasse iuridice probatum est, sed quem innocentem esse privata scientia iudex novit.

In qua ut dicatur, quid iudici liceat, quid ille facere debeat, si certa a probabilibus discernere volumus, distinctione opus est, utrum scilicet agatur de poena capitis, an de damno in externis bonis pro poena inferendo.

1. Quamquam enim iudex ex lege caritatis saltem omnia tentare debet, ut innocentem eripiat, tamen, si ex una parte ipse gravissimum damnum subire deberet nolendo sententiam ferre, ex altera parte inutile quid tentaret, cum quilibet alius iudex contra reum pronuntiaturus esset, nec prior testem pro reo agere posset: non esset ita intrinsecus malum, in rebus externis, quarum dominium homo habet, damnum alicui inferre, ut iudex cum suo magno damno et cum publico scandalo legum infringendarum id impedire deberet.

Si autem agitur de poena capitis vel simili, adeoque de privando innocente illa re, quae hominum dominio subtracta est: videtur intrinsecus malum esse, eum, quem utcumque scio innocentem, sic punire; ita ut iudex potius se munere abdicare debeat, quam id faciat. Ita cum *Lessio* alii multi. Verum *S. Thomas* et alii hanc opinionem non sequuntur.

Ante omnia quidem extra controversiam collocant, debere iudicem omnia tentare ad reum liberandum, testes melius examinare; immo si possit, debere eum ipsum testem agere et rem ad alium iudicem deferre; debere eum, si res ita ferat, reo detento clam fugiendi opportunitatem dare etc.: sed si tandem haec omnia incassa essent, putant, iudicem ut iudicem non ex privata scientia procedere, sed ex scientia iudiciali, eumque posse reum iudicialiter convictum condemnare. Quam sententiam, cum habeat tantum patronum, nolo reprobare, at neque ante factum commendare.

Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 64, a. 6, et q. 67, a. 2; *Lugo* disp. 37, n. 41 sq.; *Less.*, De iust. l. 2, c. 29, n. 78; *Elbel* p. IV, n. 41; *S. Alph.* IV, n. 208.

965 2. Quae modo dicta sunt, hodie tamen, cum in plerisque locis «iurati» de facto iudicent, locum habere amplius non possunt. Iurati enim, cum rationem sui suffragii reddere non teneantur, et solum, ut leges imperant, secundum convictionem suam intimam respondere debeant, in tali casu reum condemnare nullo modo possunt.

3. Si autem e contrario iudex privata scientia aliquem certo reum esse scit, quem reum esse iuridice non probatur, iniuste cum onere restitutionis agit, quando eum condemnat. Quod idem valet de iuratis. Nam etsi illi de intima sua convictione interrogantur, id tamen leges *contra* reum non intelligunt neque aliter intelligere *possunt* nisi de convictione, quam hauriant ex iis, quae in iudicio probata sunt. Quare iuratus, qui privata scientia hominem scit innocentem, numquam habere potest intimam convictionem criminis patrati; qui vero privata scientia tantum scit eum crimen patrasse, intimam convictionem *ex allatis in iudicio* non habet: ergo in utroque casu reum liberare *ex iustitia* debet.

966 IV. Sententia in re civili. Iudex in re civili *dubium iuris*, quantum fieri potest, studio vincere, vel quae ipsi magis probantur, sequi generatim debet; in *dubio facti* videre debet, cui incumbat onus probationis, quae, si vere dubia manet, est nulla.

Quare in re civili 1) si ex contententibus unus est in certa possessione, alteri, qui contra priorem agit, incumbit, ut *probet certo* iura sua potiora; quare probatio probabilis, aut probabilior non sufficit.

Cum autem auctores complures putent, maiore probabilitate ipsam possessionem vinci: si res in solo foro conscientiae peragitur, haec opinio, quamquam simpliciter in praxim deducenda non est, tamen id moderaminis potest inducere, ut probatio *multo probabilior*, quae a morali quadam certitudine non destinguitur, pro sufficienti haberi possit.

2) Quando vero neuter est in pacifica possessione: si iuris probabilitas certe maior est pro una quam pro altera parte, seu si alterutra iuris interpretatio verior est iudici, secundum eam sententiam ferre *debet*; nam habemus thesim 2<sup>am</sup> ab *Innoc. XI* proscriptam: «Probabiliter existimo, iudicem iudicare posse iuxta opinionem etiam minus probabilem.» At quamquam iudex secundum suam persuasionem, adhibito studio, sibi dicere debet, quid sit probabilius, tamen si scit, diversas esse iurisperitorum opiniones, auctoritati etiam aliquid dare potest, maxime si videt tribunal appellationis contraria opinione dirigi. Quo facilius etiam accidere potest, ut opinioni contrariae aequam probabilitatem adscribat.

Similiter praefendus est ille, qui in aequali iuris probabilitate meliorem facti probationem praebet.

967 3) Si iuris probabilitas aequalis est; vel si dici nequit, quaenam iuris interpretatio verior sit: rectius quidem agit iudex, si in hoc incumbat, ut studendo maiorem lucem accipiat; quod si nequit, *suadeat amicam compositionem vel divisionem*, utpote naturali aequitati magis consentaneam (— id tamen per sententiam fieri, nemo iurisperitorum



admiserit). Ceterum *iniustitiae* reus dici nequit, si in tali casu, quam maluerit, sequatur sententiam, immo modo unam, modo alteram opinionem sequatur, nisi excipias causas per leges privilegio donatas. Cf. *Gury-Ball.* II, n. 1 *not. (e)*; *Lugo* disp. 37, n. 115. Rationem autem, cur ex natura rei iniustum esse nequeat, in casu aequiprobabilitatis iuris rem *uni* adiudicare, habes ex ipsa lege canonica, quae in paritate iuris et aequali facti probatione certas causas potioris iuris fecit: at hac lege contra naturalem iustitiam delinqui, impium est dicere.

Quominus autem re ipsa in eodem genere causarum iudex modo sic, modo aliter sententiam ferat, plerumque ratio scandali et propriae famae impedire debet, potius quam iniustitiae timor.

Nota autem: 1. Si quae vero leges positivae praeciperent, ut in pari causa res divideretur, iudex aliter agens contra iustitiam prorsus peccaret; sed talis lex — quod equidem scio — nullibi existit.

2. Lex canonica et lex Romana civilis in causis *matrimonii, dotis, viduarum et pupillorum*, ceterisque *causis piis* statuerunt, ut in iuris paritate hae causae semper vincerent: quod religionem et pietatem veterum legumlatorum commendat. Ubi vero eiusmodi leges evanuerunt, neque de causis illis agitur, quae ad ecclesiasticum forum spectant: convenit quidem nihilominus, hanc normam a iudice observari, iustitiae obligatio autem non est.

3. Si quis iudex autem in iis casibus, in quibus possit pro arbitrio uni alterive parti favere, id pro pecunia faciat, hoc *certo* est *illicitum*; immo mea opinione prorsus *contra iustitiam commutativam*, quoniam iudex nullum onus subit pretio aestimabile, ad quod non iam teneatur. Cf. *S. Alph.* IV 216<sup>1</sup>.

Thes. 62 ab *Alex. VII* damnata est: «Quando litigantes pro se habent opiniones aequae probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.»

V. Studium partium declinandum. Quo minus periculum studii<sup>968</sup> partium oriatur, legibus cavetur, ne iudex munera, nisi forte esculenta parvi momenti, accipere possit: quae leges sane ligant in conscientia.

**Explicatio.** 1. In munerum acceptione distingui oportet inter munera, quae iudex extorquet vel ex pacto accipit, et quae ex liberalitate oblata admittit: siquidem in posterioribus commutativa iustitia non violatur. Insuper quando munera ex pacto vel extorquendo accipiuntur, distingui debet, utrum id fiat pro ferenda sententia iusta atque illa, quam vi officii ferre debet, an pro sententia iniusta.

Igitur 2. Si pro *sententia iniusta* ferenda munera *accepit*, etiam ex pacto: tenetur quidem ante sententiam latam pactum rescindere, i. e. a sententia iniusta abstinere et pretium acceptum reddere; at, sententia lata, potest pretium acceptum pro aestimatione periculosae et probrosae actionis retinere secundum ea, quae de contractibus in re turpi dicentur, — licet in hac causa probabile sit, alterum paciscentium non posse rigorose in conscientia obligari, ut pretium ex conventionem statutum solvat.

Verum iudex iniquus, etiamsi pretium accepit, gravissimum damnum semper secum fert, ut reparanda curare debeat omnia detrimenta, quae

<sup>1</sup> *Lessius*, qui pro contraria opinione citatur l. 2. c. 14, n. 64 in editione saltem, quam consulere potui (Lugduni 1653), nihil habet de *hac* quaestione.

parti adversae intulit, idque pro spe aut certitudine, quam illa habuit victoriae reportandae. — Insuper ratione criminis ipse iudex, ad aliud tribunal vocatus, ad restituendum pretium et ultra condemnari potest.

969 3. Qui pro *sententia iusta* ferenda munera sive expresse sive implicite *postulavit*, etiam post latam sententiam tenetur restituere; quia nihil praestitit praeter id, quod vi officii sui iam facere debuit, et pro quo salario honoratur. — Idem observa, si unam causam prae altera expedivit, quando id eligere licite potuit: nisi forte extraordinarios labores, ad quos non tenebatur, ad citius aliquam causam expediendam impendit. Nam alias unam causam prae altera expediendo ipse nullum onus pretio aestimabile subit ultra debitum. Quando autem *illicite unam causam postponit*, ut alteram prius expediat, tenetur ad restitutionem pro damno illato: quamquam tunc, ut ex contractu turpi, compensationem a parte, cui favorem praestitit, accipere, immo postulare potest.

4. Quando in causa et *sententia iusta* a litigantibus munera *liberaliter oblata* iudex *accepit*, peccavit quidem contra leges id etiam in foro conscientiae prohibentes: attamen antequam ipse iudiciali sententia peccati huius commissi vincatur vel damnetur, non obligatur ad munera illa restituenda, eo quod certum non sit, leges facere donationes ipso facto in foro conscientiae nullas; etsi moneri possit in confessione, ut poenitentiae causa partem aliquam pro eleemosyna expendat. Cf. *S. Alph.* IV 216.

Esculenta autem minoris momenti, quae impune accipi possunt, si modo ex mera liberalitate oblata sint, *Bonifac. VIII* l. I, tit. 3, c. 2, in 6 haec esse statuit: «esculentum et poculentum ex mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus.»<sup>1</sup> Consonant iura civilia, quae munera *alicuius momenti* ut corruptionem iudicis considerant, eamque et in corruptente et in iudice graviter puniunt.

## § 2.

### *De actore, vel de accusatione et denuntiatione.*

970 I. In causa civili, qui contra alterum apud iudicem instat, *actor* dicitur; in causa criminali *accusator*. Accusator proprio sensu tum dicitur, quando se crimen probaturum promittit atque a reo poenas sumendas postulat.

A quo distinguitur *denuntiator*, qui crimen defert quidem ad iudicem, ut illud puniri possit, at probandi onus in se non suscipit, sed iudici causam prosequendam et instruendam relinquit, ipse in instruenda causa testis erit.

Denuntiatio autem late sumpta distinguitur tum *iudicialis*, quae, ut modo dixi, tendit in delictum puniendum, tum *evangelica* vel paterna, quae crimen superiori ut patri manifestat, non ut reus puniatur, sed ut corrigatur.

II. Ab accusatione formali (non ita a denuntiatione) facienda repelluntur iure Romano et canonico: excommunicati, proditores, infames, impuberes, feminae, filii respectu parentum, laici respectu clericorum,

<sup>1</sup> Nihilominus severius *quaelibet* munerum *acoeptatio* prohibetur examineribus eorum, qui concurrunt pro cura animarum, a Trid. sess. 24, c. 18 *de ref.*: quippe quibus ne exiguum quidem quidquam accipere liceat.

inimici in causa inimici, socii criminis; nisi aut criminis enormitas aut propria defensio exceptionem faciat. Recentioribus iuribus autem vix admittitur formalis accusatio nisi ab ipsa persona publica (procuratore causarum publicarum): quare privatorum hominum est tantum denunciare crimina et insistere, ut ad accusationem procedatur.

III. Accusatio vel saltem denuntiatio aliquando fieri debet; aliquando fieri potest, sed non debet; aliquando debet non fieri.

Scilicet *debet non fieri*: 1) si ex accusatione vel denuntiatione maiora mala vel scandala sequuntur; 2) si accusatio proprie dicta fit sine criminis certitudine, aut denuntiatio sine sufficientibus indiciis: (certitudo plena in denuntiatione non requiritur, verum incerta et dubia non licet pro certis dicere).

*Potest fieri* alias tum in causa privata propria, tum in aliena, multo magis in publica: si modo recta adsit intentio.

*Debet fieri*: 1) ab officialibus, qui vi muneris sui ad id constituuntur. Debet etiam fieri ab homine privato in sequentibus adiunctis: 2) si agitur de crimine adhuc pendente, aut quod, ne iterum committatur, idque cum gravi damno communi, prudenter timetur; 3) si agitur de crimine etiam praeterito, sed gravissimo tali, quod leges positivae (praesertim ecclesiasticae) denuntiari iubeant; 4) si de gravi damno proprio sive avertendo sive reparando agitur in illa re, cui licite non possim renuntiare; 5) si agitur de gravibus damnis alienis privatis ab homine innocente avertendis sive reparandis, — sive crimen est praeteritum sive adhuc pendens —, si modo possim sine meo gravi incommodo: verum quoniam ipsa iudicialis denuntiatio satis gravia incommoda secum ferre potest, haec denuntiandi obligatio propter alienum damnum privatum praecavendum non tam facile imponi debet. Cf. *S. Alph.* IV 236, 2°.

Nota tamen, etiamsi denuntiatio fieri possit vel etiam debeat, in ea non licere admittere animum vindictae.

IV. Crimina autem, quae publico bono censentur graviter damnosa esse, sunt haec:

*In communitatibus* quaelibet crimina, quae cum aliorum seductione eiusve gravi periculo coniunguntur.

Alias: conatus rebellionis et conspiratio; adulteratio monetarum; homicidium et latrocinium vel grassatio.

*Additur ex lege eccl.*: Haeresis cum illis criminibus, quae hominem reddunt de haeresi suspectum. Suspectum de haeresi secundum ecclesiasticum ius reddunt sequentia crimina notatu digna:

1) Nuptiarum celebratio cum ligaminis impedimento, aut cum impedimento ordinis sacri sive voti religiosi.

2) Samentorum fallax confectio sine ordine sacerdotali suscepto.

3) In blasphemia haereticali obstinacia.

4) Superstitionis exercitium cum abusu Sanctissimae Eucharistiae vel sacrorum oleorum.

5) Culpabilis neglectus denuntiationis haeresis formalis.

6) Sollicitatio ad venerea in ministerio confessionum excipiendarum.

7) Participatio in secta damnata, in qua contra legitimas auctoritates moliantur.

V. Omnia illa crimina tum formalis haeresis, tum illa, quae reum faciunt haeresis suspectum, secundum ecclesiasticas leges per se infra mensem denuncianda sunt, neque tantum quando relapsus timetur. Excusatio tamen admittitur in iis criminibus, quae *solam suspicionem haeresis* efficiunt: a) si denuntians sibi grave damnum timere debet, neque ex crimine isto gravis damni communis periculum oritur; b) cognatorum denuntiatio (usque ad quartum gradum), nisi commune periculum immineat, probabiliter non est praecepta. *Haeresis autem formalis* prorsus accusanda est, etsi de proxime cognatis agatur (S. Alph. IV, n. 249 sq), quod *Sacra Poenitentiarum* etiam de carbonariis similisque sectae asseclis valere dixit in responsis ad *Archiep. Neapolit.* 8 Nov. 1821: vide *Scavini*<sup>10</sup> IV, n. 181 (append. XXV).

973 Nihilominus pro regionibus, ubi impune haeresis grassatur, ac proin puniri haeretici non possunt, illa positiva legum iussio non ita urget — vide *Lacroix* l. 2, n. 215 cum aliis: quod multo magis nostris temporibus verum est tum circa haeresim formalem, tum circa crimina, quae suspicionem haeresis faciunt. Excipiuntur tamen duo crimina, circa quae denuntiationis obligatio ubique sustinenda est, et quamquam aliquando suspenditur, tamen non expirat, scil. 1) sollicitatio in munere confessionum excipiendarum, 2) occultum coryphaeum esse in secta damnata. Fusius hac de re tractabitur occasione *cenurarum*.

Dein 3) magis etiam urget obligatio, quam ipsa lex naturalis iam prorsus imponit, scil. obligatio denunciandi haeticum occulte dogmatizantem, qui simplices homines seducere possit; aut aliquando etiam sacerdotem, qui in aliis criminibus aliorum seductor forte exstiterit: nam illos aut aliquo saltem modo puniendi superioribus ecclesiasticis adest facultas, aut damni periculum amovendi vel mitigandi. Cf. *Lacroix* l. c.; *Scavini* II, n. 909.

De cetero consuli possunt circa denuntiationem iudicalem *Salmant.* tract. 29, c. 2.

Quando leges eccles. imponunt obligationem denunciandi etiam eos, qui *leviter suspecti* sint de haeresi, id intelligitur non de levi peccato nec de peccato, quod dubium tantum sit, sed de peccatis prorsus gravibus; at ex ipsis illis gravibus peccatis aliqua *haeresis* suspicionem dicuntur inferre tantum levem, aliqua gravem.

VI. Crimen haeresis, et ea crimina, quae cum haeresis suspitione cohaerent, denunciari debent, etsi occulta sint, vel ita occulta, ut iuridice probari non possint: dicuntur *crimina excepta*. Si vero de criminibus non exceptis neque cum periculo communis damni coniunctis agitur, iudicialis denuntiatio fieri non debet, si occulta sunt, maxime si ita sunt occulta, ut iuridicae probationis facultas non habeatur. S. Alph. IV, n. 248.

974 Scholion. Generatim in quolibet iure admittitur quaedam *praescriptio* in re criminali similiter ac in re civili (de qua vide infra tract. 4, sect. 1, c. 3, art. 2). Quo fit, ut certo tempore lege definito elapso reus accusari vel puniri amplius non possit. Quae accuratius notare non est huius loci.

Etiam in iure ecclesiastico id obtinet. Quae autem hac in re vigente iure in foro ecclesiastico valent, habentur in decreto S. C. Ep. et Reg. d. 22 Martii 1898 per Leonem XIII approbato (*Anal. eccles.* VI 146):

Tralaticii iuris esse in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem, et quidem nedum quando iudex procedit ad instantiam



privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirat; huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse, *ut solam perimat actionem poenalem*, siquidem per accusatum seu inquisitum, aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit.

Exinde facile estprehendere, integrum tum accusandi tum inquirendi ius manere, usquedum expresse non opponatur praescriptio, et omnino tenere iudicium, si eadem oppositio minime fuerit.

Quodsi in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanat; et hinc, non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis non criminalibus ex patrato delicto provenientibus, manifesti iuris est. Immo licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur *exceptio*, quae perpetuo manet, iuxta iuris effatum: «Temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum», ideoque delictum, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obest, si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet.

Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio *unius anni*, crimen peculatus et delicta carnis spatio *quinque annorum*, cetera vero crimina spatio *viginti annorum* a die commissi delicti continuorum praescribi. Verumtamen si agitur de delictis, quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet nisi a die cessantis delicti; quemadmodum si delictum fuerit *totaliter* occultum, praescriptionem non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet.

Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati, adulterii cum incestu coniuncti nonnisi lapsu viginti annorum praescribatur; criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus, sodomiae, nullo umquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivunt, accusari et inquiri possunt.

### § 3.

#### *De reo.*

Praeter scriptores alleg. vide *Tamb.*, In decal. l. 9, c. 2, § 2.

Tria sunt potissimum, in quibus, quid reo liceat quid non, quaerendum est, scil. 1) in confessione criminis, 2) in probatione patrati criminis eludenda, 3) in declinanda poena iam statuta.

#### Punctum I.

##### *Circa confessionem criminis.*

I. Reus legitime interrogatus generatim veritatem fateri debet; sed non iuridice aut non legitime interrogatus fateri non tenetur: immo si de gravissima poena agitur, tam diu a confessione facienda excusari probabiliter potest, quamdiu se poenam evasurum esse sperat, siquidem ad rem heroicam non censetur obligatus.

II. Quamquam igitur, si fateri non tenetur, non ideo ei mentiri licet: tamen restrictione uti prorsus licet secundum ea, quae supra de

restrictione licita dicta sunt (n. 918 sq), vel etiam crimen negare, siquidem haec criminis negatio ex circumstantiis pro reo est restrictio non pure mentalis, qua dicit, se non commisisse tale crimen, *quod debeat fateri*.

III. Quando talis confessionis declinatio est licita, licet etiam, *si opus est*, iuramento uti: quamquam practice non consuevit reo iuramentum offerri.

**Explicatio:** 1. Ut legitima sit interrogatio, debet 1) iudex esse legitimus, 2) causa ad eius forum spectare — hinc in causa ecclesiastica civili iudici, qui sibi ius arroget, respondere non debeo —, 3) interrogatio debet secundum leges fieri.

Antiquae leges multa praescripserant circa procedendi modum, et quamquam recentiores leges haec omnia non amplius iniungunt, sed maiorem concedunt iudici in inquirendo et interrogando libertatem: nihilominus ius naturale prorsus postulare videtur, ut reo non possit imponi obligatio fatendi, priusquam ea, quae contra ipsum prolata fuerint, sincere a iudice declarentur atque semiplena — quam veteres vocabant — probatio criminis sit perfecta. Quam semiplenam probationem, cum recentiores leges de ea re fere sileant, non ad amussim quidem antiquis formalitatibus adstringamus necesse est, tamen per simile quid seu potius aequivalens, natura duce, perfici debere planum est. Nimirum requiritur saltem aut unus testis immediatus, qui fide *dignus omnino* sit, aut notorietas infamiae de crimine iuridice probata simul cum aliis iudiciis, aut indicia vehementia iuridice probata. At ne haec quidem eam criminis certitudinem efficiunt, ex qua ad poenam gravem decernendam procedi possit, saltem communiter loquendo. Nimirum lex, quae unius testis testimonio causam contra reum communiter finiri statuatur, neque alia gravissima indicia aliunde probata requirat, iusta esse plane non videtur; per exceptionem vero, spectatis tum causae gravitate et periculo, tum testis conditione, sic aliquando causam finiri posse, praecipue a supremo iudice seu ipso legislatore, non repugno. Nam v. g. per exceptionem supremus iudex aliquando, etiam si ipse solus reum in flagranti deprehendit, punire iuste potest; id autem cuilibet, qui testis in iudicio esse possit, concedere iuste non potest.

976 2. Quando reum iudex interrogat ex falsa delicti suppositione, adeoque innocentem, etsi de cetero legitime interroget, etiam res et circumstantias ex se indifferentes reus iure potest negare, v. g. num hac et illa hora domo exierit, ense portaverit etc. Nam haec omnia interrogandi ius re ipsa iudex non habet nisi ad crimen verum detegendum; quare si reus vere insons est criminis accusati, etsi haec indifferentia egerit, tamen ea non egit in ordine ad crimen, quod falso sibi imponitur. Ergo negando restrictione non pure mentali suo iure utitur.

3. Si crimen est eiusmodi, ut ex natura sua denuntiationem etiam cum gravi damno proprio postulet, reus complices prodere debet, etsi non interrogetur; si crimen autem tale non est, atque complices omnino occulti sunt, eos revelare reus non debet, immo hoc ei per se non licet.

#### Punctum II.

##### *Circa probationis contra reum prolatae vim frangendam.*

977 I. Reus potest alicuius testis testimonium infringere revelando eius crimen occultum, si modo talis revelatio veri criminis et necessaria et

efficax sit sui defensio, et aliqua existat proportio inter malum, quod reus declinet, et quod testis, praesertim coactus, sit subiturus. Cf. tamen infra, quae dicentur de *diffamatione*, et de *causis ob quas sit licita*.

Quare neque reo neque advocato id licebit, si 1) aliter reus defendi atque condemnationem effugere potest; 2) si talis revelatio aut vim testimonii dati non infringit, aut sine illius testimonio iam sufficiens criminis probatio habetur vel habebitur.

II. Si unicus adsit testis, qui rem scire possit, ex mente veterum scriptorum liceat reo dicere contra testem, eum mentiri seu calumniari, siquidem, si rem *probare* non possit — nequibat autem unus testis probare — in iure habeatur pro mendace et calumniatore: quoniam autem recentiores leges testi plus concedunt, ab eiusmodi invectivis temperandum est.

Generatim perinde est pro reo, utrum testis sit voluntarius an coactus: nam ille se defendit; hic, si talem defensionem timet, sibi declinando testimonium providere debuit; quod si non potuit, ipsius, non rei infortunium est.

III. Numquam autem licet, ne reo quidem innocenti, neque in gravissima causa supremi supplicii imminenti, falsum accusatorem, falsum testem, iniquum iudicem praeoccupando occidere.

Quod aut formaliter aut consequenter habes ex thesi 18 earum, quas *Alex. VII* proscripsit: «Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.»

Nimirum putare aliquis possit, thesin hanc, ex eo quod universim, sine distinctione causarum earumque gravitatis, illam cruentam defensionem licitam esse statuatur, proscriptionem tulisse, ac proin etiam nunc dici posse in causa gravissima eam defensionem licitam. At nequaquam ita est. Non quia diversarum causarum earumque gravitatis omissa est distinctio, sed ratione ipsius defensionis, quae asseritur, condemnatio facta est. Nam si hoc ipsum defensionis genus liceret umquam, ad omnes illas diversae gravitatis causas id extendendum esset, in quibus alias licet defensio cruenta, i. e. tum in causa vitae, tum in causa bonorum temporalium non parvi momenti: quod sane cum illius thesisi proscriptione consistere nequit. Fatendum ergo est, non propter proportionem causae non servatam, sed quia non est contra actuale aggressorem — contra quem solum licet cruenta defensio — hunc modum evadendorum malorum esse prohibitum. *S. Alph.* IV, n. 279 id illustrat hac ratione, quia, si umquam hoc liceret, propter hallucinationem hominum in propria causa omnia caedibus implerentur, neque publica amplius esset securitas. Quare veteres scriptores, ex quibus multi id ipsum concesserunt, quod *Alex. VII* damnavit, attendi non amplius possunt.

### Punctum III.

#### *Circa poenam declinandam.*

Hucusque dictum est quid liceat, quid non liceat facere reo, ne sententia contra se feratur; nunc explicari debet, quid agere ei liceat, lata iam sententia vel instante poena.

I. Ab innocente, contra quem *certo iniusta* sententia est prolata, poena sustineri debet, in quantum requiritur ab obligatione publicum ordinem non perturbandi et scandala evitandi; declinari potest, in quantum sine scandalo et sine publici ordinis perturbatione vel graviore malo excitando possibile est.

II. Quare si sententia *materialiter tantum iniusta* est, secundum allegata autem et probata videtur iusta, ea sola positiva resistantia uti reo licet, quam sine *gravi* violatione aliorum (ut satellitum) cum spe evadendi facere potest, v. g. repellere satellites, timorem inferre etc. — Si autem sententia *etiam formaliter et notorie iniusta* est, sane scandalum proprie dictum ex defensione vix oritur, nisi scandalum pusillorum aut pharisaicum; at saepe gravior resistantia vel est inutilis vel maiora mala communia causat: quare etiamtum communiter plus non licet.

Per accidens tamen aliquando plus licere potest ex doctrina *S. Thom.* 2, 2, q. 69, a. 4: «Alio modo condemnatur aliquis iniuste, et tale iudicium simile est violentiae latronum. Et ideo . . . licet resistere in tali casu . . ., nisi forte propter scandalum vitandum (abstinendum sit), cum ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur.» De cetero cf. *S. Alph.* IV 280 sq.

Neque necessario attendere debet innocens, qui iniuste ad poenam rapitur, inferiores ministros fortasse adeo caecutire, ut bona fide sententiam aperte iniustam se exsequi posse arbitrentur: siquidem etiam contra eum latronem, qui putet sibi licere latrocinari, me defendere plane possum.

Quod de reo innocente, postquam iniuste condemnatus est, dictum est, suo modo applicari potest ad eum, quem quaerunt capiendum ex causa aperte iniusta, nimirum si non tam causa, quam praetendunt, falso assumitur, sed potius ipsa causae natura talis est, ut per summam iniuriam tantum pro culpa habeatur: exemplum habes, quando ante aliquot saecula in proscriptione catholicorum in Britannia sacerdotes ad poenam quaerebantur. — Ceterum etiam eum, qui timet vexationem et poenam materialiter tantum iniustam, sibi citra iniuriam aliis inferendam cavere posse, non est quod amplius moneam.

979 III. Hucusque igitur resistantiam etiam positivam, servato tamen moderamine et consideratis circumstantiis, licere dixi. Quando autem reus vel iuste capitur, vel iuste, i. e. non certo iniuste, condemnatur, 1) positive seu vim inferendo resistere non potest; 2) poenam non nimis gravem sustinere debet; 3) poenam nimis gravem fuga, si possibilis est, potest declinare.

Scriptores quaerunt maxime circa fugam, quid reo liceat; atque communiter sic respondent:

1. Fugere licet e carcere: 1) antequam sententia condemnatoria lata sit; 2) etiam post sententiam, si carcer non pro poena, sed pro custodia usque ad sententiae executionem constitutus est; 3) immo etsi carcer pro poena constitutus est, quando carcer durissimus est seu necessaria non praebentur. Cf. *S. Alph.* IV 280. Cui certo accenseri debet, quando spiritualis cura animae non praebetur.

2. Quando propter mala valde gravia, quae timentur, fugam capere licet, licet etiam carcerem infringere, neque propterea damna reparanda esse,



S. *Alph.* IV 282 cum permultis aliis tenet; etiam licet arte custodem decipere vel non advertentem ebrium reddere seu consopire, non autem corrumpere aliudve suadere, quo custos ad *formale* peccatum invitetur aut pertrahatur. S. *Alph.* ib.

3. Damnum, quod custodi oriturum est, *si est praeponderans*, ex caritate caveri debet, idque etiam fuga ommissa; alioqui potest negligi. S. *Alph.* ib. n. 281.

4. Custodi quidem carceris aliisve iustitiae ministris reum iuste damnatum vel detentum iuvare non licet, ut elabatur; aliis vero, nisi agatur de reo bono publico aliisve innocentibus periculoso, licet in fuga reum adiuvari, saltem in foro conscientiae. Quod communiter quidem restringunt ad suppeditanda instrumenta et media fugae capiendae, eximunt ipsius effractionis immediatam cooperationem: cf. *Busenb.* et S. *Alph.* n. 283; *Tambur.* autem l. 9, c. 2, § 12 ne hanc quidem eximit, eo quod pro altero mihi maxime coniuncto vinculo sanguinis vel amicitiae id videar facere posse, quod possim pro memetipso.

Scholion. Si agitur de poenis ecclesiasticis et de causis in foro ecclesiastico, cum aut poenae ita graves non soleant imponi, aut rei interrogatio non fieri, nisi legitima forma et semiplena probatione peracta, vix locus esse potest iis artibus, quarum usus alias reo conceditur.

#### § 4.

##### *De teste in iudicio.*

De teste eiusque obligatione duo potissimum occurrunt, quae dilucidanda sunt, videlicet 1) quae sit obligatio, qua teneatur qua testis iudicialis comparere; 2) quae sit obligatio in ipso testimonio dando.

Ad quae ut respondeam, dico:

I. Ad testimonium iudiciale dandum obligatio non est pro homine privato nisi ex caritate, aut ex oboedientia erga legem vel praeceptum: S. *Alph.* IV, n. 270. Quae si existit, potest obligare pro circumstantiis aut ut aliquis sponte se ut testem offerat, aut ut post evocationem factam compareat.

Qui vero, cum obligatus sit, fugiendo aut dissimulando testimonium declinat, peccat quidem, sed non contra iustitiam commutativam, neque ad restitutionem damni exorti tenetur, nisi fuerit in (publico) munere constitutus, vi cuius debeat denunciare et denuntiationem sustinere. Cf. S. *Alph.* ib.

**Explicatio.** 1. De obligatione caritatis ad dicendum testimonium valent fere ea, quae de denuntiatione dicta sunt; verum si testimonium dandum est *pro innocente*, multo facilius adest obligatio.

2. Obligationem lege impositam intelligo de obligatione certa crimina perniciose denunciandi, ergo magis etiam testimonio iudicali confirmandi; praeceptum vero dico citationem seu evocationem per magistratus. Quare, citatione facta, fuga testificationem declinare non amplius licet, nisi accedat causa excusans, quam declaraturus sum mox in sequentibus ad II.

3. Declinat testimonium etiam is, qui comparet quidem, sed se quod scit nescire dicit. Hinc habes discrimen inter eum, qui negat, se quidquam scire, et eum, qui falsum deponit. Prior, si homo privatus est, ad damnum,

si quod ex illa negatione oritur, cooperatur negative, posterior positive; quare hic sane ex damnificatione iniusta ad reparationem damni tenetur, ille, utpote qui solummodo non impediverit, si homo privatus est, ad reparationem non tenetur, siquidem ex commutativa iustitia impedire non tenebatur (cf. infra tract. IV). *S. Alph. IV, n. 270, dub. 3.*

981 II. Postquam testis in iudicio comparuit, in dicendo testimonio *positiva* obligatio est, ut dicat verum, et *negativa*, ne dicat falsum.

Positiva illa obligatio deponendi ea, quae vera esse scit, non adest, nisi testis legitime interrogetur; quare si interrogatio est illegitima, etiam sub iuramento, si necesse est, respondere ei licet, adhibita restrictione non pure mentali, se rem nescire. *S. Alph. IV, n. 265.* Negativa illa obligatio, ne dicat falsa, semper existit. Utrum autem, qui falsum testimonium dedit, revocare teneatur necne, diiudicandum est ex *culpa* commissa, ex damno illato, et ex damno quod testis revocando substitutus est. *S. Alph. ex Busenb. n. 269.*

**Explicatio.** 1. Complures causae existere possunt, ob quas testis a positiva veritatis manifestatione excusetur, vel etiam pro circumstantiis eam facere non possit:

1) Si iudex non est legitimus, aut in hac causa non est legitimus.

2) Si testis scit, reum factum quidem, de quo interrogatio fit, commisisse, at eum non peccasse: immo tum ne affirmare quidem factum vel circumstantias ad notitiam facti conducentes licebit, sed cum restrictione responderi debet, haec ignorari, vel etiam reum non ita egisse; nam verum est, haec vel illa facta in ordine ad crimen patrata non esse. Quod tamen intellige, si causa criminalis instituitur; nam si in causa civili de culpa mere iuridica agitur, testis prorsus veritatem dicere debet, si factum culpam iuridicam continens commissum est, licet theologica culpa certo a fuerit.

3) Si testi magnum damnum ex testimonio dando oriturum est: at si de damno communi praecavendo agitur, hoc privatum damnum postponi debet. Hinc valet id, quod iam de denuntiatione dictum est, contra cognatos non esse facile testimonium dicendum. *S. Alph. IV, n. 268.*

4) Si testis per iniuriam in notitiam rei venit: immo tunc communiter non licet testimonium contra aliquem dicere; licet enim tum tantum, quando abstrahendo a notitia iniuste acquisita circumstantiae tales sunt, ut nunc, adhibita etiam vi, eam notitiam iuste comparare possim. *Lugo, De iust. et iur. disp. 14, n. 100 sqq.*

5) Si notitiam accepit ab homine fide non digno, ne ut auditam quidem rem declarare debet; alioqui «*ut auditam*» eam debet referre. Si vero interrogatur, num sciat, viderit etc., solum ea declarare debet, quae immediate percepit; alia pro criminis natura aut silentio premere aut ad testificationem eorum reducere, qui testes immediati esse possunt.

6) Si testis notitiam habet sub secreto commisso: quamquam pro diverso gradu secreti commisso aliquando excipitur casus gravis damni communis. Cf. *S. Alph. l. c.* et quae infra *de secreto* dicturi sumus.

7) Si notitia habetur sub sigillo confessionis, plane *numquam* revelatio fieri potest, etsi de totius reipublicae salute agatur.

8) Si crimen seu auctor criminis omnino occultus est, testificatio communiter fieri nequit, nisi in criminibus exceptis denuntiatio praecipitur, non quod etiamtum statim ad poenam procedatur, sed maior fieri possit in-

quisitio vel rei observatio. Ita secundum antiquas leges prorsus ab omnibus dicebatur, ne frustra fieret rei infamatio. Quare tum demum obligatio testificandi statuebatur, quando a) iudex sese offerret ad unum alterumve testem plus producendum, aut b) testi explicata esset causae conditio, nimirum diffamatio iam probata vel indicia vehementia contra reum. — Quae quo moderamine hodie observanda sint, colliges ex eo, quod supra n. 975 de reo eiusque criminis probatione dictum est. Sed attende, reo plus licere in tegenda veritate quam testi; atque etiam esse crimina quaedam *excepta*, publice pernicioso, in quibus *singularis* testis ad denuntiationem ac proin ad testificationem plane teneatur.

De cetero circa testes consule *Less.*, De iust. l. 2, c. 30; *Reuter* III, n. 475 sqq.

2. Qui sciens falsum dixit, per se tenetur saltem cum pari damno suo <sup>982</sup> damnum alterius innocentis impedire, idque etiam, si necessarium et efficax est, per retractationem testimonii prolati<sup>1</sup>; immo ut hic falsus testis a retractatione vel reparatione excusetur, ipsius damnum inde oriundum innocentis damnum *longe* superare debet.

Qui vero inculpabiliter erravit, aut testimonio suo efficaciter non movit ad damnum iniustum inferendum (e. g. eo quod aliorum testimonio iam dato res iam fuit efficaciter finita), ad tantum damnum subeundum non tenetur. Vide *S. Alph.* ex *Busenb.* IV, n. 269.

Quae melius patebunt ex iis, quae tract. IV et V tractanda sunt.

## § 5.

### *De avvocato.*

I. Advocatus tenetur sufficientem iuris notitiam habere, et diligens <sup>983</sup> studium et laborem in prosequenda causa impendere.

II. In causa criminali reum etiam certo noxium defendendum suscipere potest, si modo absteat a mendaciis mediisve iniustis, cum liceat saltem ad misericordiam iudicem inflectere. Causam vero civilem certe iniustam suscipere aut prosequi nequit; potest tamen suscipere causam dubiam, si modo 1) clienti suo veram causae conditionem aperiat, 2) ab omni fraude absteat, 3) quando in progressu eius iniustitiam detegat, cliente monito, ab ea prosequenda desistat.

III. Erga clientem suum fidelitatem servare debet, et in salario iustitiam. Quare si cliens inceptam causam, exurgente gravi ratione, deserit, totum pretium, de quo conventum est, exigere nequit; secus, si sine ratione sufficienti causam deserit, neque per advocatum stet, quominus litem prosequatur.

Detecta autem causae iniustitia, eaque derelicta, etsi cliens velit eam prosequi, adversam partem communiter non debet adiuvere. Attamen si

<sup>1</sup> Quare plane nequeo consentire *Schwane*, qui «Die Gerechtigkeit etc.» § 30, 5 dicit, testem, qui periurio causa fuerit, cur alter innocens diffamatus atque ad gravem carcerem condemnatus sit, non teneri ad crimen suum fatendum, si hac confessione ipse praeter diffamationem illam carceris poenam incurrat. Id enim (vide *S. Alph.* l. c.) est contra theologorum doctrinam indubitam. Immo damnum alieno etiam maius a periurio subiri debet.

aliter grave damnum innocentis non potest averti, maxime si cliens novam iniustitiam addit neque ab ea post monitum velit desistere: quantum necessarium est, aliquid ex secreto commisso violare non est pro gravitate rei illicitum; obligatio tamen multo rarius adest. Cf. *S. Alph.* III 970 sq.

984 Quare *iniustitiae cum onere restitutionis* reus est:

1. Si taxam iniustam exegit.

2. Si inscitia aut negligentia causa est, cur cliens in causa iusta non vincat.

3. Si causam iniustam defendit atque victricem fecit (tenetur erga partem laesam).

4. Si probabilitatem causae vel iniustitiam clienti suo non fideliter aperit: quo fiat, ut ille cum maiore damno causam prosequatur, in qua tandem vincitur; aut ut a causa iusta in iudicio agenda deterreatur, quam revera cum spe iustae victoriae prosequi poterat: (quod si factum est neque amplius integrum est causam denuo prosequi, secundum spem victoriae restituere debet).

Utrum et quando in casu restitutionis advocatus habeat recursum ad alteram partem litigantium necne, discite ex iis, quae postea de restitutione et *ordine inter debitores* dicentur.

Alia autem peccata, quae advocatus praeterea facile incurrat, antequam iniustitiam committat (eaque, si res, ut plerumque obtinet, maioris momenti sit, gravia), ex supra dictis I—III satis colliguntur.

## § 6.

### *De publicis scribis et notariis.*

985 I. Omnes illi viri in officio publico constituti secreti commissi tenaces esse debent.

II. Cavere debent, ne in exigendo salario iustam normam sive lege sive consuetudine probatam excedant, neve fraudibus eam augeant (v. g. paginas scripturae nimis multiplicando).

III. Cum notariorum sit, documenta coram lege authentica conficere, bene periti debent esse in legibus, quae hanc rem concernunt; aliter iniustitiae rei evadere possunt, existentes causa damni alieni: immo quae alias dici possit negligentia levis, in hisce negotiis facile *gravis* evadat.

IV. Monere debent partes, quae ad ipsos confugiunt, de clausulis, quae in contractu appositae vel apponendae sunt, ne contractus legali vi destituantur.

V. Cavere debent, ne cooperentur in contractibus vel documentis fraudulentis.

VI. Conficere vel adhibere documentum falsum in iudicio exhibendum, meo iudicio a peccato gravi non potest excusari, siquidem id pronuntiare umquam licitum, vergit in *grave* praeiudicium publici ordinis et publicae fidei et securitatis. Ita, etsi non omnes consentiunt, puto tenendum esse, idque infero etiam ex doctrina *S. Alph.* IV 277, ubi in tractanda quidem re alia hanc profert S. Doctor universalem sententiam: «mendacia gravia in iudicio dicere est contra bonum commune, cum sit pervertere omnem iustitiae ordinem»; unde concludit ad peccatum grave.



## § 7.

*De apparitore, custode publico aliisque inferioribus ministris.*

I. Apparitor vocatur ab *apparendo* ille, qui ad cives iussa iudicis<sup>986</sup> defert, ad tribunal vocat, atque etiam ad solvenda debita sive etiam multas, interposito iudicis mandato, captione bonorum dividendi causa cogit.

II. Fidelis esse debet in omnibus mandatis iusto tempore deferendis, ne forte incuria hac in re commissa aut actor in iudicio, aut reus ex dilatione sive acceleratione causae damnum patiantur.

III. Sicut cavere debet, ne connivendo debitoribus, qui culpabiles moras solvendi trahant, creditori noceat: ita etiam a duriore agendi ratione erga miseros homines angustiis pressos debet abstinere atque plane omnes favores iis concedere, quos lex ipsa illis servat.

IV. Iniustitiae reus est non solum, si in iis, quae modo enarravi, delinquit, sed etiam si forte asperitate vel minis munera sibi donanda extorquet, ne durius agat. — Si autem aut illicite et cum onere reparandi damna suum officium prodat, aut (quod licite aliquando agit) onera et labores indebitos in favorem sive rei sive actoris assumat: citra iniustitiam mercedem accipere potest. Munera sponte oblata, si minoris momenti sunt, etiam facilius potest admittere: quamquam in ea re caveri omnino debet, ne munera videantur sponte oblata, re ipsa autem sint indirecte extorta. Applica fere ea, quae supra in simili re de iudice dicta sunt.

V. Apparitor utrum a singulis integram mercedem seu taxam recipere possit necne, quando uno itinere ad plures mandata etc. fert, ex lege vel iusta consuetudine diiudicandum est. Si enim solum laborem consideres, qui compensandus sit, integram mercedem a singulis recipere iniustum videatur; verum sic rem concipi non est necesse; si attendas ad salarium, quod publici muneris ministro, qui ad quaelibet negotia paratus esse debeat, dari conveniat, nihil iniusti reperias.

VI. Quae de apparitore dixi, facile transferuntur suo modo ad publicos ministros, qui simile officium exercent.

De *custode publico* pauca subnectam, qui agros, silvas etc. custo-<sup>987</sup> dire debet.

VII. Vigilantia sua custos curare debet, ne ab aliis hominibus damna inferantur, damnificatores etiam ad iudicem deferre atque testem contra eos agere debet, secus iniustitiam committit contra publicum bonum et possessores privatos.

VIII. Haec autem cura et damnificatorum delatio vel accusatio facienda est secundum rationabilem voluntatem sive privati domini qui laeditur, sive ipsius rei publicae cuius communi bono intendere custos debeat. Quare si custos a solo domino privato constitutus est, eiusque benigniorem voluntatem perspectam habet, paulo indulgentius cum iis, quos deprehenderit, agere licet; immo contra pauperes, qui

solummodo in duriores leges deliquerint id committendo, quod alioqui naturale ius vel saltem aequitas concedit, plane debet non summo iure agere; idem dic in simili causa levissimi damni inculpabiliter illati, praecipue si damni reparatio offertur; alios autem, maxime quos damnum gravius illaturos praevideat, plane debet compescere.

Neque peccabit contra iuramentum suum, aliquando ex iusta causa a summo rigore deflectens: iuramentum enim promissorium servandae fidelitatis rationabilem patitur interpretationem. De quo homines simplices, si tenerioris conscientiae sint, in confessione instrui, non erit abs re; si vero laxioris sint conscientiae, ex ipso iuramento emisso stimulus illis adici debet.

NB. Peccata, quae in singulis officiis publicis occurrere possunt, habes in singulis §§ enumerata; quare supersedeo hic eorum catalogum conficere.

#### Caput IV.

### De obligatione inferiores inter et superiores in subiectione accidentali.

988 Subiectio erga publicam auctoritatem et erga parentes ex ipsa hominis natura oritur et necessaria est. Possunt autem aliae relationes subiectionis et superioritatis induci aut libera electione aut substitutione eorum, qui naturaliter praesunt.

Potissimum hic considerata veniunt status famulatus, et status discipulorum ad magistros: cui fere similis est relatio pupilli ad tutorem.

I. Circa obligationes herorum notandum est:

1. Tenentur ex iustitia ad ea, de quibus ex contractu convenerunt cum famulis, idque secundum interpretationem aequam consuetudine confirmatam.

2. Tenentur ad specialem curam subditorum suorum, 1) ut nimirum invigilent, ne famuli bonos mores vel religionis officia laedant; 2) ut caveant, ne ipsi suis famulis seu subditis sint scandalo.

Quamquam scandali peccatum tum solum speciem mutare videtur, quando dominus spiritualem curam famuli famulaeque — ut loco parentum, qui filiam tutelae domini commiserunt, — assumpsit: tamen in omnibus peccatis etiam ex solo *neglecto* officio commissis relationem domini ad famulam in confessione aperiri convenit, saepe necessarium est, quia aliter vix intelligitur, utrum obligatio laesa gravis fuerit necne. Id maxime de vigilantia et correctione intellige, ad quam, cum extranei raro sub gravi teneantur, tenentur frequenter superiores.

989 II. Circa obligationem famulorum haec nota:

1. Tenentur ad fidelitatem, maxime etiam ad secretum servandum in iis, ex quorum revelatione mala oriri possunt; idque ex iustitia.

2. Tenentur ad obsequium et oboedientiam secundum contractum — ex iustitia.

3. Tenentur ad reverentiam; quare insolentia et superbia si graviter excedunt, graviter peccant contra *observantiae* virtutem — idque facilius, quam si contra aequales insolenter agerent.

Hinc est, quod in gravi contemptu, contumelia etc. statum *famulatus* in confessione declarare debent; alioquin nec gravis malitia satis exprimitur, neque infima malitiae species recte declaratur.

III. Relatio magistrum inter et discipulum magistro imponit<sup>990</sup> obligationem:

1. sanae doctrinae communicandae — ex quasi-justitia;

2. si simul etiam educationis curam in se sumpsit, ex eadem quasi-justitia obligatur ad promovendos bonos mores et corrigendos defectus sui discipuli;

3. si hanc specialem curam assumptam contrariis peccatis contra caritatem violat (odio, scandalo etc.), circumstantiam suae conditionis declarare debet in confessione, quia peccatum specie diversum et gravius commisit, quod loco caritatis communis quasi-pietatem laesit.

4. Ex his, quae dicta sunt, tutoris obligatio et peccata contra pupillos facile eruuntur.

IV. Discipuli erga magistrum obligatio, si eius curae et<sup>991</sup> educationi traditus est, infert:

1. oboedientiam in rebus, in quibus subiectus est;

2. reverentiam et amorem, ita ut facilius graviter peccetur, et peccato specie diverso, *observantiae* laesione, quam si contra extraneos res acta esset, ut detractio, irrisio etc.;

3. si autem post dissolutam relationem intimiorem sola ratio gratitudinis debita peccatum contra magistrum etc. commissum auget, — quod idem est de quolibet benefactore —, nisi *formalis* ingratitude (vide supra *de virtutibus*) intervenit, raro omnino huius relationis circumstantia in confessione declaranda est, quia peccatum specie non distinguitur ab eodem peccato contra alios homines commissum, neque ingratitude novam mortalem speciem superaddit, nisi *valde magnus* fuerit excessus in peccato.

4. Circa oboedientiam certo non minus requiritur ad constituendam materiam gravem quam in inoboedientia erga parentes.

Insuper notandum est, qui propriis superioribus auxiliares sunt, non habere per se veram praeciendi potestatem: quare longe facilius inoboedientia contra eos a peccato *gravi* excusat. Hinc *Castropal.* ex *Bonac.* notat, alumnos et convictores omnino saepe excusari a *mortali* peccato, si ex contemptu quodam non oboediant *suis praefectis*, eo quod hi non habeant veram auctoritatem praeciendi, ac proin in iis non contemnatur auctoritas, sed persona: at ut personae contemptus *gravis* sit, multo plus requiritur (vide supra n. 915): *Castrop.* tract. 2, disp. 2, p. 9, § 2, n. 6 in fine; *Bonacina* disp. 2 *de peccatis* q. 3, p. 5, n. 11.

## TRACTATUS II.

## DE OFFICIIS ATQUE PECCATIS CIRCA BONUM HOMINIS INDIVIDUALE, VITAM ET PERSONAM.

Quae officia quinto decalogi praecepto continentur:

«*Non occides.*» Ex 20, 13.

992 Hac prohibitionem quaelibet iniusta laesio in membris et vita tum propria tum aliena comprehenditur. — Universam huius legis materiam brevi conspectu hisce complecti possumus, singula singillatim explicaturi.

I. Nulli homini in vitam et membra, sive propria sive alterius, dispositio dominii competit, neque umquam eorum destructionem velle potest, quo ut medio quamlibet utilitatem sibi procuret.

II. Sola ratio vitam humanam laedendi est iustitia vindicativa ex parte auctoritatis publicae, et iusta defensio etiam ex parte hominis privati; integritatem autem corporis per membri abscissionem insuper eo fine perdere licet, ut vita ipsa salvetur.

III. Occisio seu mutilatio propria et aliena indirecte tantum voluntaria culpabilis est aut inculpabilis, prout causa proportionate gravis deest aut existit.

Rationem omnium eorum, quae hic dicta sunt, vide supra (n. 729 sqq), ubi actum est de caritate, quam homo ipse sibi debet. Ibi etiam de autochiria et de indirecta propriae vitae destructione satis actum est, quoniam in omnibus iis non tam virtus moralis humana violatur, sed potius caritas quam homo sibi, et ius quod Deo debet.

Restat ergo, ut hic agamus de violatione alienae vitae et personae, seu de principali obiecto, circa quod iustitia servanda est, scilicet 1) de cruenta defensione, 2) de cruenta punitione, 3) de innocentis occisione, 4) de bello, 5) de duello.

*Caput I.*

De cruenta defensione.

993 I. Ius defensionis. Contra iniustum vitae aggressorem uti licet necessaria defensione atque vim vi repellere, etsi fiat cum iniusti aggressoris occisione.

1. *Licere* ad vitam defendendam vim vi repellere ex c. «si vero» 3 de sent. excomm. (Decretal. l. 5, tit. 39) «omnes leges et omnia iura permittunt», i. e. non solum positivae leges, sed ipsum ius naturae, quod leges positivae auferre nequeunt. — Nisi enim, cum moderamine inculpatae tutelae, id etiam privatim liceat, de securitate publica actum est: et sane quando iura innocentis hominis et noxii configunt, posterioris ius cedere debet, maxime cum quovis momento se fatali necessitati subducere ille possit.

2. Discrepant autem scriptores, si explicandum est, utrum liceat directe velle necem aggressoris, an oporteat sistere in indirecta illius necis volitione. *Lugo*, De iust. disp. 10, n. 148 sqq aliique non dubitant asserere, licere prorsus directe velle necem aggressoris, si alia via evadendi satis tuta non sit nisi eius occisio; alii cum *S. Thoma* 2, 2, q. 64, a. 7 volunt potius, totam



voluntatem ferri tantum posse in conservationem propriae vitae et hinc in repellendas vires aggressivas, mortem alterius non intendi, sed solummodo permitti posse; idem ac de morte dic de gravi seu periculosa laesione. — Quamquam practice ei, qui contra iniustum aggressorem se defendat, scrupulus facile non est faciendus circa intentionem, si modo non odio vel vindicta adversarii mortem seu vulnerationem ut eius malum appetat: tamen *posteriorem explanationem* amplector, eamque puto congruere tum ipsi rei veritati tum etiam intentioni, qua communiter in cruenta defensione timorati homines ducuntur. Sufficit enim, ut homo possit se defendere, obstacula, quae *suae* vitae obiciuntur, removendo ac sese reddendo inaccessiblelem et quasi a se emittendo virtutem destructivam contra quaelibet, si quae sibi damnum illatura sint: quare, quando homo aggressor, si accedat, perimitur, culpa accedentis est, non eius qui se defendit; neque ab hoc illius occisio intenditur, sed permittitur. Non enim magis vult *directe* necem seu laesionem aggressoris, quam dux militaris necem innocentium vult, quorum conferta multitudo v. g. viam angustam obstructam teneat neque spatium dare possit, si etiam explosis tormentis bellicis spatium sibi et exercitui facit, quando hoc necessarium plane sit, ut hostem devincat atque rempublicam salvet. — Verum si sufficit, ut defensor indirecte velit necem aggressoris, non est ratio cur asseratur, plus licere, et cur umquam vitam alterius quasi medium ad propriam salutem ordinari liceat: nisi forte plus licere dicas *ex concessione publicae auctoritatis*, quae directe occidendi malefactoris potestatem facere sane potest.

3. Quoniam solum sub ratione defensionis atque indirecte licet alterius<sup>994</sup> vitam laedere, ille alter actu debet esse aggressor, i. e. debet moraliter loquendo in eo esse ut me invadat; attamen si ense stringit, arma parat, bestiam contra me immissurus est, famulum paratum iubet, eum praevenire possum, ne defensio mea irrita sit. Immo si via evadendi nulla est, ipsa adversarii aggressio ne adeo quidem instare debet, et nihilominus dici potest moraliter aggressor; verum in praxi id vix accidit. *S. Alph. III 387.*

4. A defensione cruenta per se non impediatur propterea, quod aggressor formaliter iniustus non sit, ut si ebrius, amens me impetit. — Attamen caritas suadet, aliquando exigit, ut ego potius mortem subeam: nimirum raro quidem exigit, scil. quando certus sum, aggressorem materialiter tantum iniustum in statu peccati esse atque spes affulget, eum postea salutem aeternam consecuturum. Fac tamen attendas, saepe aggressorem ebrium vel amentem facilius sine *necesse* vitari posse. — Si quis autem sui compos formaliter iniustus aggressor est, ipse sibi aeternae damnationis certum periculum adscribere debet. — In raro aliquo casu prohiberi possum, quominus me defendam, v. g. si aggressor, etsi iniustus, bono communi sit multum necessarius.

II. **Limites et extensio illius iuris.** Ex una parte ius, cum solius<sup>995</sup> sit defensionis, ad veram defensionem limitanda est. Quare homicidii vel laesionis est reus, qui, quando se defendit, *ultra necessitatem* in laedendo vel necando adversario procedit; seu, quod idem est, qui non servat *moderamen inculpatae tutelae*.

Ex altera parte ius defensionis non restringitur ad solam tuendam vitam, sed etiam pro tuendis membris, pudicitia, bonis fortunae magni valoris licet cruenta se defendere.

Quare 1. ex una parte si vulnerando aggressorem impotem facere possum, non licet occidere; at quoniam in hisce circumstantiis non ita omnia perpendi possunt, neque semper satis discerni, utrum vulneratio satis secuta sit necne, non facile culpae gravi imputandum est defensori, si aggressorem letaliter prosternit.

Si fuga me salvare satis tuto possum, debeo fugere, nisi forte ex circumstantiis temporum et personae fuga multum probrosa vel damnosa sit. Quare clerici, religiosi semper fugam capere debent, si possunt; at viro nobili et officiali militi aliquando ad evitandum probrum licebit expectare aggressorem eumque prosternere. *S. Alph.* III 381.

2. Ad defendendam corporis integritatem aut etiam pudicitiam licere cum iisdem limitibus, ut supra, aggressorem iniustum etiam occidere, vix sunt qui negent. Cf. *S. Alph.* n. 380.

Verum gravior res est, si agitur de bonis fortunae. Attamen si magni momenti sunt relate ad dominum — qualis communiter non est res unius alteriusve librae aureae — communis sententia theologorum id concedit, quando 1) fur sit actu rem auferens aut violenter contra dominum detinens et 2) non sit alia via tuta, qua dominus rem suam satis certo recuperet. *S. Alph.* n. 382, 4. — Quare furi fugienti generatim prius *declamari* debet: neque facile permitti potest haec cruenta bonorum defensio contra furem, qui *diurna luce* furatur.

3. Si ad rei temporalis ablationem personalis violentia domino infertur, facilius etiam ratio est cur liceat vim vi repellere; ita ut etiamtum a gravi peccato excusatio exsistat, si res *tanti* momenti non erat, modo et res fuerit notabilis, et aggressio personalis alia ratione repelli nequiverit.

996 4. Ob contumeliam realem (alapam, percussionem) avertendam, si valde probrosa est, neque alia via adest, qua avertatur, nisi cruenta defensio: plures auctores concedunt ea licere uti viro valde honorato; at scite notat *S. Alph.*, in praxi rarissime aliquem uti posse hac opinione. Vide III, n. 381, 2. Minus etiam concedendum est, ut aliquis post acceptam illam contumeliam statim in continuo percussione adversarii cruenta honorem quasi recuperare conetur; si vero post tempus aliquantulum elapsum id fieret, nimis evidens est, hanc esse, utpote solam vindictam, omnino graviter illicitam. Cf. *S. Alph.* 382, 7<sup>1</sup>.

5. Praestat hic notare quasdam theses proscriptas circa limites iustae defensionis.

Ab *Innoc. XI* thes. 30: «Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.»

<sup>1</sup> Si autem agitur non de cruenta alterius laesione, sed de aliqua verberatione, qua iniquo aggressori timor incutiatur: haec etiam post iniuriam ab ipso illatam rationem iustae defensionis habere potest, ne homo procaz audeat iniurias repetere. Sic aggressorem pudicitiae etc. verberibus — non immoderatis — excipere, licere sane potest. Immo posse hominem etiam privatum aliquando alteri licite aliquam poenam medicinale infligere, auctor est *S. Ioan. Chrysostomus*, qui (hom. I ad populum Antioch. n. 12; MG 49, 32) ait: «Si quempiam in bivio et foro Deo blasphemantem audieris, accede, increpa, et si verbera infligere oportet, ne recuses: ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius; percussione manum tuam sanctifica.» Quae tamen quominus re ipsa fiant, multa obstant; adeoque in monitis illis exsequendis opus est sane magna prudentia vel auctoritate.

Thes. 31: «Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.»

Thes. 32: «Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam, ad quae ius inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.»

Thes. 33: «Licitum est tam haeredi quam legatario contra iniuste impediendum, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et ius habenti in cathedram vel praebendam, contra earum possessionem iniuste impediendum.»

Ab *Alex. VII* thes. 18: «Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.»

Ratio cur ista omnia damnentur, est quia aut non habes vero sensu actualem aggressorem, aut non agitur de bono tanti momenti quod cruenta defendi liceat, aut quia cruenta defensio semel concessa maiori malo gravissimisque periculis panderet viam.

III. **Defensio alterius.** Id quod licet alicui agere in sui defensionem,<sup>997</sup> communiter etiam licet facere in defensionem alterius innocentis; verum ad cruentam alterius defensionem raro privatus homo obligatus est.

**Videlicet:** 1. Obligationem defendendi alterum iniuste impetitur habeo, si, qui impetitur, mihi stricto vinculo pietatis, superioritatis, boni communis devinctus, aut si aliis multum est necessarius. Alias, si est omnino extraneus, haec ipsa cruenta defensio et iniusti etiam aggressoris occisio tantum incommodum est, ut id subire non *teneat*: *S. Alph.* n. 390. Tenentur autem custodes publicae securitatis, policistae etc.

2. Non licet alterum cruenta defendere, 1) si ipse iuri suo potius cedere debet secundum I; 2) si utrumque iuri suo *licite* cessit.

3. Eiusmodi alterius defensio alias licita est, sive agitur de eius vita, sive de membris, pudicitia, bonis fortunae.

## Caput II.

### De cruenta punitioe.

Supremam auctoritatem publicam habere potestatem vitae et mortis<sup>998</sup> seu ius gladii, tum ratio probat, tum S. Scriptura confirmat: Rom 13, 4. Supremae enim auctoritatis publicae est tum ratione protegendorum iurium securitatem publicam conservare et protegere, tum ratione laesi ordinis reparandi vindicativam iustitiam exercere; utrumque, ut efficaciter fiat, requirit, ut poena mortis aliquando possit infligi. At ex privata potestate, aut ex propria auctoritate societatis imperfectae id nemini licet, v. g. nec patri, marito, hero.

I. Iudices a suprema auctoritate constituti morte plectere nequeunt nisi post institutum iudicium et criminis evictionem iuridicam: *S. Alph.* III, n. 376.

II. Supremus autem princeps et absolutus, quamquam legum forma non absolute obstringitur, communiter tamen etiam ipse saltem summariam iudicalem inquisitionem, in qua reus se defendere possit, instituere debet, antequam capitis reum condemnet. — In extraordinario

autem casu, si necessitas urget, atque crimen *evidens* est, supremus princeps sine ulla iudiciali forma subditum morte plectere potest: *S. Alph.* III 377.

III. Milites et satellites ad capiendum et deducendum reum missi numquam proprio Marte possunt fugam capessentem occidere: si iis potestas data est, fugientem, si nolit sistere, occidere possunt, quando eius crimen morte dignum plane certum est. Verum si agitur de capiendo reo, cuius crimen probatum nondum est, sed qui ob suspicionem et vehementia indicia trahitur ad iudicium, quo contra eum inquiratur, publica auctoritas facultatem occidendi eum, qui fugiat, regulariter dare nequit. Cf. *Gury* I 394.

<sup>999</sup> IV. Ante sententiae executionem reo tempus sese cum Deo reconciliandi — ideoque ad confessionem, et per se etiam ad S. Communionem — dari debet. Quodsi reus admonitus nolit confiteri, utique procedi potest ad executionem, ipse enim sibi damnationem aeternam adscribere debet; alias enim quilibet iustitiae cursum impenitentia impedire posset contra exigentiam boni publici. *S. Alph.* n. 379.

V. Qui suprema potestate in subditos potitur, potest, quando causa criminis id postulat, reum sic proscribere, ut cuilibet liceat mortis sententiam exsequi: quare si amore iustitiae id dein ab aliquo fit, non peccatur; si odio et ex privatis inimicitis, affectu peccatur. — Quod, etsi ab hodierna consuetudine abhorret, tamen declarat supremum principis ius, e. g. contra grassatores viarum et latrones, contra periculosum usurpatorem aut seditionis caput etc.

At licet is, qui ita proscribitur, ipsa sententia moneatur, ut sibi suaeque cum Deo reconciliationi provideat: nihilominus, si quis eum occisurus ab ipso rogatur, ut tempus reconciliationis cum Deo concedat, neque vult, proscribitur, modo paratus sit alias se tradere et mortem subire, videtur ius defensionis habere. Secus autem prorsus negandum est, eum cruento se defendere posse: id enim tam parum ei licet, ac reo licet, lictorem interficere. Cf. *S. Alph.* n. 380, 1.

VI. Quod de poena mortis dictum est, etiam dici debet de poena mutilationis. Quare solae poenae leviores a patre, magistro etc. infligi possunt propter delicta subditorum.

### Caput III.

#### De caede hominis innocentis.

<sup>1000</sup> I. Directa intentione innocentem occidere semper gravissimum peccatum est: quare obsides, legatos numquam occidi licet, ne titulo quidem repressalium; neque licebit vulneratos aliosve letali dolore oppressos, ne diutius patiantur, interimere, aut utcumque data opera eorum mortem accelerare. *Gury* I, n. 401.

II. Indirecta occisio homicidii reatum continet, si actio propter ipsum homicidium facile oriturum interdicta exercetur. Ita autem interdicta seu illicita est omnis actio periculosa, nisi cautione periculum



removeri possit et removeatur, quando exercetur sine causa tam gravi et iusta, quae praeponderet illi periculo. *S. Alph.* III, n. 398.

Quare homicidii reus est, qui, tegulas a tecto demittens sine praecautione, praetereuntem occidit etc.; medicus, qui gravi negligentia vel inscitia causa est cur aegrotus, cuius curam suscipit, moriatur: de cuius obligatione cf. infra, quando de *restitutione propter homicidium* agetur.

Reus non est, qui venatum ivit, etsi contra legem, et cum omnem cautionem adhibuit, nihilominus casu hominem occidit. — Neque qui persecutorem fugiens in via contere cogitur puerum, nisi velit cum mora adversario facultatem se capiendi et necandi dare. Monent tamen, puerum non baptizatum aliter baptismo fruiturum non licere ita contere, quoniam eius aeterna salus etiam cum propriae vitae dispendio procuranda sit.

III. Indirecta innocentium occisio tum maxime licita est, si intervenit causa boni publici. Quare quae ad bonum publicum necessaria sunt, agere licet, etsi plures innocentes interfectum iri praevideatur: ut tormenta bellica in bello iusto contra urbem dirigere, etsi multi innocentes etiam vitae damnum patiantur.

Sic etiam innocentem, cuius vitam tyrannus postulat alioqui urbis excidium minaturus, cogere licebit ut se tradat, saltem si subditus est, aut si nolit, eum tradere etiam cum certa iniustae necis praevisione: quia ille debet bonum publicum saltem suae civitatis, aliquando etiam alienae, suo bono privato praeferre. Excipe, si agitur de homine bono publico necessario, prae cuius nece praestaret totius urbis excidium ferre. — Confer quae notant *Anton.* a *Spiritu Sancto* tract. 8, disp. I, n. 11—14 et *S. Alph.* III 393 ex *Lugo* et aliis.

Postquam haec de occisione innocentis generatim breviter dicta sunt, fusius tractanda est quaestio de *abortu*, vel potius de foetus tum praematuri tum immaturi artificiali *eiectione* et de eius *in utero occisione*.

#### A. De craniotomia infantis.

Craniotomia vel quaecumque chirurgica operatio, qua foetus in <sup>1001</sup> utero matris occiditur, vel in partes secatur, quo facilius divisus et diminutus ex utero extrahi possit, directa est infantis occisio, per quam tamquam per medium prius effectum matris salutem tentent medici procurare. Sed quia directa est occisio, dici debet illicita. Complures quidem theologi illam actionem licitam habuerunt ex ea ratione, quod foetus considerari possit ut aggressor vitae maternae, quam ipsa sua in utero inexistencia in summum discrimen coniciat. Verum potiore iure mater deberet dici aggressor vitae infantis; neque ille *iniustus* aggressor est, qui naturalem suam sequitur conditionem. Neque ratio, quam medici premunt, admitti potest, quasi, cum agatur de periculo duarum vitarum, officium sit unam saltem salvare, etsi altera debeat pessumdari. Nam certe utraque vel alterutra vita salvanda est, quantum fieri possit, mediis licitis, non autem mediis ex se illicitis, sicut est occisio hominis directa; non enim licet facere mala, ut eveniant bona.

Ceterum pro catholicis quaestio seu controversia est finita.

1002 Responsum habetur ex anno 1884, post quod complura alia decreta plane conformia sunt lata. Decretum S. Officii d. d. 28 Maii 1884 ad Archiep. Lugdunensem Cardinalem est hoc:

«Eminentissime et Reverendissime Domine,

Eminentissimi PP. mecum Inquisitores Generales in Congregatione generali habita *Fer. IV* die 28 labentis Maii, ad examen revocaverunt dubium ab Eminentia tua propositum „An tuto doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scilicet ea omissa mater et filius perituri sint, ea e contra admissa salvanda sit mater, infante pereunte? Ac omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quae hac in re a peritis viris catholicis conscripta ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse duxerunt: *Tuto doceri non posse.*

Quam responsionem cum SS. D. N. in audientia eiusdem Ferae ac diei plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico, tuasque manus humillime deosculor.

Romae, 31 Maii 1884.

R. Card. Monaco.»

Quas litteras ad Archiep. Lugdun. datas explicavit responsum ad Archiep. Camerac. d. 19 Aug. 1889 missum, docens, idem dici debere quoad *«quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis».*

Si quibus vero haec responsa ignota manserint, inter eos existere *posse*, qui bona fide sint circa contrariam opinionem, eo facilius admitto, quia non solum internis rationibus scriptores inter se dimicabant, sed ipsa S. Poenitentiarum hac de re interrogata: «An umquam liceat operatio, quae vocatur craniotomia, vel similis operatio, quae per se directe tendit ad occisionem infantis in utero positi», die 28 Nov. 1872, mature perpensis expositis, responderat: «Consulat probatos auctores sive veteres sive recentes, et prudenter agat.»

Quare in eiusmodi circumstantiis sacerdotis prudentiae est videre, utrum praestet medicum monere an in bona fide relinquere atque rem silentio transmittere, si modo medicus omnino curet, ut foetus, antequam concidatur, ope instrumenti in utero materno baptizetur: — praesertim cum damnum in illis adiunctis re ipsa non solum non sequatur, sed maximum eliciatur bonum, ita ut et vita matri salvetur temporalis, infanti aeterna vita fere moraliter certo conferatur; omissa autem craniotomia, et mater et infans probabiliter temporaliter perituri sint, neque infans aeternam vitam certius sit adepturus. Quamquam haec omnia rem in se licitam non reddunt.

B. *De foetus eiectione sive praematuri sive immaturi.*

1003 Directe abortum procurare, cum primum constet de *directa* procreatione, numquam licet, eo quod verum homicidium perpetretur, ut ex sententia hodie communiore, quae foetum quemlibet animatum anima rationali esse docet, consequitur. — Immo etiam in aliorum sententia, qui post longius tempus a conceptione foetum rationali anima animatum iri putant — id quod cum *S. Thoma* etiam nunc complures tenent —, vix aliter dicendum est, quia homicidium aut completum aut, si quando minus completum, tamen anticipatum committi, nemo infitias ibit.

Verum quousque abortus directa procuratio pateat, vel quae sit directa, quae indirecta, non omnes conveniunt. In hac re exponenda praemittendum est, quid sit abortus. Neque ex ulla sententia multum iuvat discernere inter foetum rationali anima animatum et nondum ita animatum, tum quia tempus illius animationis accurate definiri nequeat, tum quia priore isto tempore abortus quidem sponte non raro oritur, at causa eius inducendi habebitur longe rarius.

Praenotanda. 1. Abortus presse sumptus est *immaturi foetus* ex matris utero *ieiectio*: quae aut data opera patrat, aut ex morbida affectione matris causisve non semper notis sponte oritur.

Distinguitur a *praematura foetus editione*. Nimirum praemature foetus editur, si naturae tempus praevertitur quidem, sed ita, ut foetus, i. e. infans, extra uterum *vivere possit*: quod fieri potest saltem post septem menses vel triginta hebdomadas elapsas<sup>1</sup>; quamquam infans sic editus debilior est et saepe per totam vitam suam manet. Unde patet, praematurum partum, cum foetui non inferat proprie malum positivum, sed tantum in illius minus bonum tendat, posse prorsus aliquando intendi et induci, eumque omnino distinguendum esse a partu immaturo seu abortu.

2. Mater ex uteri gestatione in periculum mortis aliquando induci aut periculum aliunde existens ex ipsa uteri gestatione multum augeri potest, ita ut eiecto foetu periculum aut cesset aut multo minus evadat. Videlicet aliquando ex morbo mater periculose decumbit, a quo facilius curaretur, si gravis non esset; aliquando ipsa uteri gestatio causa morbi est; aliquando mater per foetum, si evolutus erit, in eius partu in periculum grave inducitur, utpote quem propter arctitudinem parere non possit.

**Principia.** I. Foetus, qui vitae extra uterum iam capax est, eiectionem seu partum praematurum inducere, ex gravi causa licet, immo pro circumstantiis id fieri debet: si videlicet iudicio timorati medici constat, matrem tam arctam esse, ut foetum evolutum suo tempore parere non possit, possit vero saltem post 28 hebdomadas gestationis uteri, vel melius etiam, si possit aliquot hebdomadas ulterius exspectare, donec vita infantis etiam praemature edendi extra periculum posita est.

II. Foetus etiam immaturi eiectionem, seu abortum, eiusve periculum *indirecte* tantum causare, non est illicitum, si de gravi seu letali morbo matris curando agitur. Nimirum si morbi conditio remedia quaedam *exigit*, quae directe tendunt in morbidas matris affectiones tollendas, ea adhibere licet, etsi simul secum ferant abortus periculum, si modo, quantum fieri possit, cautio adhibeatur. Id enim sequitur ex principiis de voluntario indirecto.

<sup>1</sup> Docti viri, qui de medica pastoralis scripserunt, ut *Capellmann, v. Olfers*, alii, referunt, terminum consuetum, post quem foetus extra uterum *vivere possit*, esse 28 hebdomadas. Nihilominus id intelligunt de fundata spe, non de tanta certitudine, quae periculum pro foetu moraliter *excludat*. Nam ut hoc fiat, exspectari debet terminus plus quam 30 hebdomadarum: immo *sine causa* plus minusve gravi partus artificialis inducendus non est ante trigesimam quartam hebdomadam. Ita praeter laudatos scriptores *Vierordt, Grundriss der Physiologie des Menschen n. 584, Horwitz, Künstliche Frühgeburt*. — Verum si extraordinaria media fovendi et alendi foetum praesto sint, referunt medici, etiam in partu ante 28 hebdomadas facto prolem posse servari: quod sane periti medici, qui adfuerit, iudicio relinqui debet.

III. Ex consulto abortum inducere in *praesenti* vitae maternae discrimine, quod per solam foetus immaturi eiectionem averti possit, pro directa foetus occisione haberi ac proin intrinsecus malum dici debet, quod ne ex fine quidem salvandae matris possit honestum reddi.

1006 **Explicatio.** 1. In statu matris, quem sumimus, scilicet quando mater, exspectato termino naturali graviditatis, foetum evolutum parere nequit: aut 1) mater doloribus et inani partus conatu peribit — quo facto, etiam magnum periculum est, ne infans iam emortuus sit (cf. *Capellmann-Bergmann*, Pastoral-Medizin<sup>15</sup> p. 37 sq); aut 2) caesarea operatio facienda est, quae testibus medicis pro matre est fere semper valde periculosa, pro infante maiorem vitae spem relinquit; aut 3) craniotomia fiet cum certa infantis vitae temporalis iactura, nec sine probabili matris periculo; aut 4) maturior partus est arte inducendus, atque ita pericula praecavenda sunt. Ex quibus ultimum eligi *debere*, si infans extra uterum vivere secure possit, — generatim post plus quam 28 usque ad 34 hebdomadas uteri gestationis — evidens est; eligi *posse*, etsi prolis vita non extra omne periculum posita sit, modo fundata spes pro eius incolumitate existat, nemo facile negaverit.

2. Quando mater in praesenti vitae discrimine versatur, quod aliter auferri nequit nisi *immaturi* foetus eiectione, adeoque *abortu* arte inducendo, quo fit, ut foetus, quamquam vivus in lucem editus, brevi emori debeat: disceptatum est, utrum sit foetus directa occisio an modus essentialiter diversus, cum mater videatur solummodo non amplius servare infantem, sed eum, laxatis fibris, ex utero elabi sinat, atque ita perire permittat. (De qua re diversas ratiocinationes videre licet apud *Capellmann-Bergmann* l. c. p. 20, v. *Olfers* p. 16 sqq.)

Cessare posse matrem a *conservando* foetu, si sine propriae vitae dispendio eum conservare non amplius possit, cuilibet certum esse debet. At si hoc principium per se clarum in praesenti re applicare volumus, difficultas in eo reperitur, quod in eiectione foetus generatim aliquid amplius committi videatur, nimirum ut prius v. g. punctione membranae liquor amnii, quo foetus circumfunditur, dimittatur, aut alio modo conditio naturalis violenter perturbetur atque post talem violentiam tandem ipse ex utero egredi et vitalem nexum cum materno utero abrumpere cogatur, mox moriturus.

1007 In prioribus editionibus conatus sum afferre rationes, quibus suaderi possit, violentam illam invasionem in foetum eiusque vitale elementum fieri licite posse ad salvandam matrem alias perituram. Et quamquam rem pro dubia proponebam, in re adeo gravi nolens proprio iudicio fidere, tamen momenta quaedam consideranda dedi, ne strictam obligationem, quae gravissimas difficultates tum medicis tum matribus aliquando creare potest pronuntiarem, antequam talis obligatio luce clarior evaderet, vel Ecclesiae iudicium hac de re ferretur.

Momenta autem, quae aliquid ponderis habere posse mihi visum erat, haec erant: Per se nimirum foetus ad illud elementum vitale, in-existentiam in utero dico, ius habet, cum natura hoc pro ipso condiderit. At dixeris, fortasse in illis circumstantiis ius illud alio iure priore, i. e. matris, posse vinci, vel si mavis, posse foetum huic iuri suo renuntiare et, si possit, eum reipsa renuntiare. Nam si fas est hanc existentiam foetus in utero considerare ut bonum foetui *extrinsecus* ad vitam necessarium: foetus huic bono videtur 1) *posse renuntiare* in favorem maternae vitae, fere sicut in naufragio amicus amico tabulam cedere potest, se ipsum undis committens atque mox



periturus; et 2) *revera remittiare*, saltem in illis circumstantiis, *quando periculum sine baptismo decedendi ex abortu inducto non aggravatur sed potius minuitur*, siquidem ius illud existendi in utero tum plane inutile sibi evaserit. Si vero considerari debet illa existentia in utero tamquam elementum *intrinsicus* cum foetu eiusque vita coniunctum: tamen id, quod primo et per se invaditur, non videtur ipse foetus vivus esse, sed aliquid, quod pari iure matris esse dixeris, ac foetus, atque huius ius ut collidens cum iure matris precarium videtur evadere, sicut ius ad communem aerem, si casum fingas, in quo pro me et socio a me recepto aer iam non sufficiat. — Ita haec operatio videbatur essentialiter distare a craniotomia.

3. Verum aliter visum est S. Officio, quod eiusmodi invasionem in vitale <sup>1008</sup> foetus elementum craniotomiae aequiparat atque pro directa occisione habet, proin pro re *intrinsicus* illicita.

Et revera rationes illae mox allatae speciosiores sunt quam veriores. Re ipsa enim primo et per se ipse foetus vivus invaditur eodem modo, quo quis, quem letali vulnere alter confodit, invaditur. Violenter enim dirumpere membranas et fibras, quibus foetus cum utero materno concrevit, revera nihil est nisi letale vulnus foetui infligere. Neque similitudo est cum subtractione communis aeris, si quando is pro duobus non sufficeret, sed potius cum subtractione seu verius cum extractione aeris necessarii iam hausti, ut alterius serviret vitae servandae: — quod certe a quolibet utpote directa occisio pro *intrinsicus* malo habetur.

Tenorem decreti daturus sum ex libellis periodicis, qui inscribuntur «*Analecta ecclesiastica*» III 483. Decretum est hoc.

«Stephanus Maria Alphonsus Sonnois, archiep. Cameracensis, ad pedes Sanctitatis Tuae devotissime provolutus, quae sequuntur humiliter exponit:

Titius medicus, cum ad praegnantem graviter decubentem vocabatur, passim animadvertibat, letalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est, foetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminente morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu foetus eiectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus, ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur; quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc esset.

Iamvero lectis, quae die 19 Augusti 1889 Sancta Sedes ad Camera-censem archiepiscopum rescripsit: ‚tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam foetus, etiam si hoc necessarium foret ad matrem salvandam‘, dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantem graviter aegrotantes salvaret.

Quare, ut conscientiae suae consulat, supplex Titius petit, utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit.»

«Fer. IV die 24 Iulii 1895.

In Congreg. gen. S. R. et Univ. Inquisitionis, proposita supradicta instantia, E. et R. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores gen., praehabito R. D. Consultorum voto, respondendum decreverunt:

Negative, iuxta alia Decreta, diei scil. 28 Maii 1884 et 19 Aug. 1889<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Decreta ista alia habes supra n. 1002.

Sequenti vero feria V die 25 Iulii in audientia R. G. P. Adessori impertita SS. D. N. relatum Sibi Em. Patrum resolutionem adprobavit.

L. † S.

I. Mancini Can. Magnoni, S. R. et U. I. Not. »

1009 4. Haec directe quidem loquuntur de morbo matris, ad quem levandum necessaria visa sit medico exoneratio uteri materni. Verum, ut patet, plane par est ratio, quando propter arctitudinem mater, crescente foetu, inducitur in vitae periculum, ita ut foetus, cum maturus evaserit vel vitae extrauterinae capax, non nisi per sectionem caesaream in lucem edi possit, aliter et ipse sit emoriturus et matrem vita privaturus. In quo casu non licebit ante tempus foetum nullatenus maturum arte medica eicere; sed ad sectio, quam vocant caesaream, facienda est, aut mater cum foetu divinae providentiae naturalique rerum decursu committenda seu relinquenda est. — Sectio quidem illa antea habebatur pro valde periculosa, quae apta erat ad metum et horrorem matri incutiendum. Quapropter si de sola vita temporali et matris et prolis servanda agebatur, ausus non sum gravem obligationem huius operationis subeundae statuere: quam ne nunc quidem, cum incisio illa iam longe minus periculosa habeatur, facile matri apertius declarandam putem, ne cum persuasione gravis peccati committendi ea nihilominus metu et horrore percussa renuat sectioni se subicere. Immo in ipso illo casu, quo per solam illam sectionem foetus baptismo donari eiusque salus aeterna in tuto collocari possit, ac proin, re in se spectata, mater ad sectionem permittendam graviter omnino obligetur, caute agendum est, ne, si forte mater meticulousa nullatenus ad eam induci posse videatur, gravis autem obligationis ne cogitatio quidem ei inciderit, sine omni fructu et bona fide in fidem malam conciat. — Ceterum fortiter suadenda et urgenda est sectio caesarea hodiernis temporibus vix non semper, exceptis iis casibus, in quibus propter circumstantias iniquas et matris propter diuturniorem dilationem adventus medici nimiam debilitatem sectio illa vix non esset matris occisio, atque adeo illicita. Nam si mature medicus advocatur atque mater in nosocomium transportari potest omni supplectili instructum, sectio illa periculum grave omnino non infert sub manu periti medici. Nam experientia teste in casibus normalibus ex 100 matribus vix *una* peribit; atque in ipsis casibus anormalibus, quando mater iam feбри laborat, non ultra quinquies ex 100 fatalis solet esse exitus.

Testibus autem medicis aliquando aliud exstat remedium: videlicet quando foetus nondum plene quidem maturus evasit, ita tamen maturus ut *possit* extra uterum vivere, volumen illius diminui potest, nervo umbilicari dissecto; quo fit, ut, sanguinis copia emissa, brevissimo tempore foetus ita concidat et diminuatur, ut via naturali vivus extrahi possit, et, cito ligato vulnere, viribus quidem debilitatus, valeat tamen vitam producere. Quodsi medicus ita agendi dexterritate pollet, ut, salva vita foetum quomodo debilitet atque matrem conservet, haec exsequi non solum ei licet, sed incumbit obligatio.

1010 5. Alia etiam decreta circa hanc causam lata sunt. Praecipua hic communico, maxime cum spinosam rem de foetibus *ectopicis* eorumque tractatione tangant.

A. Ad *Quaesita*: I. «Eritne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore?»

II. «Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare, aut caesaream suo tempore perficere operationem?»

III. «Estne licita laparatomia, quando agitur de praegnatione extrauterina seu de ectopicis conceptibus?»

Fer. IV die 4 Maii 1898 EE. PP. rescribendum censuerunt:

«Ad I. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris et foetus vitae consulatur.

Ad II. Quoad primam partem, *Negative* iuxta decr. fer. IV 24 Iulii 1895 de abortus illicite. — Ad secundam vero quod spectat: Nihil obstare, quominus mulier de qua agitur caesareae operationi suo tempore subiciatur.

Ad III. Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur.»

In sequenti vero Fer. VI die 6 eiusdem mensis et anni in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de omnibus SS. D. N. Leoni div. prov. PP. XIII relatione, SS. responsiones EE. ac. RR. PP. adprobavit.» (Ita *Analecta* VI 277.)

B. Proponebatur 20 Martii 1900 Quaesitum: «Utrum aliquando liceat e sinu matris extrahere foetus ectopicos adhuc immaturos, nondum exacto sexto mense post conceptionem.»

Ad quod Fer. IV d. 5 Maii 1902 post maturam rei discussionem EE. PP. sequens dederunt responsum:

«Negative iuxta decr. fer. IV 4 Maii 1898, vi cuius foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune providendum est: quoad vero tempus, iuxta idem decretum orator meminerit, nullam partus accelerationem licitam esse, nisi perficiatur tempore ac modis, quibus ex ordinarie contingentibus matris ac foetus vitae consulatur.»

*Cui responso deest approbatio pontificia.* (*Analecta* X 337.)

Ex hoc posteriore responso B. aliqui concluderunt, illum tumorem, qui ex 1011 conceptione extrauterina in variis matris organis aliquando appareat et, nisi resecetur, matrem in summum discrimen atque disruptis organis in certam mortem coniciat, non licere umquam resecare, eo quod cum tumore ipse foetus *immaturus* resecetur; sed debere in tali casu et matrem et foetum naturali modo interire.

Ad quam conclusionem deducendam utique responsum laudatum ansam dare potuit. Verum non puto, decretum illud *hoc sensu intellectum* pro lege obligante sumi debere, maxime cum desit, ut dixi, omnis Apostolicae Sedis approbatio, minus etiam pro lege *universaliter obligante*, sed restringendum esse ad eos casus, in quibus excisio illa *directae abortus procurationi* aequivalet. In casu autem proposito censeo non adesse nisi indirectum abortum vel indirectam foetus extinctionem. Sicuti enim in praegnatione normali uterum morbide affectum, qui matrem in vitae discrimen inducat, excidere licet cum foetu, neque tamen hoc modo foetus directe sed indirecte tantum morti devovetur: sic tumorem matri letalem excidere licebit, etsi foetus ectopicus immaturus in eo contineatur, neque haec sectio est foetus occisiva directe, sed indirecte tantum.

Quando autem de praesenti matris periculo ex tumore isto orituro non agitur, certo sectionem qua foetus extrahatur peragere non licet, antequam foetus extrauterinae vitae capax, immo, si tam diu expectari potest, antequam ad hanc vitam plene maturus sit.

Plane idem censet *Ios. Antonelli* (Medicina pastor. Romae, Pustet, 1905), neque ullo modo sibi iure opponi posse putat responsum S. Officii laudatum. De casu enim allato p. 224 ita scribit:

«Difficultas aliqua hic oriri potest ex eo, quod nonnulli putare queant, mortem foetus esse directam. At perperam. Nam hac operatione directe et per se non afficitur ovum, sed tantum cystis seu tumor, in quo includitur ovum, ac proinde nonnisi negative ipsum patitur; dein periculum mortis matris nullo modo removetur morte foetus, sed tantum et quidem immediate et per se abscissione cystis, etsi ex hac postea mors foetus certo sequatur, alias item certo secutura. Aliis verbis, ex hac operatione item duplex effectus aequae habetur, bonus scilicet unice intentus et quaesitus, malus vero tantum permissus; bonus vero non provenit ex malo, etsi uterque ex eadem causa, gravissimis rationibus posita, oriatur. Reliquae vero conditiones requisitae ad liceitatem operationis omnes adsunt.»

Nota ad hanc quaestionem, posse esse *modum* illicitum, quo tumor ille removeatur. Nimirum si iniectione morphii aut adhibita vi electrica ipse foetus ectopicus necatur atque ita tumor absorbetur, habetur actio primo et per se foetus occisiva, ideoque *directe occisiva*: quam agere illicitum est, idque eo gravius illicitum, quod impossibilis evadat foetus baptismus, quem conferre possibile est, quando sectione tumor removetur.

- 1012 6. Inter causas peccaminosas, ob quas gravissimum scelus fuerit abortum procurare, praecipue habetur causa tegendae famae matris ex crimine gravidae, vel ut liberius libidine fruatur: quod sane communi homicidio eatenus etiam peius est, quatenus et temporalis vita et aeterna — siquidem qui hoc flagitium perpetrant, baptizandum foetum vix curant — infanti adimitur, atque relate ad matrem homicidium est qualificatum, gravissima pietatis violatione accedente. Neque hac in re vel gravissima matris damna, infamia summa, perpetua cum parentibus discordia, pro ratione excusante haberi possunt. Evidens enim est, haec mala, *consequenter* ad abortum vitari, seu hunc vitandorum malorum effectum, utut suo modo bonus sit, sequi non aequae immediate atque effectum malum, sed *ex eo*: quod si constat, de liceitate causandi effectum malum iam agi nequit, sed talis actio ab ipso limine ut evidenter mala reicienda est. Idque eo magis, quod malum superioris ordinis foetui infligitur, ut inferioris ordinis bona mater consequatur. — Simile quid fatendum est, si medicus abortum procurare audeat, ut doloribus matris in partu sustinendis parcat, aut omne periculum futurum vel probabile praecavere impius nitatur.

Non semper quidem, aliquando tamen — idque caute, ne interrogatio doceat, quod ignoretur — puellae ex crimine gravidae interrogandae sunt de abortu, eiusve tentamine: (ut aliquando fit balneis, uteri percussione, compressione, potus certi sumptione etc.); item amasii de consilio hac in re dato.

- 1013 7. Cognata cum abortu quaestio est, num liceat feminae vi oppressae semen virile exceptum adhibitis mediis *immediate* expellere, vel iniecta aqua infecundum reddere. Dico: feminae vi oppressae; alias enim certum est, id non licere, cum malitia frustratae naturae in illa actione tum utique insit. Verum feminae vi oppressae id licere neque naturae frustrationem ei imputari, mihi certe probabile est, siquidem ad semen virile excipiendum ipsa iniuste coacta est, immo in-



iuria illa vim suam exercere pergit: quare vim illam iniuste continuatam seminis infecunditate vel eiectione repellere potest. Neque hic periculum aliquid contra foetum forte conceptum committendi existit: nam vix probabile est, *statim* post copulam foetum concipi, et, si revera, quando tentamen eiciendi seminis fit, conceptio facta esset, merus conatus expellendi seminis foetum non laederet. Verum aliquid ultra facere, e. g. quod tenderet in eiciendum vel necandum foetum forte conceptum, statim et in omni casu plane est illicitum.

### Caput IV.

#### De duello.

1. Duellum dicitur pugna singularis, ex conducto, armis ad occiden-<sup>1014</sup> dum sive graviter vulnerandum aptis.

Nimirum 1) est pugna unius contra alterum, seu singulorum contra singulos; 2) pugna, quae armis periculosus suscipitur, non sola virga vel baculo ad letaliter laedendum inepto; 3) pugna *ex conducto*, quo distinguatur a defensione et a rixa ex improvise (saltem relate ad alterutrum) oriunda. Conductio autem fit de tempore et loco (aliter impossibile est ex conducto convenire), et per se etiam de armis. Attamen si in ipso loco conducto etiam electio armorum detur, duelli essentia non mutatur. Cf. etiam *Greg. XIII*, qui Const. infra cit. dicit: «omnes qui ex conducto, *statuto tempore et in loco convento*, etc.»

2. Duellum dicitur aut *publicum* aut *privatum*, prout suscipitur ex publica auctoritate aut privato nomine. — Alia distinctio duelli sollemnis (i. e. cum testibus) et simplicis est omnino accidentalis.

I. De duello publico. Duellum publica auctoritate susceptum propter<sup>1015</sup> bonum commune licitum esse potest; illicitum tamen est ex causa vana vel improporcionata.

Videlicet. 1. Iusta causa duelli solum bellum iustum est, aut ut finiatur, aut ut hostium provocantium insolentia frangatur, propriique exercitus existimatio servetur apud hostes, apud proprios animus. Vide *Gury-Ball*. I 404 ex *Sanchez*, In decal. l. 2, c. 39, n. 13 et 14.

Videlicet causa publica contra hostem iudiciali sententia finiri nequit; quare nihil restat nisi ut per pugnam finiatur; at si totus exercitus pugnare potest, loco omnium etiam singuli eligi *possunt*. Nihilominus dux ex alia ratione temere id committere nequit, ne videlicet certam spem victoriae cum dubio prorsus exitu singularis pugnae commutet.

Verum aliae causae, utpote quae legitimo iudicio finiri *possint*, illicite prorsus ad duelli tentamen eiusque exitum relegantur.

2. Auctoritas publica duellum imperare aut permittere nequit ostentationis causa, spectaculi causa; neque iussi configere possunt (nisi forte, uno aggrediente, pugna ex parte alterius evadat iusta defensio).

3. Si duobus reis iuste capitis damnatis facultas detur duellandi, sub promissione victori vitam condonandi: id ex parte auctoritatis publicae ratione scandali, et quod finis imperandi inhonestus vix abesse potest, illicitum dicendum est; ex parte reorum tamen illicitum non est, quia occidere et

occidi *licite possunt* ratione iustitiae vindicativae, neque spes servandae vitae id reddit illicitum. Neque tamen ipsi rei duellum suscipere *tenentur*, cum in se ipsos sententiam exsequi iuberi non possint.

1016 II. De duello privato. 1. Duellum privata auctoritate susceptum — praecipue, ut fit, honoris vindicandi causa — iuri naturali et canonico graviter repugnat.

2. Neque excusatio est ex parte duelli, quod ineatur ad primam sanguinis effusionem tantum, vel ad certum ictuum numerum; neque ex parte causae, quod, nisi quis suscipiat, officium cum gravi iactura bonorum dimittere cogatur ipseque habeatur pro infami.

3. Sed sola ratio, cur singulare certamen aliquis propria auctoritate suscipere possit, est quod duelli naturam exuerit ac sola evaserit defensio contra iniustum aggressorem, qui aliter evadi nequeat, sive ille iam aggredi actu incipit, sive minas *inevitabiles* infert, nisi cum ipso configatur.

Uberior expositio. 1. *Prohibitiones canonicae* quam plurimae exstant. Cf. *Trid.* sess. 25 de ref. c. 19; *Greg. XIII* Const. «Ad tollendum» a. 1582; *Clem. VIII* Const. «Illius vices» a. 1592; *Ben. XIV* Const. «Detestabilem».

In qua Bulla «*Detestabilem*» anno 1752 sequentes theses proscripsit:

1) «Vir militaris qui, nisi offerat et acceptat duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debita ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptat duellum.»

2) «Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.»

3) «Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.»

4) «Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura propulsari nequit.»

5) «Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.»

2. *Ratio autem interna*, cur duellum privatum numquam liceat, est haec: Aut medium *natura sua ineptum* est ad finem propositum, aut effectus malus, i. e. occisio hominis evidensque vitae periculum, semper magis immediate ex suscepta actione sequitur, quam effectus bonus, qui *mediante* illo periculo audacter tolerato atque mediante prava aliorum hominum aestimatione sequitur. Atqui conditio, quae omnium prima requiritur, ut possim ponere actionem duplicis effectus et mali et boni, haec est, ut effectus bonus saltem aequae immediate sequatur atque effectus malus, vel non mediante isto.

1017 3. Duella ad primam sanguinis effusionem etc., quae etiam «non fatalia» vocantur, tamen a gravi periculo immunita non sunt; neque satis cavetur, si, parte corporis tecta, pars ictibus patet. Quare et imminens periculum

et ratio quod maioribus periculis et abusibus occasio datur, efficiunt, ut ipsa lege naturali interdicta censi debeant. Quod si forte alicui non in omnibus casibus ita evidens videatur, saltem accedit lex canonica. Neque dubium est, ecclesiastica prohibitione et excommunicatione etiam illa duella comprehendi, ut ex Constitutione *Clem. VIII* patet. — Si quando autem omne morale periculum gravis laesionis certo abesset, etsi peccatum, non tamen grave, nec duellum excommunicationi obnoxium haberetur; cf. *Palmieri-Ball.* II, n. 927.

Ceterum duella, quae inter studiosos committi soleant ostentationis causa, nisi forte omne periculum moraliter loquendo exsulet, etiam poenis ecclesiasticis subiacerent, habes ex decreto S. C. C. 9 Aug. 1890 in *Wratislaviensi* (Acta S. Sedis XXIII 242).

Nullam autem causam duellum excusare posse ex eo sequitur, quia non licet unquam facere mala, ut eveniant bona.

4. Si autem duellum mutatur in defensionem contra aggressorem, nihil est quo vetetur, etsi ipse aggressor subministret arma.

Quare 1) si adversarius minis, quae evadi nequeunt, intentis alterum cogit ad secum egrediendum in certum locum: id etiam naturam *defensionis* nondum mutat, neque facit certamen esse verum duellum.

2) Si minae non contra vitam, sed contra bona fortunae proferuntur, ita ut adversarius hic et nunc paratus sit v. g. alterius domum incendere, neque iacturae factae reparatio postea obtineri possit: probabile est, configere statim pro bonis fortunae seu ad arcendum invasorem eodem modo licere, ut ea contra furem et latronem cruenta defendere; neque id reprobatur thesis 4 et 5 a *Ben. XIV* proscripta, quia a) thesis illa loquitur etiam de *offerente* duellum, quod licite fieri absurdissime dicitur; b) loquitur, si reprobatur etiam acceptantem, de *duello*, non autem de conflictu, qui naturam duelli pro defendente non habeat: at caveri debet, ne extra defensionem exeatur.

De poenis ecclesiasticis contra duellantes eorumque complices dicitur in vol. II *de censuris* sect. 2, c. 2.

## Caput V.

### De bello.

I. De iure bellandi. Ius bellandi existere per se potest tantum in <sup>1018</sup> societate perfecta et contra eam, quae nimirum superiorem in suo ordine non habet.

Causae autem quae dent ius bellandi duae esse possunt: 1) ut repellatur iniusta aggressio alterius hostilis exercitus — bellum defensivum; 2) ut repetatur vel vindicetur ius laesum seu iniuria illata nec debita satisfactione reparata — bellum offensivum. Cui accedit causa opem ferendi alteri populo iniuste oppresso.

Nam I. Adesse aliquando ius bellandi, ex eo probatur, quod bellum potest esse modus necessarius propria iura vindicandi eaque sarta tecta servandi. Sicut enim ex notione iuris in genere est, ut possit violenter etiam defendi et repeti, ita etiam ad iura personae moralis, maxime personae moralis necessariae et societatis perfectae, pertinet, ut eius iura sociali actione violenta, si opus est, defendi possint. Quod si fit contra alteram societatem independentem, habes bellum.

Immo etiam iniuriae vindicandae causa id aliquando licitum esse debet, quia alioquin iniuriae ab independente societate commissae ultae manerent et proin contra bonum commune crescerent. Non est igitur privata vindicta, sed iusta poena, quae per tale bellum infligitur. Civitas enim seu princeps iniuste laesus pro hoc actu fit quasi superior civitatis peccatricis, et iustitiae causa et amore ad reparandum ordinem recti bellando poenam sumere conatur.

2. Solam autem societatem perfectam bellum per se gerere posse, propterea dici debet, quia alias recursus possibilis est ad legitimum superiorem, qui ius dicere et exsequi potest. Insuper nisi bellum necessarium sit medium, licitum non est, utpote ingentibus malis coniunctum.

Quamquam etiam provincia rebellis a legitimo principe exercitu invadi et in potestatem redigi iterum potest: hic modum quidem et speciem belli habes, non tamen bellum stricto sensu.

Cui in perfecta societate seu republica belli indicendi ius competat, ex diversis formis constitutionis regnorum pendet.

1019 3. Quod iustitiam causae attinet, bellum defensivum contra eum, qui iniuste infert, licere per se, luce clarius est. — Belli autem offensivi iustas causas singillatim recenset *Laymann* l. 2, tract. 3, c. 12, assert. III, quarum praecipuae sunt:

- 1) ut recuperetur provincia nondum iure concessa ab altero detenta;
- 2) ad vindicandam gravem contumeliam reipublicae vel principi illatam;
- 3) ut ultio sumatur de gente, quae alteri in iniusto bello opem tulit;
- 4) ut repellantur ii, qui iniuste prohibent, ne multum nocentes puniantur;
- 5) ut animadvertatur in populum foedifragum, si violatio foederis in

damnum aut contumeliam cessit;

6) ut impetrentur ea, quae iure gentium permissa sunt et per iniuriam negantur.

Cuius doctrinae non est quem repugnantem viderim. Hinc incaute et minus recte dici colligitur, quod aliquando proferunt, bellum non licere nisi repellendae aggressionis causa, quae aliter repelli non possit.

1020 II. De iustae causae certitudine. De iustitia causae moraliter certo constare debet, ut liceat bellum indicere: aliqui tamen putant sufficere, ut cum magna probabilitate de iustitia constet.

Scilicet: 1. Quod dixi de magna probabilitate iustitiae, usui esse potest non tam ad ipsos principes vel belli auctores securiores reddendos, quam ad exonerandam magis conscientiam eorum, qui in bellum proficisci coguntur. Idque potissimum de bello offensivo valet; nam ut bellum defensivum liceat, sufficit, ut de commissa iniustitia non constet, siquidem tunc altera pars minus iuste bellum indicit.

2. Si de *vindicanda* iniuria similive causa agitur, dubium non est, quin certo prorsus de delicto tanta poena puniendo constare debeat. — Si autem agitur de possessione aliqua recuperanda, sunt qui putent sufficere, ut ius *probabilius* contra possessorem probetur: vide apud *S. Alph.* III 408. — Quo fieri potest, ut aliquando bellum ex utraque parte subiective iustum sit. Id multo facilius contingere potest ex parte *militum* pugnantium.



3. Ceterum haec iustae causae inquisitio ad belli auctores primosque duces et consiliarios spectat; tum etiam ad gregarios milites, qui *sponte* belligerare volunt, quamquam facilius externis rationibus in discernenda iustitia aliquid iuvari possunt. Qui vero ut subditi conscriptione coguntur, aut qui ex praecedenti contractu conductionis iam obstricti sunt, bellum gerere possunt, quamdiu de iniustitia ipsis non constat.

4. Eorum igitur, cum oboedire teneantur, plerumque non est *inquirere* de belli iniustitia; neque in hodierna rerum politicarum conditione facile erit causas introspexisse. Nihilominus si ex circumstantiis vehemens suspicio de belli iniustitia adest, quam sperare possunt inquisitione aut certo veram aut certo falsam evasuram, ab inquisitionis obligatione non excusantur. Cf. *Lugo*, De iust. et iure disp. 18, n. 21 sqq; *Castropal.*, De conscientia disp. 3, p. 14, n. 2 etc. Attamen nec possunt nec debent tantum inquirere, quantum primarii duces; neque, manente dubio, a bellando prohibentur.

5. Ad iustitiam etiam pertinet, ut, antequam bellum incipiatur, ab adversa parte reparatio petatur; quae si offertur congrua, a bello desistendum est; si minus, ex communi praxi bellum indicitur, antequam inferatur. — Immo bello iam exorto, si competens satisfactio offertur — quae utique tum augenda est — desistendum est a belli prosecutione, utpote quae sit non necessaria, atque alia multa gignat mala.

III. De modo bellandi. Circa bellandi modum quaedam lege naturali <sup>1021</sup> licita aut illicita sunt, quaedam iure gentium constituta. Per se naturae lex id permittit, quod citra fraudes inevitabiles ad conterendos eos qui actu hostes sunt confert, et ad puniendos eos qui formaliter deliquerunt. At ius gentium quaedam moderamina induxit, quae eo sanctius servanda sunt, quo minus soleant milites circa iustitiam belli formaliter delinquere.

Videlicet: 1. Licet uti fraudibus non imperceptibilibus; immo illa, quae cum solo *mendacio* fiunt, ut si exploratores se fingant amicos, illicita quidem, sed ex hoc nondum mortalia sunt: *S. Alph.* III 410, 2. — Aliud est de iis, quae nulla prudentia caveri possunt, ut veneno aquas inficere etc.

2. Quae iure gentium excludantur, saepe non ita clarum est; censentur autem ea plerumque esse, quae nimiam devastationem causarent. Verum etsi de iure gentium aut de consuetudine vim legis internationalis habente non ita constat: ille, qui mediis istis extraordinariis contra hostes utitur, summo sese exponit periculo idem patiendi ab adversariis, aut movendi indignationem aliarum gentium seque excludendi a privilegio consuetudinis, si forte aliis dederit bellandi causam.

3. Praxis communis hodie est, ut, excepto bello navali, parcatur bonis privatorum. — Per se quidem bona privatorum vexare intra certos limites ab antiquis scriptoribus non censetur illicitum esse (cf. *Laym.* l. c.) scil. 1) quatenus ipsi aliquo modo culpam participant; 2) quatenus ea, quae devastantur, etiam per modum tributi exigi potuerint, aut illa a principe vel republica noxia resartum iri praesumi potest. — Quare si urbs hostilis in praedam datur exercitui victori (supposita belli iustitia), milites praedam utique suam faciunt; si vero contra ducis voluntatem praedantur, videndum est, utrum solius militaris disciplinae causa id noluerit dux, an eo fine, ut

bonis hostium privatis parcatur. Si posterius, milites *iniustitiae* et restitutioni obnoxii sunt; si prius, ita ut dux damno hostibus illato et possessioni a suis militibus captae potius consentiat, inoboedientiae quidem rei sunt milites, sed non iniustitiae. Cf. *S. Alph.* III 409.

Hodie tamen videtur praesumptio adesse illius voluntatis, qua dux velit parci bonis privatorum propter ipsos: nisi forte agatur de rebus ad convenientem victum necessariis<sup>1</sup>.

1022 4. Urbem vicumve, qui hostiles actiones exercuerunt, puniri posse, nisi sotes tradantur, iniustitiae damnari nequit. Immo etsi accidat, ut sotes cognosci nequeant, id negligentiae et culpa aliquando attribui potest ab altera parte, quae iustum bellum gerit, ita ut propterea non in vita quidem, sed in bonis fortunae incolas loci non iniuste puniat. — Verum in clementiam potius inclinari decet, neque umquam manus militaris sine legitima auctoritate in tali casu bona incolarum invadere potest.

5. Contra milites, qui pugnaverunt ex sua parte *iniuste*, summo quidem iure severe procedi potest, ita ut ne iis quidem, qui tradere se volunt, parci prorsus *debeat*, debeat tamen, si captis promissio facta sit, aut si hac conditione captivi facti sint. Verum secundum hodiernum morem censeretur crudelis severitas, si quis summo iure agere vellet: immo etiam propterea raro id licere nunc potest, quia milites pugnantes, utpote coacti, raro formalis iniustitiae in gerendo bello rei dici possunt: quare vita eos punire, poena exorbitans ac proin iniusta dici debet.

1023 6. Militibus, qui iniuste capti sunt, non solum fugere licet, sed etiam ex bonis hostium sibi providere, quoniam iniustum damnum passi sunt. Cf. *Laym.* l. c. et *S. Alph.* ex *Busenb.* III 410, 4.

7. In bello iniusto duces obnoxii sunt certo restitutioni omnium damnorum ab exercitu illatorum; singuli milites saltem quoad ea damna, quae ipsi intulerunt, aut ad quae inferenda positive excitaverunt alios. Circa reliqua damna communi actione illata saltem tenentur pro rata; in solidum eos de toto damno teneri, saepe negari debet, cum in totum damnum *efficacem* influxum non exercuerint. Cf. infra De restitut. — Posse eos aliquando propter gravissimum metum excusari in inferendis damnis bonorum fortunae, collige ex iis, quae de *cooperatione* dicta sunt.

8. In bello iniusto milites, etsi coacti, non possunt hostem occidere, aut actiones periculosas contra eum exercere, sed aerem verberare debent; immo si in pugna invaduntur ab adversario, cruento se defendere nequeunt.

<sup>1</sup> Exemplum hodierni iuris sume ex statutis pro Statibus Foederatis Americ. Sept., quae *Konings* in sua Theol. mor. n. 481 ita exhibet:

I. Pro bello terrestri: 1. Praedam in bello iusto captam non a militibus acquiri, sed a republica; quare milites non posse retinere, nisi quod illis sive, expressa sive tacita principis voluntate donetur. 2. Milites nihilominus praesumere posse, sibi concedi spolia occisorum, nisi de contraria voluntate principis constet. 3. Privatorum bonis damnum inferre militibus nequaquam licere; neque plus ex illis sumi posse, nisi quae pro vita sint necessaria.

II. Pro bello navali: 1. Hostium naves et omnia, quae in iis reperta sint, sibi acquirunt ii, qui auctoritate civitatis facultatem acceperunt, naves propriis expensis extruendi et hostes aggrediendi. 2. Iniustitiae reos non esse, qui sine illa facultate in scriptis accepta suis viribus naves hostiles aggrediantur et occupent. 3. In bello navali idem ius occupandi esse naves stricte hostiles, atque naves privatorum hominum, qui hostilis nationis sint.

Quod a multis sic intelligitur, ut per se ne tum quidem iis liceat se defendere, si adversarius arma tradenti veniam dare nolit. — At equidem puto tum communiter id licere; nam quoniam plerique coacti exercitui se iunxerunt, praesumendum est, singularem militem hucusque iniustitiam morte dignam non commisisse, si adversario, quem obvium habet, se tradere paratus est: quare tum adversarius iniuste poenam extremam ab eo sumeret; quodsi vere iniuste, alteri ius defensionis competit. Ita *Soto*, De iust. l. 5, q. 1, a. 7; *Tamb.*, In decal. l. 6, c. 1, § 1, n. 9, qui citat *S. Antonin.*, *Bonac.* etc.

Appendix peccatorum eorum, quae facilius occurrere possunt,<sup>1024</sup> contra *quintum* decalogi praeceptum:

1. Se ipsum gravi vitae vel valetudinis periculo sine iusta causa exponere: magis etiam propriam mutilationem vel autochiriam committere.
2. Alterum sine auctoritate occidere, vel graviter percutere.
3. Abortum sensu theologico procurare.
4. Graviter iniuriose alterum percutere, vel rixam exercere.
5. In defensione certe et clare moderamen excedere, vel ex vindicta agere.
6. Ad duellum provocare, illudve acceptare, aut ei cooperari.
7. Bello iniusto cooperari.
8. In bello iusto iniustum bellandi modum superiorisve mandatum contra hostes excedere.
9. *Adde*, sibi aut alteri serio grave malum imprecari, cupere, inferre velle.

De vindicta et inimicitia recale, quae supra explicata sunt.

## TRACTATUS III.

### DE OFFICIIS CIRCA BONUM CONIUGALE AC DE LUXURIAE PECCATIS.

Praec. VI. decalogi: *Non moechaberis.* Ex 20, 14.

Ante hanc materiam satis lubricam sit monitum *S. Alph.* III 413:<sup>1025</sup>  
«Det mihi veniam, quaeso, castus lector, si plures quaestiones et circumstantias . . . hic discussas et declaratas inveniet. Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, et propter quam maior animarum numerus ad infernum delabitur, immo non dubito asserere, ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo, omnes damnari, quicumque damnantur: hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare — licet quo castissime fieri potuit — me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum . . . non legant, nisi cum fuerint ad excipiendas confessiones iam proximi; legantque ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatae se commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.»

Ex iis, qui peccata luxuriae succincte et clare explicant, consuli merentur praeter *S. Alph.* III, n. 412—485; *Sporer*, Theol. sacrament. IV 414 sqq; *Tamb.*, In decal. lib. 7 et 10; *del Vecchio* I, n. 442—479; *Noldin*, De sexto praecepto etc.

Voluptatem veneream capere et iis, quae ad propagationem humani generis spectant, inhaerere, in solo matrimonio licitum esse, ipsa natura satis declarat: nam alioqui cum ruina humani generis libidinis habenae laxarentur, provida autem propaginis humanae cura non haberetur. Quare recte huius materiae tractationi titulum «de bono coniugali» inscripsimus.

Positiva officia his continentur, ut debitum coniugale coniuges inter se praestent: quod postea de matrimonio agentes tractabimus.

Negativa officia in matrimonio sunt, ne contra coniugis ius neve contra sacramenti sanctitatem fides frangatur; extra matrimonium, ut a venerea voluptate prorsus absteineatur.

De negativis obligationibus earumque gravitate hic tantum acturi sumus, de materia castis oculis taedio plena, sed confessariis maxime necessaria, ne aut indulgentiores peccatis conniveant, aut rigidiores peccata adaugeant.

### Caput I.

#### Generalis luxuriae conceptus eiusque malitia.

1026 Luxuria est inordinatus venereorum appetitus. Cuius completus actus est in seminis effusione atque voluptate inde percepta, incompletus in commotione seminis habetur atque in organis generationi servientibus seu circa genitalia percipitur.

In feminis veri seminis quidem secretio non fit, attamen etiam apud eas completa venerea voluptas cum secretionem humoris in organis generationi servientibus percipitur, incompleta similiter in turpi commotione.

A seminis secretionem «distillatio» distinguitur, quae levioris et plane diversi humoris emissio est, neque tam copiosa, sed fere stillatim facta. At duobus modis talis distillatio potest contingere, 1) cum genitalium commotionem et delectationem, 2) sine delectationem. Si priore modo fit, cum seminis quadam effusione vel saltem eius periculo coniungitur, atque de ea quoad moralitatem specificem idem dic, vel fere idem, ac de seminis effusione seu pollutionem; si vero sine delectationem accidit, etsi cum quadam naturali commotionem, de ea nihil curandum est, et negligi debet sicut cuiuslibet excrementi abscessus, neque talis distillationis causas cavere tenemur: ita *Tamb.*, In decal. l. 7, c. 3, § 5, n. 53; *Anton. & Spiritu Sancto* tract. 9, n. 91; *S. Alph.* III 477 cum aliis multis. (Studiosam quidem distillationis procurationem qui vult, sane pravam voluptatem quaerit.) — Hoc notari debet, quando quaeritur de malitia luxuriae in causa tantum volitae.

1027 A venerea delectationem distinguitur mere sensitiva. Sensitivam delectationem eam, quae ex alia prorsus re, quam ex qua venerea, percipitur, non esse similis culpa, si culpa est, nimis est evidens, ut sensitiva delectatio percepta ex auditu harmoniae, ex aspectu florum, ex tactu serici etc. — At quando loquuntur scriptores de sensitivae delectationis malitia in comparationem ad veneream, intelligunt eam sensitivam delectationem — sentitur ex commotionem sanguinis circa pectus —, quae percipitur ex re (potissimum



tactu, sed etiam visu), quae, etsi in se non obscœna, tamen idonea est ad excitandam veneream commotionem.

Eam igitur delectationem admittere, vel non statim suppressere, ex se peccatum grave non est, eam autem studiose quaerere, saepissime immune non erit a peccato gravi, quoniam periculum incidendi et consentiendi in veneream delectationem secum fert. Immo si quis ex tactu graviter obscœno praetenderet solam utique sensibilem delectationem se percipere: id admitti prorsus non potest, siquidem illa delectatio aut erit in se venerea, aut cum ea inseparabiliter erit coniuncta. Vide *Reuter*, Neoconf. n. 67; *Sporer-Bierbaum* I 336.

Quibus praenotatis sint haec principia:

I. Luxuria directe volita, i. e. sive quaesita sive deliberate admissa,<sup>1028</sup> parvitatem materiae non admittit. Quare quamcumque actionem sive leviter inhonestam, sive graviter, sive ab inhonestate ratione sui immunem ponere ex intentione habendi motum delectationemque turpem: semper grave peccatum est.

Nimirum quaelibet venerea delectatio initium quoddam seminis humani commotionis atque effusionis est, vel saltem effundendi periculum proximum secum fert, quia, excitatione facta, non ita est in hominis potestate ulteriorem eam progressum sistere atque repellere; quare eius malitiam participat. Verum seminis effusionem vel completam veneream fruitionem extra conjugalem congressum quaerere graviter prohibitum esse debet, siquidem matrimonii onera homines passim recusarent, atque humani generis gravem ruinam inferrent, si liceret citra gravem culpam eiusmodi voluptates quaerere, laxarenturque habenae, si id *umquam* liceret. Ergo etiam quaelibet venerea commotio voluntarie habita participat reatum gravis peccati. — Quae hodie adeo evasit communis sententia theologorum, atque adeo cohaeret cum doctrina ab Apostolica Sede proposita (vide *thesim* 40 ab *Alex. VII* damnatam), ut externa illa probabilitas, quam opinio parvitatem materiae in re venerea defendens olim habuit, vim suam exercere amplius plane non possit.

II. Luxuria in causa tantum voluntaria, i. e. actio, ex qua secu-<sup>1029</sup> turum esse aliquem effectum venereum praevидetur, sive probabiliter sive certo, quae tamen non ex eo fine exercetur, *per se* tantum est peccatum, quantum peccatum est ipsa haec actio seu causa ex sua natura (cf. n. 1040 sq): at gravius etiam peccatum evadere potest ex periculo consentiendi in delectationem pravam forte orituram.

III. Quare secluso periculo consensus, grave peccatum luxuriae indirectae tum tantum committitur, quando ipsa actio notabiliter indecens est in relatione sexuali, seu quando commotio venerea vel etiam pollutio oritur ex actione, quae in genere luxuriae versatur et graviter in effectum illum pravum influit, sine gravi causa excusante suscepta.

IV. Quoniam autem non omnes eodem modo ex eadem actione commoventur, notandum est, illum influxum gravem potissimum quidem obiective sumi debere, quadamtenus autem etiam subiective, ita ut 1) ea, quae communiter homines in similibus circumstantiis constitutos multum commovere solent, sine gravi reatu (exclusa semper

necessitatis causa, modo tum consensus periculum adhibitis remediis arceatur) a nemine suscipi possint, nisi ex peculiari alicuius dispositione *constet* ipsi, se commotum non iri; 2) ut ea, quae communiter homines certo et plane leviter solent excitare, secluso consensus periculo, a nemine sub gravi caveri debeant, etsi aliquis propter singularem dispositionem facilius moveatur; ut 3) ea, quae ex natura sua non plane leviter neque etiam absolute graviter influunt in excitationem, ab iis sub gravi caveri debeant, qui sciunt, se vere multum et vix non semper illis actionibus commoveri, pro aliis gravis obligatio non sit. In iis igitur rebus, quae *medium quoddam tenent inter gravem et levem influxum*, summa prudentia necessaria est, ne laxius plura permittantur, sed etiam ne severius iudicando peccata gravia fingantur.

1030 Aliis verbis: 1. Causam ex se leviter tantum influentem in motum et effectum turpem ex intentione libidinosa exercere grave peccatum est.

2. Causam leviter influentem ex vanitate, curiositate, petulantia ponere peccatum veniale est, modo motus pravus, si exoritur, supprimatur. At eam causam, potissimum si plane levis non est, commotione iam orta, ex proposito sine ulla ratione continuare aut ex ea sensualem delectationem quaerere valde periculosum est, ac facile evadit grave peccatum: non statim autem desistere, peccati gravis incusari nondum potest. *Gobat* tract. 7, n. 330; *Lessius* l. 4, c. 3, n. 102. — *S. Alph.* III, n. 422.

3. Causam non ita leviter, sed neque pro omnibus graviter influentem ab iis, qui fere semper pravum effectum patiuntur, exerceri sine causa excusante, a peccato gravi, *etiam ratione solius effectus*, immune dici nequit, idque eo minus, quo effectus peior est.

4. Causam ex natura graviter turpem ideoque graviter influentem in effectum pravum sine gravi ratione ponere mortale peccatum est, non solum quatenus causa posita in se graviter peccaminosa est, sed *ipse effectus pravus* agenti imputatur, nisi quis — id quod sane rara exceptio est —, in eiusmodi actione se graviter non commoveri sciat. Cf. *Salmantic.* tract. 26, c. 7, n. 41.

1031 Explicationis gratia dicendum est, quaenam censeantur causae graviter influentes, quae leviter, quaenam causae mediae.

1. Causae graviter influentes sunt: cogitatio practica vivacior de venereis; tactus in partes obscoenas alterius personae exercitus, nisi forte prorsus transeunter fiat in persona eiusdem sexus sine pravo affectu; aspectus personae plane nudaе alterius sexus voluntarie continuatus; immo etiam aspectus viri in pectus nudum feminae, aut aspectus picturae obscoenae, saltem si continuatur, commotione iam exorta; quibus addit *S. Alph.* cum aliis relate ad ipsam pollutionem: diuturnius colloquium tenerum cum persona *inordinate* amata<sup>1</sup>, item diuturniorem et fixum eius aspectum. Cf. *Reuter.* Neoconfess. n. 70; *S. Alph.* n. 417 sq et n. 482.

<sup>1</sup> Intellige personam, in quam passio fertur vel sensualis sympathia. Si quis igitur sine causa excusante, sed ex mera sensualitate, illius personae colloquium quaerit atque

2. Causae leviter influentes: Tactus vel aspectus in partes inhonestas proprii corporis obiter factus; tactus feminae non inhonestus obiter factus et levis; apprehensio manus illius; osculum leve ex causa honesta; colloquium vanum cum femina; aspectus pectoris illius non fixus, a fortiori alii leviores aspectus. Leviter influentes dici etiam magis debent causae, quae vocantur «per accidens», ut: intemperantia in cibo et potu; equitatio: situs commodus.

Causae mediae: Lectio non ita leviter turpis curiosa; spectacula turpia ex vanitate aspicere; aspectus coitus animalium grandiorum sine causa; aspectus personae nudae eiusdem sexus deliberate continuatus; tactus turpis animalium diutius productus; tactus in proprium corpus factus vel repetitus. *S. Alph.* III 484. — Ceterum haec doctrina in sequentibus completur, cum dicitur, quid circa tactum, aspectum etc. *per se* grave peccatum sit: id scilicet intellige esse causam graviter influentem.

## Caput II.

### Discussio singularum actionum, quae ad luxuriam imperfectam pertinent.

*Praenotanda.* In omnibus illis actionibus, quae accusantur, confessarius attendere debet 1. ad *intentionem agentis*: quae si mala et venerea est, licet actio *in se* non sit graviter obscoena, tamen effectus, utpote voluntarie *quaesitus*, ad gravem culpam imputari debet.

2. Attendi debet ad *gravitatem rei in se spectatae*, num in se actio sit graviter turpis et graviter movens ad libidinem: quod si obtinet, etsi intentio prava directe habita non sit, sine gravi causa eiusmodi actionem ponere communiter grave peccatum est; immo ad libidinem propriam eiusve periculum accedit, si actio cum altero exercita est, grave illius scandalum, ita ut, seclusa propria libidine, haec sola scandali ratio sufficiat ad peccatum mortale, alias duplex ratio malitiae adsit.

3. Confessarius attendere debet — idque ex aliis adiunctis discernere ipsius est — num fortasse ille, qui actionem ponit in se non turpem aut non graviter turpem, ex qua sequatur turpis effectus, *grave periculum subeat consentiendi* in delectationem turpem exorituram: quod si obtinet, actio, etsi non ex se, tamen ex periculo accidentali graviter peccaminosa est.

His praenotatis breviter dabo ea, quae claro et distincto ordine *Sporer-Bierbaum*, Theol. sacramentalis IV, n. 568 sqq et *S. Alph.* l. c. exponunt.

---

protrahit vel etiam eius solam praesentiam: pro gradu sensualis inclinationis, qua in eam fertur, facile fiet, ut non leviter commoveatur ad venerem, atque praesenti periculo consensus sese exponat. Quare quando talis est conditio, sive eiusmodi colloquium vel praesentiam causam ex se graviter influentem vocas, sive inter causas medias collocas: certe habes causam non levem, ex qua per experientiam scitur, pravum effectum oriri consuevisse; quam sine ratione excusante exerceri ex supra dictis pro gravi peccato habendum est.

## De impudicitia cordis.

1033 Hoc nomine vocatur voluntaria occupatio mentis circa res obscenas sine legitima causa: fit autem cogitatione, delectatione, desiderio.

1. Speculativa et abstracta cogitatio et imaginatio rerum obscenarum voluntarie assumpta et continuata ex mera curiositate vel levitate, si res sunt graviter obscenae, quamquam ex se grave peccatum nondum est, practice tamen ob praesens periculum incidendi in delectationem turpem eiusque consensum plerumque peccatum grave evadit. — Verum attentio ad hoc periculum requiritur. Immo si cui extraordinarie periculum non oriretur, ille, qui id sciret, sola cogitatione hac speculativa non peccaret graviter: esset autem peccatum grave, si approbaret peccatum turpe solum speculativa cogitatum.

2. Delectatio morosa, i. e. voluntarie capta, presse sumpta est complacentia in motum venereum ex cogitatione et imaginatione vel utcumque ortum sine animo peccatum opere complendi. Quae mortaliter peccaminosa est: utrum et quando et quibus limitibus species peccati diversa sit pro diversis rebus cogitatis, vide supra, ubi de peccatis in genere dictum est n. 363 et 364. — In rigore a tali delectatione morosa practica cogitatio eiusque approbatio distinguitur, utpote quae in re venerea cogitata ut hic et nunc appetibili eaque approbata consistat. Sed quoniam motum venereum comitem habet re ipsa communiter, etsi non semper necessario, practice prava cogitatio et morosa delectatio solent converti. Cf. l. c.

3. Desiderium denique fertur in ipsum opus turpe: de quo etiam ibi supra dixi.

## De impudicitia oris.

1034 1. Turpia loqui, canere, legere peccatum mortale est, si haec fiunt 1) delectationis venereae excitandae causa: 2) propter delectationem in ipsas res narratas, lectas etc.; 3) cum periculo animadverso incidendi in consensum delectationis venereae oriturae.

2. Haec facere ex sola levitate, curiositate aliave delectatione circa artificium, dexteritatem, secluso periculo pravi consensus, venialia sunt: nisi tamen gravia sint ratione *scandali*.

3. Practice igitur raro excusari possunt a *mortali* peccato, qui de rebus graviter obscenis sine ulla necessitate sermonem protrahunt easve legunt, 1) quia idem valet, quod supra dictum est de cogitatione; 2) quia, si alii haec audiunt, praesumi debet, ex eo quod sermo protrahatur de rebus sexualibus, aut etiam ex eo aliquando, quod unum alterumve verbum turpissimum proferatur, coram hominibus solutis, ipsis audientibus grave periculum creari. — Paulo liberius quidem citra peccatum grave sermo institui potest inter coniugatos: verum si obsceniora sunt, illis gravioris etiam peccati, utpote adulterii malitia affecti, scandalum datur.

4. Aliud est, si ex vanitate quaedam non graviter turpia iocandi causa dicuntur; haec enim pro gravi peccato non habentur.

5. Audire eiusmodi turpia facilius quidem a peccato *gravi* excusari potest, atque etiam subridere ex se nondum grave peccatum est: vide *Sioz*, Trib. poenit. l. I, p. 3, n. 542; est autem: 1) si placet res turpis narrata *in se*; 2) si audiens excitando, animando causa est, cur sermones graviter peccaminosi fiant seu protrahantur; 3) aut si propter auctoritatem suam, ex qua impedire eos potest, vel etiam debet, silendo causa est cur continentur;



4) si propter suam conditionem personalem audiens scandalo est, v. g. si sacerdos audiens particeps esset istiusmodi sermonum, aut si, sermone obsceno ad audientem directo, non-obloquendo pravam intentionem loquentis promoveret aut approbare videretur.

Sic igitur intellige, quae *Tamb.*<sup>1</sup> dicit: «Si aliis loquentibus tibi illud turpiloquium vel impura cantilena displiceat, seu non placeat, nec tamen loco discedas, nec eosdem reprehendas ob ruborem, immo etiamsi — secluso scandalo et animo de illo peccato delectandi — rideas vel quid simile facias: te non accuso peccati mortalis, quia ipsa erubescencia non contemnenda ratio pro tua excusatione est.»

### De impudicitia aspectus.

Aspectus turpis mortaliter illicitus esse potest triplici ex causa, ex obiecto 1035 nisi necessitas excuset, ex intentione, ex periculo.

1. Ex obiecto ipso graviter peccaminosum est illas res aspicere sine necessitate, quarum aspectus graviter ad libidinem provocat atque turpem commotionem ex se causat. Ita: aspicere deliberate coitum humanum; aspicere pudenda diversi ab aspiciente sexus: aspicere serio et deliberate personam alterius sexus plane nudam; pro circumstantiis: fixis oculis intendere in pectus feminae nudum, vel morose aspicere picturam valde obscenam<sup>2</sup>, ut explicavi n. 1031; morosus aspectus propriorum genitalium sine necessitate continuatus. (*S. Alph.* III 419—424.)

2. Ex periculo praevisto, vel periculo, quod nunc animadvertitur, aspectus etiam paulo minus graves (inter quos aliquando posteriores illi aspectus ex modis iam allatis computantur) mortalia esse possunt secundum ea, quae dixi n. 1031 1032, praecipue quando aspiciens iam sentit pravam commotionem atque consentiendi tentationem, ab aspectu tamen ulteriore, licet causa excusans desit, non abstinet.

3. Ad haec revocari aliquo modo possunt, quae dicuntur de lectione rerum inhonestarum, atque aspectu comoediae inhonestae. Colligo circa ea ex *S. Alph.* sequentia:

1) Legere libros turpes ex curiositate, sine turpi delectatione vel eius animadverso proximo periculo, *ex se* veniale tantum peccatum est; attamen quia saepe eiusmodi periculum adest, in praxi saepissime habes peccatum mortale: *S. Alph.* n. 426. Quod periculum etiam censi debet adesse in eo, qui ex lectione non leviter turpi consuevit pati pollutionem, vel qui incidere consuevit in vehementes tentationes. Cf. *S. Alph.* n. 484.

2) Spectare comoedias, quando et qua ex causa mortale peccatum evadat, dixi supra n. 802 et 826.

3) Ibidem etiam habes, eos qui pecunia, plausu etc., vel concessione positive influant aut promoveant spectacula notabiliter turpia, magis etiam qui repraesentent, facile atque communiter committere peccatum mortale, quia ponunt causam, quam multis scandalo fore cognoscunt: idque, etiamsi ipsi turpiter non commoveantur nec labantur. Cf. *S. Alph.* n. 427. Quid autem ex omnino gravi causa permitti aliquando possit hac in re, et cum

<sup>1</sup> L. 7, c. 8, § 4; cf. *Sporer-Bierb.* l. c. IV 668.

<sup>2</sup> Gradus obscenitatis et periculi sane sumitur non solum ex re, quae repraesentatur, sed etiam ex modo et arte, qua res exhibetur.

quo moderamine, conicies ex iis, quae de cooperatione et scandalo dicta sunt n. 826. Ibi etiam vide, quid dicendum sit de descriptione, impressione pravorum librorum etc.

### De impudicitia tactus.

1036 I. Non est mortale peccatum (seclusa prava intentione) tangere alterum eiusdem sexus in partibus inhonestis obiter tantum, i. e., «non ex proposito neque per aliquod temporis spatium», sed «ex petulantia vel curiositate tantum»: *S. Alph.* n. 420. Minus etiam, id facere in proprio corpore; si modo non fiat diutius aut repetitis vicibus.

Neque mortalis peccati reae haberi debent ancillae sic obiter tangentes pueros, cum propter infantilem aetatem minus sit periculum. — Summopere autem cavendum est, ne forte ex industria vel diutius id committant, neve umquam in infantibus, qui iam incipiunt animadvertere, quid fiat: quare mortale peccatum facile erit, infantes in verendis titillare, maxime ob periculum, in quod infans inducitur, contrahendi habitum quem postea difficulter dimittet.

Tactus animalium ordinarie non est nisi veniale, nisi forte tactus producatur usque ad animalis pollutionem; quod si voluntarie fit, generatim propter nimium periculum proprium pro mortali peccato habendum est: *S. Alph.* ib.

Multo minus peccatum mortale est ex se, leviter tangere in partibus non inhonestis personam etiam alterius sexus, manum mulieris apprehendere, digitum intorquere etc., obiter osculari; neque teneros infantes osculari, etsi quaedam sensitiva delectatio non venerea oritur, neque reprimitur.

II. Verum si eiusmodi actiones aut diutius cum mora exercentur, aut furtive et clam, habes aut periculum grave turpis commotionis et consensus, aut indicium pravae intentionis: adeoque grave peccatum. Unde generatim recenseri solent ut gravia peccata: oscula inter diversi sexus personas *insolito modo*, cum longiore mora vel ex ardore facta; idem dic de amplexibus.

Immo premere manum feminae, digitos intorquere, potest *cum* pravo affectu sive *ex* eo fieri et mortale evadere. — Quod cum quadam proportione transfer ad tactus cum eodem sexu, aut ad tactus in proprium corpus.

III. *Ex se* igitur *mortalia* peccata sunt, seclusa iusta causa, partes turpes tangere personae alterius sexus etiam obiter, aut super vestes, si id deliberate fiat; — etiam id ex industria, aut per notabile aliquod tempus committere in personam eiusdem sexus; — immo idem dic, si mulier in mulieris pectoris tactu inhaeret, aut si vir mulieris pectus morose tangit, maxime si pectus nudum; — etiam proprii corporis inhonestas partes sine causa repetitis vicibus tangere aut tactum continuare, non obstante commotionis iam factae initio.

Qui se tangi permittit, non repellendo etc., *graviter peccat* communiter loquendo, non solum si ipse pravum animum gerit, seu consensum dat, sed etiam ratione solius cooperationis: 1) si tactus est ex se turpis, i. e., sive ex obiecto, sive ex modo tangendi; 2) si tactus quidem ex se ut certo turpis non apparet, at de pravo animo tangentis constat, saltem si tangere tentat non coram aliis.

*Non peccat, aut non graviter*: 1) si tactus ex solo animo tangentis turpis est atque coram aliis committitur — iusta enim causa permittendi est tum propria verecundia, tum timor alterum diffamandi; 2) si tactus ex se turpis non est, neque constat de tangentis mente prava.

Scholiön. Hi actus imperfecti cogitandi, legendi, loquendi, aspiciendi etc. ex se pertinent ad luxuriam indirecte, nondum directe, siquidem ex se nondum sunt peccata, cum ex causa necessitatis fieri possint plane honesti. Peccaminosi sunt, si fiunt sine ratione excusante, ex eo quod natura sua causent luxuriosam commotionem; eam autem causare non licet nisi adsit ratio excusans illam permittendi, idque ne tum quidem, quando commotioni pravae exortae non detur consensus: nam eiusmodi commotio libidinosa est per se inordinata et natura sua periculum consensus secum fert, cui se temere exponere nemini licet.

Unde etiam fit, ut saepe necesse non sit (si spectas confessionis integritatem, de qua vol. II n. 403 sqq) eae actiones singillatim accusentur in sacramentali confessione. Nam si ex iis quaesita vel acceptata est libido, sufficit accusare ipsam libidinem, fueritne sola libidinosa commotio, an pollutio aliudve peccatum: perinde enim est, utrum haec per aspectum, an per lectionem, an per phantasiam etc. causata sint; explicandum tamen erit, si actiones illae imperfectae fuerint cum complice, seu cum scandalo vel iniuria coniunctae, atque ita fieri potest, ut etiam circumstantiae personae complices sint explicandae.

Quando autem in actionibus illis imperfectis temere positus sistitur, neque libidini detur consensus: hae actiones separatim sunt accusandae, quia non habuerunt ulterius complementum. Neque tamen accuratius obiecta eorumque circumstantiae explicanda sunt, nisi periculum certi et specialis peccati animadversum fuerit ex circumstantiis specificandi, aut scandalum vel iniuria fuerit coniunctum: quae facile in lectione et in aspectibus abesse possunt, in quibus tum sufficit dicere, fuerintne graviter obscaenae, immo, severe loquendo, sufficit poenitenti sine distinctione inter lectionem, aspectus etc. accusare, *quod temere causam dederit pravae commotioni neque consenserit*. In sermonibus autem, magis etiam in tactibus, ratio personae complices habenda est.

Verum praeter confessionis integritatem non raro confessarius curare debet *remotionem occasionis peccandi*: ex qua causa fieri potest, ut penitus inquirere debeat, quanam fuerint luxuriae commissae causae et occasiones, ut sciat, quae interdicare debeat poenitenti quoad colloquia, spectacula, similes occasiones. Quapropter in praecedentibus enucleatius ea attuli, quae tamquam causae graves libidinis excitandae ne temere ponantur, sub gravi prohiberi debeant.

### Caput III.

#### De luxuria perfecta seu consummata.

Peccata consummatae luxuriae alia dicuntur iuxta naturam, alia contra naturam. 1037 Nimirum naturalia seu iuxta naturam dicuntur illae actiones, quae in usu venereorum ratione ipsius actus id servant, quod a natura praestitutum est, i. e., prolis procreandae finem seu possibilitatem, peccant autem in eo, quod extra legitimum matrimonium exercentur. Contra naturam ea peccata dicuntur, in quibus ratione ipsius actus prolis generatio excluditur, atque ita semen humanum contra finem profunditur. Naturale peccatum luxuriae proprie loquendo unum est, innaturalia peccata complura.

#### § I.

##### *De peccato luxuriae consummatae naturali.*

1. Fornicatio est carnalis copula hominis soluti cum soluta ex mutuo consensu.  
2. Fornicatio, etsi peccatum mortale sit secundum 1 Cor 6, 9 et Eph 5, 5: «Nolite errare . . . neque fornicarii regnum Dei possidebunt», idque secundum superius dicta (c. 1) ex natura rei pateat, tamen quoad specificam luxuriae malitiam reliquis peccatis consummatis levior est. Dico quoad *luxuriae* malitiam, quia quod a peccato solitario abest, hic accedit, nempe mutui ratio *scandali*; dein dico, quoad *specificam* luxuriae malitiam, quia subiectiva malitia in concreto saepissime maior videtur quam pollutionis malitia, quia et pudor multo magis exuitur, et actus multo plus voluntarii habet, quare in canonibus poenitentialibus etiam constanter pro fornicatione maior poenitentia iniungi consuevit quam pro pollutione.

3. Ad fornicationem per se reducitur: 1) *concubinatus*, quo quis continuo cum muliere matrimonio sibi non iuncta, ac si coniux sit, vivere pergit: est

igitur continuus status committendae fornicationis atque perpetua occasio; quare non propter specificam peccatorum accusationem, sed propter peccandi occasionem communiter in confessione haec circumstantia a confessario sciri debet;

2) *meretricium*, quo femina se cuilibet prostituit: de quo similiter sentiendum est. — Nihilominus in meretricio et concubinato etiam alia peccata, ut adulterii, sacrilegii etc. accidere possunt (vide infra) atque in meretricio non ea solum, sed et alia innaturalia frequenter committuntur re ipsa.

## § 2.

### *De peccato luxuriae innaturali solitario seu de pollutione.*

1038 Contra naturam peccatur aut sine concubitu, aut concubitu. Diversae species sunt 1) pollutio seu mollities, 2) onanismus, 3) sodomia imperfecta, 4) sodomia perfecta, 5) bestialitas.

Theologis vox «pollutio» indeterminata est; designat scil. seminis (quasi-seminis) emissionem sive inculpabilem sive culpabilem, eamque quocumque tandem modo moraliter non diverso causatam. Quare si de *peccato* pollutionis loquimur, culpabilem intelligi evidens est. Quod propterea noto, quia medici consueverunt pollutionem de naturali atque per se inculpabili seminis exoneratione intelligere, de culpabili pro variis eam causandi modis varias voces adhibentes. Nisi igitur haec advertas, non levis aliquando confusio oriri potest, immo in ipsis audiendis confessionibus damnosus error. Verum cave, ne, quod medici pollutionem dicunt, semper a culpa immune habeas; siquidem etiam illa et propter voluptatem intenta, et studiose quaesita, et voluntarie voluptatis causa accepta esse atque ita mortale peccatum existere potest.

1039 I. De pollutione directe voluntaria. Pollutione, seu seminis effusione, directe seu in se voluntaria qualibet contrahitur peccatum mortale, sive est directe procurata, sive naturaliter quidem exorta, sed lubens eius voluptas acceptata.

**Explicatio.** 1. Pollutio directe procurata *obiective* graviter mala est; pollutio autem naturaliter exorta *obiective* quidem mala non est, at quando deliberate eius voluptas acceptatur, obiectum fit voluntatis mortaliter peccaminosae. Quare in confessione haec distingui debent, quia utrobique specifica quidem malitia eadem est, at non idem peccandi actus: nisi forte effectus iam inceptus interno consensu promoveatur.

2. Quod de pollutione sive procurata sive deliberato consensu acceptata dictum est, valet etiam de distillatione, quae cum voluptate coniuncta est, si de hominibus solutis loquimur, ut iam supra notatum habes.

3. Quoad feminas certum quidem est, non esse *eandem* pollutionis malitiam, quae est in viris; cum enim femina non effundat semen ad generationem necessarium, huius frustrati finis malitia non habetur. Relinquitur ergo *malitia venerea voluptatis communis*: quam nihilominus specie infima differre censeo, prout capitur *perfecta* ex actu completo, aut ex simplici motu vel tactu venereo *imperfecta*; nam solutis imperfecta voluptas quaelibet tum in viro tum in femina propterea sub gravi prohibetur, quia via quaedam est ducens ad perfectam, quae *in se* et *ex se* graviter est illicita. Insuper femina, quae indulgeat saepius eiusmodi pollutioni excitandae, grave damnum sibi infert tum ad impotentiam sese disponens, tum nervorum excitationem magnam et morbidam contrahens. — Cum in muliere humoris secretio saepe intus lateat, cautus sit confessarius in interrogando.

4. Similiter iudicandum est de pueris, eunuchis etc., qui, cum semen verum non possint, alium humorem profundere cum venerea voluptate procurant: quamquam ab istis, nisi forte malitiam pollutionis proprie dictae norint atque desiderio amplectantur, facilius dixeris peccari peccato, quod infima specie non distinguatur a qualibet turpi voluptate



tactu provocata; pessimae tamen sequelae in valetudinis detrimentum sine dubio etiam ex illis peccatis oriri possunt. — Tactus autem etiam apud eiusmodi pueros mortaliter mali sunt, si tendunt in turpem delectationem eiusve periculum.

5. Quoad confessionis integritatem perinde est, utrum pollutio hoc an illo medio procurata sit, modo ne medium adhibitum aliam distinctam malitiam contineat: remedii causa autem saepe expedit, confessarium scire, utrum cogitationibus, an lectione, tactu etc. poenitens effectum provocaverit.

6. Saepe accidere potest, ut, qui pollutioni indulsit, desiderio etiam alia peccata luxuriae commiserit: quare non raro confessarii est, de iis interrogare, videlicet de desiderio fornicationis etc.

II. De pollutione indirecte tantum voluntaria. Pollutio indirecte 1040 seu in causa solum voluntaria, in quam neque intentio neque postea delectationis consensus fertur, culpa est secundum eum modum, quo culpabilis est causa in genere luxuriae: nisi forte propter consensus grave periculum culpa augeatur. Ita contra complures severiores *S. Alph.* III 484 cum plerisque theologis.

Quare pollutio, licet indirecte tantum voluntaria, 1) *ipsa in gravem culpam* imputatur, si sequitur ex actione graviter influente<sup>1</sup> sine gravi causa exercita;

2) etiam quando pollutio ipsa, re secuta, peccatum grave non est, tamen *grave peccatum secum fert*, si sequitur ex leviori actione temere suscepta *cum magno periculo consensus*, etiamsi consensus postea datus non sit;

3) *leve peccatum* est, si sequitur ex actione non graviter influente sine sufficiente causa, sed etiam sine gravi consensus periculo posita;

4) *nullum peccatum* est, si, remoto consensus periculo (sive eo quod periculum nullum subesse prudenter putetur, sive eo quod opportuna remedia contra periculum adhibeantur), exercendae actionis, ex qua pollutio secutura esse praevidetur vel timetur, ratio adest, nimirum causa *gravis*, quando actio graviter influit aut grave periculum consensus alias inducit, ut necessitas vel notabilis utilitas propria aut aliena; alias saltem *rationabilis* causa, etsi eo minus gravis, quo actio pollutionis causandae minus est efficax atque insuper periculum consensus levius.

**Declaratio.** 1. De quolibet motu seu voluptate turpi eadem principia 1041 valere, quae de pollutione (indirecte) causata, iam constat ex c. I: id tamen discriminis teneri debet, ut, quo leviores sint motus, eo facilius adsit iusta causa ponendi actionem, quam cum pravo motu coniunctum iri praevideatur, praesertim si actio secundum superius (cap. I) dicta non censeatur *ex se* graviter provocans effectus venerei.

2. Pollutio, quae solum indirecte voluntaria est in intemperantia graviter peccaminosa, tamen luxuriae peccatum non constituit nisi veniale: ita pollutio praevisa, per se oritura ex ebrietate, crapula, ieiunii laesione.

3. Medicus, qui in artis suae exercitio, confessarius, qui in audiendis confessionibus vel peccatorum recordatione, quam impedire nequit, theologus, qui in comparanda scientia ad munus suum spectante patitur pollutionem, a culpa immunis est, modo ne consentiat. Alioqui ea, quae pro humano genere necessaria vel utilia sunt, impedirentur. Qui autem in eiusmodi eventibus saepius consentire solet, est in occasione pro adiunctis plus minusve libera aut necessaria, atque secundum regulas in tractatu de poenitentia exponendas dirigi debet.

<sup>1</sup> Idque aliquo modo etiam *relative* seu cum respectu ad diversos homines sumi, intellige ex iis, quae habes n. 1029.

4. Generatim tactus, aspectus, lectio etc., quae ponuntur ex causa non levi, et diriguntur ad finem prorsus honestum necessitatis, utilitatis, convenientiae, non tenemur sub peccato omittere propter prava motus, immo etiam pollutionem praevisam, si consensus periculum absit. Huc refer non solum «inservire et curare aegrotos», sed etiam secundum honestam morem salutandi causa alios amplexari, manus iungere etc., corpus proprium mundare, lavare (immo mundities non bene curata irritabilitatem et tentationes solet augere).

1042 5. Speciatim quaerunt scriptores, num liceat, tangendo et fricando, pruritus, ardorem in genitalibus extinguere, etiam praevisa pollutione.

*S. Alph.* III 483 cum *Roncaglia* non vult admittere, si levis et tolerabilis est pruritus, tactum usque ad praevisam pollutionem, facilius usque ad aliquam commotionem: admittit, si pruritus magnus sit. — Practice igitur dicendum est, ex se, secluso consensus periculo, eiusmodi tactum vel fricationem peccatum non esse, si quis pruritus abigat, quem satis aegre ferat. Consultum quidem est, virtutis causa potius dolorem et incommodum ferre; aut etiam panno potius quam manu tangere, immo id prorsus necessarium esse puto, si hoc agendi modo pollutio secus secutura impediatur.

Verum in ipsis illis tactibus permittendis, teste *S. Alph.* (H. Ap. tract. 9, n. 34), confessarius cautus esse debet, ne ea permittat, quae ex fine fruendi voluptate exercentur.

Difficilior sane est quaestio, num, quod scriptores passim permittant, valeat etiam de feminis vel viris, qui intolerabilem patiantur in genitalibus nervorum irritationem, quae quasi cogat ad tactum vel alias motiones, quibus pollutio inducatur. Quodsi ardor et pruritus ille non ad id tendat, ut ipsa pollutione sopiatur et extinguatur, difficultas non est, omnia eodem modo ut supra permittere: siquidem ex naturali actione tangendi etc. sequuntur duo effectus, unus bonus, malus alter, quorum prior intenditur, alter permittitur quidem, sed in se per voluntatem detestatione excluditur. At si ardor seu irritatio ad id tendunt, ut per pollutionem extinguantur, sane non licet actionem ullam ponere, quae *ex se* istum effectum provocat, ut facile est tactus et fricatio; sed neque puto, in illo miserando statu hominem debere ita constrictum esse atque ab omni corporali motu, qui sane causa efficaciæ pollutionis nullatenus ex se censetur, studiose abstinere, ut: mutare situm in lecto, crus cruri supponere etc., modo *ne sic intendat*<sup>1</sup> pollutionem neve consensus periculum grave subeat. Nam si quae actio levis pollutionem causat, haec non ex illa actione, sed ex peculiari agentis dispositione non voluntaria ortum ducit: ut autem hanc actionem, si *ex se* vere leviter influere censetur, studiose declinet, sub gravi propter miseram illam conditionem subiectivam postulare, meo iudicio severius est. Omni tamen modo homo ille curare debet, ut rem in se detestetur Deumque imploret, ne se cadere permittat. — A *timorato* medico etiam remedia peti possunt.

1043 III. De nocturna pollutione. Nocturna pollutio peccatum esse potest 1) propter consensum, qui postea datur, i. e. si voluntas in ea sibi

<sup>1</sup> Pollutionem non permittere solum, sed procurare vel intendere, secundum *S. Alph.* III 476 *omnes* damnant mortalis peccati, etsi fieret sanitatis vel servandae vitae causa. Quare distinctio inter pollutionem physiologicam et moralem, quasi haec sola, quae voluptatis causa fiat, illicita sit, licita illa, si voluptatis intentio et approbatio desit, plane excluditur.

postea complacet propter voluptatem, sive quae actu, dum homo vigil evaserit, percipitur, sive quae percepta est (quamquam, si in *praeterita* pollutione voluntas sic sibi complacet, non proprie ipsa pollutio in peccatum imputatur); 2) propter causam efficacem ante somnum positam; 3) propter intentionem in ponenda causa ex se non graviter influente, ex qua aliquis intendat effectum. Aliter nocturna pollutio, i. e. quae accidit in somno, peccatum esse nequit.

**Declaratio.** 1. Qui ponit causam natura sua graviter influentem, reus est pollutionis, etsi demum in somnis sequatur, quando non habuit rationem sufficientem, cur licuerit causam illam ponere.

2. Si autem actio, ex qua putatur pollutionem sequi, in se non est graviter influens, paulo mitius res sumi potest quoad pollutionem in somnis orituram quam in vigilia secuturam: ita ut, seclusa intentione et approbatione pravi effectus, facilius aliquis a peccato gravi excusetur exercens actionem, ex qua praevidet illum effectum malum secuturum esse in somno.

3. Qui utcumque intendit sua actione pollutionem etiam in somnis procurare, peccati ipsius effectus reus est.

4. Qui inculpabiliter patitur nocturnam pollutionem, si semivigil complacentiam capit, mortalis peccati reus dici nequit, siquidem plenus consensus rationalis non adest. Si quis autem plene sibi conscius voluptatem pollutionis approbat, a gravi peccato (interno) immunis non est.

5. At aliud esse voluptatem pollutionis approbare, aliud gaudere de illa naturae exoneratione, ut est tentationis cessatio vel diminutio, iam notatum supra n. 358 habes.

6. Aliud etiam est pollutionem causare, aliud eam, iam coeptam naturaliter, non suppressere. Posterius ex obligatione non tenemur. Quare si pollutio in somnis incepta, homo evigilans bene quidem agit, si, quantum sine maiore difficultate possit, seminis effusionem e lumbis iam decisi cohibeat — quod corporale aliquid incommodum quidem creare potest, nocuum tamen valetudini verum non infert ex *Capellm.*<sup>15</sup> cap. C, II. —; tamen proprie dictam obligationem, maxime gravem, existere non puto, nisi periculum consensus adsit; nam homo non tam agit quam patitur. Ut autem consensus periculum fugiatur, recursus ad Deum vel B. Mariam V. quam primum habendus vel certe mens ab ea re avertenda est.

Immo adhibita vi cohibendae pollutionis naturaliter coeptae, etiam in vigilia, obligatio per se existere non videtur; nam per se eadem ratio subest, quae affertur communiter de pollutione in somnis incepta. Quoniam autem periculum consensu labendi vix absit *omnino*, castitatis sectatores potius conatum aliquem, quantum possunt, adhibeant, at sine perturbatione et anxietate, ne obligationis, quae non sit, scrupulum sibi iniciant.

**Scholion.** De onanismo — saltem ut theologi vocem illam sumunt — quoniam sermo recurret, quando de matrimonii usu dicendum erit, hic sufficit notasse, eius malitiam, si de solutis agitur, esse et fornicationem in affectu eamque attentatam, pollutionem in effectu — saltem practice loquendo, nisi forte aliquis inter peccandum poenitentia ductus se retraxerit, pollutionem autem, quam cohibere amplius non possit, patiatur, non voluntarie ea fruatur.

In quo peccato malitia eadem est, sive vir sese retrahat, sive semen virile alio modo intercipiatur, ne generatio possit sequi. In *priore* igitur modo reus erit vir, mulier plerumque, si rea est, suasionem vel inductionem; potest tamen mulier aequae principaliter criminis particeps esse, idque ex se est in aliis onanismi modis.

## § 3.

*De sodomia.*

1045 Sodomia alterum peccatum est contra naturam, tum ex se ratione luxuriae pollutione peius, tum ratione scandali gravius. Est autem usus venereorum completus in vase indebito. Distinguitur vero sodomiae species perfecta et imperfecta: perfecta, si fit copula inter personas eiusdem sexus; imperfecta, si sexuum distinctio quidem observatur, sed organo ad id non destinato coitus perficitur.

I. Sodomia specie perfecta et specie imperfecta secundum specificam malitiam distinguitur: *S. Alph.* III 466.

II. Sed probabile est, peccati specificam malitiam desumi ex affectu aut ad sexum innaturalem, aut ad vas innaturale: ita ut, si duo homines eiusdem sexus peccaverint, sufficiat sciri, utrum per modum concubitus peccatum cum seminis effusione seu pollutione factum sit, an sola manuum attrectatione, non requiratur maior explicatio *modi* luxuriosi actus, nisi forte propter peccati reservationem necessarium sit scire, fueritne vere corporum commixtio per copulam necne.

Si vir cum muliere peccat extra vas naturale, *S. Alph.* l. c. cum communi sententia docet, tum demum esse sodomiam (utique imperfectam), si in ano coierit; aliter esse fornicationem in affectu et in effectu pollutionem. Nimirum si sexuum distinctio servatur, peccatum censeto esse contra naturam, quam minime, non quam maxime natura actus patitur; quare affectus ad vas indebitum non supponitur, sed probari debet. Aliud prorsus est, si sexuum distinctio non servatur; nam eo ipso habes in quolibet coitu cum seminis effusione totam substantialem malitiam; diversi modi non addunt specificum discrimen.

1046 III. Actus perfectus sodomiae potest adesse tum in specie perfecta, tum in imperfecta. Si autem sodomia reservatum peccatum est, reservatio, nisi aliud expressum sit, intelligitur de actu perfecto seu copula sodomiae perfectae: quae facilius quidem inter mares accidit, at etiam inter feminas aliquando possibilis est.

**Videlicet.** 1. Actus perfectus vocatur, si seminis vel quasi-seminis effusio facta fuerit utcumque in organum indebitum alterius personae; imperfectus, si duo homines eiusdem sexus concubuerint, at seminis effusio ab alterius vase non fuit recepta.

2. Sed ne imperfectus quidem sodomiae actus est, si duo homines eiusdem sexus tactu mutuo se polluant; id saltem communiter dici debet; quia communiter, qui ita peccant, in pollutionis voluptate sistunt. Quodsi feratur affectus luxuriosus unius in alterum, ita ut concupiscat ipsam personam, habebis sodomiam in affectu. — Hinc e contrario, si quis se polluat agendo cum altero homine eiusdem sexus eo modo, qui sodomiae similior est, non tamen actu perfecto, atque revera in ipsam personam turpi amore non feratur, habes pollutionem quantum respicitur ipsius agentis peccatum contra seipsum, sodomiam plerumque ratione sandali dati.

IV. Secundum *S. Alph.* III 468 probabile est, specie non distingui peccatum agentis et patientis: modo constet de pollutione, quae facilius aderit in agente.



Idem *S. Alph.* practice explicandum esse dicit, utrum aliquis fuerit agens an patiens: nimirum agentem pollutionem habuisse supponitur, nisi contrarium expresse dicat; patiens vero potius positive exprimere seu interrogari debet, num etiam pollutionem ipse in se passus sit.

NB. Existere in quibusdam talem perversam inclinationem sive insitam sive peccaminosa consuetudine auctam, ita ut erga personas sui sexus libidinose commoveantur, non commoveantur erga alterum sexum, tristis est experientia. Quodsi innotuerint confessario vel directori spirituali, mature arcendi sunt a suscipiendo eo vitae statu vel officio, v. g. magisterio, in quo vix evasuri sint proximam peccandi occasionem.

#### § 4.

##### *De bestialitate.*

Peccatum luxuriae omnium gravissimum est bestialitas, qui est con-<sup>1047</sup>gressus venereus non servata speciei identitate. De quo pauca haec fere cum *S. Alph.* III 474.

I. Bestialitatis peccatum non est, si quis tactu animalis in se ipso pollutionem excitet, sistens in ea: habes solam pollutionem.

II. Si vero feratur affectus turpis in bestiam, bestialitas habetur, saltem affectu, atque etiam effectu, si per modum concubitus, quocumque tandem modo, peccatum perpetratum sit cum seminis vel quasi-seminis effusione; si minus, saltem attentatum peccatum habes.

At *reservatam* bestialitatem, nisi reservationis declaratio severior facta sit, intellige de solo concubitu copulae consummatae: *Salm.* tract. 26, c. 7, 140, alii.

III. Quoad moralem malitiam secundum *S. Alph.* l. c. nihil refert, cuiusnam speciei animal fuerit, quia malitia specifica ex diversitate a specie humana desumitur; neque cuius fuerit sexus. Quam opinionem veram esse puto, si verum est, quod hodie medici et physiologi sentiunt, ex congressu hominis et bestiae generationem sequi non posse. At si id non sit exploratum, ut *S. Alph.* VI 125 cum *Busenb., Rituali R.* etc. non est, puto, a doctrina *S. Alph.* circa specificam malitiam recedendum esse, atque plane gravius et aliud peccatum committi per congressum cum bestia diversi sexus quam eiusdem sexus, si tamen commissum sit copula alioquin apta: nam periculum veri monstri generandi inducere sine dubio aliam malitiam, quae in quolibet peccato luxuriae innaturali est, superat non gradu solum, sed specie.

NB. Ad bestialitatem scriptores revocant congressum cum diabolo sub forma sive hominis sive cuiuslibet animalis sese exhibentis: quia revera species humana non servatur. Cui peccato non solum semper peccatum contra religionem (superstitionis) coniungitur, sed etiam coniungi *potest* affectus aliorum luxuriae peccatorum pro diversis formis, sub quibus diabolus sese exhibeat, si hae ipsae affectum peccantis determinent: *S. Alph.* III 475. Contrahi autem huiusmodi enormis peccati malitiam non solum, si quando diabolica revera adfuerit apparitio, sed etiam si quis, hallucinationibus subiectus eam adesse putans in illa cum luxuriae peccato sibi complacet, vix est, quod moneam. — Haec raro quidem fiunt, sed accidere aliquando, non est impossibile.

## Caput IV.

## De peccatis luxuriae, quae cum circumstantia malitiam addente coniuncta sunt.

1048 Prout ille, qui peccat aut quocum peccatur, vi alterius virtutis aut ab omni luxuria, aut a luxuria cum certa persona abstinere debet, peccato luxuriae nova malitia extra luxuriae malitiam potest coniungi, ut contra iustitiam, contra religionem, contra pietatem.

Quae malitiae luxuriae extrinsecus accedentes non in solo peccato luxuriae naturali et consummato inveniuntur, sed etiam in aliis peccatis imperfectis, vel in innaturalibus. Quod quamquam in singulis peccatis mox tractandis fere notaturus sum, tamen universim notasse iuvat. — Tractanda sunt haec: stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium.

I. Stuprum est violenta mulieris oppressio seu copula vi extorta: sic secundum aliquos; quare secundum hunc conceptum stuprum est, si ad luxuriae malitiam, quae in fornicatione est, gravissima illa in iustitia accedit.

Alii, idque *sensu theologico*, stuprum sumunt pro *iniusta virginis defloratione*, seu pro copula cum puella, quae adhuc virgo est, cum iniustitia in eam coniuncta. Pro diversa autem iniustitia distinguitur stuprum *violentum*, et *voluntarium*: violentum, quando virgo vi physica subigitur; voluntarium, si fraude, minis, importunis precibus cum metu, ad consensum cogitur. (Immo nonnulli id extendunt ad virginis consensum quomodolibet obtentum, quoniam sive puellae, sive eius parentibus irreparabile damnum inferatur: at cum haec non sit communis sententia, negligi potest, neque puellae libere consentientis defloratio pro peccato a fornicatione distinctum habeatur opus est.)

Quare si casus reservatus est «stuprum», id sume prorsus pro iniusta virginis defloratione; si est «stuprum violentum», pro sola virginis violenta oppressione. Habet igitur stuprum utique semper malitiam iniustitiae fornicationi superadditam.

Illa *iniuriae* species, quae summo gradu et diversa malitia est in copula extorta, invenitur etiam imperfecto modo in mulieris invitae turpi attrectatione seu tactu: proin in confessione declaranda est.

Addunt aliqui pro distincta specie «raptum»; verum cum haec non tantopere ex parte luxuriae quam iniuriae sit distinctum peccatum, id hoc loco omitti potest. Sufficit de raptu, quod in impedimentis matrimonii notabitur.

1049 II. 1. Adulterium est accessus ad torum alienum; quare praeter luxuriae malitiam habet laesi iuris alieni gravissimi, eiusque sacro charactere sacramentali affecti inter christianos.

2. Quamquam adulterium sensu perfecto sumitur pro copula, tamen etiam in quibuscumque peccatis, etiam imperfectis, quibus persona coniugio ligata turpiter attrectatur, adulterii ratio inest, i. e. violati iuris alieni et violati sacramenti. Immo si alteruter coniugum pollutionem committit, haec adulterii imperfecti ratio iam contrahitur, quoniam, ut

monet Apostolus, «mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier». 1 Cor 7, 4.

3. Ab adulterii reatu non eximitur peccatum ex eo, quod fortasse vir impius consentiat in suae uxoris prostitutionem, siquidem iniuria quidem marito non ita est illata, at nihilominus ius alienum *inalienabile* et sacramenti sanctitas laeditur: verum si consentiente marito seu altero coniuge adulterium committitur, haec circumstantia ut partialem aliquam malitiae speciem auferens videtur declaranda esse a confitente, sicut in homicidio, si quod in consentientem commissum sit.

4. Si coniugatus cum coniugata peccat, adulterium *duplex* committitur: nam duplex ius alienum violatur; quare haec circumstantia in confessione necessario declaranda est.

III. 1. Incestus est luxuria cum personis cognatis exercita, ita <sup>1050</sup> ut praeter luxuriae malitiam simul etiam contra reverentiam seu *pietatem* peccetur: quae malitia non in solis peccatis consummatis est, sed in quolibet etiam imperfecto peccato, quo invaditur persona cognata.

2. Ratio incestus tum erga consanguineos, tum erga affines extenditur ad eos gradus, qui impedimentum matrimonii dirimens constituunt: immo vocatur etiam incestus peccatum cum legaliter et spiritualiter cognatis.

3. Probabile est, incestum inter consanguineos et affines specie non differre: at inter spiritualiter cognatos specie differre omnino videtur.

4. Incestus inter diverso gradu cognatos probabiliter specie non differt, nisi adsit *primus* cognationis gradus, isque lineae rectae, i. e., si fit incestus inter parentes et filios: *S. Alph.* III 448.

Nam ratio pietatis, contra quam incestus praeter castitatem delinquit, inter illos *per se* invenitur, inter alios cognatos solum propter relationem ad parentes seu *per participationem*. Sed 1) quod tale est per se, videtur specie differre ab eo, quod tale est solum per participationem; 2) quae autem talia sunt per participationem sive propinquius sive remotius, ab invicem non specie, sed gradu tantum seu circumstantia aggravante distingui videntur.

In primo autem gradu lineae rectae puto etiam differre peccatum, prout aut parens filium vel filiam, aut filius parentem induxerit; haec enim *seductionis* malitia longe alia est, prout aut a parente aut a filio committitur, utpote diversis pietatis officiis directe opposita. Haec ex iis, quae de quarto decalogi praecepto disputata sunt, satis videntur patere.

Similiter si alius quidam cognatus, cui paterna potestas vel cura commissa sit, aliquem suae curae commissum seducat, haec seductio sane in confessione explicari debet; quod tamen non est incestui proprium, sed seductioni quorumlibet criminum commune.

Etiam si quis cum noverca vivente patre peccaverit, haec circumstantia in confessione accusanda est, quia, etsi ratione incestus peccati species non committitur ab ea diversa, quae inest peccato cum aliis cognatis patrato, committitur tamen ratione atrocis *iniuriae* erga *parentem*.

5. Incestus malitia non solum peccatis luxuriae, quae iuxta naturam fiunt et complentur, contrahitur, sed etiam iis actionibus, quae vel imperfectae sunt, vel fortasse contra naturam committuntur: quod idem de adulterio dictum est, eo tantum discrimine, quod incestus malitia numquam in peccato solitario insit, malitia adulterii inesse possit.

1051 IV. Sacrilegium seu potius luxuria sacrilega committitur aut *personale*, si a sacra persona sive cum sacra persona fit; aut *locale*, si in loco sacro peccatur secundum ea, quae dicta sunt supra de virtute «religionis» n. 526 528.

Ibi etiam vide, quo sensu solum privatum votum castitatis *sacrilegum* constituat luxuriae peccatum.

NB. 1. Quod iam de adulterio et incestu aliquo modo dictum est, etiam a fortiori de sacrilegii reatu dici debet, scil. eum contrahi etiam actibus *quibuslibet* contra castitatem; immo sacrilegium etiam sola voluptate venerea contrahitur ab eo, qui voto castitatis vel sacro ordine Deo consecratus est: id saltem de sacrilegio personali valet.

NB. 2. Voluptate vel cogitatione interna speciem sacrilegii, incestus etc. contrahi posse, quatenus *obiectum peccati* desiderati vel approbati illas species malitiae continet, non est, quod hic exponam: id enim ex iis, quae de distinctione peccatorum interiorum in *theolog. generali* dicta sunt, colligitur.

Pro catalogo diversorum peccatorum contra VI praec. erit ipse index et singularum §§ inscriptio: ea igitur repetere supervacaneum est.

## TRACTATUS IV.

### DE BONIS EXTERNIS SEU FORTUNAE ATQUE HUMANIS ERGA ILLA OFFICIIS.

De amplissima hac materia iustitiae commutativae praeter *S. Thom.* 2, 2, q. 58—78 et *S. Alph.* III, a n. 486 erudite scripserunt: *Lugo*, De iustitia et iure; *Molina*, *Lessius*, *Vogler*, *Beusch* (De pactis, *Migne* curs. theol. XVI); recenti aetate: *Crolley*, De iust. et iure; it. *Carrière*, *Schwane*, *Waffelaert*, *Delama*, *Marres*, *Pruner*, «Lehre vom Recht»; *Vermeersch*, Quaestiones de iustitia; praeterea passim omnes, qui de universa theologia scripserunt, quorum plures in decursu huius tractatus allegatos habes.

1052 Bona fortunae quae dicuntur, quibus homo ad vitam terrenam ducendam indiget, praecipuum obiectum sunt, circa quod iustitia stricta versatur, et in quo hanc iustitiae virtutem facilius laedi accidit.

Quo enim frequentior est horum bonorum usus et quo frequentior et magis necessaria eorum transmutatio seu transitus ab unius in alterius dominium: eo facilius stricta aequalitas ac proin iustitiae norma violari potest.

Quare in practico moralis theologiae studio haec iustitiae pars potissimum attendi et perquiri debet, tum ut laesae iustitiae peccatum recte discernatur, tum ut obligatio restitutionis, utrum adsit annon, plane cognoscatur ex praec. VII decalogi:

*Non furtum facies.* Ex 20, 15.



## SECTIO I.

## DE IURE HOMINIS IN BONA FORTUNAE.

Hominem habere et acquirere posse strictum ius in bona externa, quantum satis est, iam supra de virtute iustitiae in genere agentes inuimus, fusiorem tractationem ethicae debuimus relinquere. Quare hic statim ad particularia descendimus 1. circa iurium diversitatem, 2. eorum subiecta, 3. eorum acquirendorum modos diversos dicturi.

*Caput I.*

## De variis iuris speciebus.

I. Ius plenum et perfectum vocatur dominium; de quo iam supra dictum est, uti etiam de notione dominii directi et indirecti.

Dominium nimirum reddit rem domino *propriam*. Quo fit, ut dominio, quod est *directum tantum*, dominii nomen melius conveniat quam dominio indirecto. Qui enim dominium directum in rem habet, vere eam ut propriam tenet, atque subiectum iuridicum substantiae rei existit, etsi usum et dispositionem rei habeat impeditam; qui vero *indirectum tantum* alicuius rei dominium habet, illam rem, scil. eius substantiam, non ut propriam tenet, sed solummodo iure circa eam disponendi utitur.

II. Usus est temporaneum ius in re aliena, ea scil. utendi, salva eius substantia.

Qui rei usus determinatur contractibus aliisve transmissionis modis, quibus ius illud concessum seu acquisitum fuerit; simili modo onera illa determinantur, quae ab usuario, i. e. ab illo, qui ius usus habet, subeunda sunt. Particularia quaedam vide postea, quando sermo erit de contractibus locationis et conductionis.

III. Ususfructus ius est temporaneum et utendi re aliena et <sup>1053</sup> fructus illius percipiendi, salva eius substantia. Hinc in sola re frugifera usus et ususfructus distinguuntur.

Usufructuarius, i. e. ille, cui ius ususfructus competit, in fructus rei plenum dominium acquirit: debet autem rem ipsam in bono statu conservare; modicas expensas pro re reparanda facere; onera, quae rei incumbunt (ut tributa etc.), ferre.

Dominium igitur acquirit eorum, quae in fundo, cuius usumfructum habet, nascuntur; foetus animalium suos facit; in silvis *consuetam* lignorum portionem caedere potest, non vero eam, quae statum silvae deteriorefficiat.

Ususfructus distinguitur *conventionalis* et *legalis*, prout libero contractu creatur, aut ipsa lege in certis casibus conceditur, e. g. parentibus in quaedam bona filiorum, mariti in quaedam uxoris bona; de quibus postea.

IV. Emphyteusis est ius haereditarium in re aliena, quod ad plenum usumfructum, immo etiam ad ius mutandi rei formam accidentalem (e. g. mutandi agros in prata, silvas etc.) extenditur.

Quoniam vero tanta disponendi facultas tribuitur, recentiores malunt emphyteusim pro «dominio in certis casibus amissibili cum obligatione quotannis certam summam solvendi» habere, quam eam cum Romano iure

tamquam ius in re aliena considerare. — Ius Austriacum (§§ 1122, 1123) haereditariam locationem (emphyteusim) distinguit et censum emphyteuticum, quo pretium longe infra valorem fructuum quotannis solvendum sit, constitutum praecipue in recognitionem domini directi. — Ceterum ad iura et obligationes, quae sive ex emphyteusi, vel ex censu emphyteutico, sive ex feudo oriuntur, accuratius addiscenda remitto ad leges regionum atque earum iurisperitos.

V. Feudum ab emphyteusi eo distinguitur, quod loco pretii quotannis solvendi imponitur obligatio domino directo exhibendi obsequium et fidelitatem.

1054 VI. Servitus dicitur ius alicui personae aut alicui rei inhaerens, vi cuius aliena res ipsi serviat, i. e. aliquam utilitatem, commodum praestare debeat.

De qua longiorem aliquam explicationem dari convenit.

1. Ex ipsa definitione data habes distinctionem inter servitutes *personalem* et *realem*, prout utilitas ex aliena re percipienda certum hominem immediate respicit, aut mediante re quam possidet, seu non ut hunc hominem, sed ut huius rei possessorem: quare res illa, ex cuius possessione redundat ius circa rem alienam in utilitatem rei propriae, dicitur *res dominans*, altera *res serviens*.

2. Ratione *originis* distinguitur servitus *legalis*, *conventionalis*, *naturalis*, prout aut speciali lege, aut libera conventionione, aut naturali rerum conditione, situ etc. oriuntur.

3. Ratione *diversi obiecti* seu rei, in cuius utilitatem conceduntur, habes servitutes *urbanas* et *rusticas*, prout in utilitatem aedificiorum aut agrorum cedunt.

4. Ratione *modi* servitutes sunt: *continuae* aut *discontinuae*, *apparentes* aut *non apparentes* seu *conspicuae* aut *non conspicuae*.

5. Servitutes urbanae sunt fere hae:

a) servitus *tigni immittendi*, scilicet in murum alienum, quo propriae aedes fulciantur; b) servitus *oneris ferendi*, scil. proprias aedes fulciendi ipso muro alieno; c) servitus *proiciendi*, i. e. aedes extollendi in aerem supra fundum alienum; d) servitus *protogendi*, scil. in aerem supra fundum alienum *solum tectum* proiciendi; e) servitus *stillicidii immittendi*, avertendi videlicet in alienum fundum; si vero licet stillicidium *collectum* in alienum fundum derivare, dicitur f) servitus *fluminis recipiendi*; g) servitus *cloacae immittendae* (stercora per alienum fundum deducendi vel ad murum alienum construendi cloacam); h) servitus *altius non tollendi* etc. . . . (ius prohibendi, ne vicinus aedificia altius erigat).

6. Servitutes rusticae hae sunt praecipuae:

a) servitus *itineris* (ius eundi, portandi, equitandi super alienum fundum); b) servitus *actus* (ius praeterea vehendi et pecora agendi sine via permanente: attamen ius *semitae* habetur tantum pro servitute itineris); c) servitus *viae* (ius viam habendi — Strasse — super alienum fundum); d) servitus *aqueductus*; e) servitus *aquaehaustus*; f) servitus *pecoris ad aquam appulsus*; g) servitus *pascendi* etc., quae ipso suo nomine intelliguntur.

Limites vero et extensionem omnium istorum iurium accuratam a iuris consultis cognoscere oportet. (Haec breviter ex Puchta *Pandecten* notata sunt.)

Descripsi servitutes, prout pro *iure* sumuntur, seu prout ius concedunt possessori agri aut aedificii dominantis: hoc sensu dicuntur *servitutes activae*. Prout exprimunt *onus* fundi vel aedificii alterius, dicuntur *servitutes passivae*.

7. Ex natura et conceptu servitutum sequitur:

1055

1) Quando servitutes reales sunt, seu proxime pro utilitate *rei* constitutae, re inter plures possessores divisa, ius servitutis transit ad omnes et singulos possessores. 2) Dominus praedii servientis nihil facere potest, quo servitus activa eiusque usus diminuatur vel difficilior usu fiat, e. g. non potest mutare viam, ductum aquarum etc., nisi in commodum rei dominantis aut propter necessitatem reparaciones etc. faciendi; dominus praedii dominantis nihil potest, quo onus servitutis passivae gravius evadat.

8. Quomodo servitutes sive extinguantur sive acquirantur solo temporis lapsu vel praescriptione, infra dicitur. Quando vero positiva institutione oriuntur, haec ipsa dispositio iuris et facti inspicienda est.

## Caput II.

### De temporalium bonorum dominii subiecto in particulari.

Supra iam dictum est, quibusnam in genere dominium competere possit; atque simul innuimus, posse leges positivas ipsius dominii eiusve acquisitionis limites quosdam ponere, sive etiam illud extendere. Positivae igitur legis statuta attendi prorsus debent, quando de iuris subiecto seu de diversorum subiectorum iuribus disputamus. Attamen quae generatim de legitima dominii aliorumve iurium acquisitione statuta sunt, doceri debent, quando singuli *modi* iurium acquirendorum considerantur. Hic solum ea attingemus, quae de certis quibusdam hominum ordinibus eorumque limitato dominio statuta sunt, quaeque in dirigendis aliorum conscientiis difficultatem specialem efficere possunt, videlicet de dominio 1. filiorum-familias, 2. coniugum, 3. clericorum, 4. scriptorum seu auctorum.

#### § 1.

##### *De dominio filiorum-familias.*

Praenotanda: I. Filii-familias vocantur omnes liberi utriuslibet sexus sub paterna potestate constituti.

*Sub paterna vero potestate aliquis constituitur*

1) nativitate ex legitimo matrimonio; 2) legitimatione subsequenti (quae fit subsequenti matrimonio, modo fuerit proles nata a parentibus matrimonii ineundi capacibus; — alias legitimatione opus est a competenti auctoritate publica concessa, si qua conceditur: generatim non conceditur neque concedi potest, si adfuit inter parentes impedimentum matrimonii *indispensabile*<sup>1</sup>); 3) adoptione (attamen haec filium adoptivum non ita subicit sub patrem adoptivum quoad bona filio propria, sicuti naturalis paternitas). *Finitur paterna potestas* a) morte naturali aut civili patris: attamen nisi filius eo tempore illam aetatem habeat, qua emancipatio concedi *potest*, paterna potestas transit in

<sup>1</sup> Lex civilis in Anglia non admittit legitimationem per subsequens parentum matrimonium.

alterum, ita ut ius filii non mutetur; b) emancipatione sive expressa, sive tacita.

1057 II. De emancipatione seu dimissione ex paterna potestate ex positivis legibus haec notatu digna sunt:

1. Emancipatio fieri *debet*, filio volente, post annos maiorennitatis: immo ius *commune* filios maiores per se sui iuris constituit, cui consonat ius Germaniae, quod paternam potestatem in liberos statuit «*quamdiu sunt aetatis minoris*» (§ 1626); praeter hos limites paternae potestatis aliam emancipationem proprie dictam ius Germanicum non novit.

Fieri *potest* emancipatio, si in vivis est pater, ab ipso patre post annum 15 filii completum; patre mortuo, a curatoribus post annum 18 completum secundum cod. Gall. art. 477 et 488. Alia iura alios terminos aetatis constituunt; ius Germ. simpliciter statuit annum 18 completum, quo *maiorennitas declarari* possit.

2. Emancipatio filii filiaeve minoris fit a) expressa patris vel curatoris declaratione pro diversis iuribus privatim aut coram iudice facta; b) si filius legitimo parentum consensu — ita complura recentiora iura disponunt — vel matrimonium iniiit<sup>1</sup> vel separatam societatem domesticam condidit, sive proprio Marte artem exercet (ius Gall. art. 476)<sup>2</sup>. Cf. *Pruner*<sup>3</sup> n. 596 sqq; pro Anglia *Crolley*, De iust. I 458.

Aetas autem maiorennitatis nunc fere ubique pro filiis utriuslibet sexus statuitur 21 annus completus. Ita ius Germ. (§ 2), ius Gall. (art. 388), ius Ital. (Rom. nov. sub. Greg. XVI) etc.

Antiqua iura discrepabant. Ita ius Rom. antiq. annum 25 completum statuerat, ius Borussiae vetus 24, ius Austr. etiam nunc 24 (§ 21).

1058 III. Varia bonorum genera recensentur.

A. Nimirum a iure Romano haec distinguuntur:

1. Bona *castrensia*, quae filius occasione militiae acquisiverit.
2. Bona *quasi-castrensia*, quae ex aliquo alio publico officio acquisita sunt.
3. Bona *adventitia*, quae filio aut ipsius filii intuitu donata sunt, aut illi aliunde ac ex bonis paternis advennerunt.
4. Bona *profectitia*, quae aut vivente patre ab eo quoad substantiam filio collata sunt, aut ab aliis intuitu patris filio donata, aut quae filius ex bonis paternis, e. g. negotiatione cum paternis bonis, lucratus est.

B. In iure Gallico haec tantum distinctio fit:

1. Bona a filio *ex industria separata* acquisita, aut soli filio data.
2. Bona, quae filius *alio modo* aut labore et industria, aut dono acquisivit.
- C. Ius Germanicum fere eodem modo distinguit:
  1. Bona filiorum *libera*, quae constituuntur 1) ex iis, quae proprio labore vel separata industria sibi legitime concessa acquisierunt; 2) ex iis, quae filio sive ultimis voluntatibus sive inter vivos ita donata sunt, ut testator sive donator parentes expresse ab usufructu excluderet; 3) ex iis, quae a bonis sub nn. 1) et 2) nominatis ortum ducunt (§§ 1651 1638).

2. Bona *non libera* comprehendunt omnia reliqua.

D. Ius Austriae cum etiam amplius filiis-familias in dispositione bonorum favet.

<sup>1</sup> Ius Germanicum hanc emancipationem seu declarationem maiorennitatis anticipatam solam admittit factam decreto senatus curatorii (Vormundschaftsgericht) consentiente et ipso minore et eo, qui in illum paterna potestate potitur (§ 3—5), nisi forte agatur de vidua minorenni. — Maiorennitas vi matrimonii non admittitur, quia filio non licet ante aetatem maiorennitatis matrimonium inire; in filiam matrimonio iunctam ius paternum ex parte retinetur (§ 1633).

<sup>2</sup> Quamquam ius Germanicum de hac emancipationem non loquitur formaliter, nihilominus minores, qui ex consensu parentum vel curatoris atque iudicis competentis facultate donantur proprio Marte negotiationem vel artem exercendi, in his rebus fere ut maiores sui iuris sunt (§ 112).



E. Ius Anglicum bona filiorum diversa non ita distinguit, concedit iis *iure suo* bona possidere et acquirere (cf. *Croll* I, n. 464 et 465).

His praenotatis, de iure et dominio filiorum-familias haec teneto:

1059

I. Secundum ius Romanum *bona profectitia* pleno iure patris sunt, sed filio manent, si pater bonis suis in poenam privaretur; bona *adventitia* filii sunt, sed, quamdiu sub paterna potestate est, pater usumfructum habet et administrationem (igitur ab aetate maiorennitatis per se cessat facultas patris in illa bona); bona *castrensia* et *quasi-castrensia* pleno iure filii sunt, sed *ante pubertatem* eorum administrationem non habet.

II. Ius Germaniae eodem modo patri concedit cum administratione usumfructum bonorum filiorum, quamdiu filius *minor* est, *exceptis bonis liberis*: bonorum *liberorum* habet pater solam administrationem eamque restrictiorem, quam ius Romanum dederat (§§ 1649 1650).

NB. Ius Austriacum usumfructum quorumlibet bonorum filii vult impendi solummodo in utilitatem et sustentationem ipsius filii (§ 150). Ius Anglicum etiam solam administrationem bonorum filii minoris (usque ad 21 annum) eamque restrictam patri concedit.

III. Secundum ius Gallicum filius-fam. perfectum dominium bonorum habet, quae separata industria acquisivit, vel quae ipsi soli donata sunt; filius minor nondum emancipatus administrationem nondum habet. — Reliquorum bonorum etiam ususfructus usque ad filii emancipationem, sed non ultra 18 aetatis annum, patri aut, eo defuncto, matri, si vidua manserit, conceditur.

### Conclusiones et maior explicatio pro praxi in cura 1060 animarum.

1. Filius etiam maiorennis, quamquam aut sui iuris existit aut, ut sui iuris fiat, postulare potest, tamen, si in negotiis paternis occupatur, mercede quidem vel retributione dignus est, sed ipsos laboris fructus patri acquirit, non sibi, siquidem patris nomine laborat. (Cf. ius Germ. §§ 1618 1619.)

2. Quae filius minor nondum emancipatus, in domo paterna in arte, negotiatione etc. patris occupatus, lucratur, etiam secundum ea iura, quae filium sui iuris faciunt ad bona acquirenda, generatim non filii, sed patris sunt, siquidem non sibi, sed patri acquisivit et acquirere debuit.

3. Immo filius minor sub paterna potestate plene constitutus, si, quae sibi lucrari potuit, clam detinet, parentibus abscondit, saltem per se illicite administrationem suorum bonorum sibi arrogat, atque non raro propter periculum mali usus atque laxioris vitae peccat. — (In Anglia videtur filiis plus iuris concedi.)

4. Attamen cum administrationis iniusta arrogatio longe difficilius gravem iustitiae laesionem erga patrem contineat, atque alia peccandi pericula non semper vel existant vel gravia sint: *difficultas practica* oritur, quomodo et quando filii sive maiores sive minores in domo paterna manentes peccent, idque graviter contra iustitiam adeoque cum onere restitutionis, eo quod vel aliquid lucri sibi invitis parentibus retineant vel pro laboribus factis ex paternis bonis sibi quaedam surripiant.

Cui difficultati ut respondeam, haec noto:

A. Sumo, filium laborare in domo paterna, atque in augendis bonis paternis incumbere. — Quod si fit, aliquam retributionem sibi vindicari a filio, ab iniustitia immune esse potest a) ratione *aetatis*, si filius maiorennis est, quamquam nondum emancipatus, modo ne parentes eius labore prorsus indigeant; b) ratione *extraordinarii laboris* a filio etiam minore nondum emancipato praestiti. Extraordinarius autem censetur labor, si filius aut ratione status laborare non tenetur, aut aliis filiis *notabiliter plus* laboravit. Videlicet in hisce casibus filius famulo vel altero conducto non est deterior. Attamen

ne iustitiae limites excedat, a) cavendum est, ne notabilis excessus dicatur, quando labor impensus vix aequet expensas sustentationis, quam a patre filius accipit; b) cavendum est, ne *bis* congruam retributionem filius sibi vindicet; siquidem parentes non raro intendunt, in testamento vel aliis modis postea filium prae reliquis remunerare.

1061 B. Sumo, filium minorem, qui extra donum labores suos in fabrica, officina aliisque modis collocavit, in domo paterna autem alitur, ita ut parentes exigant sibi mercedem filii diurnam vel hebdomadariam.

Quodsi pater pro conditione sua filium locavit, videtur lucrum, quod filius facit, potius bonis profectitiis equiparandum esse, quod pro patre acquiritur, maxime si pater etiam domi filio pro conditione sua labores imponere possit: quapropter eadem valent, quae sub 1 dicta sunt, adeoque videtur difficilium filio aliquid indulgeri posse, si partem mercedis patri occultat. At quia non ita constat, patrem ex iustitiae potius quam ex pietatis obligatione filium adigere, a nimia severitate etiamtum cavendum est, maxime *post* factam aliquam defraudationem. Immo ex iure *Austriaco* (§ 149) et *Germ.* (§ 1651) potius filius lucrum *suum* facit, quamquam pater illud administrat vel saltem postulare potest, ut in filii sustentationem id impendat.

Si vero filius ipse se suosque labores locavit, facilius etiam dici potest, lucrum in se vere a filio *ut suum* acquiri, quamquam pater administrationem habet. Attamen plures tituli esse possunt, cur pater lucrum a filio factum sibi iuste reclamet: a) quod filius tantum saltem patri cedere debeat, quantum pater in illius sustentationem impendit; b) quod etiam necessitatibus parentum providere teneatur; c) quod etiam pro conditione sua aliquid conferre debeat ad sustentationem et educationem fratrum et sororum natu minorum. Haec imprimis prae oculis habenda sunt: praeterea vero periculum abusus, quem filius forte cum pecunia committit. — Quoniam igitur rationes graves sunt, cur filio non ita indulgeatur, ex altera parte etiam plures atque graves rationes, quae frequenter filium excusent a *gravi* iustitiae laesione: *ante* factum generatim potius in severiorem, *post* factum in mitiorem partem inclinandum est explorando causam, quae a restitutione filium excuset: nisi forte in quibusdam regionibus, ut *Americae*, leges parentibus plus concedant, vel totum filii, qui a patre alatur, lucrum patri addicant.

A restitutione facienda aliquando etiam in iis circumstantiis, in quibus iustitia vere laesa sit, sed bona sublata non amplius exstent, excusare potest condonatio parentum prudenter praesumpta.

1062 5. Quando filius cum bonis paternis negotiatur, aliquando patri, aliquando sibi lucratur. Quod accuratius distinguendum est, quando filius, *patre inscio*, cum bonis paternis negotiatur.

Scil. 1) si filius nomine patris agere intendit, adeoque *consensum patris praesumpsit*, lucrum bonum profectitium seu *non liberum* est atque patri acquiritur: (quare summum ratione mercedis secundum supra dicta filius aliquid sibi petere potest).

2) Si filius proprio nomine agit: quamquam generatim peccat, sibi assumens pecuniam patris, tamen lucrum inter bona adventitia seu *libera* potius recensendum est, appositis quibusdam clausulis et limitibus, scil.: a) si pecunia mansura erat apud patrem *otiosa*, vel si filius patri furatus est pecuniam, lucrum, quod *proprio nomine* filius lucratur, adventitium quidem est; b) at nisi vere *otiosa* mansura erat, filius ex iustitia patri restituere debet lucrum cessans et damnum emergens; c) debuit filius in se sumere obligationem

respondendi pro periculo sortis; quod cum filius efficaciter in se suscipere fere non possit, generatim hac re peccat: alias enim summum poterat ex praesumpta voluntate patris, quem interrogare nequibat, per modum contractus societatis agere. Quodsi fecerit, pars lucri patri, pars filio acquiratur; d) quando negotiatio *universim* nomine patris a filio agitur, sed de *speciali aliquo* lucro dubium movetur, num filius *suo* nomine id fecerit: praesumendum est, eum etiam tum nomine patris egisse, quamdiu de contrario non constet; nam plerumque filius sine peccato non potuit suo nomine agere, eum vero peccasse, non praesumitur. Cf. de omnibus istis *Lugo*, De iust. et iure disp. 5, n. 40, et cum illo: *Tabien.*, *Ant. Gormez*, *Bartol.*, *Angel.*, *Rosellam*, *Sanchez* etc.

## § 2.

*De bonis coniugum.*

Cf. *Pruner*<sup>3</sup> n. 609 sqq.

Cum diversa iura diversa de bonis coniugum, imprimis uxorum,<sup>1063</sup> disponant, hic ante omnia ea breviter notanda putavi, in quibus varia iura magis conveniunt.

*Dotalia* bona vocantur, quae ab uxore vel eius parentibus marito constituuntur, quibus illa ad onera matrimonii cum marito portanda concurrat.

*Paraphernalia*, vel etiam receptitia, quae praeter dotem uxoris sunt et manent.

*Communia*, quae coniugibus aliquo saltem modo communia sunt, ita ut uterque coniugum quoddam ius in ea habeat.

Quibus praenotatis, haec teneto:

I. Dotalia bona in ius mariti transeunt ita saltem, ut usum et usumfructum habeat: attamen aut ipsorum substantia, aut eorum valor vix non ubique speciali et privilegiato modo uxori reservatur, atque cautio de eo praestatur, ita ut post mariti mortem vel bonorum cessionem ea integra recipiat.

II. Omnia etiam iura concedunt, ut uxor bona quaedam pleno iure sibi reservet, quae vel paraphernalia vel receptitia dicuntur; quorum et dominium et usumfructum habet, administrationem pro variis iuribus plus minusve impeditam.

III. Complura iura etiam agnoscunt bona communia, quae mariti quidem administrationi subsunt, ita tamen, ut uxor quoque saltem in partem eorum, quae soluto matrimonio supersunt, ius habeat. Accuratio vero horum bonorum determinatio iurisque, quod uxori competit, constitutio non ubique eadem est.

IV. Legales dispositiones de bonis coniugum generatim non impediunt, quominus ipsi coniuges sive ante matrimonium sive etiam multis in locis post matrimonium libere alio modo de suis bonis pacisci possint. Quare legales dispositiones maxime in defectu singularis conventionis observandae sunt.

Ex iuribus singularibus haec praecipue notatu digna sunt; specialia omnino a iurisconsultis in sua quisque regione petere debet.

1064 I. Ius Romanum secundum *systema dotale* bona coniugum eorumque mutua iura determinat:

1. Maritus familiae debet providere; ad quem finem uxor ut conferat, marito dotem affert. Huius dotis maritus habet usumfructum et administrationem, uxor vero dominium directum: quodsi dos in pecunia vel rebus consumptibilibus consistit, dominium plenum transit in maritum, ita tamen, ut pro cautione dotis bona mariti omnia uxori obligata sint. Mortuo viro, uxor omnibus creditoribus personalibus mariti praefertur quoad dotem recuperandam; atque etiam vivente viro, dotem iudice repetere potest, si timet, ne vir solvendo esse desinat.

2. Nisi alia bona quaedam constituentur ut *communio*: uxor retinet reliquorum bonorum (paraphernalium) plenum dominium et administrationem, ita ut maritus, uxore nolente, de illis nihil disponere possit. Quomodo autem uxor ipsa in variis contractibus mariti adiutorio indigeat, postea dicendum est.

1065 II. Ius Germanicum admittit pro arbitrio coniugum aut *systema legale*, aut *systema conventionalis*. Quod posterius nisi definitum a coniugibus fuerit, obtinet *systema legale*.

A. *Systema legale* distinguit bona uxoris reservata et non reservata (§ 1363 sqq).

1. In bona reservata uxor plenum ius habet, et usumfructum et administrationem.

2. Bona reservata sunt: praeter ea quae ad personalem usum uxoris spectant, ut vestes, instrumenta, ornatus (§ 1366), 1) ea quae uxor proprio labore vel separata industria acquirit (§ 1367); 2) quae in pacto coniugali declarata sunt bona reservata (§ 1368); 3) quae sive per ultimas voluntates sive per donationes inter vivos uxori eo modo conferuntur, ut pro bonis reservatis statuuntur (§ 1369); 4) ea quae ex hisce bonis reservatis iure oriuntur (§ 1370).

3. In alia bona, quae sunt non reservata, maritus, nisi in certis casibus excludatur, habet usumfructum et administrationem (§ 1363).

4. Quodsi uxor damnum in bonis suis ex administratione mariti timere debet, iudicialiter petere potest securitatem et cautionem (§ 1319 sqq) vel etiam administrationis cessationem (§ 1418).

5. Quando marito administratio cum usufructu bonorum uxoris non reservatorum non competit vel adempta est, locum habet *separatio bonorum* (§ 1426): quo in casu uxor ex suis bonis convenienter conferre debet ad sumptus matrimoniales (§ 1427); quod alias censetur facere eo quod maritus usumfructum bonorum habeat. Nihilominus maritum, qui se ipse sustentare nequit, uxor, si potest, sustentare debet (§ 1360).

B. *Systema conventionalis*.

1. Coniuges sive ante sive post matrimonium conventionem de bonis suis facere possunt coram iudice vel notario, qua de bonis suis aliter disponant, ac leges disponunt ex se (§§ 1432 sqq).

2. Possunt igitur praeter vel contra dispositiones legales 1) *separationem bonorum* habere, ita ut marito in nulla bona uxoris competat administratio et ususfructus; 2) *communio bonorum*, eamque vel *universalem*, vel *communis acquisitionis*, vel *bonorum mobilium*: nihilominus etiam tum licebit, saltem uxori, quaedam bona expresse pro reservatis declarare, aliaque etiam bona possunt constitui pro *dotalibus*.

3. Bonorum communio administrationem quidem habebit maritus (§ 1443); at tamen in multis dispositionibus indiget uxoris consensu (§§ 1444 sq).

4. Ex bonis *communibus*, si adsunt, sustentationem propinquorum legaliter debitam facere, uxoris etiam ius est (§ 1604), neque has expensas computare debet in futura bonorum divisione, quatenus utrique coniugi ea obligatio incumbit.

5. Mortuo viro, bonorum communio *universalis* per se non dissolvitur, si adest proles communis, seu descendentes communes, sed cum his continuatur (§ 1483); communio solius acquisitionis eo ipso dissolvitur (§ 1544); — similiter communio bonorum tantum mobilium, nisi contractu coniugali aliter statutum sit (§ 1557). — Ceterum etiam antea, alterutra parte iudicialiter postulante, ex variis causis communio bonorum solvi potest. Soluta communione, bona eousque communia in duas partes aequales dividuntur (§ 1476).

1066 III. Ius Austriacum.

1. Bona uxoris praeter dotalia manent pleno iure uxori, ita ut ipsam administrationem marito conferre, sed ex ratione etiam retrahere possit.



2. Ex solo contractu statui potest bonorum communitas sive plena sive partialis: qua facta, bona post mortem dividuntur (§ 1218 sqq.).

#### IV. In Anglia.

1. Ex anno 1870 (9 Aug.) uxor ea bona, quae industria separata acquisiverit (separata arte, mercatura), sine consensu viri pleno iure sua facere potest, ita ut et ususfructus et administratio ad eam solam pertineat.

2. Recentiori etiam iure 1 Ianuario 1883 mulier, quae nupserit, circa bona sua possidenda, acquirenda, administranda pleni iuris manet, ut mulier innupta: quare quoad ius mariti videndum est, quatenam bona forte in contractu matrimoniali marito collata sint.

3. Iure ab antiquo vigente maritus uxorem, uxor maritum haeredem suorum bonorum scribere potest: (cf. *Crolli*, De iust. et iure I 484 sqq, II 66).

V. Ius Gallicum ita disposuit possessionem uxoris, ut secundum triplex systema 1067 iura sibi servare possit.

1. Si de bonis suis coniuges nihil statuunt, aut si statuunt se legalem bonorum communionem inire, haec censentur communia: (v. § 1400 sqq) 1) omnia bona mobilia, quae tempore matrimonii possident, aut postea acquirunt; 2) omnes fructus et redditus, qui utcumque tempore matrimonii percipiuntur; omnia immobilia, quae stante matrimonio acquiruntur. — Excluduntur autem ea immobilia, quae alteruter coniux die matrimonii possidebat, et ea, quae stante matrimonio haereditate vel donatione accipiet.

2. Coniuges non prohibentur, quominus bonorum communionem aut magis extendant aut magis restringant.

3. Si coniuges et communionem bonorum se inire negant, et *ius dotale* se recipere *abnuunt*, haec observantur (§ 1529—1539): 1) si solummodo bonorum communionem simpliciter negant, omnium bonorum uxoris habebit maritus et administrationem et usumfructum, dominium autem manet uxori. 2) Si expresse declarant coniuges, se in bonis suis prorsus velle esse separatos: uxor bonorum suorum administrationem et omnem usumfructum retinet, nequit tamen immobilia alienare sine consensu mariti aut iudicis. Ad onera matrimonialia concurrere debet aut secundum contractum cum marito factum, aut, si contractus deest, tertiam partem reddituum ad id impendere debet.

4. Si uxor *ius dotale recipit*: 1) dos aut expresse constituitur, aut ea bona, quae in contractu matrimoniali enumerantur neque expresse eximuntur, *pro dote* habentur; alia pro paraphernalibus. 2) De bonis paraphernalibus observa, quae n. 3. 2) mox dicta sunt. Bonorum dotalium maritus administrationem et usumfructum habet, in dominio autem uxoris directo remanent. 3) Bona dotalia immobilia ne consentiente quidem uxore alienari possunt praeter certos casus in lege declaratos (§ 1554 sqq.).

VI. Secundum iura Americae Sept. 1. *dotalia* uxoris dicuntur tertia pars bonorum immobilium, quae maritus durante matrimonio possederit; quae igitur alienare in uxoris praeiudicium nequit nisi uxore a magistratu seorsim interrogata libere consentiente. Haec bona, marito ante uxorem defuncto, ad hanc transeunt; sed uxore mortua transmittuntur ad mariti haeredes.

2. *Paraphernalia* bona ea dicuntur, quae ad vestitum et ornamentum mulieris pertinent, quibus durante matrimonio usa est: haec post mariti mortem pleno iure pertinent ad uxorem.

3. *Communia* bona ea sunt, quae stante matrimonio a marito et uxore simul acquiruntur titulo emptionis aut donationis: haec ab utroque coniuge simul possidentur, neque alter sine alterius consensu ea vendere potest.

Pro praxi confessarii. His omnibus inspectis, quaedam sunt, 1068 quae ubique pro uxore iusta et legitima censentur:

1. Utrumque iura uxoris constituta sunt, ius saltem habet ad honestam sustentationem pro conditione sua. Nam si bona communia adsunt, haec etiam ad uxorem spectant; si dotem uxor attulit, ex sua parte ad onera matrimonii iam contulisse censetur, ita ut ius acquisiverit, ut vice versa a marito sibi provideatur; si nihil attulit, maritus iuri suo cessisse censetur et gratuito alendae uxoris onus in se assumpsisse.

2. Ad congruam et convenientem sustentationem pro varia uxoris conditione pertinet praeter victum facultas: 1) largiendi parva munera; 2) faciendi consuetas eleemosynas; 3) impendendi quaedam ad honestam recreationem eaque omnia faciendi, quae a muliere similis conditionis omitti sine aliqua nota non possunt.

3. Etiam necessaria sustentatio secundum ipsius conditionem uxori post mortem mariti superstiti debetur. Quare si ex dote aut aliunde nequit ea habere, quae ad parcam sustentationem pro sua conditione requiruntur, secundum ius naturale ex bonis mariti ea uxori debentur.

4. Quare uxor non laedit iustitiam commutativam, si ea, quae n. 2. et 3. dicta sunt, sibi — etsi occulte — sumat; num vero contra debitam subiectionem et ordinem familiarem peccet, pendet a variis circumstantiis et causis, quas uxor fortasse habet ad actiones suas marito occultandas; atque ita accidere potest, ut, si quando praevideat, deficiente prole et marito tenaciore existente, totam haereditatem, se neglecta, ad alios esse transiuram, sibi clam nonnihil providere possit pro futuro tempore. Attamen hac in re, et etiam in aliis circumstantiis, quando uxor clam bona quaedam accipit et impendit, ab abusu et liberaliore uxoris agendi ratione cavendum est, vel etiam videndum, utrum lex uxori satis provideat, necne.

5. A fortiori uxor simpliciter non peccat, si subducit quaedam pro necessaria cura victus, vestitus etc., quando videt, se difficultatem passuram esse in explicanda necessitate viro, qui eam non intelligit; si marito prodigo, qui in damnum familiae bona dilapidat, bonorum partem occultat, sibi et familiae providens; si proprio marte, marito non rogato, nonnulla sibi sumat, quae maritus rogatus facile concessurus sit — non enim in tanta dependentia constituta est, sed ut socia tractari debet; — si in defectu viri ex bonis communibus etiam aliquid notabilius expendit ad avertendum imminens damnum a familia.

1069 6. Si uxor ex priore matrimonio filios habet necessitate pressos, aut si parentes ope indigent, illis in grāvi necessitate constitutis subvenire prorsus debet, idque secundum ius Germ. ex bonis *communibus*, si adsunt, sine omni onere et computatione in bonorum separatione, nisi in quantum obligatio ista sustentationis in bonis propriis uxoris fundetur (§§ 1604 1463).

Ubi leges positivae illud ius non conferunt, attende has regulas:

1) Si habet bona libera, non potest sine mariti consensu ex aliis bonis donationes facere, nisi intra limites iustae eleemosynae. 2) Si bona libera non habet, potest ex aliis bonis, sive communia sunt sive non, necessitatibus subvenire, etsi consuetas eleemosynas superare debet; attamen tum, nisi viri consensus accedat, ab aliis eleemosynis faciendis ipsi abstinendum est. 3) Si ipsa bona propria libera non habuit, marito defuncto, tenetur illas expensas earumve partem computare in partem dotis recuperandae vel portionis bonorum communium recipiendae, *si expensae illae multum excesserint limites consuetarum eleemosynarum*. Ratio ultimae clausulae est, quia extraordinarias expensas ex suis bonis vir non tenetur facere vel pati, si uxor ipsa bona habet, quorum sive dominium directum sive condominium apud eam mansit. Cf. *Lugo*, De iust. etc. disp. 16, n. 71 72.

7. Maritus vero, qui mala administratione vel dissipatione damnum intulerit familiae et uxori, certe restitutioni obnoxius est, si ita egit circa bona illa, quorum solam habuit administrationem vel etiam usumfructum. Si male administravit *bona communia*, quaestio de restitutione solvenda est ex eo, utrum uxor ad ea bona iam habeat ius domini aut condominium, an tantum

ius post divisionem factam certae partis eorum, quae restant, recipiendae. Quodsi hoc posterius ius solum habet, maritus ad restitutionem non tenetur: alias tenetur pro culpa commissa. — Vide *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 1020; *Gury-Baller*. I, n. 556.

Neque de hoc dissidium est inter doctores. Id unum est, in quo dissident, quod, quando communio bonorum adest inter coniuges, non omnes eodem modo hanc bonorum communitatem extendunt. Aliqui omnia ea putant esse communia, quae alteruter coniugum lucratur, adeo ut maritus, si, quae labore et industria sua lucratus fuerit, potatione, lusibus, prodigalitate dissipaverit, pro rata ad restitutionem uxori faciendam teneri videatur; alii haec bona, saltem antequam in commune dominium a viro tradita sint, in viri dominio manere censent. Atque de his bonis *Lacroix* l. c. dicit, non esse consuetudinem, ut maritus restituat, qui quaedam dilapidaverit. Cf. etiam *Delama* n. 40.

Videri potest *Marres*, De iustitia I 69, ubi leges in *Neerlandia* vigentes exponit.

### § 3.

#### *De dominio clericorum.*

Clerici quoque in bona quaedam ius non ita plenum habent, ut<sup>1070</sup> pro libitu omnino de illis disponere possint. Quare recte iis adnumerantur, quorum bona vel iura secundum certas quasdam leges et regulas restringuntur.

A. Quae sint diversa clericorum bona.

Distinguuntur 1. Bona *patrimonialia*, i. e. ea, quae clericus possidet ex paterna haereditate; extenditur autem illa vox ad omnia ea, quae ex qualibet donatione aut causa profana possidet.

2. Bona *ecclesiastica*, i. e. ea, quae ex redditibus ecclesiastici beneficii percipit.

3. Bona *quasi-patrimonialia*, vel *quasi-ecclesiastica*, vel *casualia*. Triplex illud nomen eandem rem designat, scil. ea, quae occasione sacrarum functionum percipit, ut stipendia Missarum et iura stolae quae vocantur.

4. *Parsimonialia* bona, i. e. ea, quae clericus parcius vivendo ex ecclesiasticis bonis seposuit, quatenus ea licite consumere potuerat.

B. Iura clericorum in diversa bona.

I. Clericus, etsi alia bona habeat, ex bonis ecclesiasticis seu ex redditibus beneficii honestam sustentationem sumere potest; sed quae honestam sustentationem superant, in pauperes vel causas pias erogare tenetur: *Trid.* sess. 25, c. 1 de ref. — *Ben. XIV*, De syn. dioec. l. 7, c. 2.

II. Clericus perfectum dominium habet parsimonialem bonorum, ita ut de iis ad libitum disponere possit, siquidem non convenit, eum propterea iure inaequali cum aliis uti, quod sibi et genio suo subtraxerit: *S. Alph.* III 490 cum communi sententia.

III. Bonorum casualium etiam perfectum dominium habet; sunt enim ex oblationibus et donationibus fidelium collecta, qui obligationem aliquam seu onus illis non imposuerunt. Vide etiam decl. *S. Poenitent.* 9 Aug. 1824.

IV. A fortiori clericus perfectum et liberum dominium bonorum patrimonialium habet, de iisque pro suo arbitrio disponere potest. Nulla enim lege ecclesiastica declaratur clericus dominii incapax, neque ulla lege ad profitendam paupertatem adstringitur.

1071 Declaratio et explicatio:

Explicatione aliqua indiget, 1) quae sit honesta sustentatio, quibusque limitibus circumscribenda. A qua determinanda pendet tum, quid clerico liceat, tum quatenus bona pro parsimonialibus haberi possint. 2) Quo titulo seu qualis sit obligatio superflua in causas pias erogandi, ut intelligatur etiam ea obligatio, quae post inale usum bonorum ecclesiasticorum remaneat.

Ad *primam* quaest. affero, quae *Laymann* l. 4, tract. 2, c. 3, n. 2 ad honestam sustentationem refert:

1. quae pertinent ad honestum victum ipsius beneficiati et eius familiae seu famulorum, quos pro sui status convenientia habet;
2. ad exercendam hospitalitatem erga consanguineos et amicos;
3. ad exhibendas remunerationes pro acceptis beneficiis, non tamen prodigas;
4. ad alias convenientes quasdam et honestas relaxationes.

Quae omnia non eodem modo pro omnibus aestimari debent; sed qua mensura haec contineri debeant, ut maneatur intra limites *honestae* sustentationis, iudicandum est: a) tum ex personae dignitate, b) ex reddituum amplitudine, c) ex beneficiati meritis et laboribus, quos utiliter doctrina, consilio, scriptione pro Ecclesia impenderat: tametsi — addit *Laymann* — beneficiatis longe consultius et securius sit, hanc facultatem insumendorum reddituum restringere quam laxare. Nos tamen hic, ait, quantum fieri potuit, laxavimus ad confessariorum instructionem, ne omnino damnent, si aliqua ratione excusare et absolvere possint.

1072 Ad *secundam* quaestionem responsa diversa a diversis scriptoribus dantur. Imprimis conferri potest *Ben. XIV*, De syn. dioec. l. 7, c. 2.

Scil. 1. Superflua ex redditibus ecclesiasticis pauperibus vel etiam piae causae erogandi *gravis* obligatio est: quamquam ex natura rei patet, parvam materiam amplio sumi debere, quam si agitur de determinanda materiae parvitate in furto. *S. Alph.* dicit III 490, IV ad constituendum peccatum mortale requiri quantitatem «*multo maiorem*» quam in furto, vel «*magnum excessum*» supra quantitatem in furto gravem.

2. Si cognati necessitate premuntur, hi merito inter pauperes, quibus bona superflua contribui possint, numerantur, atque, ceteris paribus, iis prae aliis succurrendum est; immo non summa tantum paupertas, sed ipsa indigentia sufficit, ut iis subveniatur.

3. Utrum vero obligatio pauperibus seu piae causae superflua largiendi sit ex iustitia annon, acriter controvertitur: quare practice non constat de *iustitiae* obligatione, sed de obligatione *religionis* et *legis ecclesiasticae*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Videlicet antiquitus bona illa, quae fideles ecclesiae contulerant, triplici fini serviebant: necessitatibus ecclesiae et cultus divini, sustentationi episcopi et cleri, pauperum indigentiae sublevandae. Quorum bonorum administrator episcopus erat, qui singulis clericis ex communibus bonis sustentationem dabat.



## Practice ergo haec concludenda esse arbitrator:

1. Quando clericus male impendit proventus beneficii ecclesiastici, non constat de obligatione restitutionis: quapropter illi non potest stricta ob-

Lapsu temporis omnium bonorum divisio facta est in quattuor partes, ita ut una pars episcopo, altera clero, tertia usibus liturgicis et templo, quarta pauperibus destinaretur. Portio igitur clero assignata communis mansit sub episcopi administratione, ita ut praeter sustentationem singuli clerici nihil recipere.

Postea vero cum clericorum numerus cresceret atque necessitas esset, in pluribus locis a sede episcopali remotis stabili modo collocandi clericos, visum est portionem clericis communem denuo dividere atque singulis certam partem bonorum (immobilium) assignare, ex quibus sibi providerent; atque ita saeculo nono beneficiorum ecclesiasticorum institutio videtur esse perfecta (cf. *Pruner*<sup>3</sup> n. 630 sqq, plura apud *Thomassin*. p. III, l. 3).

Ante hanc divisionem clericos non potuisse ex bonis ecclesiasticis sibi aliqua arrogare praeter sui sustentationem eosque secus iustitiam laesisse, clarum est. Id insuper fateri debemus, ante omnem divisionem episcopos ex iustitia obligatos fuisse, ut bona ecclesiastica fideliter administrarent, et illi fini impenderent, cui ex voluntate offerentium et ex supremi Ecclesiae pastoris lege destinata erant.

Etiam nunc illam obligationem iustitiae mansisse, superflua aliis finibus piis destinandi, multi auctores contendunt. Ita plerique antiquiores — ut ait *Ben. XIV* — et praeter eos *Sylv. Prieras*, Summa voc. *clericus* IV 15; *Navarrus*, Manuale c. 17, n. 94 et c. 23, n. 75; *Roncaglia*, *Laymann* l. 4, tract. 2, c. 3, n. 3; *Nat. Alex.* etc. — his ducti rationibus: Constat fuisse mentem eorum, qui bona ecclesiastica primitus obtulerunt, ecclesiasticorum superiorum, qui admiserunt seu receperunt, ut ea piis usibus deservirent, non vero luxui clericorum finibusque profanis. — Ecclesia enim bona illa etiam nunc in Trid. vocat «patrimonium Christi, patrimonium pauperum»; ergo clerici non possunt recipere ius illimitatum in illa bona, sed *ius ipsum* restringitur ad honestam sustentationem, quae una ex causis piis est; residua ad alias causas piis impendenda sunt. Insuper Ecclesia vocando bona illa «patrimonium pauperum etc.» satis ostendit, se nolle clericos redditum plenos dominos facere, sed administratores; administrator autem contra iustitiam delinquit, si bona contra mentem domini (quae est hic Ecclesia) expendit.

Non minor est numerus eorum, maxime posterioris aetatis, qui *iustitiae* obligationem negant (cf. *Voit* I 876, Q. IV): inter quos *S. Antoninus*, *Bañez*, *Dom. Soto*, De iust. etc. l. 10, q. 4, a. 3, concl. 3 et 4, *Covarruvias*, *Fagnani*, *Barbosa*, *Vasquez*, *Molina*, De iust. et iure tract. 2, disp. 143, n. 3, *Lessius*, De iust. etc. l. 2, c. 4, n. 433 sqq, *Lugo*, De iust. et iure disp. 4, n. 9 sqq, *Sporer*, tract. 6, c. 1, n. 104, *Mazzotta*, *Salm.* etc. sic ratiocinantes: mentem offerentium fuisse vel esse quidem, ut in pios usus bona impendantur, at non eam esse quaestionem, sed hanc, num scil. 1) bona illa plene in dominium Ecclesiae transierint, et 2) num supremus bonorum ecclesiasticorum administrator potuerit facere et re ipsa fecerit clericos fructuum beneficii ecclesiastici veros dominos. Nam hoc facto, etsi postea menti eorum, qui bona primitus obtulerunt, et Ecclesiae, quae distribuit, non plene respondeatur; inde nondum fit, ut laedatur iustitia. Si nimirum pauperi do eleemosynam ea mente, ut familiae suae succurrat, ipse vero eam expendit, ut genio suo indulgeat; ab illo paupere peccatur quidem, sed non peccatur contra iustitiam. Ex eo igitur, quod *intentioni* dantis non satisfiat, concludi nequit, iustitiam laedi. — Porro pleno iure bona illa transiisse in Ecclesiae dominium, a nemine videtur in dubium vocari, neque iure in dubium vocari potest, cum secus personas mere iuridicas a privatis hominibus pleno iure creatas esse, dici necesse sit: quod iuridice impossibile est. Administratorem ecclesiasticorum bonorum supremum *posse* certam summam etiam cum liberalitate pro Ecclesiae ministris constituere secundum eorum conditionem et merita, plane dici debet, cum id deceat Ecclesiae principem et Ecclesiae splendorem: atque hoc ipso per summum Ecclesiae principem voluntati piorum fidelium, qui bona sua obtulerant, quantum ius strictum postulat, iam satisfactum esse, quando bona illa prudenti arbitrio clericis assignaverit. — Tota igitur quaestio, quae restat et in qua omnis causa vertitur, ea est, utrum re ipsa

ligatio imponi, ut parcius vivendo aliave industria utendo ea sibi comparet, quibus reparationem eorum, quae male expenderat, possit efficere.

Ecclesia seu eius supremum caput ita certa bona clericis assignaverit, ut eos faceret veros dominos fructuum beneficii simul cum obligatione (oboedientiae et religionis) superflua pro piis causis erogandi, an clericos fecerit solos administratores. Porro *dominos* fructuum eos factos esse, patere satis videtur, siquidem nihil frequentius in lege canonica occurrit quam sententia illa: «faciant fructus *suos*», vel in poenam: «non faciant fructus *suos*.» Quare cum ex una parte satis constet, clericos esse fructuum beneficii dominos, ex altera parte minime probetur, obligationem superflua in piis causis erogandi esse *ex iustitia*: mitiore videntur esse amplectenda.

Et revera hunc sentiendi modum tot scriptorum probabilem esse, quis negaverit? Potest sane Summus Pontifex ex iusta causa ecclesiastica bona clericis ita distribuere, ut nullum onus illis amplius imponat; nam iuste et prudenter ea administrat, si, quae Ecclesiae data et ab Ecclesia accepta sunt, Ecclesiae usibus deservienda curavit. At vere Ecclesiae usui et ecclesiasticis finibus deserviunt seu deservierunt, eo quod ministris Ecclesiae iusto titulo remunerationis etc. data sint: quare rigorosum ius, secundum quod intentioni fidelium satisfieri debeat, exstinctum est, cum primum bona illa ecclesiastica pro beneficiis ecclesiasticis constituta eorumque fructus secundum assignationem ab Ecclesiae praesulibus factam a clericis propter officia praestita percepti sunt.

Remanet ergo illa sola obligatio, quam Ecclesia imposuit. At eam iustitiae obligationem imposuisse, minime constat: 1) quia constanter dicit, clericos facere fructus beneficii *suos*: quod, nisi contrarium plane probetur, excludit obligationem *iustitiae* eos ad certos fines arbitrio clerici non subiectos impendendi; 2) quia ipsi Trid. Conc. Patres ex schemate c. 1, sess. 25 *de ref.* expunxerunt verba primitus concepta «quia ecclesiasticorum proventuum dispensatores tantum sunt», ne inferrent praeiudicium opinioni communi, quae teneat clericos verum dominium proventuum acquirere; at opinio, quae ad expendenda piis usibus superflua clericos *ex iustitia* adstringit, in ea ipsa sententia nititur, quod clerici dispensatores tantum sint.

Haec quidem de dispositionibus inter vivos dicta sint. Nam si de dispositionibus testamentariis agitur, non sequitur ilico, liberam *testandi* facultatem clericum circa bona ecclesiastica habere, vel solam religionem, non iustitiam laedi ab eo qui contra Ecclesiae voluntatem testetur. Nam quod fructus *suos* faciat ex beneficio ecclesiastico, certe sic intelligi potest atque ab initio certo sic intelligebatur, ut post beneficiati mortem quae fuerint reliqua, redirent ad Ecclesiam ecclesiasticasque causas, fere sicut paterfamilias quae possidet, post mortem debeat, saltem ex magna parte, cedere familiae. Paucis, facultatem *testandi* etiam de iis bonis quae clericus fecerat sua, Ecclesia seu S. Pontifex restringere vel denegare sive auferre potest (cf. *Lugo* l. c. n. 6).

Ex altera autem parte neque neganda est Ecclesiae potestas ex iusta causa clericis hac in re plenam libertatem concedendi: quod *Molina*, De iust. et iure disp. 147 breviter hisce canonibus statuit:

1. Potest Papa ex iusta causa concedere clericis, ut possint testari valide ad causas profanas; atque etiam, ut eorum haeredes bona accipiant ab intestato.
2. Haec concessio potest esse expressa, potest esse tacita vi consuetudinis toleratae.
3. Potest tamen Papa contraria lege eiusmodi consuetudinem revocare.
4. Si Papa sine iusta causa concederet facultatem bona ecclesiastica (quae manserunt ecclesiastica) impendendi in usus profanos, illa dispositio invalida esset.

Quare si facultas dari potest, fructus bonorum ecclesiasticorum licite impendendi causis profanis, a fortiori facultas dari potest, ut illicitum quidem sit id agere, sed non contra iustitiam. — Iustam autem talis dispositionis causam adesse, vix aliquis negaverit, eamque in convenienti et abundanti honorario clericis assignando consistere. Quis enim negat, honestum et iustum esse, clericos pro munere suo diverso non minus congruum salarium accipere quam eos, qui in civili aliquo munere publico constituti sunt.

Tota igitur quaestio in eo est, quidnam Ecclesia sive expressa lege sive tacito consensu statuerit re ipsa.

2. At si clericus, habens bona propria simul cum proventibus ecclesiasticis, expensas facit ad profanos vel malos usus, eas ex bonis propriis fecisse censendus est — siquidem supponi debet, eum cum peccato quam minimo agere velle — : quapropter residua bona pro ecclesiasticis habenda sunt, i. e. pro iis, quae gravata sunt onere oboedientiae et religionis, qua postuletur erogatio in causas pias.

3. Relate ad eos, quibus clericus illicite bona illa ecclesiastica dederit,<sup>1074</sup> complures causae sunt, quibus ab obligatione restituendi seu pauperibus ea distribuendi excusari possunt.

1) Si non constat, bona donatione erogata esse ex ecclesiasticis bonis: nam si possunt esse ex patrimonialibus, casualibus etc., accipienti non est faciendus scrupulus.

Certam quandam in testando libertatem nostrate iure communiter clericis asserunt, eamque a multis iam saeculis in Germania aliisque regionibus invaluisse, vide apud *Sentis*, dissert. de iure testamentorum cler. saec., maxime c. 3. Verum haec facultas ea mente concedebatur ab Ecclesia et a potestate civili, ut clerici de omnibus bonis suis pro sua voluntate ad pias causas testari possent, querelis haeredom de laesa parte legitima sibi debita prorsus remotis; neque videntur valide circa superflua ex bonis ecclesiasticis collecta ad profanas causas testari posse, nisi speciale et expressum privilegium Apostolicum demonstrari possit, cuius exemplum habetur ex speciali ratione pro urbe a *Iulio III*, Const. Cupientes d. 6 Id. Martii 1549 et a *Paulo V*, In eminenti 18 Apr. 1608 (vide *Moy*, Archiv für kath. Kirchenr. II 434; *Wernz* III, n. 277 c, not. 27). Alias enim tale dominium fructuum eccles. numquam datum est clericis, ut non solum inter vivos sed etiam per ultimas voluntates de iis pro mero arbitrio valide disponere possent. — Nihilominus in foro externo valor testamenti etiam ad profanas causas praesumitur, quando certo monstrari nequeat, bona, de quibus clericus ita testatus est, non esse ex eius bonis liberis. Attamen aedificationi non est talis testandi modus. Immo fideles male aedificantur, quando de bonis etiam liberis clericus non testatur praecipue in pias causas, nisi forte ipsi cognati ut pauperes sublevandi sint. (Cf. etiam *Laurentius*, Instit. iur. eccl. n. 927 sq.)

Demum quod additur de facultate haeredom ab intestato succedentium, haec tum tantum plena et imperturbata in foro conscientiae videtur adesse, 1) si aut expressa concessione (aut diuturna consuetudine) conceditur in iis circumstantiis, in quibus propter beneficia clericorum non ita pingua dubium rationabile adesse praesumitur, num clericus ex bonis ecclesiasticis vere aliquod relinquere possit; 2) si facultas ab intestato succedendi in quotam tantummodo partem quorumlibet bonorum clericorum cognatis conceditur, reliquis ipso facto ad causas pias applicatis, ut in Conc. prov. Vienn. statutum est (vide *Aichner* § 233, 2); et antiquitus in Stat. Prag. a. 1605, *Wratisl.* 1580 etc. (vide *Sentis* l. c. 62).

Si igitur amplior quaedam facultas aliquando in statutis episcop. data legitur (vide *Sentis* ib.), haec ita videtur intelligenda esse, ut haeredes quidem totam haereditatem clerici reciperent, attamen si constabat, bona relicta esse ecclesiastica, cum eadem obligatione, quae et clerico defuncto et ipsis illis bonis inhaerebat, et quae utpote realis a clerico ad haeredes transire debebat: nam revera haec conditio tam diu illis bonis inhaeret, donec clericus de iis disposuerit.

Neque omittendum est, certa genera bonorum, quae legibus et decretis S. Pontificis ad successorem clerici defuncti transire vel apud ecclesiam manere dicuntur — ut insignia Pontificalia aliaque eiusmodi episcopi bona, quae sedi episcopali applicanda sunt — modo ne constet clericum ea ex bonis suis privatis privato nomine possidenda sibi acquisivisse, nulla lege civili ad haeredes civiles vel cognatos valide transferri posse. Quare si lege civili canonicae dispositiones non agnoscuntur, clericus multo magis tenetur testamento suo cavere, ne illa bona ad manus alienas perveniant.

Cf. Const. *Pii V* 42 Romani Pontificis; stat. *Pii IX* 1 Iun. 1847, vide *Analecta Iur. Pont.* ser. 3, col. 950 vel *Acta S. Sedis* III 277 sq; *Laurentius* l. c. n. 930.

2) Immo etsi constet, bona illa esse ecclesiastica, ille non peccat, qui a clerico *offerente* dona accipit (vide *S. Alph.* III 491 et 492): — nam illa cooperatio ad peccatum clerici tanta non est, cum malitia actionis peccaminosae ex parte clerici iam sit completa; externum autem illud complementum acceptando ponere non videtur S. Doctori tanti momenti, ut haec materialis cooperatio cum illo damno seu lucri amissione omitti debeat. Quare practice satis probabile est — quamquam contra opinionem *S. Alph.* ib. —, neque eos, qui *dubia* vel *mala fide*, i. e. cum subiectivo peccato eiusmodi dona acceperint, ad restitutionem aliquam (pro rata probabilitatis contrariae sententiae) obligari posse.

3) Uterius, qui clericum ad donationem *citra fraudem et iniusta media* induxit, peccavit quidem, sed cum neque ipse neque clericus *iniustitiae* reus sit, ad restitutionem non videtur stricte obligari posse; quamquam rectissime illi ea *suadetur*, et pro circumstantiis aliqua eleemosyna danda pro poenitentia imponi potest.

4) Qui vero fraude mediisve in se iniustis clericum ad talem donationem induxit, eumve a testamento condendo impedivit, quo melius et securius eius haereditatem adiret: iam ex hac sola causa ad restitutionem erga pauperes vel causas pias, ut quilibet in simili fraude, tenetur.

5) Qui, etsi sine commissa fraude, haereditatem clerici *ab intestato* adiret, cum clericus a condendo testamento impeditus esset, ad bona ea, quae certo sunt ex proventibus ecclesiasticis residua, eroganda in pauperes et in pias causas obligatus est; isque multo magis *ex iustitia* ad id tenetur quam ipse clericus. Nam haeres ex iustitia erga defunctum bona relicta secundum illius legitimam voluntatem distribuere debet; clericus autem, qui ex improviso sine expressa voluntatis suae declaratione mortuus est, censi debet habuisse hanc voluntatem superflua *secundum praeceptum Ecclesiae impendendi* — nemo enim praesumitur malus —: quare cognati bona ecclesiastica residua secundum voluntatem clerici defuncti implicitam vel interpretativam pauperibus sive piis causis distribuere *tenentur*. Neque ulla concessio aut consuetudo legitima contraria probari potest, cum obligatio ea bona in pios usus impendendi ipsis illis bonis inhaereat, quamdiu a clerico aliis usibus applicata non fuerint.

6) Si clericus *ex consulto* sine testamento vel ultimae voluntatis declaratione ulla decessit, sciens, haeredes lege civili ab intestato in bona relicta successores esse: obligatio stricta bona haereditate accepta impendendi in causas pias imponi nequit, nisi iis certo constiterit, bona illa esse ex fructibus superfluis bonorum ecclesiasticorum profanae dispositioni subtractorum. Quod si certo constiterit, disponere de iis debent per se secundum leges ecclesiasticas, quae *ius non* dant nisi disponendi ad causas pias. Quousque autem hoc quoad haeredes urgeri debeat, si constat bona residua esse stricto sensu ex ecclesiasticis relicta, prudentiae est discernere, ne ex materiali peccato formale reddatur.

1075 4. Ceterum haec pro plerisque locis fere ad meram theoriam spectant: siquidem rara iam sunt beneficia adeo pingua, ut illius proventus in se soli spectati excedant mensuram eorum, quae ad honestam sustentationem referri possunt; immo plerumque beneficium solum, nisi accedant bona casualia, nedum abundantem sustentationem praebat, ne ad parcam quidem et necessariam satis est, postquam impia manus sacras Ecclesiae possessiones invasit. Verum clerici est, non tantum videre, quid summo iure debeat,



sibive liceat, sed imprimis, quid deceat atque fideles aedificet, quid contra populo scandalo sit et malo exemplo. Cf. etiam *Delama* n. 32.

5. Quoniam nihilominus aliquando reditus vere abundantes etiamnunc existunt, quid iuris sit quoad ecclesiastica bona, explanandum erat. Et quoniam loco bonorum a gubernio occupatorum frequenter pensio aliqua annua clericis in munere ecclesiastico constitutis solvitur, quae aut sola pro congruae sustentationis titulo habetur, aut eum complet: sciendum est, Sanctam Sedem eiusmodi salaria pro bonis ecclesiasticis habere atque eadem iis onera adnectere, quae proventibus veri beneficii coniuncta sunt, ut scil. ad superflua piis causis eroganda adstringat.

Non vero pro ecclesiasticis bonis habentur: 1) ea supplementa, quae ex parte fidelium — etsi ex conventionem — dantur, ut «congrua», quae dicitur, iustam mensuram attingat; 2) illa pensio a gubernio data, quae clericis emeritis, aegrotis etc. confertur; 3) illa pensio, quae pro clericis emeritis a potestate ecclesiastica assignatur, etsi ex fructibus certi alicuius beneficii sit desumenda — haec enim in *plenum et liberum* dominium pensionarii transit neque pro ampliore, quam quae ad decentem sustentationem emeriti clerici exigatur, habetur. Cf. hac de re *S. Alph.* III 491, q. VI et *Lugo*, De iust. etc. disp. 4, n. 32. — De salario a gubernio dando cf. *Responsa S. Poenit.* (*Gury* I 563 et *Marres* I, n. 98).

1. «An salaria, quae in Belgio solvuntur a gubernio pastoribus et canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inherens his bonis, scil. strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residentiae sub poena non faciendi fructus suos?»

S. Poenitentiaria perpensis expositis, respondit: iam alias a S. Sede de consilio selectae Congregationis responsum fuisse «*affirmative*». 19 Ian. 1819.

2. S. Poenitentiaria consulta, an illa responsio applicari debeat salariis, quae pastoribus et canonicis regni Galliarum a gubernio solvuntur, respondendum censuit: «*affirmative*». 19 Aug. 1821.

NB. *Marres* l. c. notat, idem dici debere de salario parochorum adiutoribus dato, eo quod cedat in locum priorum beneficiorum, capellaniae etc. Quod verum est, si hoc salarium est loco beneficii ecclesiastici.

3. An responsio illa applicari debeat solis salariis fixis, vel extendi debeat ad oblationes fidelium?

R. «*Affirmative* ad 1, *negative* ad 2.»

#### § 4.

##### *De dominio scriptorum.*

Dominium scriptorum, de quo peculiaris quaestio movetur, illud 1076 est, quod in foetus sui ingenii habent.

Natura enim domini sui iuris id secum fert, ut res, de cuius dominio agitur, vel potius eius rei usus, *restringatur exclusive* ad dominum. Iuris namque conceptus dicit talem relationem et connexionem rei ad dominum, ut hic quoad eam rem cuilibet alii praeferrere debeat, seu ut ipse quemlibet alium excludere possit. — At foetus ingenii, cum primum in lucem editus est, id ex se habet, ut *communi* usui inserviat atque quodammodo publici iuris fiat. Ex quo difficultas oritur, ita ut aut dominium in opus suum scriptorem retinere negandum esse videatur, aut domini illius obiectum accuratius definitione omnino necesse sit circumscribi.

Practica autem difficultas tandem ea est, utrum spectato solo iure naturali, ille *iniuste* agat contra auctorem et editorem libri vel similis rei, qui

illum editum denuo prelo committit, adeoque sibi ex reimprimendo et divulgando opere alieno lucrum facit, auctoris lucro et damno posthabito; an haec sola lege positiva iniusta evadant. Quodsi hoc posterius affirmandum esset, iis, qui lege positiva non adstringerentur, aut in iis rebus, in quibus lex nihil statueret, impune et sine scrupulo aliena opera reimprimere liceret.

A longiore disquisitione singularum opinionum abstinentes haec saltem omnino in foro etiam conscientiae tenenda esse ducimus, etiam si ius positivum vel non existit, vel urgeri nequit.

I. Auctor ius habet in foetus ingenii sui; quapropter saltem quamdiu ea, quae mente et scripto concepit, publici iuris non fecerit, i. e. in lucem non ediderit, ius strictum habet, ne quis illa invadat atque divulget. — Qui vero id commiserit, auctori ad omnia damna resarcienda tenetur.

II. Auctor ius habet, ut ex iis, quae ingenio suo invenit, elaboravit, ad communem utilitatem multiplicatis exemplaribus divulgavit, ipse iustam mercedem convenientemque fructum percipiat. Quare illi iniuste agunt, qui auctorem a tali praemio percipiendo impediunt.

III. Iustum autem praemium eaque utilitas, quam auctor sibi vindicare potest, — eam vid. conventionem facta cum editore seu bibliopola dividendo — consistit in pretio, quod ex opere divulgando seu in commercium tradendo percipitur. Illud enim pretium est, quod, deductis expensis necessariis, operi et labori auctoris atque labori et industriae impressoris et bibliopolae respondet. — Ergo si quis alius opus iam publicatum sibi arripit illudque denuo prelo commissum in commercium tradit, eatenus saltem iniuste agit, quatenus auctor cum suo bibliopola inde damnum aliquod maioris pretii seu lucri percipiendi incurrit.

1077 IV. Verum illud etiam dicendum est accuratos tandem limites assignare, quamdiu et quousque ius auctoris extendatur, perdifficile esse. Immo cum illimitatum ius auctori eiusque successoribus tribuere communi utilitati nocivum fieri possit, nihil aequius est, quam ut leges positivae ius auctorum tum defendant atque protegant, tum accuratius definiant.

Illae autem leges, quatenus alios a publico usu et divulgatione alieni operis cum damno auctoris et impressoris impediunt, in conscientiae foro etiam ligant. Similiter dicendum est de legibus, quibus novae artium inventiones aliaque eiusmodi protegantur: de quibus cf. infra doctrinam de *monopolio*.

Observa: 1. Aliqui difficultatem movent, quod opus semel editum sit publici iuris factum, atque inde concludi posse putant, nisi lex positiva obstet, iniustum non esse quemlibet usum, ad quem aliquis exemplar sibi emptum adhibeat, ne iteratam quidem impressionem et divulgationem, quam suo periculo instituat. At in eo, quod opus divulgatum publici iuris factum esse dicatur, *distinctione* opus est, scilicet: Res in opere seu libro contenta publici iuris est, conc.; res illa sub tali forma operis seu libri concepta, seu ipsa haec libri forma, subdist.: haec publici iuris est quoad usum, qui est con-

suetus et ordinarius usus exemplarium, conc.; quoad eum usum, qui non singuli exemplaris usus est, sed potius operis qua talis, nego.

2. Id autem dari potest, si quae fieret multiplicatio alicuius exemplaris per scriptionem similemve modum ad privatum tantum usum eius, qui sibi exemplar emerat, id neque per naturale ius neque per positivam legem iniustum censi debere.

3. Quae dicta sunt, non de solis libris compositis valent, sed de quolibet <sup>1078</sup> simili ingenii opere, ut picturis earumque photographica multiplicatione, de aliarum artium operibus, quarum contra voluntatem artificis alia exemplaria facere et in commercium inducere non licet cum illius damno et dispendio.

4. Quod de adulterina editione alicuius libri statuitur, fere etiam de illius versione in alteram linguam dici posset, scil. ipsum ius naturae ne hanc quidem independentem a consensu auctoris concedere. Sed cum facilius accidere possit, ut auctori damnum inde non oriatur, atque lucrum, quod, deductis expensis atque lucro conveniente pro editore vel bibliopola, restet, vix iustam mercedem versionis superet: eo ipso *potest* evenire, ut tali editione operis in alienam linguam versi damnum auctori eiusque cooperantibus re et effectu non inferatur. Quod si obtinet, de laesione strictae iustitiae ex solo iure naturali quaeri amplius non potest.

5. Contiones, lectiones etc. auditas scripto excipere et in lucem edere sine consensu contionatoris, lectoris, iniustum est; ad privatum autem usum eas scribere, certe licet. — Attamen si quae eiusmodi res secundum consuetum usum in solis ephemeridibus publicam lucem aspiciunt, consuetudini standum est neque de laesa iustitia potest conquiri.

### Caput III.

#### De modo acquirendi dominium et iura.

Dominium et ius generatim acquiri potest in ea bona — loquimur <sup>1079</sup> hic de bonis externis seu fortunae quae vocantur — quae antea in privato et exclusivo dominio non erant, et in ea, quae habebant quidem dominum et proprietarium, sed quae in alterius dominium transferuntur.

Modus igitur, quo primitus, antequam certorum bonorum aliquis privatus dominus in humana societate exstiterit vel exsistat, in illa privatum et exclusivum dominium acquiratur, modus *originarius* dicitur; alter, quo ab uno in alterum ius et dominium transfertur, vocatur modus *derivatus*, atque successione haereditaria et contractibus perficitur.

#### Articulus I.

#### De modo acquirendi dominium originario.

##### § 1.

##### *Notiones generales.*

Scriptores inter se dissident, quando quaerunt, utrum ipso iure naturae rerum divisio privatique domini constitutio facta fuerit, an iure positivo eiusve auxilio. Quamquam hoc omnes sanae doctrinae auctores fatentur, naturam ipsam humanam, prout re ipsa in hominibus

existit, atque ideo ipsum ius naturale postulasse aliquam divisionem bonorum et praecepisse, ut aliquo tandem modo certa bona in privato singulorum dominio constituerentur. Dissidium igitur in eo est, quod aliqui putent, hac sola iuris naturalis exigentia bonorum divisionem re factam non esse, sed a primordiis positivum modum conditum esse sive paterna primi hominis potestate, qui ut pater et rex omnium suprema potestate publica potitus sit, sive conventione posteriorum, qui, cum, sui iuris facti, separatas familias et civitates condere inciperent, privato dominio indigebant. Cf. *Molina*, De iur. et iust. tract. 2, disp. 20; *Lugo*, disp. 6, sect. 1; *Pruner*<sup>3</sup> n. 584 sq.

Ut meum hac de re iudicium proferam, sentio, opinionem eorum, qui ad positivas leges vel conventiones provocant, si eas *necessarias* putant, ut dominium privatum oriri possit vel potuerit, omnino falsam esse; si eas *convenientes* fuisse atque *re ipsa* simul cum naturali iure ad bonorum divisionem constituendam stabiliendamque iam a primordiis contulisse opinantur, non esse adeo improbabilem, probari tamen certo non posse modum, quem statuunt, ut unicum vel omnino primum.

1080 Scilicet 1. Negari nequit, occupationem aliquam per se sufficere debere solo iure naturae, ut bona, quae in nullius vero dominio sint, primi occupantis fiant. Nam sume aliquem, qui statuum finxerit, aut propria industria gregem ovium vel gallinarum sibi procreaverit: num, seclusa omni lege et decreto ipsius protoparentis, haec ipsi sine iniustitia a tertia quodam artifice vel colono eripi potuerant? Id nemo dixerit. Num ipsa materia, ex qua voluit statuum fingere, vel animalia capta, ex quibus gregem sibi parare cogitavit, poterant sine iniuria ipsi auferri? Quod si certissime negari debet, solam occupationem rei, quae eoque nullius fuisse sumitur, sufficere necesse erat, ut ipsi verum dominium iam ortum esset. Nihil enim praeter occupationem habes, quo nitaris. — Haec recte urget *Lugo* contra eorum doctrinam, qui paternae vel publicae auctoritatis interventum necessarium statuunt.

2. Immo ipsam divisionem et privati domini constitutionem ab Adamo, vel a Noë, secundo generis humani parente, ita profluxisse, ut eorum lege domini acquisitio vel translatio formaliter fieret, improbabile est. Nam ut hoc dici possit, aut ad potestatem privati domini, aut ad potestatem universalis iurisdictionis, quam protoparentes in universum orbem exercuerint, recurri debet. Porro privatum dominium in universum orbem Adam aut Noë actu habuisse, non solum facultatem quaelibet distributive sibi assumendi, incredibile est: id enim neque reali occupatione, neque translatione ex parte Dei exstitisse probatur. Neque universalis iurisdictionis formaliter aderat, atque minus etiam concipi potest, per eam totum orbem in possessiones privati domini divisum ab initio fuisse. Potestas illa, quam protoparentis habuit, ex necessitate et utilitate communi limites suos extendit aut contraxit: verum nedum utile, immo nocivum fuisset tam plena rerum divisio; sufficiebat plane, multoque magis conveniebat, singulos homines sive duces, qui in terras incultas transmigrarent, potestatem habere occupandi et res suas faciendi, quam eas privato dominio iam addictas inveniri.

3. Igitur verisimilius ita actum est, ut, multiplicato genere humano et in diversas communitates diviso, aut suprema legislatione aut con-



ventione et iure gentium ea confirmarentur atque accuratius definirentur, quae duce natura per occupationem privatam iam erant incepta.

4. Neque lege aliqua positiva potuit universim auferri occupatio<sup>1081</sup> tamquam legitimus modus dominii acquirendi. Fac enim, in ipsis humani generis primordiis paucos homines, quocumque tandem eventum, in dissitam regionem incultam, a nemine inhabitatam transmigrasse vel translatos esse: ibi a nemine neque ab ullius lege impediri poterant, quin occupatione res certas suas facerent.

Hanc viam per se legitimum titulum acquirendi dominii esse, ita etiam insidet in omnium mentibus, ut nemo sibi scrupulo vertat, rem omnino derelictam occupatione etiamnunc suam facere, et ut omnia iura positiva etiamnunc circa aliquas res ipsam occupationem pro legitimo titulo agnoscant. Attamen in omnibus locis, in quibus civilis societas hominum existit, id etiam omnino fatendum est, lege positiva occupandi facultatem et dirigi et restringi posse, immo ordinis servandi causa debere. Quare in omnibus iis rebus, quae etiamnunc occupatione acquiri possunt, positivae leges consulendae sunt, ut sciatur, quid vere facere liceat, quid illicitum vel etiam iniustum evaserit.

Natura igitur duce dominii acquisitio fit et *occupatione*, et *labore* quo aliquis rem sibi vindicatam mutat eique aliquid quasi suae personalitatis imprimit. Quare, quibuscumque diversis modis acquisitio iuris occupatione et labore perficitur, etsi positivae legis determinatio illos modos certis normis circumscripsit, tamen merito modi acquirendi *naturales* vocantur: qui vero sola lege positiva vim acquirendi iura sortiti sunt, modi *legales*: qui in libera privatorum hominum conventionem nituntur, modi *conventionales*.

Modi naturales, qui in sola occupatione et labore nituntur vel ad ea reducuntur, sunt etiamnunc: occupatio animalium, venatio et piscatio, occupatio rerum derelictarum, inventio rerum amissarum, thesauri occupatio, accessio cum suis speciebus, commixtio, specificatio, plantatio et aedificatio.

## § 2.

### *Occupatio animalium.*

Cf. inter alios *Pruner* «Lehre vom Rechte etc.» I, § 98; *Elbel* VI, n. 190 sqq. Ceteroquin videndae sunt leges positivae singularum regionum.

Captio animalium, cum vera sit occupatio, ut re ipsa dominium<sup>1082</sup> creet, eas condiciones habere debet, quibus quaelibet occupatio instructa sit oportet: scilicet 1) ut res dominii capax sit (quod in animalibus obtinere, planum est), 2) ut adsit animus occupandi, 3) ut adsit realis et externa occupatio, 4) ut res non sit in ullius dominio, neque 5) lex positiva eam alterius dominio addicat. Posteriores duae condiciones hic imprimis considerandae sunt, cum non eodem modo in quibuslibet animalibus impleantur.

Claritatis causa distinguuntur animalia: 1) *fera* seu silvestria, quae ab humano consortio abhorrent, naturali libertate fruuntur neque in

ullius dominio constituta reperiuntur; 2) *mansueta*, quae natura sua humano consortio utuntur, atque ad domesticos usus adhibentur; 3) *mansuefacta*, quae in naturali quidem libertate nascuntur, sed hominum industria ea privantur et ad dominium et consortium humanum adacta sunt, ut columbae, apes etc.; 4) *effe-rata* vocantur tum animalia per se mansueta, si conaturalem hanc indolem exuerunt, tum mansuefacta, quae pristinam libertatem rursus adeptae sunt.

1083 Quod ad domini acquisitionem generatim pertinet, haec observanda sunt:

I. Animalia mansueta seu domestica, nisi forte efferata evaserint, nulla aberratione elabuntur ex dominio eius, qui ea tenuit, ac proin occupatione acquiri nequeunt.

II. Animalia mansuefacta tam diu manent in dominio detinentis, quamdiu non evaserunt efferata neque consuetudinem revertendi amisserint. Quod si obtinuerit, fiunt primi occupantis.

III. Animalia fera seu silvestria fiunt primi occupantis, siquidem eousque libertate fruuntur neque in ullius dominio sunt. Remanent vero in eius, qui acquisivit, dominio, quamdiu in custodia detinentur, vel si forte evaserint, quamdiu eorum insecutio non nimis difficilis evadit. Quodsi difficilior evaserit, nullius esse iterum incipiunt, atque postea *occupantis* fiunt.

Haec tum ex natura rei fluunt, tum positivis iuribus confirmantur. Quare etiam sequitur, per se in venatione et piscatione animalia occisa vel capta, sive per venatorem sive per eius canes venaticos sive per laqueum positum, fieri venatoris. Sunt tamen aliquae exceptiones secundum subsequencia ex positivis legibus colligendae.

#### De venatione et piscatione:

1. Lex quidem ex iusta causa universim venationem prohibere potest, etiam aliquando domino fundi; domino fundi seu agri in conscientia tamen prohiberi non potest animalium occisio vel captura, qua a se suisque agris damnum secus ab animalibus inferendum avertat, nisi huius damni plenam reparationem accepturus sit.

2. Seclusa lege, dominus fundi alteri eatenus venationem prohibere potest, quatenus eum arceat, quominus ingrediatur suos agros cum damnificatione, vel alia damna sibi inferat.

3. Leges, quae venationem vel egressum extra certos limites prohibent, si neque in agris intrandis neque in feris capiendis damnum aliquod infertur, pro mere poenalibus haberi possunt.

1084 His notatis, haec in foro conscientiae statuenda sunt:

1) Qui venatur et piscatur in alieno fundo et grave damnum infert, graviter peccat, nisi forte damnum praevium non fuerit, et adsit voluntas resarciendi damni culpabilis.

2) Qui venatur etc. in alieno fundo omnino clauso nec amplo, contra iustitiam commutativam peccat ex ipsa animalium captura atque illa eorumve pretium restituere debet praeter alia damna illata. Nam eo ipso quod dominus fundi ea animalia inclusa habet, eorum dominium acquisivit et retinet, ita ut venator seu piscator invadat rem alienam.

3) Qui venatur etc. in fundo omnino pervio, contra ius alienum peccato, cuius gravitas non ex pretio animalium captorum seu occisorum aestimanda est, sed ex damno quod iuri legitimi venatoris infertur. Si igitur animalia locum mutare possunt et solent neque spes est singula capiendi, longe mitius iudicandum est de gravitate illegitimae venationis, siquidem in eo casu captura aliquot ferarum, maxime minorum animalium, notabile damnum venatori legitimo non infertur.

Ceterum etiam consuetudo et communis hominum persuasio prohibitionem et iura nonnihil explicare possunt. Proin consideranda sunt diversa tempora et regiones. Unde veteres scriptores facile venationem in fundo eiusdem communitatis, cuius venator illegitimus sit membrum, vel etiam venationem alicuius ferae in silvis communitatis vicinae a gravi peccato excusant, eo quod sic ferat consuetudo, atque communitas laesa contenta sit poena illius qui capiatur. Verum hodie severius res sumi debet, maxime quando communitas ius exclusivum venandi pro gravi pretio certo viro vel consortio locavit.

Aliud etiam peccatum, idque grave, accidere potest ex parte venatoris, si custodibus armis resistere paratus est, aut se ipsum gravissimae poenae temere exponit.

Pro circumstantiis igitur modica venatio aliquando ab omni peccato excusari possit, si, quatenus *lex* obstat, haec pro poenali haberi potest (*Reuter* III 62), et quatenus ius alieni domini vel communitatis obstat, damnum, quod aestimatione dignum sit, aut vix infertur aut ob spem mulctae, quae in venatione deprehensis imponitur, compensatione deletur. — Qui vero notabile damnum inferat ferarum vel piscium captura, graviter laedit iustitiam sive erga dominum fundi sive erga eum, qui a gubernio ius venandi vel piscandi in hoc et illo loco emit, vel cui alias a lege ius illud addicitur: nimirum restitutioni obnoxius fit secundum aestimationem valoris spei, quam alii habebant faciendae maioris captureae.

4) Etiam quando venatio vel piscatio fit in loco clauso quidem et saepto, <sup>1085</sup> at omnino amplo, iustitia quidem laeditur, attamen non omni captura graviter laeditur; siquidem mensura iniustitiae non est sumenda ex pretio ipsius praedae factae — non enim censetur dominus in singula animalia iam strictum ius habere — sed etiam ibi ex probabili spe captureae, quam dominus fecisset, et a qua aliena captione impeditus est. Quare etiam restitutio secundum hanc probabilem spem seu *secundum probabilem damni aestimationem* facienda est. — Si vero [ut n. 2) dictum est] singula animalia a domino facile capi possunt, in singula ius suum habet et urgere potest.

5) Dominium vero praedae venator, si praedam cepit, etsi cum peccato eoque gravi, acquirit, nisi leges regionis clare contradicunt, eo solum casu excepto, quo captio facta fuerit ex iis animalibus, quae singula iam in potestate domini fundi censi debebant. Alias, si iustitia laesa est, non redditione praedae, sed solutione pretii, quod damno forte illato respondet, reparatio fieri debet.

6) Animal igitur, quod in alieno fundo pervio vel non ad ipsorum animalium custodiam clauso et saepto aut laqueo capitur aut occiditur, domino legitime repugnante, tamen per se venatoris fit. Dominus fundi ex natura rei non potest hanc praedam sibi occupare, saltem non, si de occisa praeda agitur. Feram vero laqueo captam nondum occisam facilius videtur sine iniustitia sibi occupare posse; potest enim, antequam venator, qui laqueum posuit, praedam secumumat, laqueum solvere, sed feram sic solutam et

abire conantem statim sibi capere. — Fera igitur occisa, spectato solo iure naturali, venatori tamquam domino tradi debet, dominus fundi pro se solummodo postulare potest damni, si quod sibi illatum est, reparationem.

Attamen si leges positivae alicubi domino fundi ius aliquod amplius concedunt, secundum earum dispositionem, utpote non iniustam, agendum est. Sic e. g. leges Borussicae statuunt, ut domino fundi postulanti praeda tradatur<sup>1</sup>, et ius *Germ.* § 958, dominium non acquiri occupando rem nullius, quando occupatio illa est lege prohibita aut alterius ius laedit illius rei occupandae.

1086 4. Quod ad animalia mansuefacta attinet, v. g. apes, columbas, ea, si revertendi consuetudinem amiserint, fiunt primi occupantis, seu si agitur de columbis, eius, in cuius columbarium confugerint. — *Fraude* vero ad se attrahere, *iniustitia* est.

Ut autem fraus ab industria non fraudulenta distinguatur, qua aliquis nitatur eiusmodi animalia ad se attrahere, ipsae leges positivae et consuetudo respici debent. Ita aliqui, ut *fraus* adfuerit in obiciendis cibus, statuunt, cibos debuisse esse omnino extraordinarios. Cf. *Gury* I, n. 576. Nihilominus *Elbel* VI, n. 206 recte animadvertit saepe dubiam esse talem consuetudinem permittentem; aliam vero insuper subesse causam, cur a *qualibet* industria alliciendi alienas columbas confessarius poenitentem prohibeat, ne scil. inimicitiae et odia eaque non raro gravia inter vicinos oriantur.

Si qua vero eiusmodi animalia aliena alterius agro fundove nocent, dominus fundi ea, si necesse est ad notabile damnum avertendum, etiam occidere potest: secus, si aut graviter non nocent aut facile abigi possunt, non licet. — Praesumuntur vero columbae grave nocumentum inferre tempore segetum et messis: alio tempore non. *Ib.*

### § 3.

#### *De thesauro eiusque occupatione.*

Cf. *Pruner* n. 659 sq; *Lugo*, De iust. et iure disp. 6; *Tamb.*, In decal. l. 8, tract. 4, c. 1; *S. Alph.* III 602.

1087 Thesaurum dicit ius Romanum summam pecuniae aliave mobilia pretiosa abscondita, quorum memoria non exstat (cf. *Lugo* disp. 6, n. 111); fere idem dicit ius Austr. § 395 398; alia iura recentiora rem, quae tam diu abscondita iacuit, ut proprietarius non amplius possit erui (ius *Germ.* § 984).

Utrum vero definitiones thesauri paululum discrepent in diversarum regionum iuribus, necne, tanti momenti non est, cum, ut ex sequentibus patebit, tanti non intersit, utrum res inventa thesaurus sit, an alio modo res nullius. Duo vero elementa ubique ad constituen-

<sup>1</sup> «Wer in der Absicht, wilde Tiere zu fangen, fremden Grund und Boden ohne Vorwissen oder wider Willen des Eigentümers betreten hat, muß das Gefangene dem Eigentümer *auf dessen Verlangen* unentgeltlich ausliefern»: Land-Recht Th. I, Tit. 9, § 115. Neque haec recentiore iure *Germ.* sublata sunt (lex introd. a. 69).



dum thesaurum requiruntur: 1) ut assumi debeat, rem esse in nullius dominio; 2) ut sit res abscondita, non palam seu in loco patenti inventa.

I. Spectata sola lege naturali, thesaurus, utpote res in nullius dominio existens, videtur omnino spectare ad inventorem, qui scil. inventione eum occupat: vide *Tambur.*, In decal. l. 8, tract. 4, c. 1, § 3, n. 33 sqq; *Elbel* VI, n. 168; ita re teneto, ubi silent leges positivae.

II. Communi vero consensu id tenetur, leges positivas, quae domino fundi, etsi inventor non sit, aliquam partem thesauri addicant, esse in conscientia observandas, ita ut ante omnem iudicis sententiam inventor eam partem domino tradere debeat. — Cum enim, quidquid in alicuius fundo invenitur, specialem aliquam connexionem cum fundo atque hinc cum eius domino habeat, convenit utique, illi aliquid attribuere; idque eo magis valet, si possessio fundi continua successione a progenitoribus ad posteros transivit, eo quod ex tali successione praesumptio oriatur, thesaurum illum ab ipsis progenitoribus possessoribus esse absconditum, ut periculo subtraheretur.

Leges vero, quae in quibusdam casibus fisco — *quando fundus ad eum non pertinet* — partem thesauri adscribunt, aut quae inventorem sua parte privant, *probabiliter* pro legibus *mere poenalibus* habentur, ita ut ante iudicis sententiam inventor iustitiam non laedat, si portionem, quae illis legibus sibi subtrahatur, retineat.

*Lugo*, De iust. et iure disp. 6 131 privationem contra inventorem statutam, qui aut illicitis artibus aut in alieno fundo invito domino quaesierit, pro lege *poenali* habet, quae ante condemnationem non obliget in conscientia; *Tamb.* l. c. n. 35 refert opinionem aliorum, ut *Bañez*, censentium partem thesauri, quae *per modum tributi* fisco addicatur, non deberi in conscientia, antequam re ipsa petatur, sed agi posse in hac re, sicuti postea dicitur de tributis indirectis, immo ne iustum quidem videri, si *nimia* pars fisco addicatur. Consentit *Pruner* n. 659 660.

III. Leges vero positivae sic statuunt generatim:

1088

1) Thesaurus, qui invenitur in proprio fundo, totus cedit domino.  
2) Thesaurus, qui invenitur casu in alieno fundo, dividitur inter inventorem et dominum fundi. (Ergo si locus sacer est, dimidia pars cedit ecclesiae; si locus publicus profanus est, dimidia pars communitati vel fisco, prout locus ipse sive fundus in alterutrius dominio est.)

3) Qui ex industria in alieno fundo (invito domino) quaerit, totum thesaurum in poenam domino fundi cedere debet, aut secundum alias leges *suam* partem fisco; similiter qui magicis artibus thesaurum quaerit, pro mulcta portione sua privatur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Ius Germ. nihil distinguens dicit: «Thesaurus, qui *delegitur et, cum detectus sit, occupatur*, dividendus est inter detectorem et dominum fundi» (§ 984); ergo si quis alius detectorem occupando praeventit, tamen *non huic sed detectori* dimidia pars debetur. — In Anglia statuitur, ut omnes thesauri ad regem seu ad rem publicam pertineant. Inventor, qui thesaurum occultaverat, antea capitis poenae obnoxius erat; nunc vero mulcta et carcere puniri potest. Sed teste *Crolley* I, n. 642, in foro conscientiae ante iudicis sententiam thesaurus *totus est inventoris*. Ita enim scribit: «Sed haec praescripta non obligant ante sententiam, et nullus inter nos invenitur, quantumvis timoratae conscientiae,

Inde concludes: 1. Qui in alieno fundo ex industria thesaurum quaesivit, contra iustitiam non peccat, si suam partem celat, modo dimidiam partem domino fundi vere tradat. Si vero a domino ex illa dimidia parte aliquam portionem pro remuneratione acciperet, illam retinere non posset, siquidem illa donatio ex errore domini procedit, putantis inventorem totum thesaurum sibi tradidisse. Cf. *Noldin* II<sup>7</sup>, n. 390.

2. Qui in loco aliquo, qui ad nullius dominium pertinet, sive casu sive ex industria thesaurum invenit, ante iudicis sententiam totum sibi retinere potest. Ita *Lugo* n. 115 et 116. Hodie id videtur raro contingere, cum quaelibet fere loca iam alicuius dominio sive hominis privati, sive fisci etc. adscripta existant. Attamen lex Austriaca pro eiusmodi locis sumit plateas similiave loca publica: cf. *Delama* n. 54.

3. Inventor autem ille est, qui *detegit thesaurum*; i. e. qui eruendo vel res, quibus tegebatur thesaurus, removendo eum patefacit et animadvertit. Quare post hanc detectionem factam in regnis, ubi pars thesauri *inventi* domino fundi addicitur, licitum non est illi, qui invenit in alieno agro thesaurum, eum denuo abscondere et agrum sibi comparare, ut totum thesaurum sibi servet. Nam ipsa detectione dominus agri acquisivit ius ad dimidium thesauri valorem. Cf. *Lugo* l. c. n. 126. Ubi autem talis dispositio legis pro domino fundi facta non est, quamquam leges poenales sunt contra inventorem, per se nihil impedit, quominus hic, celata inventionem, agrum sibi comparet. Neque puto, iure *Germ.* talem industriam vetari, siquidem solius thesauri *detecti et in possessionem assumpti* dominium dividit.

#### § 4.

##### *De inventionem rerum amissarum.*

Cf. eosdem scriptores.

1089 I. Rei amissio per se ius domini non exstinguit, adeoque res inventa per se domino, qui eam amisit, debetur.

II. Attamen fieri potest, ut impossibilis censi debeat rei amissae recuperatio, videlicet si spectatis circumstantiis nullatenus sperari potest, fore ut dominus umquam compareat, aut, qui fuerit, inquiri possit. Quodsi talis impossibilitas orta est, res ex illius dominio excidisse ac proin nullius facta esse censi debet.

III. Inventor non tenetur ex iustitia rem inventam secum ferre, sed eam in suo loco relinquere potest; attamen non raro haec laesio caritatis est.

IV. Inventor autem, si rem secum tulit, tenetur ex iustitia ab omni actione abstinere, ex qua res inventa deterioris conditionis fieret, quam si in suo loco esset relicta. Conditio autem rei, si in loco suo relinqueretur, ex communiter contingentibus haec est, ut tandem aliquando aliquis eam secum laturus sit, qui, si iustitiam servet, eius curam sit acturus, sin minus, obligationem damni reparandi contracturus: hinc

---

qui thesaurum a se inventum non sibi appropriaret. Re autem cognita, thesaurum regi tradere cogeretur, sed nunc vix alio modo puniretur.» Haec igitur pro Anglia. — In Statibus Foederatis Amer. Sept. plerisque leges nihil statuunt; in Louisiana tamen ius Rom. et Gall. attenditur: *Kenrick* tract. 10, p. 1, n. 61; *Sabetti* n. 372.

generatim primus inventor, si rem secum tulit, tenetur *ex iustitia* a) diligentem curam in eius custodia et conservatione collocare, b) diligentem curam adhibere, ut dominus inveniatur, inquirendo, pro rei gravitate in publicis ephemeridibus inventionem denuntiando, vel ad magistratum eam deferendo.

V. Quando, necessaria diligentia adhibita, 1) spes inveniendi domini est exstincta, aut 2) elapso tempore a iudice inventori res absolute addicta, inventor illam ut suam potest occupare, neque in rigore tenetur domino quidquam reddere, si postea casu appareat. Primum practice tamen ita determinandum est, ut quaestio haec ad *analogiam* praescriptionis tractetur, videlicet: a) Si ante tempus ordinariae praescriptionis dominus comparuerit, generatim dici debet, id signum esse, spem inveniendi domini non potuisse prudenter pro exstincta haberi. b) Cum ex una parte non possit semper ita definiti, sitne spes illa inveniendi domini plane exstincta, atque ita res inventa pro derelicta habenda, et cum ex altera parte lex positiva domini iura *maiora* statuere possit: si qua lex in favorem domini rei amissae aliquid constituerit, hoc etiam in conscientia est servandum (cf. not. I sequentis pag.).

VI. Inventor, quando rationabiliter post adhibitam diligentiam<sup>1</sup> iudicavit, dominum inveniri non amplius posse, atque ita *de re disposuit*, domino ex inopinato etiam ante tempus praescriptionis apparenti non tenetur aliquid reddere, nisi forte ditior evaserit: excusatur enim subjective, etsi forte objective non omnino recte egit.

VII. At quando citius temere de re disposuit, domino comparenti tenetur de damno illato. Cf. *Reuter* III 69.

VIII. Nonnulli quidem scriptores contendunt, rem, quae servari non possit, aut cuius dominum invenire impossibile evaserit, pauperibus esse distribuendam, ut dominus, qui propriam rei utilitatem non percipiat, saltem spirituale quoddam emolumentum inde hauriat, aut ut dominus sciat rem impendi secundum suam interpretativam voluntatem. At haec *consuli* quidem possunt, *imponi* non possunt.

Nam illorum scriptorum sententia supponit id, quod non probatur, scilicet dominium *vere manere* apud eum, qui rem amisit. Quod si negatur, ut optimo iure negari potest, quando spes domini inveniendi exstincta esse censetur, totum fundamentum, cur pauperibus res dari *debeat*, corrui. — Id unum dici debet, si spes quidem domini inveniendi superest, aut si fortasse ipse dominus cognoscitur, sed rem illi reddere propter loci circumstantias impossibile est, *in his adiunciis* de re disponendum esse secundum voluntatem domini rationabiliter praesumptam seu interpretativam, quae communiter erit, ut detur pauperibus sive causis piis. Cf. *Lugo* disp. 6, n. 140 sq; *S. Ath.* III 590 603.

Haec spectato naturali iure. Si quando autem inventori maius onus imponitur a lege positiva, propter quam non servatam pro poena privatur iure omni rem deficiente domino sibi vindicandi: haec in conscientia pos-

<sup>1</sup> Quid vero diversae leges singillatim praescribant circa diligentiam inquirendi domini, ex lege regionis cognosci debet. Aliqua vide apud *Pruner*, *Lehre vom Recht* I, § 99.

iudicis sententiam tandem obligant<sup>1</sup>. — Ius Germanicum inventori imponit onus rem auctoritati publicae indicandi; quo facto, si dominus non apparet, post annum res fit inventoris (§ 973).

1092 Nota: De bonis derelictis et vacantibus ex sola lege naturali similiter iudicandum est; at positivae leges alia statuerunt.

*Derelicta bona* ea vocantur, quorum dominium abicitur, neque a priore domino in alterum transfertur; *vacantia*, quae morte domini et defectu haeredis dominio destituuntur.

Haec quidem bona secundum positiva iura fisco ipso facto addicta habentur; sed consuetudo hanc legem, si de bonis *derelictis* sermo est, de solis immobilibus intelligit, ita ut mobilia abiecta primus occupans sua facere possit in foro conscientiae, reddere tamen debeat post sententiam iudicis<sup>2</sup>. *Gury* I, n. 576; *Kenrick* l. c. n. 63.

### § 5.

*De diversarum rerum coniunctione atque de iuribus inde orituris.*

1093 *Primo* occurrit *accessio*. Quae fit a) *nativitate* animalium: in ea applica axioma «partus sequitur ventrem»; quare pullus eius est, qui sive dominium sive usumfructum matris habet; b) *alluvione*: in ea observa, alluvione paulatim facta, non repentina, domino fundi fundum augeri; c) *adiunctione*, qua unum cum altero sic coaluerit, ut nullatenus vel non sine detrimento separari possint: quod si factum est, «accessorium sequitur principale»; sed leges positivae respici debent, ut in difficilioribus casibus sciatur, quid habeatur pro principali.

*Secundo* habetur *commixtio*, quae dicitur de confusione rerum aequae principalium: quando igitur, res sic commixtae cuiusnam sint sive fuerint, dignosci non potest, totum vendendum vel dividendum est, ut cuilibet domino pro rata suae quantitatis pars rei vel pretii cedat; verum

<sup>1</sup> Lex in Anglia vigens inventori post adhibitam diligentiam inveniendi domini, sed frustra adhibitam, contra quemlibet ius ad rem inventam attribuit, at cum conditione, ut, si *dominus* post quodlibet tempus appareat, ei restitutum fiat. — Quare cum absolutum ius contra dominum neque lege neque praescriptione inventor acquirat, disponere quidem de re post adhibitam diligentiam domini inveniendi potest, attamen domino comparenti semper reddi debet res, quatenus sive in se sive *in aequivalenti* exstat (*Crolley* I, n. 642). — Equidem hanc legem sic concipio, ut putem, naturalem facultatem rei illius *occupatione* acquirendae in favorem prioris domini cuilibet auferri. Nam nisi haec facultas auferatur, sane contingere possit, ut res tandem pro re nullius haberi atque a quolibet occupari valeat.

<sup>2</sup> Neque derelictis neque amissis bonis ea accensentur, quae post naufragium in litore inveniuntur vel quae ex naufragii timore ad salvandam vitam seu navem projecta sunt: haec scilicet occupari nequeunt, sed dominis pro spe sua sibi recuperandi reservantur. — Quod leges Statuum Foeder. Americ. Sept. ex anno 1825 sic expresse statuerunt: «If any person shall plunder, steal or destroy any money, goods, merchandise or other effects, from or belonging to any ship, or vessel, or boat, or raft, which shall be in distress, or which shall be wrecked . . . every person so offending shall be guilty of felony etc.» De bonis vacantibus autem, et quam late vel stricte ea intelligenda sint, praecipue quando propter singulares leges heredes alienigenae non admittuntur, commodius dicitur a nobis tractantibus *de testamento*.



generatim iura concedunt, ut dominus massae potioris totum cumulum sibi vindicare possit, facta debita compensatione.

*Tertio* habetur *specificatio*, seu inductio certae formae in informem materiam vel massam, ut si ex massa argentea aliena artifex statuam fecerit; in qua modo artificii, qui formam rei dedit, modo domino massae res addicitur secundum diversas leges, cum obligatione alterum reddendi indemnem; sed haec indemnitas non debet alteri esse damnosa, neque eadem esse debet, si bona atque si mala fide actum est.

*Quarto* occurrit *aedificatio et plantatio*, si dominus fundi et dominus rei plantatae vel aedificatae diversi sunt. Generalis regula est, totam rem in dominium domini fundi transire, ita tamen, ut, si bona fide actum sit, primarie iura etiam positiva intendant, ut uterque, quantum fieri possit, evadat indemnus; si mala fide, ut ipse ille, qui mala fide egerit, potius damnum ferat. Accuratius rem non omnia iura eodem modo definiunt; sic ius Romanum eum, qui mala fide in suo fundo aliena plantavit, sive construxit, ad solvendum duplex materiae pretium obligat; ius Gallicum simpliciter ad pretium et ad reparanda damna forte exorta; iura Americana diversarum regionum diverso modo de indemnitate statuunt.

## *Articulus II.*

### De modo acquirendi legali, publico iure inducto, seu de praescriptione.

Praeter scriptores allegatos in hac re ipsi codices iurium civilium consulendi sunt.

#### § I.

##### *Summaria notio praescriptionis et variarum legum de ea latarum.*

Ad vitandas lites pacemque conservandam vix non omnes populi<sup>1094</sup> iudicaverunt expedire, ut diuturna ipsa possessione alicuius rei possessor dominus rei habeatur, ita ut, si antea legitimus dominus non fuerit, temporis lapsu vere fiat. Modus ille, quo ipso temporis lapsu ius constituitur, vocatur *praescriptio*. Si ius, quod sic constituitur, consistit in rei vel facultatis agendi acquisitione, praescriptio dicitur *acquisitiva*; si consistit in onere vel debito exstinguendo, praescriptio dicitur *liberativa*.

Hanc praescriptionem a natura quodammodo postulari vel ut summe convenientem exigi, dubium esse nequit, cum alioqui *pacificam* bonorum et iurium possessionem non minimum turbari vel in dubium vocari pronum esset. Quare abs re non erit, quod *Reuter* III, n. 86 dicit, «quoad substantiam videtur esse iuris gentium». Quia vero ipsa natura tempus modosque, quibus praescriptio perficeretur, non determinavit, immo in rigore plus non exegit quam ut induceretur, non autem introduxit, atque ipsum illud ius gentium, ad quod appellatur, positiva conventionem et voluntate constitutum est: lex positiva necessaria fuit, ut praescriptio perfectus titulus acquirendi sive exstinguendi iuris evaderet. Neque aliter quam ad tramites legis positivae praescriptio valorem

in foro conscientiae habere potest. — Illud fortasse licet excipere, ut in illis iuribus, circa quae lex positiva nihil constituit vel constituere potuit, nihilominus spatium vere immemorabilis temporis assumatur, quo iure gentium et tacito omnium consensu praescriptio iustus titulus evadat. — Quid vero in foro conscientiae aliquando plus exigi debeat, ut verum ius praescriptione perfectum fuerit, quam quod lex civilis postulat, suo loco dicitur.

Brevi compendio hic conditiones praescriptionis necessarias expositori sumus, quae, quamquam non ad acquisitivam solum, sed etiam ad liberativam pertinent, tamen priori potissimum conveniunt; pro posteriore quaedam, in quibus a priore discrepat, adnotanda erunt.

Legitima autem praescriptione etiam pro conscientia iura acquiri debetave exstingui posse, vix ab ullo negatur, immo id non solum legis civilis, sed etiam canonicae legis intentionem esse, ex compluribus locis aperte colligitur. Cf. *Reuter* III, n. 87; *Pruner* n. 666 sqq; *Lugo*, De iust. et iure disp. 7, n. 5; *S. Alph.* III 517.

1095 Praescriptio est vel *ordinaria* vel *extraordinaria*. Prior, quae spatio 3 vel 10 annorum (summum 20 annorum) perficitur; posterior, quae annos 30 vel plures requirit. — Ius Germ. hanc distinctionem non novit.

Conditiones ad legitimam praescriptionem requisitae sunt: 1) res praescriptibilis, 2) possessio, 3) bona fides, 4) titulus, 5) tempus lege assignatum, seu: *Res habilis, fides, titulus, possessio, tempus*.

I. Res praescriptibilis. Res illa, quae praescriptione acquiratur, debet eiusmodi esse, ut 1) *ex natura sua* subiaceat commercio humano vel domini privati capax sit, sive ut iura, quae praescriptione acquirantur (non enim de solis rebus corporalibus praescriptio valet), possint praescribenti inhaerere; 2) ut *lege positiva* non sit exclusa ex ambitu earum rerum et iurium, quae praescriptione acquiri possint. — Sunt igitur res quaedam, quae nullatenus, aliae, quae saltem non ordinaria praescriptione acquiruntur.

1. *Nullatenus* praescribuntur (a privatis hominibus): 1) res ex natura sua publicae, ut fere platea, similia, quae privatorum dominio non consueverunt subesse; 2) res sacrae et consecratae; hae pro sua natura a privatis hominibus acquiri nequeunt; attamen sacra utensilia atque ea, quae supponi possunt fuisse vel esse in privato dominio eius, qui ius privati sacelli habuit, non excluduntur a praescriptione; 3) iura, quae ex se laico competere non possunt; 4) res positiva lege inalienabiles.

2. *Ab ordinaria* praescriptione eximuntur: 1) res ecclesiasticae, saltem immobiles, res fiscales, regales; 2) res furtivae aut vi possessae secundum multa iura, ut *Rom.*, quod (Instit. Iustin. l. 2, t. 6) refert, *plane* inhiberi usucapionem rei furtivae aut vi possessae; 3) res, quae pertinent ad eos, qui in iuris sui exercitio impediti sunt, ut bona dotalia uxoris, bona filiorum-familias, bona pupillorum et minorum.

Accuratiores tamen dispositio in favorem illarum rerum facta, cum non sit eadem apud omnes, ex singularum regionum legibus, et quando de rebus ecclesiasticis agitur, tum ex communi iure canonico, tum singularibus privilegiis cognosci debet. Tantummodo magis consueta hic indicare possum sub titulo «Tempus requisitum»: de quo etiam cf., quae accurate collegit *Reuter* III, n. 104.

II. *Possessio* requiritur civilis et continua, qua aliquis rem legaliter<sup>1096</sup> a) ut proprietarius detinet, b) neque hanc legalem seu civilem possessionem umquam amiserit. Adverte tamen, *non omnem brevem* interruptionem facere, ut possessio non sit *legaliter continua*. — Immo secundum ius Germ. (§ 943) tempus antecessoris accrescit ei, qui in iure succedit.

Quare qui *alieno nomine* rem detinet, sibi eam acquirere nequit. Qui vero *per alterum* rem detinet, v. g. per famulum, procuratorem, eam sibi acquirere praescriptione potest; non enim physica detentio, sed moralis et civilis requiritur et sufficit.

Qui rem aliquam ut commodatarius, depositarius possidet, numquam praescriptione eam suam facere potest, quia non possidet ut proprietarius. Idem dic de eo, qui ut usufructuarius, emphyteuta rem aliquam tenet; praescriptione enim *dominus* fieri nequit; potest tamen, etsi antea verum ius ususfructus vel emphyteusis non habuit, praescriptione illud ius acquirere.

III. *Bona fides*. *Possessio* scilicet, quam aliquis ut proprietarius con-<sup>1097</sup>tinuavit, debet ex inculpabili persuasionem oriri, qua possessor vere putet, sibi illud ius proprietarii competere; eaque bona fides debuit toto tempore ad praescriptionem necessario perdurare. Ita ius canonicum expresse statuit: «Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.» Reg. iuris II; cf. Decretal. l. 2, tit. 26, c. 5 et 20.

Quare: 1) qui bona quidem fide accepit, sed postea malae fidei fit, non potest praescribere. — 2) Qui primo bona fide fuit, postea dubitat, num res sua sit, si adhibita inquisitione dubium deponere nequit, manet in bona fide et potest praescribere: at si culpabiliter inquirere neglexit; quando postea dubium propter illam culpabilem negligentiam solvere iam non potest, pro rata dubii debet secundum regulas postea de restitutione dandas restituere. — 3) Si quis rem accipiendo dubitat, num iuste accipi possit: quando prudenti ratione dubium deponit, ut bonae fidei possessor considerari debet, siquidem nemo malus praesumitur, sed probari debet. — 4) Si ab initio possessor est in fide non omnino bona, sed venialiter mala, potius ut possessor bonae fidei habetur, atque ita praescribere potest; si quis vero ab initio in mala fide mortaliter mala existebat, quamquam postea in bona fide existit, non praescribit rem possessam, vel saltem ad damnum reparandum tenetur, in quantum ab illa prima possessione malae fidei causatum est. *Reuter* III, n. 92. Cf. Decretal. l. c., quo reprobat praescriptionis lex seu consuetudo, «quae absque peccato mortali non potest observari».

IV. *Titulus*<sup>1</sup>. *Titulus* vocatur causa illa seu factum, in quo nititur<sup>1098</sup> possessio, seu est ratio, propter quam possessor putat, rem esse suam. Communiter igitur actio illa est, quae rem, de qua agitur, in possessionem eius, qui detinet, transtulit; et quae ipsi videtur vere vim dominii transferendi habuisse.

Ad meliorem intelligentiam distinguitur titulus verus, titulus coloratus, titulus existimatus, titulus praesumptus, titulus vitiosus.

*Titulus verus* ille est, qui vere dominium transfert seu transtulit: quem non requiri, manifestum est.

<sup>1</sup> Ius Germanicum quoad mobilia *titulum* formaliter non requirit alium nisi traditionem et acceptationem cum animo proprietarii (§ 929); verum *bonam fidem* deesse neque ius proprietatis vere acquiri statuit, quando quis utcumque acquirat rem ab eo non solum, quem scit non esse dominum, sed etiam, cuius iuris defectum *ex gravi negligentia ignorat* (§ 932). — Quoad acquisitionem bonorum immobilium vi praescriptionis ius Germanicum longe difficiliora statuit quam aliae leges.

Titulus *coloratus* dicitur actio illa, quae possessorem in rei possessione collocavit, quando speciem veri tituli habet seu speciem actionis dominium vere transferentis, ita tamen, ut *propter occultum defectum* essentialis alicuius conditionis vel qualitatis re ipsa non transtulerit: v. g. emisti rem ab aliquo, sed venditoris revera res non erat.

Titulus *existimatus* aliquando idem sumitur ac titulus praesumptus; aliquando ab illo distinguitur et pro certa specie tituli colorati habetur, scil. si propter positivas rationes prudenter existimas et existimare debes, contractum seu actionem vere dominii transferentem intervenisse, quamquam revera ex aliena culpa non intervenerit: v. g. mandasti famulo, ut rem emeret: qui rem ipsam tibi affert, vere tamen *non emit*, sed commodavit. Defectus igitur occultus non tam est in aliqua essentiali contractus conditione, sed in ipsa eius existentia.

Titulus *praesumptus* dicitur adesse, si actio dominii transferens positive probari nequit, sed propter longam possessionem iudicatur, eam obtinuisse. Quodsi tali ratione praescriptio fit, dicitur *sine titulo* fieri.

Titulus *vitiosus* vel *illegitimus* est illa species facti possessionisque causa, quae sive ex se sive ex lege dominii vere translativa nequeat esse, at esse putetur ex errore palpabili: v. g. si contractus ex vitio iuris manifesto invalidus est, aut si contractus ne speciem quidem contractus dominium transferentis prae se fert, sed prorsus aliam, ut locationis, commodati etc., quem possessor errore sumpsit pro emptione aut donatione. Si vero talis est error sive iuris sive facti, quocum secundum leges consistat *bona fides iuridica*: sumus potius in conditione tituli aequivalenter colorati. In qua re audiendi sunt iurisconsulti. *Illegitimus* titulus seu *vitiosus*, cum sit *nullus*, non sufficit ad praescriptionem: num autem extraordinariam praescriptionem destruat, si post illius tempus elapsum vitiosus detegatur, in utramque partem controvertitur (cf. *Reuter* III 93); pro Anglia autem affirmari debet (vide infra n. 1108).

1099 V. Tempus requisitum (vide *S. Alph.* III 506—510; *Reuter* n. 98—103; *Pruner*, *Lehre vom Recht* etc. § 102—108).

1. Res immobiles communi praescriptioni subiectae 1) cum titulo colorato praescribuntur *decennio*; 2) sine titulo requiruntur *triginta anni*; 3) res ecclesasticae sive cum titulo sive sine titulo requirunt saltem 40 annos; bona Benedictinorum (per communicationem privilegiorum etiam bona ordinum mendicantium) 60 annos; bona ad ecclesiam Romanam pertinentia 100 annos. Ita ex dispositione iuris canonici, quod in foro conscientiae omnino servandum est, siquidem soli Ecclesiae competit de rebus suis leges condere iisve vim attribuere: nisi forte plus favoris alicubi ei datum sit. Ius Austriacum requirit *tres annos*, si res immobilis in publicis tabulis possessori adscripta est, alioquin 30 annos.

2. Tempus praescriptionis extenditur 1) in favorem *absentium* e provincia, ita ut tempus absentiae, si per annum et ultra duravit, *pro dimidio* tempore tantum sumatur; quare si dominus semper absuit, spatium 20 annorum requiritur ad praescriptionem complendam; in Austria 6; tricennalis praescriptio non duplicatur. 2) Hunc favorem duplicandi tempus absentibus concessum ius Austriacum ita extendit ad *omnes personas morales*, ut iis loco 30 annorum concedat 40 annos.

Ius Germ. rerum immobilium (fundi) acquisitivam praescriptionem proprie non admittit, nisi quis per 30 annos ut proprietarius fundi inscriptus fuerit in tabulis publicis (§ 900), vel ultra, si forte tempus praescriptionis suspendatur. Alioquin qui, cum inscriptus non sit, fundum per 30 annos



ut proprium possedit, postulare potest, ut, si quis alius forte fuerit dominus, evocetur atque, nisi evocatus appareat, per sententiam a dominio excludatur: quod si factum fuerit, possessor ille evasit proprietarius et verus dominus (§ 927).

3. Rerum mobilium praescriptio secundum pleraque iura<sup>1</sup> (Romanum, 1100 Austr. etc.) 1) *cum titulo* tribus annis perficitur, 2) *sine titulo* triginta tantum annis completur. Verum nota:

1° Contra absentes ut praescriptio circa mobilia fiat, nec tricennale nec generatim triennale tempus duplicatur; posterius duplicatur iure Austriaco.

2° Ius Austriacum idem statuit de praescriptione contra personas tantum morales, atque spatium 30 annorum ad 40 annos extendit.

3° Ius Germ. requirit 10 annos; de speciali titulo silet<sup>2</sup> (§ 937).

4° Bona *ecclesiastica mobilia*, cum secundum iuris canonici leges regantur, subiacent cum titulo praescriptioni 3 annorum, sine titulo 30 annorum, ita ut tempus privilegiatum ad immobilia tantum pertineat. Ubi vero lex civilis *maius* temporis spatium assignat pro rebus ecclesiasticis, id, utpote causae piae favorabile, prorsus requiritur.

5° De re *furtiva vel vi possessa* (adeoque de re tum mobili, tum immobili) supra iam sermo erat. Secundum ius commune non praescribitur umquam ordinario tempore; at probabile est, eam praescriptione acquiri *cum titulo* a possessore bonae fidei spatio 30 annorum, contra absentes spatio 40 (*S. Alph.* III 515); sine titulo praescribuntur numquam, etsi per mille manus transierint, *nisi vitium purgatum fuerit*. In quo recentiores leges non idem sentiunt: Ius Austr. pro rebus, quae possidentur titulo *colorato*, sed *antecessore immediato iniusto*, tempus duplicatum requirit. Ius Germ. res furtivas ab aliis non distinguit in praescriptione (10 ann.), in instantanea acquisitione distinguit, ut habes infra not. 2.

4. Iura cetera (ut servitutes activae): 1) Secundum ius commune 1101 10—20 annorum praescriptione acquiruntur, computando a prima pacifica usucapione, altero sciente et non reclamante. Quae scientia et tolerantia *pro titulo* haberi videtur. At in conscientia (ita omnino ius canonicum) requiritur bona fides in praescribente, scil. persuasio se iure suo agere. — Pro aliquibus tamen iuribus ius Rom., nisi titulus habeatur, et si agatur de servitutibus discontinuis, tempus immemorabile requirit (*Reuter* III 102, 5).

2) Secundum ius Gallicum ratione praescriptionis acquisitivae distinguuntur tantum a) servitutes continuae et simul apparentes, b) non continuae aut, etsi continuae, tamen non apparentes: quarum primum genus praescribitur 30 annorum possessione (art. 642 et 690), alterum genus praescriptione non acquiritur (art. 691).

3) Ius Austriacum constituit pro acquisitione iuris, quod *raro* exercetur, spatium 30 annorum, moda probetur, occasionem illud ius exercendi saltem ter adfuisse, et semper exercitum esse (de scientia alterius silet); pro

<sup>1</sup> Ius Gallicum res *furtivas* et *inventas* praescriptioni 3 annorum addicit; quod valere potest, saltem si cum bona fide pro furtivis titulus adest. — Quod vero in reliquis mobilibus *ex sola possessione* dominium attribuitur, id in foro conscientiae puto *posse* negligi, si agitur causa eorum, quorum interest legem eam non esse.

<sup>2</sup> Ceterum quando cum bona fide traditio rei per possessorem facta pro titulo adest, eo ipso statim acquiritur dominium (§§ 929 932); exceptis rebus furtivis, amissis vel inscio domino extra eius possessionem positis, nisi forte in hisce agatur de pecunia titularisve nummulariis vel de rebus publice sub hasta venditis (§ 935).

quibusdam iuribus usu frequentioribus, si in libris publicis alicui adscripta sunt, ut ab illo vere acquirantur, constituit spatium 3 annorum.

4) Ius Germ. non agnoscit iurium personalium acquisitionem per longi usus praescriptionem, ut longus usus faciat iuris praesumptionem; iura autem in fundis innixa acquiruntur eadem difficultate atque ipsi fundi (§ 900).

1102 5. Praescriptiones liberativae. 1) Iure Gallico tum servitutes, tum debita et actiones exstinguuntur 30 annorum spatio (art. 706 et 707, 2262) per non-usum cum duabus exceptionibus seu modificationibus: a) si de servitutibus agitur, servitutes continuo apparentes exstinguuntur per *solum* non-usum; b) quoad exstinguenda debita vel actiones contra debitorem recensentur multa, quae breviori tempore exstinguuntur (a. 2271—2278): quinquennio, triennio, 6 mensibus etc. (de quibus vide infra n. 1103).

2) Iure Rom. a) *servitutes* personales exstinguuntur 20 annis, reales 10 vel 20, prout dominus absens aut praesens est (nisi sit sermo de ecclesia aliisve privilegiatis): vide *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 538; *Pruner*, Lehre vom Recht etc. § 110. Utrum solus non-usus sufficiat, an contradictio seu impedimentum ab altero positum requiratur, discernitur fere ut supra ex eo, utrum servitutes rusticae sint, an urbanae; b) omnes *actiones* personales et reales (nisi de privilegiatis agitur) 30 annorum spatio exstinguuntur; idque pro debitore, saltem si ex successione debitor est, supposita bona fide positiva, in conscientia probabiliter valet. *Less.* l. 2, c. 6, n. 19; *Lacroix* l. c. n. 539; *S. Alph.* n. 513.

3) Secundum ius Germ. praescriptio liberativa seu extinctiva  
1° non admittitur: a) quoad servitutes rusticas tabulis publicis inscriptas; b) quoad iura familiaria (§ 194).

2° Tempus ordinarium, quo alia iura vel debita (*praestandi, agendi, omittendi*) exstinguuntur, est 30 annorum (§ 195), nisi forte propter impeditam praescriptionem sit *extendendum* (§ 205).

NB. Quod tempus ordinarium etiam requiritur, si quando iura vel debita breviori praescriptioni obnoxia *iudiciali* sententia confirmata sint (§ 218).

3° Tempus brevius statuitur quoad multa debita commercialia et quae in cotidiana vita contrahuntur (2—4 annorum § 196 sqq); alia iura agendi vel impugnandi actus etiam longe citius exstinguuntur.

4° Finita praescriptione, debitor iure suo negat (quod in conscientia saltem non valet sine bona fide), creditor iure suo recipit etiam tum solutionem sibi a debitore, licet praescriptionis legalis inscio, oblatam (§ 222); neque impeditur, quin solutionem sibiumat ex cautione vel pignore sibi datis (ib. § 223). — Sed ex hypotheca vel pignore sumi nequeunt annuae usurae similivae debita *periodica* praescriptione extincta (ib.).

1103 In exstinguendis servitutibus rusticis sufficit secundum probabilem sententiam (vide *Laymann* l. 3, tract. 1, c. 8, n. 12), ut dominus rei servientis alterum nullo modo impediatur, scilicet neque decipiendo neque obstaculum creando.

In exstinguendis debitis seu aere alieno, quoniam ad eam praescriptionem in foro conscientiae bona fides *positiva* requiritur, liberativa praescriptio triennio minor generatim theologorum sententia in hoc foro reicitur, ita ut alio sensu leges respondententes nequeant admitti, quam ut dicatur actio civilis contra debitorem denegari creditori. Insuper cum in primo debitore ne in tricennali quidem praescriptione bona fides, nisi vere probetur, sumi possit: haec liberativa praescriptio quoad aes alienum practice vix admitti potest nisi in debitore *successore*, eaque aut tricennalis, aut, si lex positiva favet, triennalis vel longior. Cf. etiam *Gury* I, n. 588; *Scav.*<sup>10</sup> II, n. 391, not. 2, qui etiam pro solo debitore successore id concedunt: immo de haerede proprie dicto specialia etiam infra notanda sunt. — Dixi, si lex positiva favet; secus enim ipsa bona fides, qua successor

putat, se nihil debere, eatenus tantum eum iuvare potest, ut creditori solutionem exigenti credere non teneatur, nisi certo probet, solutionem certi debiti factam non esse. Immo num tricennalis praescriptio etiam tum, quando creditor certo probavit, debiti solutionem factam non esse, successorem debitoris liberet in conscientia, ex diversarum regionum iuribus videri debet. *Probabiliter* ita intelligitur ius Rom. et Gall. (vide *Lugo* disp. 7, n. 49; *Lacroix* l. c. n. 493; *S. Alph.* n. 513; *Gury* I, n. 590), etiam, ut puto, ius Germ. *Probabilis* autem iuris concessio, si opinio vere fundata est, sufficit, ut debitor bonae fidei per diuturnam illam praescriptionem liber evaserit. Quamquam eo, quod etiam contrarium sit probabile, creditor iure suo exigere et recipere potest solutionem a debitore, qui solvere paratus est.

6. Ut autem praescriptio omniaque ad eam spectantia rite intelligantur,<sup>1104</sup> explicandum superest: 1) quid sit praescriptionem non procedere; 2) quid sit eam non currere, eam suspendi, et quando suspendatur; 3) quid sit praescriptionem interrumpi, et quando id contingat; 4) quid sit illi, contra quem praescribitur, concedi restitutionem in integrum, et quomodo id agatur.

Igitur praescriptio dicitur *non procedere*, si incohari nequit; — dicitur *suspendi* seu *non currere* seu *dormire* certo aliquo tempore, si illud tempus inter spatium lege assignatum non computatur; — dicitur *interrumpi*, si, ut valeat, denuo integrum tempus lege statutum incipere debet. Quando autem haec obtineant, si quaeris, nota praecipue sequentia:

1) *Non procedit* praescriptio secundum diversa iura contra pupillos, saltem si tutorem non habent.

2) *Non currit* praescriptio (generatim saltem iura diversarum regionum hos favores concedunt): a) tempore, quo iudicia exerceri nequeunt propter contagionem, belli tumultus etc.; b) contra Romanam aliasve ecclesias tempore schismatis, si quod existat (*decret.* l. 2, tit. 26, c. 14), aut sede vacante, seu ecclesia rectore suo orbata (ib. c. 1 et c. 15); c) contra eos, qui ius suum prosequi nequiverunt, v. g. propter absentiam officii causa, propter defectum, quo sui iuris non erant.

3) *Interrumpitur* praescriptio generatim loquendo: a) si possessor ultra annum possessionem rei amiserit; b) si lis circa rem iuridice ei a domino illata est neque a iudice reiecta, vel si debiti facta sit agnitio vel iuridica petitio (accuratior autem definitio conditionum necessariorum ex diversis legibus peti debet); c) si mala fides superveniat.

4) *Restitutio in integrum* beneficium iuris est, quod aliquando iis, contra<sup>1105</sup> quos praescriptio est perfecta, conceditur, ut, non obstante legitima praescriptione; actionem possessori intendere possint, contra quem iudex praescriptionem rescindat. Quare etsi, antequam iudex sententiam tulerit, possessor sese ut dominum considerare possit neque rem teneatur reddere; post iudicis tamen sententiam res redit ad priorem dominum.

Haec conceditur generatim, nisi aliter provisum sit: a) minoribus iure *communi* seu Romano per quadriennium post maiorenitatem aut emancipationem; b) ecclesiis aliisve locis piis item per quadriennium post completam praescriptionem; c) iis, qui plane impediti erant a prosequendo iure suo, iuxta iudicis prudentiam.

Cum non omnia iura eodem modo de minoribus aliisve impeditis loquantur, *aliquod* autem privilegium vix non omnia concedunt, praecipua privilegia hic breviter enumero:

Ius Rom. *pupillos* ita tuetur, ut contra eos nec incohari nec continuari possit praescriptio; *minores* ita 1) ut, etsi incohari contra eos et continuari possit, tamen non nisi praescriptio 30 annorum, 2) ut iis per 4 annos, postquam maiores facti sunt, competat ius restitutionis in integrum.

Ius Germ. statuit in favorem minorum aliorumque, qui plene sui iuris non sunt, quando non habeant legalem curatorem, ut contra eos praescriptio ne finiatur ante 6 menses, postquam sui iuris facti fuerint: nisi ad brevius tempus contrahatur spatium praescriptionis integrum (ex contractu libero), cf. §§ 206 939 225.

Ius Austr. statuit, ut contra minores aliosve non habentes legitimum curatorem *non inchoetur* praescriptio, *inchoata* quidem *currat*, sed non *ab-solvatur*, nisi 2 annis post impedimentum sublatum. (§ 1494.)

Ius Gall. (art. 2252) simpliciter statuit, contra minores et interdictos praescriptionem *non currere*, nisi quoad praescriptionem certorum debitorum.

## § 2.

### *Quaedam pro confessario circa praescriptionem.*

1106 I. Confessario imprimis scitu necessaria sunt, quae valeant 1) in praescriptione mobilium; 2) in praescriptione quorundam iurium et servitutum, quae in sua regione frequentius occurrant; 3) in praescriptione liberativa debitorum; 4) quae et qualis bona fides requiratur in *qualibet* praescriptione. ut discernere valeat, num praescriptio fori externi in conscientia sustineri possit.

II. De bona fide occurrit singularis quaestio, si bona aliena a possessore malae fidei transeunt ad haerem. De quo haec nota:

1. Quamquam alias possessio defuncti cum possessione haeredis coalescit in utilitatem haeredis, tamen, cum primum probatur, defunctum mala fide fuisse, evidens est, illius possessionem nullatenus posse computari, qua legitimum praescriptionis tempus compleatur.

2. Gravior quaestio est, num haeres, etsi ipse legitimo tempore bona fide rem possederit, propter malam fidem defuncti nunc tandem cognitam a praescriptione impediatur. Cui quaestioni ita respondendum esse censeo:

1) Haec quaestio movetur solummodo contra verum haerem, non contra legatarium; posterior enim praescriptionem 10 vel 20 annorum perficere potest: cuius rei rationem colliges ex iis, quae infra sub 4) dicuntur.

2) Haeres, qui per 30 annos (scilicet si agitur de bonis non privilegiatis) rem bona fide possedit, probabiliter in conscientiae foro etiam eam suam fecit, cum omnes actiones personales et reales post 30 annos dicantur extinctae esse, adeoque etiam extinctum sit ius agendi contra haerem (cf. ius *Germ.* §§ 194 195): quod qua ratione in conscientia valeat, ex supra dictis colliges. Immo si qua difficultas videatur adesse ex iure *Austriaco*, utrum nimirum universim haec actionum iudicialium extinctio concipiatur pro debitoris immunitate in conscientia, necne: haec difficultas relate ad haereditatem et haerem evanescit ex eo, quod leges illae expresse admittunt, haerem bonae fidei, qui succedat defuncto malae fidei, posse praescribere (§ 1463). Excipe si possessio titulo *vitioso* innitatur: ille enim ad haeredes censetur transire. (Cf. *Reuter* III, n. 96 cum aliis; *Gury* I, n. 590; *Delama*, De iustitia n. 289.)



3) Ante tempus 30 annorum elapsum haeres tenetur in conscientia, ubi ius Romanum viget vel ius vigen cum Romano concordat, semper (alias saltem quando possessio erat sine titulo) dominum rei *indemnem* facere, adeoque aut rem ipsam aut eius valorem reddere et simul alia damna reparare; idque solus, si est haeres ex asse; pro rata, si haeres partialis est. Nam haeres secundum omnia iura sicuti in bona, ita in debita realia sui antecessoris transit, saltem pro viribus haereditatis: atque ita tam diu tenetur, quamdiu praescriptio acquisitiva vel liberativa non sit perfecta.

4) Attamen secundum complura recentiora iura *res* ex haereditate<sup>1107</sup> receptae ab haerede bonae fidei per praescriptionem triennem, decennem (pro casu duplicatam) *acquiruntur*, etsi forte obligatio reparandi damni seu debiti extinguendi, quod antecessor contraxerat, maneat per 30 annos ante completam praescriptionem liberativam. Quam acquisitionem admittit ius *Austr.* l. c. Eandem admittit ius *Germ.* quoad bona mobilia, ad quorum praescriptionem acquisitivam universe nihil requirit nisi decennem cum bona fide possessionem (§ 937); solum *contra haereditatem* ab alio possessore haereditatis non acquiritur res ulla per praescriptionem acquisitivam, sed per liberativam 30 annorum tantum (2026). — Ius vero *Romanum*, quod haereditatem universalem (sive ex asse, sive ex parte) tamquam unam personam cum antecessore ita considerat, ut in praescriptione, saltem ordinaria, utcumque iuari nolit bona fide haereditatem, si mala erat defuncti: eiusmodi haereditatem ex sola praescriptione *liberativa* 30 annorum a debito erga priorem dominum eximit. Idem secundum ius *Gallicum* tenendum est, ut explicat *Allegré*, Le code civil<sup>5</sup> II 452 sq, ad art. 2235—2237 quoad eos, qui *titulo universali* succedunt.

In praxi autem non semper idem est, utrum acquisitiva praescriptio rei possessae admittatur, annon, etiam quando plena haereditatis liberatio post 30 annos tandem perficitur. Fac enim, plures esse haereditates, ad unum vero transiisse certam rem a defuncto mala fide possessam. Secundum ius *Romanum* illius rei prior seu verus dominus immediate ab illo uno haerede rem suam repetere potest, quatenus haeres ille fortasse aliquem recursum partialem ad cohaereditates habeat: at secundum iura, quae ob malam fidem antecessoris haereditatem a praescriptione non repellunt, elapso *ordinario* praescriptionis tempore, prior dominus ab uno illo haerede rem suam repetere certe nequit. Et si forte per leges licuerit litem intendere *ex damno* illato, ista reparatio a singulis peti tantum posset pro rata parte haereditatis acceptae, nisi leges plus concedant.

Haereditatis haereditatem ius Rom. sibi constans etiam pro eadem habet persona iuridica et ob antecessoris etiam mediati malam fidem a praescriptione ordinaria excludit. Recentiora iura, licet alii aliter ea interpretentur, pleraque etiam eum haereditati immediato acquiritur: verum propter malam fidem antecessoris eum non faciunt praescriptionis sive acquisitivae sive liberativae incapaces.

1108 Quantopere necessarium sit, in hoc praescriptionis negotio leges regionis attendere, ostendit imprimis ius Anglicum, quod a reliquis iuribus multum discrepat. Subiungo pauca, quae contraxi ex *Crolly*, De iure et iustitia I, n. 599 sqq :

I. Ius Anglicum nullam admittit praescriptionem mobilium.

II. Circa bona immobilia et iura in eiusmodi bona (uti usus, usufructus etc.), ut praescriptione acquirantur:

1. requiritur et sufficit nunc (ex stat. Gul. IV) usus non interruptus 30 annorum; immo sufficit probatio non interruptae possessionis per 20 annos, ut iuris praesumptio existat, rem a tempore immemoriali in possessione fuisse. Atque recentius (37 et 38 Vict. c. 52) statutum est, ut domus, agri et alia immobilia corporalia omnino praescribantur, si per 12 annos neque reditus soluti, neque debiti recognitio in rescriptis sit facta.

2. Si quis autem a iure suo prosequendo impeditus erat, illo tempore contra ipsum praescriptio non currit, spatium illud inter 30 annos requisitos non numeratur.

3. Attamen, etsi legale impedimentum exstiterit, 60 annis praescriptio completur.

4. Titulus quidem specialis non requiritur; verum si contra possessorem probatur titulus *vitiosus*, praescriptio nihil iuvat.

5. *Crolly* putat, ex mente iuris Anglici esse, ut sufficiat bona fides sive positiva sive negativa. Negativam ita intelligit: si quis plane conscius quidem sit, se non ex iure suo actiones quasdam in re aliena exercere, eas tamen palam, i. e. *sciente et non contradicente* domino, per legitimum tempus ex praesumpto vel *tacito consensu veri domini* exercuerit, eum post tempus praescriptionis ius illud plane acquisivisse, etiam in foro conscientiae: l. c. n. 610.

III. Servitutes rusticae activae spatio 20 resp. 40 annorum acquiruntur.

IV. Iura autem exstinguuntur per non-usum 20 annorum; immo iudices possunt, *spectatis circumstantiis*, sententiam ferre ante elapsos 20 annos, dominum voluisse iure suo cedere: qua sententia lata, ius prioris domini prorsus extinctum manet.

V. Actiones iudiciales ad solvenda debita ex contractu simplici aut ex delicto orta infra sex annos (nisi legale adfuerit impedimentum) intendi debent; alias actionis instituendae ius exstinguitur: aliae actiones contra debita ex firmiore contractu orta infra 20 annos intendi possunt. — Attamen, teste *Crolly*, haec praescriptio in conscientia non liberat, si de debito *constat*. Debitor igitur eatenus tantum in conscientia uti potest praescriptione illa legali, ut in dubio debiti contracti aut iam soluti immunis evadat.

NB. Difficultas circa haeredem bonae fidei, qui succedit possessori malae fidei, aut difficultas circa bona (furto vel) vi possessa in iure Angliae locum non habet, cum ex una parte eiusmodi bona non magis protegantur quam alia, ex altera autem parte pro *qualibet* praescriptione tantum temporis spatium requiratur, quod alia iura fere in bonis privilegiatis postulant. (Vide *Crolly* n. 611.)

In iuribus Americanis, quae ceteroquin praescriptionem immobilium et mobilium admittunt, tempus requisitum adeo diversum assignatur, ut in qualibet regione accuratius videri debeat, quid iuris sit; tempus videlicet legale inter 5—40 annos quoad bona immobilia versatur.

## SECTIO II.

### LAESIO IURIS ALIENI IN BONIS EXTERNIS SEU FORTUNAE.

#### *Caput I.*

#### De gravitate illius peccati eiusque materiae.

1109 De laesione iuris alieni in genere deque eius gravitate iam antea egimus. Haec ad praesentem materiam, i. e. ad bona externa, applicanda sunt. Quae laesio duobus praecipue modis fit: aut sola damni-

fictione aut iniusta rei ablatione. Specie morali per se non differt unus modus ab altero, *diversae* tamen iniuriae *personales* accedere possunt. Quae si non accedunt, tota malitia realis in ipsa *bonorum alienorum laesione* consistit. Consequitur, ut, quae de rei alienae ablatione eiusque gravitate dicturi sumus, etiam de mera damnificatione valere debeant.

Iniusta rei ablatio fit 1) per *furtum*, quae est *occulta* rei alienae iniusta ablatio; 2) per *rapinam*, quae est eiusmodi ablatio *violenter facta*; 3) per *fraudem* vel defraudationem, quae est bonorum sive iurium laesio et diminutio dolosa circumventionem peracta.

Hae igitur distinctiones factae sunt secundum *diversum modum*, quo aliena bona vel iura auferuntur et occupantur. Secundum *diversam conditionem bonorum* quae auferuntur, vel subiecti iuridici a quo auferuntur, habes alias distinctiones, praesertim: 1) *peculatum*, si bona ad fiscum pertinentia auferuntur; 2) *sacrilegium*, si bona sacra vel ecclesiastica sunt.

Specifica distinctio vel accessio novae malitiae mortalis praeter iniustitiam habetur per se tantum in *rapina* et in *sacrilegio*.

1. Etenim ratio, qua res, e. g. pecunia, pertineat ad fiscum, illi non imputat eam conditionem, ob quam specialis malitia mortalis deprehendatur in huius potius rei quam in rei cuiusvis laesione. Diversam enim ab aliis rebus conditionem hanc solam habes, qua res illa ad communitatem spectat, ad quam et ipse fur pertineat. At haec conditio, si quid mutet, peccatum potius diminuatur. Ceterum ipsam *hanc* rationem diminuendi peccati non ita urgere possumus, ut propterea *peculatus* malitia notabiliter decrescat; sed innuisse sufficit, non constitui diversam novamque gravem malitiam.

2. Neque in *fraude* essentialis malitia gravis distincta a furto habetur. 1110  
Accidentalis quidem distinctio, sive distinctio circumstantiarum vel aggravantium vel diminuentium, quae tamen peccatum ad aliam speciem mortalis malitiae non transferunt, neganda non est: *fraus* enim *primo et per se* mendacio sive verbali sive reali committitur. Atque ita fieri potest, ut defraudatio magis etiam peccaminosa et detestabilis fiat quam ipsum furtum. A fure enim diligentia et custodia tandem homines sibi cavere possunt, a fraudibus vero et dolis longe difficilius, cum ab astutis hominibus erga simplices et ingenuos exercentur atque in iis actionibus et negotiis, a quibus abstinere in sociali vita saepe impossibile est. *Fraus* igitur et *dolus* fidem et pacem socialis vitae corrodunt, atque ea, quae media unionis et communicationis mutuae esse debent, in laqueum vertunt ac discordiae periculum.

Ad fraudem revocari potest illa agendi ratio, qua quis praevidens se solvendis debitis imparem fore, nihilominus nova debita contrahit vel expensas facit in rebus non plane necessariis. «Necessaria» intelliguntur quidem secundum conditionem seu statum iuste acquisitum, quem nihilominus homini aere alieno oppresso non licet nisi parce et cum quadam diminutione sustinere. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 380 nixus doctrina quam tenet *Lugo*, *primo* statuit: «Est iniuria, si quis supra vires suorum bonorum gerat statum»; *dein* addit: «Si tamen non posset iuxta suum statum *absque magno dedecore* abstinere a talibus sumptibus aut etiam a donationibus gratuitis, *Lugo* dicit licite ab hoc fieri.» Cf. *Lugo*, De iust. disp. 20, n. 133 sqq.

1111 3. *Rapina* ex se novam mortalem malitiam addit, in ipsa vi domino illata consistentem, eaque communiter mortalis est, neque solum in ea re, cuius ablatio mortalis est iniustitia, sed etiam in leviori, quia longe facilius *personalis* iniuria gravis evadit. Immo qui rapinam et latrocinium exercent, sui animi dispositione longe etiam gravius et gravissime delinquant, cum fere parati sint, quamlibet vim iniustam iustae defensionis opponere, atque ita ob animi propositum non tantum iniustitiae et personalis iniuriae ut-cumque inferendae, sed ipsius homicidii cruentaevae invasionis rei sunt.

4. *Sacrilegium* seu furtum sacrilegum, quando et quam malitiam simplici furto addat, videre ex iis licet, quae supra de religione atque vitiis religioni oppositis tractantes diximus. Neque dubium est, malitiam sacrilegii, quatenus religionem laedit, peccato iniustitiae gravius esse; attamen determinatio materiae, i. e. quanam gravis, quanam levis seu venialis sit, ex ipsa *iustitiae* laesione desumitur.

Haec de *specifica* peccatorum contra iustitiam in rebus fortunae occurrentium distinctione sufficiunt.

1112 Gravior quaestio ea est, *quanam quantitas* requiratur, ut peccatum damnificationis vel furti mortale sit; parvitatem enim materiae admit-tendam esse, cuilibet perspicuum esse debet.

In qua quaestione solvenda obiectivam gravitatem quaerere debemus, eamque in fixo determinatoque rei ablatae valore collocare, ita ut, quod infra certum valorem auferatur, mortale peccatum obiective non sit. Haec igitur norma non prorsus deservit confessario ad dignoscenda peccata com-missa, ut scilicet cognoscat, utrum poenitens graviter an leviter deliquerit, sed potius ad hoc, ut sciat, utrum gravis obligatio restituendi adsit necne. Graviter enim aut leviter poenitens *peccasse* censendus est, prout ipse in furto committendo quantitatem ablatam gravem aut levem *aestimavit*; gravis *restituendi obligatio* ab eo generatim etiam pendet, utrum *obiective* gravis fuerit alterius laesio. Nihilominus etiam peccati subiective commissi gravitas com-muniter diiudicanda est ex ipsa obiectiva rei gravitate; communiter enim homines actiones suas secundum obiectivam normam recte diiudicant. Attamen si laesio iustitiae versatur *circiter* in re obiective gravi, subiectivum poeni-tentis iudicium facile potuit a fixa norma a doctoribus communiter agnita aberrare, et fortasse frequentius ad maiorem severitatem quam laxitatem inclinat. Quare si eiusmodi furta accidunt: quando fieri potest, de subiectiva conscientia poenitentis inquiratur, alias iudicio divino culpa a poenitente contracta relinquatur.

1113 Quantitatem igitur, quae ablationem iniustam rei alienae *mortaliter* pec-caminosam reddat, ut definiamus, necesse imprimis est, ut ratio habeatur illius finis, propter quem dominium et proprietatem externarum rerum exigi fateamur. Qui cum in se omnino gravis sit pro vita humana, id efficit, ut, in quantum *notabiliter* laedatur, in tantum proprietatis laesioni reatus gravis seu mortalis culpa imprimatur. Finis vero divisionis proprietatis bonorum, ut iam dixi n. 909, duplicem habet respectum, particularem unum, al-terum universalem, seu ut clarius dicam, proprietatis tum propterea existere debet atque sarta tecta servanda est, ut inter *singulos homines* pax et con-cordia maneat, tum propterea, ut *pro universa humana societate* consistat se-curitas, et necessarium incitamentum ad industriam laboresque sustinendos habeatur. Prior ratio graviter prohibet eam laesionem, quae ex se apta sit ad dissolvendam pacem et concordiam, ad gravem tristitiam homini in-



ferendam. Posterior ratio laesionem eam graviter prohibet, quae, si impune fieri liceret, societati humanae eiusque securitati periculum grave crearet. Quatenus immediate et proxime ex priore respectu gravitas materiae seu valoris rei furto ablatae aestimatur, haec *relative* sumenda est, i. e. diversa pro diversa conditione eius, qui laeditur, eiusque fortunae; quo enim minus ille abundat divitiis, eo facilius unius eiusdemque summae surreptio eum movet ad gravem tristitiam rationabiliter concipiendam. — Quatenus vero gravitas materiae in furto immediate et proxime ex posteriore respectu determinatur, sumenda est *absolute*. Dico, quatenus immediate et proxime ex illo determinatur; nam finis proprietatis, si sub priore respectu graviter est laesus, etiam ita est sub posteriore respectu saltem remote et quasi in radice; si enim singulorum hominum pacifica vita laeditur, etiam socialis vitae ordo atque humanum genus in sua radice violatur. At e contrario etiam fieri potest, ut singularis ille homo, cui furto aliquid sublatum sit, graviter quidem respectu divitiarum suarum non laedatur, sed universali fini proprietatis adeoque humanae societati eiusque securitati publicae grave vulnus infligatur atque ideo ipse dives remote et in radice gravem laesionem sustineat. Revera securitas periret, si a quocumque tandem etiam ditissimo liceret sine gravi peccato notabilem aliquam summam auferre. Cf. *Lugo* disp. 16, n. 28 sqq. — Ceterum etsi quis hunc modum explicandi nolit admittere, saltem omnino debet aliqua quantitatis norma statui, quam numquam sine peccato gravi in laesione bonorum excedi liceat.

Igitur 1) eam ipsam *absolutam* normam materiae gravis vocamus, quam <sup>1114</sup> *numquam* liceat sine mortali peccato in furto attingi vel excedi;

2) in furto, saltem erga singulos homines facto, nisi valde et extraordinarie divites sint, *relativa* norma ad cognoscendum peccatum mortale, eaque absoluta minor, assumi debet.

Pro *relativa norma* gravis materiae multi statuunt quantitatem lucri diurni, vel eam quantitatem, qua paterfamilias ad diurnam sustentationem suam cum familia indiget: cf. *S. Alph.* III 527. Quae quidem norma pro ordinaria hominum conditione, quae et nimiam paupertatem et abundantes divitias excludat, non videtur incongrua.

Aliis magis placet certam *taxam* definire. Potest autem ita fere statui: pro hominibus fortunae mediocriter bonae (quae eadem statui potest, si conditio domini laesi ignoratur) 5—6 marc.; pro ordinariis operariis 3 mc.; pro vere pauperibus etiam 1 mc.; pro divitibus hominibus 8—9 mc.; pro ditissimis vero *et tanquam summam absolute gravem* statuerem circiter 30 mc., vel etiam ultra in locis ubi pecuniae valor est minor<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> In iis igitur regionibus, ubi pecuniae valor minor est, ut in Anglia, etiam maiorem materiam sume: pro materia tamen absolute gravi  $1\frac{1}{2}$ —2 *libras aureas* (in America Sept. 7—10 doll.), pro hominibus satis divitibus mediam libram, pro ordinariis operariis 5 shillings et sic porro. Immo cum ibi divites non vocentur, qui alibi prorsus inter divites reputarentur, non raro apud «divites» circiter ad libram auream ascendi debet, ut dicatur *materia gravis*; in aliis, qui vocantur «bonae fortunae», sume pro gravi materia  $\frac{1}{2}$  libr. auream; idem, si conditio laesi ignoratur.

Quam iniquum autem sit, etiamnunc *taxam* illam pecuniariam, quam antiqui scriptores pro materia gravi assignant, pro tali habere, cuique legenti patet, si ad decrementum valoris pecuniae reflectat. Antiqui scriptores, ut *Lessius*, *Bonacina*, *Bañez*, *Navarrus*

1115 Ut vero breviter indicem, quae iniustitiae peccata gravia constituent, et quae a gravi peccato excusentur, haec summam notari possunt:

I. Si agitur de furtis erga homines *extraneos*, norma supra posita servit. — Si vero *maior coniunctio* intercedit inter dominum laesum et eum, qui laesit, laesio bonorum externorum in morali aestimatione potius decrescit, ac propterea ad peccatum grave *maior summa* requiritur. Iniustitiae enim reatus in eo est, ut laesio committatur invito domino; minus autem invitus censetur, qui in bonis externis laeditur a sibi coniunctis. De qua re mox infra.

II. Maior etiam quantitas necessaria est, si non unus singularis homo graviter laeditur, sed *una actione plures* laeduntur, aut si non de quantitate una vice sublata, sed de *quantitate ex pluribus furtis collecta* agitur; nam damnum non ita sentitur adeoque non aequae gravem tristitiam affert, si post aliquod temporis intervallum et divisim inferitur, ut affert, si una eademque vice totum causatur.

Scilicet si unus diversis vicibus laeditur levioribus furtis, materia, ut gravis sit, saltem dimidio superare debet materiam alias gravem vel etiam duplo gravior evadere.

Si vero erga plures furtum committitur, sique multi sunt, ut communitas (Gemeinde), norma gravis materiae ea sumi debet, quae *absolute* gravis est; quare si erga eam pluries minuta furtula perpetrantur, accedi potest usque ad summam duplo maiorem, quam est materia absolute gravis, antequam de gravi peccato constet. Cf. *Gury-Baller. I, n. 611.*

1116 III. Igitur minora furta, quorum singula mortale peccatum non sunt, propter repetitionem et multiplicationem gravia fieri possunt idque tum ex parte materiae, tum ex parte furis. Coalescunt autem, seu *ex parte materiae sublatae* furtula evadunt grave peccatum:

1) si bona sublata *retinentur* in se vel in aequivalente — quia sicut ablatio rei alienae gravis est, ita etiam retentio rei alienae in gravi quantitate mortale peccatum est;

2) si *ex intentione perveniendi ad materiam gravem* aliquis, ut securius propositum exsequatur, iterato, sed singulis vicibus partem ex se non gravem surripit: quod si fit, ad materiam gravem constituendam vix plus requiritur, quam si una vice totum aufertur;

3) si furtula non retinentur quidem amplius, neque ex intentione ad maiorem quantitatem perveniendi ab initio suscepta sunt, attamen re ipsa *sine notabili intervallo interiecto* ad gravem materiam totalem pervenerunt.

Ex iis concludes, ea non coalescere, si sine intentione ea repetendi vel ad materiam gravem perveniendi perpetrantur, idque post longum tantum intervallum. Longum vero intervallum, post quod furtula sic patrata neque amplius retenta coalescere desinunt, est:

---

aliquae, respectu pauperum mendicantium pro materia gravi assignant 1 regalem =  $\frac{1}{2}$  franc. et «aliquando in casu raro etiam dimidium reg.», ut refert *S. Alph. l. c. n. 527*, respectu operariorum pauperum 2 regales, respectu *mediocriter divitum* 4—6 regales, respectu *ditissimorum* 1—2 aureos: quibus cum *S. Alph.* pro suo tempore fere assentiatur, ipse videtur potius severiorem normam assumpsisse. Attamen si respicimus ad hodiernum pecuniae valorem, non videmur a mente probatorum auctorum recedere, si ad illam mensuram, quam supra statuimus, materiam gravem revocamus.

1. si materia furtulorum non multum infra materiam gravem manserit, spatium duorum mensium: *S. Alph.* III 530;

2. si vero valde notabiliter infra illum valorem manserunt, etiam spatium unius mensis sufficit, ut non amplius coalescant;

3. immo si agitur de furtis in rebus minimis, ne tantum quidem tempus requiritur, ut concludi licet ex iis, quae de furtulis famulorum quoad esculenta dicemus n. 1119.

IV. In furtulis vero non semper idem est, graviter peccasse et 1117 gravem furti materiam adesse. A confessario sane notari debet, quando nam furtulis graviter peccetur.

1. Igitur *ex parte furis auferentis* furtula evadunt peccatum grave:

1) Si fur *ab initio intendit* furtula continuare, et ad gravem materiam seu notabile lucrum iniustum ita impunius pervenire; — in *singulis* furtulis peccatum grave committitur, siquidem adest executio intentionis mortaliter peccaminosae. Num autem distinctio numerica furtorum adsit *quoad confessionem instituendam*, sume ex dictis n. 349 sqq.

2) Si post plura furtula aut retenta aut sine notabili intervallo facta demum *gravis materia completer*: hoc ultimo furtulo, si modo fur satis attendit, se nunc demum gravem materiam complere, mortale committitur peccatum, nisi adsit seria voluntas praecedentia furtula reparandi.

3) Si parva quidem quantitas surripitur, sed *in conspiratione* cum aliis, ita ut tota quantitas ab omnibus ablata gravis evadat: quilibet ex furibus graviter peccat, quatenus singuli ad gravem domini laesionem efficaciter cooperantur.

2. Si fur *cum aliis* furatur, non ex conspiratione neque cum aliqua inductione aliorum ad furtum, atque ipse rem levem aufert, ita ut *grave* damnum, quod dominus patitur, ei efficaciter adscribi nequeat: contra iustitiam graviter non delinquit, etsi suo furto compleat eam materiam, quae domino totaliter, i. e. ab omnibus, auferatur, ut gravem. Et quamquam fieri potest, ut hoc furto graviter delinquat *contra caritatem*, siquidem dominum inde graviter contristandum esse praevideat: tamen ne id quidem regulariter videtur obtinere, quia dominus laesus erga *ipsum* graviter invitus non potest esse rationabiliter, sed invitus tantum pro merito laesionis parvae. Cf. *Lugo* disp. 16, n. 53 sqq, cuius argumentatio nutaret, si caritatis laesio *per se* gravis intercederet.

3. Post summam gravem ablatam vel completam, si denuo aliquid surripitur, quod in se solo leve est, grave peccatum committitur, si fur ad praecedentia furtula advertens seriam voluntatem ea reparandi non habet. Ita *Billuart*, neque dissidet ab hac sententia *Lessius*, *Lugo* n. 39, *S. Alph.* n. 538<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Non tantum est dissidium, quantum aliqui putant existere, inter sententiam Lugo affirmantem et Lessii negantem novum peccatum grave committi. (Cf. *Gury* I, n. 612 et *S. Alph.* III 538.) Nam *Lessius* l. 2, c. 12, n. 44 haec habet: »Respondeo, per se non fore mortifera (furta parva addita post completam materiam gravem), *sed mortifera erit voluntas retinendi illa cum aliis* . . . Si tamen non sit commoditas restituendi priora, illa voluntas retinendi (subsequentia furtula parva) mortifera non erit, *modo concipiatur propositum restituendi* (priora furta) *prima opportunitate*. Cum igitur *S. Alphonsus* sententiam Lessii alleget, opinionem illam negantem, quam S. Doctor «merito probabilem» appellat, in sensu a Lessio explicato intelligere debemus.

1118 NB. Ablatio rei alienae iniusta esse desinere potest ex eo, quod dominus invitus fortasse re ipsa sit, at illegitime et irrationabiliter sit invitus, cum graviore rationes adsint, propter quas res ipsius ab altero impeti liceat. Quod fit 1° propter extremam necessitatem, in qua ille alter versatur; 2° in causa iustae compensationis, quae a domino propter damnum ab ipso causatum exigi potest. De his cap. sequenti.

Scholion. Relate ad eos, qui cum domino maiorem coniunctionem habent, 1) imprimis dicendum est de *filiiis-familias*. Pro quibus complures auctores statuunt, requiri summam duplo maiorem quam pro extraneis, idque quando pater invitus est quoad substantiam. Si vero pater ad eosdem usus honestos, ad quos filius pecuniam impendit, rogatus dedisset, summam certe etiam maiorem requirunt, cum filius iam quodammodo ius incohatum in bona paterna habeat. Haec certe probabiliter dicuntur.

*Lugo* disp. 16, n. 76 etc. dicit, determinationem summae gravis a multis circumstantiis pendere, non tantum ab usu, quem facit filius cum pecunia sibi assumpta, nec a solis divitiis patris, sed etiam a maiore minoreve filiorum numero, a maiore minoreve affectu patris erga filium, paucis ab eo, utrum spectatis omnibus circumstantiis actio filii patri *ita displiceat*, ut eum ab illa acceptione prohibere sub mortali culpa velle dicendus sit, annon. Quare non raro ultra materiam duplo maiorem excedi debet, antequam mortale peccatum contrahatur. (*Lugo* l. c., *S. Alph.* III 543 cum aliis putat, si pater divitiis ita affluat, ut annuos redditus 1500 aureorum habeat, neque tenax sit, filium, qui adolevit, *graviter non peccare*, si ex illis 20—30 aureos in usus honestos impendendos sibi accipiat.)

2) Relate ad *uxores* quamquam eadem fere principia valent, atque ita etiam materia duplo maior, quam pro extraneis saltem statui debet: tamen pro diversis circumstantiis ei aliquando plus, aliquando vero etiam minus quam filio concedi potest citra peccatum grave. Ceterum plerumque apud uxores tota rei familiaris atque pecuniae necessariae administratio esse debet.

1119 3) Relate ad *famulos* et ancillas in iis tantum rebus aliquid plus quam relate ad extraneos admittere possumus, quae ad cotidianum victum pertinent aut ad levissimas defraudationes, quae in emptione et venditione occurrere possunt. Quantum autem in hac re illis indulgeri possit citra peccatum grave, etiam a multis circumstantiis, praesertim a maiore liberalitate aut tenacitate domini, pendet atque ab ea re, quo loco famuli in domo ac familia habeantur: *Lugo* l. c. n. 78.

Videlicet confessarius iudicare debet, num dominus graviter invitus merito censeatur. Hinc dicunt auctores, ut *Laym.* l. 3, tract. 3, p. 1, c. 1, n. 5; *Less.* l. 2, c. 12, n. 48, furta minuta famulorum ex comestibilibus *ordinariis*, quae claudi non soleant, si non ad vendendum, sed ad comedendum accipiantur, aut non aut raro coalescere ad materiam gravem.

4) De caesione lignorum *in silvis communitatis*, de pascendis pecoribus in pascuis communibus, et similibus rebus antiqui scriptores valde benigne loquuntur, quando haec fieri sumuntur a membris eiusdem communitatis, nisi *notabile* et aliquo sensu extraordinarium damnum fiat; immo etiam in



silvis vicinae communitatis facile admittunt, hanc vicinam communitatem contentam esse *poena* seu mulcta ab iis exigenda, qui capiuntur. — Haec quidem hodie, cum quotannis certa portio lignorum aut distribuatur aut vendatur, severius quidem diiudicanda sunt; attamen pauperibus aliquid saltem etiam nunc indulgendum est, si ad proprium usum quaedam asportant vel etiam sarcinam lignorum aridorum vendendi causa colligunt, modo ne arbores ipsas caedant.

In silvis autem, quae ad fiscum spectant, non prorsus eadem ratio valet, attamen pauperibus etiam licere debet ea auferre, quae secus perirent, et etiam plus, si silvae illae vel agri fuerint ex bonis ecclesiasticis iniuste occupatis neque a Summo Pontifice condonatis.

## Caput II.

### Ablatio rei alienae, quae a furti peccato immunis sit

Duplex quaestio fusius consideranda est 1) de necessitate extrema, 1120  
2) de occulta compensatione.

#### § I.

*De necessitate, propter quam aliena bona auferre liceat.*

I. Declaratur ipsa necessitas, quae et quanta debeat esse.

1. Apud omnes in confesso est, licere in *extrema* necessitate homini assumere ex illis rebus, quae natura facile suppeditat, quantum requiritur ad illam necessitatem depellendam.

2. E contrario id etiam certum est, non licere in *qualibet gravi* necessitate aliorum bona invadere. Nam si id liceret, via aperiretur innumeris furtis cum communi damno et periculo gravi securitatis possessionum perturbandae et hallucinationis inducendae. Ceterum hac in re habetur thesis 36 ab *Innoc. XI* confixa: «Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.»

3. Attamen ut facultas aliena bona sibi sumendi indigenti concedatur, illa «extrema» necessitas non ad summos apices sumenda est, sed cum maiore quadam latitudine, ita ut ad *valde gravem* seu *quasi-extremam* etiam extendatur.

4. Quare ut sciatur, quid secundum probatos auctores liceat, exempla 1121  
quaedam audienda sunt, quae afferunt, et definitio, quam de necessitate extrema et quasi-extrema tradunt.

*Lugo*, De iust. et iure disp. 16, n. 135 ita loquitur: «Necessitas dicitur extrema, quae est de rebus necessariis ad vitam conservandam, ita ut, si de iis non subveniatur homini, periculum sit morale, *quod brevi moriatur*. Illud autem «brevis» explicat *Ledesma* . . . ita ut in una hieme vel in uno vere (homo ille) moriatur; *Caietanus* vero . . . dicit, esse extremam necessitatem, quando non apparet alia via, qua illi (homini) subveniatur, licet longe sit a morte. *Soto* dicit, esse etiam extremam, quando homo appropinquat periculo morbi incurabilis aut alterius miseriae, quae homines solet conficere. *Angelus et Bañez* . . . dicunt, esse etiam extremam, quando (homo) est in periculo amittendi membrum principale vel sensum sui corporis.»

Dein n. 154 loquens de illa gravi necessitate, quam alii quasi-extremam dicunt, et pro causa iusta sibi ex bonis etiam alienis providendi habent — *Lugo* eam sequens 12 auctores pro illa affert — «(tal)is necessitas gravis», inquit, «est ex eo, quod afferat periculum incidendi in extremam necessitatem, ut si sit morbus periculosus, qui affert periculum mortis probabile, vel certe affert carentiam eorum bonorum, quae natura voluit communia esse omnibus hominibus, v. g. si sis in periculo morali incidendi in captivitatem, libertate amissa, quam natura omnibus hominibus dedit, vel incurrendi gravissimam infamiam positivam, amissa bona existimatione, quam homines naturaliter habent. Quod idem videtur de morbo, qui, licet letalis non sit, affert tamen diuturnam vel perpetuam carentiam sanitatis.»

*S. Alph.* III 520 quasi-extremam necessitatem, in qua liceat homini ex alienis bonis sibi providere, dicit adesse, si vir «honoratus» in magnis angustiis constitutus ob inopiam esset in periculo prostituendi filiam, ac simul illum valde puderet mendicare, ita ut potius mortem subire vellet quam mendicare. Inde concludi licet, qualis sit necessitas, quae requiratur.

## 1122 II. Declaratur rei alienae ablatio, quanta et qualis liceat.

Iam igitur videndum est, quid et quomodo liceat in tali necessitate surripere ex bonis alienis.

1. Si habes propria sive in re sive in probabili spe, quamquam hic et nunc iis uti tibi impossibile est: non potes absolute aliena accipere, sed tantum ea mutuari cum onere restituendi. — Si vero neque in re neque in spe propria habes, non teneris ea, quae in extrema necessitate consumpseris, reddere, etsi casu postea propria acceperis: *Lugo* disp. 16, n. 171 et *S. Alph.* III 520, q. V; nisi excipias casum, quando rem magni valoris surreptam consumpseris, de quo cf. *Lugo* ib.

2. Si petendo a domino rem accipere potes, debes prius petere, nisi necessitas vere extrema et omnino instans sit: *S. Alph.* l. c. q. II ex *Lugo* l. c. n. 140.

Quando res prius non petitur, pro variis circumstantiis tum valoris rei ablatae, tum scandali, tum maioris minorisve defectus vere extremae paupertatis modo mortaliter, modo tantum venialiter peccatur: *S. Alph.* et *Lugo* II. cc., *Lessius* l. 2, c. 12, n. 66 sqq. Excusaris vero, 1) si necessitas vere extrema te iam occupavit; 2) si sperare vix potes, fore, ut petenti tibi necessaria concedantur; 3) si pro circumstantiis tibi nimis grave fuerit petere.

3. Si dominus rei in eadem necessitate versatur, non potest res ab ipso auferri.

1123 4. Si extrema necessitas sive supremum periculum vi extrinsecus illata alicui creatur, v. g. a latrone, certum est, licere ex alienis rebus ea sumere, quae sunt bona ordinaria, ut *Lugo* l. c. n. 159 dicit, «facultas . . . accipiendi fundari debet in iure, quod singulis natura ipsa dedit ad utendum rebus communibus occurrente necessitate, ad quam natura media illa communia produxit», v. gr. equum ad fugam capiendam, etsi dominus equi damnum incurrere forte debeat.

At num summam pecuniae permagnam surripere possis ad satisfaciendum latroni, qui aliter te occidere paratus est, non ita patet. *S. Alph.* l. c. n. 520, q. III videtur in affirmativam sententiam inclinare, cum concedat pauperi

extreme indigenti, ut etiam *rem magni valoris* surripiat; alii — et ita fortasse utraque opinio conciliari potest — cum *Lugo* l. c. n. 159 negant, licere rem exquisitam et extraordinariam auferre, licere tamen aiunt res ordinarias etiam cum magno dispendio domini adeoque plus auferre, quam dominus stricta obligatione sponte dare teneatur. Videlicet vitam, praesertim alienam, cum magna rerum iactura communiter nemo servare tenetur; attamen quilibet eam licite servat, etsi iacturam sat magnam in rebus inferioris ordinis sive ipse sive alter pati debeat.

5. Si agitur de auferenda re omnino levis momenti, necessitatem non adeo gravem aliquando sufficere posse, ut ex consensu domini rationabiliter praesumpto agere liceat, habes ex *S. Alph.* III 520 in fine; immo *Lugo* l. c. n. 156 id concedit, etsi praevideatur, dominum, si rogaretur, id irrationabiliter negaturum esse.

6. Quando pauper in extrema necessitate constitutus sibi aliena sumere potest, etiam alter nomine illius pauperis a tertio rem pauperi necessariam potest auferre.

## § 2.

### *De occulta compensatione.*

I. Compensatio alia est *legalis*, quae coram lege et in iuridica<sup>1124</sup> actione admittitur, interdum etiam contra eum, qui ipse in aliquo debito solvendo praescriptionem opposuerat. Haec cum legibus positivis regatur, publice et iuridice fit, neque est cur in ea immoremur.

Alia est compensatio *privata et occulta*, quae praecipue fit, quando ius meum sive alterius debitum coram iudice probare vel nequeo vel nolo.

II. Hanc occultam compensationem aliquando licere, facile patet. Nam illicita ex eo tantum esse potest, quod aut ius alienum laedat, aut socialem ordinem subvertat eive noceat. Quorum ut neutrum obtineat, aliquando evenit.

Ius enim alienum non laeditur, si tantumdem ex bonis alienis sumo, quantum illorum dominus mihi rigore debet, neque aliter mihi concedere paratus est; socialis vero vitae ordo non subvertitur, si alia via recuperandi, quod meum est, non suppetit, modo ne temere, sed tantum contra *certum* debitorem sic agam. Sicut enim privatis mediis iniustum invasorem repellere possum, si necessarium est, ita etiam iniustum meorum bonorum vel iurium detentorem illa possessione privatim possum exuere.

III. Ut vero occulta illa compensatio licita sit, sequentes conditiones requiruntur:

1) ut debitum, quod occulte exigo et mihi compenso, non sit incertum; 2) ut praecaveatur damnum debitoris, ne scilicet bis solvere cogatur; 3) ut compensatio fiat tantum, quando recursus ad iudicem aut alia publica iuris mei vindicatio difficilis est; 4) ut sumam rem mihi debitam, quantum fieri possit, in eadem specie.

Quae ut magis explicentur, advertite;

Conditio tertia et quarta *non ex gravi* obligatione servanda est; quare<sup>1125</sup> difficultas mediocris ab omni culpa eximit eum, qui illas non servat. Con-

ditio secunda tum maxime attendenda est, quando meus debitor non est in culpabili causa, cur mihi non solvat; si enim ex propria sua iniquitate et iniustitia ius meum laedit, periculum illius maioris damni permittere possum. Quare si postea poenitentia ductus mihi solverit, ego vero sine periculo magni damni (diffamationis, accusationis) factum occultae compensationis manifestare aut valorem rei acceptae statim reddere non possum: illud damnum sibi iniquus debitor adscribat. Quando autem occulte solutionem secundo datam reddere potuero, tunc id teneor exsequi.

Conditio prima praecipua est, quae explicatione indigeat, ut intelligatur, qualis certitudo mei iuris vel alterius debiti necessaria sit, ut compensatione uti possim. Communius quidem dicitur, necessariam *certitudinem* debiti alieni esse (*S. Alph.* III 521); sed cum S. Doctor concedat, complures eosque graves auctores in quibusdam casibus eam non requirere, melius est distinguere et factum et ius, in quo nitatur debitum unius, alterius postulatio. *Factum* igitur particulare, in quo debitum illud nitatur, *certum* esse debet humana certitudine, *ius* vero seu iuris sententia, quae ex tali facto debitum solvendi vel facultatem exigendi oriri docet, non necessario extra omnem controversiam certa esse debet, sed sufficit, ut sit *valde probabilis* seu ita probabilis, ut probabilitatem contrariam, quae probabili debitori facultatem possidendi vel retinendi adscribat, in foro iudiciali *coram iudice* vincat vel vincere possit. Vide *Lugo* disp. 16, sect. 5. At si ad talem probabilitatem quaestio devolvitur, ne quis in propria causa erret vel hallucinationis periculo exponatur, generatim exigi debet, ne quid agat sine prudentis confessarii alteriusve periti et timorati viri consilio.

IV. Singulares casus, in quibus occultam compensationem permittunt, quando ius controversum est, postea suo loco notabuntur: praecipue agitur quaestio quoad dispositiones testamentarias informes, de quibus confer, quae postea dicturi sumus.

1126 Hoc loco alteram causam, quae in praxi occurrere potest, breviter attingam, num et quando famuli propter inferius pretium mercedis suae occulta compensatione uti possint contra herum.

Ante omnia adverte thesim 37 ab *Innoc. XI* confixam: «Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.» — Inde recte concludit *S. Alph.* n. 522: si famulus libere sine necessitate conveniat cum domino de stipendio, eum nihil postea posse titulo compensationis sibi vindicare; attamen, thesi damnata non obstante, eum posse, si coacte, ex necessitate convenerit de salario infra pretium iustum infimum, nisi forte dominus ex sola misericordia, illius opera non ita indigens, eum susceperit. Alias enim ex iustitia debetur famulo saltem pretium infimum, modo advertas, illud pretium ex magno numero eorum, qui ultro famulatum suum offerunt, vere decrescere, non tamen ita, ut necessitatibus suis pro sua conditione non amplius possint satisfacere. Quod autem ex iustitia debetur, id, nisi dominus solvat, famulus occulta compensatione complere potest. Attamen, nisi res evidens sit, opus est utatur consilio periti viri vel confessarii. *S. Alph.* n. 524.

Idem dic, si famulus vel mercenarius iussu seu rogatu domini operam suam ultra debitum auget; pro excessu laboris enim nova mercede dignus est. Si vero famulus propria electione debito plus laboravit, nihil potest



stricto iure postulare ac propterea nihil per occultam compensationem sumere, quia censetur id fecisse gratis ad favorem domini sibi conciliandum. *S. Alph. l. c.*

### SECTIO III.

## DE REPARATIONE IURIS LAESI, SEU DE RESTITUTIONE IN BONIS FORTUNAE.

### Caput I.

#### Praeviae notiones.

Praeter scriptores universim de iustitia tractantes praecipue cf. hos: *Elbel*, De restitutione; *Vogler*, Iuriscultor theologus circa obligationes restitutionis in genere theoretico-practice instructus; *Reuter* III, n. 293—450; *Loenartz*, Die Restitutionspflicht des Besitzers fremden Gutes, Trier 1885; *Ballerini-Palmieri* III, n. 332—550.

Quo gravior est difficultas practica in urgenda restitutione, eo ac<sup>1127</sup> curatius haec obligatio tractanda et in casibus singularibus consideranda est, ut confessarius incerta a certis secernat, neque graviora onera, quam necessarium est, poenitentibus umquam imponat.

Antequam ad singulas causas restitutionis descendamus, praestat breviter communia de restitutione principia statuere:

I. Restituendi voluntas de se seria et efficax est omnino necessaria ad salutem, si modo agitur de materia gravi: unde consequatur ipsa restitutio, nisi iustis ex causis per accidens excuseris. Oritur autem restituendi obligatio ex violata iustitia commutativa tantum.

Videlicet, ut iam supra n. 911 dictum est, non restituere nihil aliud dicit nisi pergere in laesione iuris. Sicut igitur prima laesio iuris in materia gravi sub mortali peccato vitanda est, ita etiam eius continuatio. Qui vero hic et nunc non habet, unde satisfaciat, animo ita comparatus esse debet, ut, cum primum potuerit, satisfacere velit.

II. Obligatio restitutionis, cum fundetur in obligatione *negativa* seu *non violandi* ius alienum, quae obligat semper pro semper, etiam quoad actum positivum, quo exstingui debet, quam primum executioni danda est, ut habes ex supra dictis n. 910 sq. Nihilominus adesse aliquando potest iusta causa restitutionem nonnihil differendi.

III. Restitutio fieri debet 1. quoad obiectum secundum totum valorem laesionis factae, 2. quoad subiectum per se ei, qui laesus est: quoad utrumque obligatio per se quidem adest, non *semper* tamen sub gravi.

IV. Gravis obligatio restituendi 1. restringitur ad rem, quae et quatenus constituit materiam gravem; 2. refertur ad illud subiectum, ex cuius laesione iniustitia facta peccatum grave evasit.

**Explicatio.** I. *Gravis* obligatio desinit, si restituitur id, quo re<sup>1128</sup>stituto, materia desinit esse gravis. Si igitur ad gravem laesionem  $2\frac{1}{2}$  mc. requiruntur, restituto  $1\frac{1}{2}$  mc., laesio gravis iam non est; ergo,

sicut grave peccatum non fuisset, duas mc. tantum surripere, ita neque grave peccatum erit, eos tantum ex surrepta summa retinere: eos igitur restituere, obligatio quidem est, at venialis.

2. Si nemo in particulari laesus est graviter, sed gravis laesio ex eo oritur, quod multi vel complures laesi sint atque *totalis* valor furtorum vel damnificationum sit gravis: societati vel communitati humanae quidem sub gravi facienda est reparatio, singulari homini non sub gravi.

Aliis verbis: non licet continuare eam laesionem in bonis alienis, quae grave detrimentum societati humanae infert; continuaretur vero, nisi fur vel damnificator se abdicaret alienis bonis debitaque solveret. Attamen, cum nulla singularis persona graviter laesa sit, non aderit gravis obligatio restitutionis faciendae erga ullam ex personis laesis, sed eligi alii possunt, ut pauperes, sine *gravi* peccato. Nisi vero causa proportionata accedat, veniale peccatum erit, hanc personarum mutationem facere.

Si autem gravis laesio illata est bonis alienis, quae certo alicui fini serviunt, ita ut *ille finis* damnum patiatur — sume institutum pro curandis infirmis pauperibus — huic fini seu instituto iuridico omnino restitutio facienda est, eodem modo ac singulari alicui personae. Atque inde fit, ut, si persona aliqua iuridica seu moralis, quae multis individuis constat, sed distincta a iuribus singulorum iura et bona possidet, laesa sit, frequenter non possit sine gravi peccato restitutio erga hanc ipsam moralem personam omitti atque in alteram restitutionem mutari.

Atque etiam si persona ditissima laesa est in bonis externis secundum normam materiae absolute gravis, non licet loco illius pauperem eligere, cui fiat restitutio, ex ea ratione, quod ditissimus ille homo relative graviter laesus non sit. Nam quamquam supra dictum est, illam taxam fortasse non inferre gravem laesionem, si solae illius hominis divitiae spectantur, eumque sub hoc respectu graviter non esse invitum: tamen quia possessionum securitas graviter laesa est, ipse etiam homo dives *radicaliter* gravem laesionem est passus, atque sub respectu socialis vitae eiusque securitatis in periculum adductae formaliter graviter invitus, donec sibi perturbatae possessionis redintegratio atque restitutio contingat. Neque, quantum scio, sunt, qui in tali casu concedant licentiam dominum laesum praetermittendi alterumque, cui restituatur, pro illo substituendi.

1129 Scholion. Causae, ex quibus restitutionis obligatio oritur, seu radices restitutionis duae assignandae sunt diversae: 1. res aliena detenta, 2. actio iniuste damnificans.

In priore causa radix proxima et mensura restitutionis est res aliena, quae possidetur; in altera actio, qua res vel ius alienum laesum est.

In furto autem *utraque causa coniungitur*, quia fur communiter detinet rem alienam, et semper auferendo commisit crimen, quo alteri damnum intulerit, sive sola ablatione rei spectata, sive aliis circumstantiis, quae damnum augere possunt. Quapropter utraque causa, etsi una supra alteram in determinanda mensura restitutionis excedat, attendenda est.

Colliges practice: 1. Si quis per plura furtula ad gravem materiam pervenit: quando res ablatas aut *in se aut aperte in aequivalenti retinet*, sub

gravi tenetur restituere, sive in furtulis committendis graviter peccavit, sive graviter non peccavit; quodsi dominus laesus sive domini laesi ignoti sunt, restitutio facienda est pauperibus vel causis piis.

2. Si res furtulis sublatae *nullatenus* possidentur, neque fur ditior evaserit, radix restitutionis *sola actio iniuste damnificans* est, ac proin fur eodem modo, nec plus nec minus, tenetur restituere, ac ille, qui plures actiones leviter damnificantes exercuit. Quem tunc saltem sub gravi ad restitutionem teneri secundum principium IV, quando materiam gravem complendo graviter peccaverit, extra controversiam est. Num vero etiam tunc gravis obligatio adsit, quando culpa gravis commissa non est, infra fusius discutietur.

## Caput II.

### De radicibus restitutionis, atque actionibus principalibus ex sese restitutionem inducentibus.

#### Articulus I.

##### De prima radice seu retentione rei alienae.

Rem alienam possidere aliquis potest aut *bona fide*, qua putat, eam esse suam; aut *mala fide*, cum sciat, rem esse alienam; aut *dubia fide*. De triplici illo statu fusius agere convenit, quo melius restitutionis mensura cognoscatur.

Legenti autem facile patebit, in possessore bonae fidei obligationem restituendi ex sola re aliena detenta pendere, in possessore vero malae et aliquatenus etiam in possessore dubiae fidei simul attendi debere alteram radicem, i. e. actionem iniuste damnificantem.

#### § I.

##### *Generales notiones de rei alienae detentione.*

Antea communia quaedam axiomata notanda sunt, quae ius illud, quod dominus in rem suam habet, magis declarant.

I. Res clamat ad dominum. Quod principium nihil est nisi viva expressio ipsius iuris. Ius enim dominii id dicit, rem ita domino obligatam esse, ut ipse prae omnibus aliis in eius usu et dispositione praefendus sit, seu ut ipsa res cum domino prae omnibus aliis intime cohaereat. Cum igitur ad dominum prae omnibus aliis referenda sit, ad eum redire nititur, si ex eius possessione fueriteducta; atque dominus, ubicumque eam invenerit, suo iure eam ad se suamque possessionem reducit.

II. Res fructificat domino. Hoc iterum ex notione iuris sequitur. Si enim res in usum domini converti debet, omnis eius utilitas omnisque fructus intimam cum domino relationem habet, sicuti ipsa rei substantia.

III. Res naturaliter perit domino. Cum enim dominium sit ius *reale* seu relatio domini ad rem, re deficiente, iuris relatio extincta est.

Quodsi res alterius culpa periit, periit quidem domino suo, attamen propter alterius culpam dominus ius personale in alterum acquisivit aequivalentis restitutionis postulandae.

IV. Nemo ex re aliena iniuste locupletari debet. Quibus verbis habes aliquam explicationem vel applicationem principii secundi. Si enim ratio locupletandi erat *ex ipsa re*, emolumentum rei domino cedere debuit. Si vero ratio locupletandi solummodo *occasione* rei alienae aderat, rei alienae possessor vel detentor non iniuste locupletior evasit.

Dein ad plenius cognoscendam mensuram restitutionis fructus rei a rei substantia distincte dignoscendi sunt.

1131 Fructus alii sunt *naturales*, alii *industriales*, alii *mixti*. 1. Naturales vocantur ii, quos natura ipsa ex aliqua re producit, non accedente labore humano; 2. fructus industriales vocatur illud incrementum aut emolumentum, quod labor et diligentia humana e re eliciunt; 3. mixti fructus sunt, quos non sola natura neque solus labor humanus, sed natura cum labore humano coniuncta procreat.

Conseverunt autem solum illi fructus communi sensu mixti vocari, in quibus procreandis labor humanus *notabilem* partem habet; latiore sensu fere omnes naturales fructus mixti sunt, vel saltem adhibita industria cum augeantur, mixti evadere possunt. Quare etiam in tali eventu fructus naturales vocantur ii, quos *principaliter* natura producit, sed eatenus, quatenus soli naturae respondent; ipsorum illorum fructuum pars, quae labori humano adhibito respondet, fructus vocatur industrialis. Arbores v. g. quae crescunt in silvis, poma aliique fructus qui crescunt in arboribus, fructus naturales sunt; augmentum tamen, quod fortasse labori humano respondet, recte industrialis fructus vocatur. Instrumentum, quod artifex effecit, industrialis fructus est; segetes, quos agricola colendo agros colligit, fructus mixti sunt.

Demum a fructibus vero sensu naturalibus distinguuntur *civiles*, quorum aliqui quasi-naturales vocari possunt, alii industriales, alii mixti. Sunt enim civiles ii fructus, qui non ex ipsa re gignuntur, sed qui in commercio humano ex utilitate rei alteri traditae tamquam pretium percipiuntur: ut pretium locationis, redditus annui etc. Quando ex sola re tradita sine alio labore percipiuntur, vocantur civiles quasi-naturales: ut commune pretium locationis aedificii aut agri. Si specialis diligentia necessaria erat ad augendum pretium, illud augmentum pro fructibus civilo-industrialibus habetur: quare in tali eventu lucrum seu pretium totale fructus civiles mixtos vocare possumus.

Quibus notatis ad varios rei alienae possessores principia communia applicemus.

## § 2.

### *De possessore bonae fidei.*

1132 Possessor bonae fidei ille est, qui inculpabiliter putat, rem alienam, quam detinet, suam esse, praecipue, si illam aliquo titulo, qui per se vere dominium transfert, e. g. donatione vel emptione, acquisivit. — Consideratur autem ille possessor ante tempus legitimae praescriptionis finitum; nam, illo elapso, non amplius alienae rei possessor est, sed vere illius rei dominus evasit eamque suam fecit.



Res aliena aut tenetur etiamnunc a possessore bonae fidei, aut consumpta iam est, aut in tertii cuiusdam possessionem transiit.

I. Possessor bonae fidei, qui *etiamnunc retinet rem alienam*, cum primum eam comperit esse alienam:

1) nequit amplius de ea ut de propria disponere: consumendo, destruendo, vendendo, usu atterendo etc., nisi forte, domino incognito, rem quasi inventam suam facere possit;

2) eam titulo gratuito acceptam atque exstantem domino reddere tenetur, sive dominus potest eam sibi vindicare, sive non potest;

3) titulo oneroso acceptam, antequam dominus ipse comparens eam ut suam evincit atque sibi reddendam postulat, rescisso contractu, antecessori reddere potest, si putet, id necessarium esse, ut semetipsum indemnem servet;

4) quando vero aut talis contractus rescissio impossibilis est, aut dominus rem ut suam probavit et postulat, eam occultare possessori non licet, ne ad securiorem quidem indemnitate[m] propriam;

5) quod si reddi quidem domino debet, sed statim nondum potest, possessor eam ut bonus paterfamilias diligenter custodire atque domino servare debet.

Ratio 1<sup>i</sup> est, quia nemo nisi dominus rei de ea ut de propria sciens ac volens disponere potest sine iniustitia.

Ratio 2<sup>i</sup> est, quia ex axioma I supra statuto res clamat ad dominum, neque licet ex aliena re ditescere cum damno domini.

Ratio 3<sup>i</sup> et 4<sup>i</sup>: possessor ille immediate ius habet ad contractum vitio laborantem rescindendum, sicut dominus rei ius habet ad rem suam sibi vindicandam. A qua vindicatione dominus per possessorem impediri quidem licite nequit, at possessor non tenetur illum cum proprio damno iuvare sive alienum commodum proprio praeferre. Quare possessor ius suum exercendo dominum *praevenire* potest, si hoc necessarium aut utile putat ad suum damnum prae damno domini praecavendum. At domino rem postulanti, si occultaretur vel denegaretur, positivum impedimentum in iure suo prosequendo poneretur: quod est illicitum.

Ratio 5<sup>i</sup> est, quia iustitia postulat, ut impediam, quominus ex mea actione etiam inculpabili alter in iure suo laedatur, in quantum commode seu sine meo incommodo relative gravi id impedire possum. Detentio autem rei alienae continuata est actio possessoris inculpabilis quidem, sed quae dominum in iure suo laedat, si detentio iniuriosa evadat atque occasio fiat rei amittendae, pessumdandae, in deteriorem statum deducendae.

II. Possessor bonae fidei, qui *durante bona fide rem alienam consumpsit, destruxit*, si ditior inde non evaserit, postea, quando cognovit, rem alienam fuisse, ad nihil tenetur. Nam neque ex re, quam teneat, neque ex actione iniusta tenetur: rem enim non amplius habet; actionem iniustam et culpabilem non exercuit, cum de re tamquam de sua disposuerit.

Ditior autem evadere potuit praecipue, 1. si res apud ipsum crevit, 2. si rem gratuito acceptam utiliter impendit, suis rebus parcens, in alterum pro pretio rem transferens etc.

1134 III. Fructus rei, saltem si naturale ius respicimus, secundum hanc normam distribuendi sunt:

1. Fructus industriales et qui industriae laborive respondent restituendi non est obligatio.

2. Fructus naturales vel quasi-naturales ante triennium vel secundum diversa iura ante biennium — *Busenbaum* apud *S. Alph.* III 160 — iam percepti, sive exstant sive non amplius exstant, restitui non debent, si bonae fidei possessor *ipsam rem* titulo colorato possidebat iis locis, ubi triennalis rerum mobilium praescriptio viget. Ratio est, quia titulo legitimae praescriptionis eos, utpote res mobiles cum titulo detentas, fecit *suos*.

3. Fructus naturales vel quasi-naturales, etiam per se nondum praescriptione acquisitos, ille, qui *rem* legitimo tempore praescripsit, accessoria praescriptione suos fecit adeoque restituere non tenetur. Videlicet ex legibus positivis illis fructibus applicatur axioma: Accessorium sequitur principale.

4. Fructus naturales vel quasi-naturales neque in se neque ratione rei substantialis praescripti, qui adhuc exstant sive in se sive in aequivalenti, reddendi sunt domino. — Ita in foro conscientiae theologi quidem communiore consensu iudicant, ut videre est apud *Lugo*, De iust. et iure disp. 17, n. 39; *S. Alph.* l. c.; attamen non desunt, qui putent, stari posse legibus positivis.

Fructus mixti potius naturalibus equiparantur, ita ut *deductis expensis et pretio laboris* restituendi sint.

1135 5. Ius Romanum, ut in Germania interpretes communiter sumunt, videtur fructus consumptos omnes relinquere possessori bonae fidei, si non ex haereditate, sed ex titulo particulari rem alienam possederat, non quaerens, utrum ditior evaserit necne: cf. *Loenartz* l. c. § 45. Ius *Germ.* similiter fructus rei addicit possessori vel cui possessor eos concesserit, nisi ante perceptionem *ille, qui percepit*, fuerit malae fidei (§§ 955—957); qui ex haereditate non sua accepit, tenetur reddere fructus vel id in quo evaserit ditior (§ 2020). — Etiam ius *Gall.* aliaque nova iura dant ei, qui bona fide rem alienam titulo colorato ut proprietarius possederat, ius retinendi omnes fructus, quos durante bona fide percepit.

Quae leges a conceptu proprietatis et naturalis iuris domini satis videntur alienae, ita ut nolim eas simpliciter pro norma fori conscientiae habere *eos* obligante, quorum interest rem aliter disponi. Nam si agitur de iis, quorum interest fructus sic percipi et teneri posse, facilius id permiserim. Praeterquam scilicet quod non raro possessoribus persuasum est, se tuta conscientia legi civili se prorsus conformare posse, et abs re erit, hanc persuasionem perturbare et dubiam reddere, graves auctores non desunt, qui leges illas defendant atque eas pro norma etiam interni fori sumi posse doceant. Verum aliud omnino dicendum est, si agi debet cum vero rei domino, qui rem suam esse eviderit. Illi enim ius occultae compensationis competere videtur ad eos fructus nondum praescriptos, qui iure naturali spectato sibi reddi debent. Etsi enim propter leges sibi contrarias ius non habet plane certum, tamen naturale ius anterius, quod extendebatur in rem

cum fructibus, licebit sibi pro adeo praevalenti habere, ut compensatio secundum superius (n. 1125) dicta non evaserit iniusta.

IV. Difficilior etiam iuris determinatio evadit, si res aliena a bonae fidei possessore tertio dein tradita est. Qua in re plures modi, quibus aut ipse rem accepit aut alteri tradidit, considerandi sunt<sup>1</sup>.

1. Possessor bonae fidei rem alienam alteri gratuito donavit. Quid cognito domino facere debet?

R. 1. Si ipse re aliena antea usus ditior evasit, non ex sua industria vel suo labore, sed ex ipsa re, id, in quo ditior evasit, domino restituere debet. Similiter si donationem talis rei in omni eventu facere apud se constituerat, praesertim non mere gratuitam, ita ut, nisi illam rem alienam habuisset, alteram similem dono dedisset: dicendum est, eum saltem in defectu sui donatarii reddere domino debere valorem rei, utpote quo ditior evaserit suae rei parcendo: *Loenartz* § 33.

2. Quodsi noluisset adeo absolute in omni eventu donationem facere, aut de illo proposito non constat: ipse quidem non tenetur per se valorem rei restituere; at donatarius aut dominus, *si facile fieri potest*, moneri plane debet, ut ab actuali possessore rei alienae restitutio fieri possit; eaque monitio *ex iustitia* debet fieri, quatenus quilibet tenetur impedire, quominus ex sua actione alteri damnum oriatur.

3. Si vero neque ullo modo ditior evasit, neque monitio donatarii aut domini commode fieri potest, ad nihil tenetur secundum ea, quae n. 1133 dicta sunt.

2. Possessor bonae fidei rem alienam tertio cuidam vendidit: 1137

A. Rem alienam a fure emptam.

R. 1. Tenetur suo emptori pretium reddere: a) si ille sibi rem reddat, quia contractus emptionis aut nullus aut rescindibilis est; — b) si suus emptor in casu evictionis vero domino rem restituere debebat; c) si suus emptor extra casum evictionis sponte domino restituit, nisi praematura restitutione causa fuerit, cur ipse a fure pretium rei alioqui recepturus non possit recipere. Ratio est, quia emptor ille ius habet contractum venditionis rescindendi: quo fit, ut ipse pretium datum debeat recipere, rem reddere; at pro suo venditore potest rei dominum, cui restituat, eligere, cum ex amicitia eius causam tuendam possit suscipere, nisi forte haec agendi ratio alterum venditorem in damnum iniustum coniciat, alias non subeundum: vide *Less.*, De iust. etc. l. 2, c. 14, n. 13 sq, et *Lugo*, De iust. et iure disp. 17, n. 19 sqq.

2. In aliis eventibus, v. g. si impossibile est domino rem recipere, si res consumpta vel destructa est, si periit, venditor ille ad nihil tenetur: nisi quatenus usu et temporanea rei detentione ditior factus sit, lucro ex re aliena percepto.

<sup>1</sup> In qua re ius Germ. (cf. §§ 929—935 937) distinguit res, quae inscio domino ex eius possessione seu detentione exciderint, ab iis, quae sciente domino ab alio detinebantur. *Posteriorum* rerum dominium transit in eum, qui bona fide eas titulo colorato acquisivit, remanente prioris domini recursu in eum, qui fidem fefellit; reliquarum rerum solam decennale praescriptionem admittit. Ante eam igitur perfectam ius determinandum est regulis sequentibus, quae *iuris naturalis* sunt atque ibi servandae, ubi leges positivae aliud non constituerunt.

3. Ut suum damnum praecaveat, potest rem a fure emptam, quando eam adhuc possidet, aut venditam iterum rescisso contractu recuperavit, furi reddere, si videt, sibi aliter difficile fore, pretium a se furi solutum recipere. Ita agere potest quidem, postquam cognoverit, rem esse alienam atque huius certi viri propriam; sed postquam dominus ipse rem suam esse probavit eamque petiit, eam occultare aut furi reddere non potest.

1138 B. Rem alienam gratuito acceptam.

R. 1. Suo emptori eodem modo pretium sibi datum restituere debet, sicut antea sub A dictum est; numquam autem propter praematuram restitutionem ab emptore domino rei factam ipse a pretio reddendo excusatur, quia sibi verum damnum propterea numquam infertur.

2. Si res ipsa aut in se aut in aequivalenti adhuc existit, dominus autem neque rem neque aequivalens ab altero recipere potest, videtur omnino pretium venditione acceptum domino tradi debere; illud enim pretium rem quodammodo repraesentat, neque est ratio cur dominus potius damnum subire quam possessor rei alienae lucrum ex vitioso titulo acceptum non amittere debeat. Num in hoc casu ista opinio, quae donatarium illum ab omni obligatione liberet, vere probabilis sit, non audeo certe affirmare; neque ulli auctor sum, eam sequi; ceterum sapientioribus iudicium relinquo. — Si vero res, casu etiam apud dominum peritura, naturaliter periit, consulendum quidem est, ut domino pretium detur, at stricta obligatio adesse non videtur, siquidem pretium illud rem ipsam vere non iam repraesentat, et res naturaliter perit domino: cf. *Gury* I, n. 639. — Si autem interno vitio res periit, ita ut eam nullius valoris fuisse appareat, pretium acceptum emptori reddendum est. Sic consentio *Loenartz* § 38.

3. Semper tamen illud est restituendum, si quid est, in quo possessor, cum rem alienam detinebat, ex illa ditior evaserit.

Inde similiter colligitur: Si possessor bonae fidei rem minore pretio emptam maiore vendidit, aliquando incrementum domino restituendum est, aliquando non.

At de restitutione nullo modo quaeri potest, si ille apparet et contractum rescindit, qui a possessore rem istam emerat maioris; huic enim totum pretium maius restitui debet. Alias autem: 1) incrementum pretii cedit domino rei, si est interni valoris incrementum vel communis pretii augmentum, quo lapsu temporis valor rei creverit: quia in tali eventu «res crescit domino»; atque ratione huius incrementi aequiparatur res illa empta alienae rei ex parte gratuito acceptae; — 2) si vero illud pretii augmentum industriae venditoris adscribendum est, domino restitui non debet; — 3) incrementum, quo res sumptibus possessoris aucta est, atque expensae necessariae et utiles, immo voluptuaria incrementa separabilia a possessore rei alienae, quando domino eam restituere debet, retineri possunt: nam plus restituendum non est quam acceptum.

§ 3.

*De possessore malae fidei.*

1139 I. Possessor malae fidei debet restituere rem alienam aut eius aequivalens cum toto incremento quod ex se res ipsa fecit. — Id ex *re* aliena, quae detinetur.

II. Non solum res aut valor rei restituenda sunt, sed etiam omne damnum, quod dominus rei ex illa iniusta possessione passus est atque aliquo modo praevidebatur, resarciri debet. — Id ex *actione* iniusta culpabili, quae commissa est.



III. Attamen etiam possessor malae fidei retinere potest fructus industriales et ex fructibus mixtis tantum, quantum labori vel industriae respondet: nisi forte a iudice ad horum fructuum iacturam condemnatus fuerit. Nam praeter rem et damnum illatum per se nihil restituendum est; quia, quod mensuram iuris laesi excedit, non iam a iustitia commutativa exigitur; attamen iustitia vindicativa potest iuste in poenam criminis reo maius damnum ferendum imponere idque domino rei ablatae addicere.

1. Ipse etiam fur per se in re aliena restituenda deducere potest expensas necessarias et utiles, quas in re conservanda vel augenda etiam pro domino utiliter impendit; immo etiam quaecumque additamenta vel meliorationes, quas, licet voluptatis causa, fecerit, quando sine detrimento rei ab ea separari possunt, potest retinere. Cf. *Loenartz* § 53.

2. Quando autem lex harum rerum iacturam contra possessorem malae fidei statuit, haec poenalis est neque ipsum reum obligat, ut poenam in se sponte exsequatur; iuridice tamen convictus et condemnatus iam ex iustitia commutativa hanc mulctam ei, cui addicta est, cedere debet.

3. In iure Romano sic statuitur: Possessor bonae fidei relate ad expensas potest compensationem petere pro *necessariis* et *utilibus*, in expensas voluptuarias habet solum ius tollendi.

Possessori malae fidei compensatio conceditur pro *necessariis*, in utiles et voluptuarias expensas solum ius tollendi. Vide *Puchta*, Pandecten § 171.

4. Applicatio principii de restituenda re et resarciendo omni damno non semper tam facilis est quam ipsa theoretica veritas. Praecipue in sequentibus circumstantiis confessario attendendum est, ne a strictae iustitiae limitibus declinet:

Prima quaestio. Ad quid tenetur fur, qui rem secus certo perituram surripit?

R. 1. Si res peritura in ipso periculo statim consumpta est, restitutio non est facienda, quia in eiusmodi periculo res erat moraliter loquendo nullius valoris.

2. Cum primum res periculo plene erepta atque in tuto collocata fuerit, valorem suum — nisi forte eum propter alias circumstantias nonnihil imminutum esse dicamus — pro domino recuperavit; res servata est domino eique est restituenda, deducto pretio seu iusta mercede pro labore vel periculo assumpto. Quare, si postea a fure consumitur, destruitur etc., idem dicendum est ac in sequenti quaestione n. 1141.

3. At si res periculo subducta nondum plane erat, quamquam a fure facile subduci poterat et custodiri: contra iustitiam delinqui non videtur, si res consumitur. Hoc sensu putat *Lugo*, De iust. et iure disp. 18, n. 145, furem, qui rem e naufragio et incendio ereptam secus certo perituram cum amicis statim consumit, non teneri ad restitutionem.

Scilicet si res nondum erat in tuto posita, sed in suo periculo manserat, fur in rigore iustitiae non tenebatur ad aliquid amplius, quam ut rei periculum vel damnum ne augetet; ad rem periculo eripiendam sola caritas obligabat. Mutatio loci, quam re ipsa fecerat, domino damno non erat. Quodsi rem vel in priore loco reposuisset vel nunc in suo reliquisset, illa nullius fuisset valoris. Si ergo rem consumpsit, rem nullius pretii consumpsit.

1141 *Secunda quaestio.* Ad quid possessor malae fidei tenetur, si res perit apud ipsum?

*Resp.:* Tenetur valorem rei restituere, sive sua culpa sive sine culpa rem perire siverit.

*Excipe* 1) si res periit interno vitio — quia tunc internum valorem non habuit;

2) si res periit vitio seu periculo extrinsecus accedente, quod *idem* fuit tum apud dominum rei tum apud possessorem malae fidei, neque periculo eripi res potuit;

3) si periculum seu calamitas non eadem quidem erat, at aliqua calamitas rem, si apud dominum fuisset, destruxisset eodem tempore, quo apud furem seu possessorem destructa est.

Quamquam *semper* damnum illud resarciri debet, quod usque ad tempus interitus dominus passus est, et lucrum, quod fur *ex* aliena re usque ad illud tempus percepit.

Ut autem exceptio 2) et 3) melius intelligatur, iuvat breviter ea referre, quae *Lugo* disp. 18, n. 141 sqq circa hanc quaestionem erudite tractat, nimirum:

Possessor malae fidei rem alienam, licet apud dominum, si exstitisset, periisset, apud se illaesam servatam, diligenter custodire debet, si eam nunc reddere nequit. Quare, si postea res illa apud furem in periculum venit, et fur eam potest sine magno damno eripere, ad id iustitia tenetur, etsi apud dominum certo et inevitabiliter fuisset peritura.

At si eam periculo supervenienti eripere non potest neque nunc domino restituere, a damno resarciendo excusatur, si res apud ipsum perit apud dominum etiam peritura. Nam obligatio iustitiae ab hoc momento *primaria* ea est, ut res domino tradatur seu in eo loco constituatur, in quo res esset vel mansisset, si furto non esset sublata. *Secundaria* iustitiae obligatio est, rem domino servare, adeoque ab instantanea restitutione tunc abstinere, si haec domino nociva est, modo sine proprio damno magno fieri possit. — Porro in nostro casu fur eam servare apud se non potest: ergo ius habet, eam statim apud dominum in loco, quo alias esset, collocandi. Quod cum re ipsa non fiat, mente tamen ita agere potest, quasi rem *nunc* apud dominum existentem sibi sumat. Saltem illa retentio rei nunc non est magis iniusta, quam esset, si rem a domino nunc primum eriperet. Quod si faceret, cum rem certo perituram sumeret, rem nullius valoris adeoque restitutioni non obnoxiam auferret. Quare etiam retentio rei *ab hoc tempore* restitutionis obligationem non inducit, sed huius restitutionis obligatio et mensura unice pendet ab iniusta ablatione et detentione hucusque producta lucre inde percepto et a damno, quod propterea dominus passus est.

Quare quod in tertia exceptione dictum est de periculo diverso *eodem* tempore existente, intelligitur de eodem tempore moraliter sumpto; scilicet considerandum est, num res, si forte illo tempore, quo apud furem sine eius alteriusve culpa periit, apud dominum seu in eo loco fuisset collocata, quo dominus eam servasset, num, dico, res ibi collocata certo etiam periisset sive eodem omnino tempore sive paulo postea, ita tamen, ut dominus eam e periculo eripiendi facultatem non habuisset. Quod si constat, fur absolvendus est ab onere restitutionis, quia rem apud se relinquens seu in priore loco non restituens, actionem obiective damnosam vel iniustam non exercuit. Si vero apud dominum prius periisset, postea demum apud furem

perit ex aliquo periculo, quo apud dominum non periisset, fur a restitutione non excusatur, nisi forte quandam valoris partem pro utili custodia pro domino gesta sibi vindicare possit. Cf. *S. Alph.* III 620.

Si positivae leges in omni eventu furem restitutioni faciendae obnoxium reddunt, in quibusdam casibus poenales sunt, quae ante iudicis sententiam in foro conscientiae non obligant.

Tertia quaestio: Ad quid tenetur fur, qui rem consumpsit, 1142 cuius valor mutationes subiit? Cf. *S. Alph.* n. 621.

R. 1. Si fur eam tempore maioris pretii consumpsit, etsi dominus eam, si retinisset, tempore minoris pretii vendidisset aut consumpsisset: fur pretium maius solvere debet, quia res domino servata est et domino crevit. *Reuter* III, n. 329, 4.

2. Si fur eam tempore minoris pretii consumpsit, dominus vero eam ad tempus maioris pretii servaturus erat: fur maius pretium solvere debet, quia secus totum damnum non reparatur. Excipe: nisi dominus sibi facile rem similem illo minore pretio emerit, quam loco prioris nunc servat. *Reuter* n. 330, 2.

3. Si fur tempore minoris pretii rem consumpsit, antequam valor crescat, atque eodem tempore a domino, si retenta esset, esset consumpta: fur non tenetur nisi ad minus pretium.

4. Difficultas est, quando dominus rem, si retinisset, statim consumpsisset, fur vero rem servat, dum valor crescit et decrescit, et tempore, quo ad prius pretium redierit, rem tandem consumpsit; aut e contrario fur statim rem consumit, dominus vero eam servasset, donec pretium creverit et decreverit.

In ultimo casu facile conceditur, furem non teneri ad maius pretium. In priore casu distinguendum est: Si res, etsi tempore maioris pretii domino reddita esset, ab ipso usque ad tempus decrementi esset servata, fur satisfacit minus pretium solvendo, quia diuturniore retentione domino damnum non intulit. Si vero dominus eam tunc temporis vendidisset, dummodo eam habuisset, fur vere tenetur maius pretium solvere; nam quolibet tempore obligatio restituendi aderat ideoque etiam tempore maioris pretii, quod utiliter pro domino accreverat; quare tum temporis restitutionem differens causavit domino damnum seu amissionem lucri, quod ille fecisset. Cf. *Lugo* disp. 18, n. 122 sqq; *Reuter* III, n. 330, 3 et 4<sup>1</sup>; *Loenartz* § 57.

NB. 1. Quoniam vero eiusmodi circumstantiae saepe ignorantur, in tali ignorantia fur videtur satisfacere, si valorem rei pro tempore, quo res ablata vel destructa est, simul cum consueto foenore restituat.

NB. 2. Si res aliena per manus plurium possessorum malae fidei transit, quid singulis, et cui praecipuum restitutionis onus incumbat, postea de ordine restitutionis acturi dicemus.

<sup>1</sup> En eius verba: «Si fur consumpsit triticum, quando modius valebat medio imperiali, crevit autem pretium et dein iterum decrevit ad medium imperialem: tunc, si dominus id erat servaturus in hoc ultimum tempus, fur satisfacit solvendo medium imperialem in singulos modios. . . .»

«Si modius tritici hoc mense valet medio imperiali, altero imperiali, tertio iterum medio, dominus autem erat distracturus illud primo mense, fur autem servet illud ad tertium mensem tuncque vendat vel consumat: iuxta *Sporer* et alios satisfacit solvendo medium imperialem. Verum attendendum, an, si secundo mense fuisset resti-

## § 4.

*De possessore dubiae fidei.*

1143 Dubiae fidei possessor est, qui rationabilem causam dubitandi habet, utrum rem, quam possidet, vero et iusto titulo *suam* fecerit, an ut alienam habeat. Illud dubium potest bonam fidem subsequi seu dubium superveniens esse, potest in ipsa rei acquisitione iam existere.

I. Omnis possessor, cum primum dubius fit, i. e. ex vera et rationabili causa positiva, serio inquirere tenetur. Quodsi bona fide rem possidere coepit, et exorto dubio inquisivit, at dubium solvere non potest, ad nihil tenetur, atque de illa re disponere potest, ita tamen, ut rem utiliter disponat atque capax et paratus sit utilitatem perceptam vel pretium rei domino reddere, si forte postea ante elapsum tempus praescriptionis certum dominum alter se probaverit. *Lugo*, De iust. et iure disp. 17, n. 89—91.

1144 II. Si vero inquisitionem ex gravi negligentia omisit, tenetur abhinc de damno, quod hac ratione causat:

quare 1) si dominus postea comparet vel invenitur, ei damnum resarcire tenetur;

2) si ob inquisitionem neglectam nunc iam impossibile evaserit dubium solvere, tamen pro rata dubii ad aliquam restitutionem tenetur, saltem si dubium erat circa ius, quod *determinatus* aliquis homo fortasse in eam rem habuerit vel habeat. Nam tum ille probabili aliqua spe fraudatus est rem illam obtinendi, spes vero pro maiore minoreve dubio pretio aliquo aestimari potest. *Quanti* autem valeat illa spes, non unica norma definiri potest; generatim *S. Alph.* I 37 putat, quantitatem, quae restitui debeat, si bona fide fuerit incepta possessio, dimidio rei valore multo minorem esse. Quae restituito, si determinatus ille homo cognoscitur, huic facienda est, si vero cognosci non potest, pauperibus causaeve pie est conferenda.

Dixi, si dubium erat circa ius *alicuius determinati hominis*. Nam si dubium circa *determinatum* hominem non erat, sed indeterminate tantum, culpa quidem propter neglectam inquisitionem commissa est, immo communis censetur, etiamtunc aliquam restitutionem erga pauperes fieri debere — quae restituito suadenda et consulenda est —: attamen non est omnino indubia obligatio. Aliqui enim auctores putant, non constare de damno per illam negligentiam effective illato, ac propterea non esse urgendam aliquam restitutionem, cum *nemo* sit, qui potuerit contra possessorem contendere, antequam certa et determinata persona exstiterit, cui spes obtinendi rem aut partem eius affulgeret. Cf. *Molina*, De iust. d. 36 et d. 721, n. 5; *Castropal.* tract. 1, disp. 3, p. 2; *Tamburini*, In decal. l. 1, c. 3, § 7 ad v. *Restitutio* n. 9; *Sanchez*, In decal. l. 2, c. 23, n. 183; *Rebell.*, De iust. p. 1, l. 2, q. 5, n. 12; *Bonacina*, De rest. disp. 1, q. 2, p. 2; *Lugo* l. c. n. 84., qui in sensu explicato consentire videtur.

---

tutum, uti debebat, dominus fuisset id servaturus in tertium mensem an vero distractus vel consumpturus in secundo: si primum, satisfacit solvendo medium imperialem; secus, si secundum. *S. Alph.* n. 621 laxiorem opinionem tanquam penitus improbabilem reicit.



In casu, quo nemo determinatus ius dubium habuerit, ab omni restitutione excusant etiam *Noldin* II<sup>7</sup>, n. 451 et *Genicot* I, n. 534; *Bucceroni* I, n. 1353 eximit a restitutione in omni casu quando dubium solvi amplius non possit, at censeo non satis recte, quia privare aliquem possibilitate prosèquendi ius probabile atque spe certum illud reddendi est actio iniusta: hanc exercuit ille, qui inquirere culpabiliter neglexit.

III. Qui dubia fide, scilicet aut cum probabilitate *facti tantum* aut <sup>1145</sup> sine *solida omnino* probabilitate *iuris*, coepit rem possidere, per se malae fidei possessori aequiparandus est. Quare:

1. Si spoliando alterum in possessionem venit, manente dubio, alteri restituere *totam rem* debet atque insuper damnum resarcire; nam propter solum dubium ius, quod ipse sibi habere videtur, non licuit citra iniustitiam possessorem priorem re illa privare.

2. Si titulo oneroso rem acquisivit ab eo, qui malae vel suspectae fidei erat, manente dubio tenetur pro rata dubii partem valoris restituere; si vero dominus certus appareat, dubiae fidei emptor a tempore possessionis ut possessor malae fidei tractari debet, ac domino praeter rem ipsam etiam damnum, si quod passus est, tenetur reparare.

Domino certo non comparante, a parte valoris restituenda numquam potest excusari, sive de dubio iure determinati hominis agitur, cui illa restituito fieri debeat, sive de dubio indeterminato tantum, quod obligationem pauperibus vel causis piis pro restitutione aliquid erogandi inducit. Nam quamquam in simili causa eum, qui bona fide rem possidere incepit, dubio autem exorto inquirere neglexit, non omnino certo ad restitutionem obligari dixi, quando non de iure determinati hominis dubitatur (II, 2): hic tamen ne talem quidem exceptionem admittere possumus. Qui enim rei possessionem dubia fide incepit, ex ipsa *re* detenta restituere tenetur — res enim illo vitio laborat, ut numquam *sua* simpliciter dici potuerit et possit —: qui vero fide bona incepit et culpabiliter neglexit inquirere, ex sola *culpabili actione* restitutioni obnoxius fieri potest; quae ex hac radice imponi non debet, nisi constet de damno efficaciter et realiter producto.

3. Si quis titulo oneroso cum fide dubia rem acquisivit ab eo, qui bona <sup>1146</sup> fide erat, dubio insolubili manente, non videtur ad aliquam restitutionem faciendam obligandus esse. Nam sive ob dubiam fidem suam peccavit sive non: sese considerare potest tamquam unum possessorem cum antecessore suo, ita ut illa possessio bona fide incepta dici debeat, cui dubium supervenit. Quod si fit, ex princ. I obligatio restituendi nulla est.

Quare ne domino quidem certo postea comparanti *damnum* reparare tenetur, nisi forte gravem negligentiam, ut in omittenda inquisitione, commiserit.

4. Si quis rem ab homine dubio et suspecto oneroso titulo acquisivit ea mente, ut eam ita domino servaret, qui secus certum damnum incursum esse praevidebatur: domino utique damnum reparare non tenetur, nisi gravem negligentiam culpabilem commiserit; immo iuste pretii soluti solutionem petere potest, si prudenter putaverit, se emendo rem domini negotium utiliter gesturum esse.

5. Qui titulo gratuito rem accipit ab eo, de cuius bona fide dubitat, per se, antequam eam rem ut suam consideret et tractet, inquirere tenetur; at si dubium manet, neque cognosci potest, priorem possessorem esse seu fuisse dubiae vel malae fidei, iure suo utitur rem retinendo de eaque

disponendo: modo observetur clausula, quam notavi ad I, idque eo magis faciendum, quo maius est dubium, ne verus dominus damnum irreparabile incurrat.

1147 IV. In dubio de facta alicuius debiti solutione generatim sumpta, quod facta inquisitione plane solvi nequit, ita distinguendum debet:

1. Si est multo probabilius, te solvisse quam te non solvisse, non videris ad aliquid solvendum obligatus esse, saltem exspectare amplius potes, num res postea patescat, aut creditor tuus solutionem petat.

2. Si autem solutio vere et strictius dubia manet, pro rata dubii partialis solutio urgenda esse videtur:

Quia 1) relate ad illud debitum, quod dubie solutum est, idem valet ac de bonis incertis, de quorum vero domino circa paucos (i. e. in nostro casu inter duos) existit dubitatio seu incertitudo; at communis omnino doctrina est, bona incerta in tali casu dividenda esse; 2) valor illius debiti in neutrius, i. e. neque in creditoris neque in debitoris, pacifica possessione est, sed est sicut res, de cuius possessione et proprietate contenditur inter utrumque: quod si fit, communis doctrina est, rem in aequali dubio esse dividendam.

Practice vero plerumque illa quaestio ex praesumptione ita solvi potest, ut quaedam moralis certitudo aut factae solutionis aut non factae acquiratur: qua habita, dubium strictum non amplius adest. — Insuper in vero dubio (id quod abs re non erit notare) non ignoro, esse aliquos, etsi paucos, qui ab omni solutione excusent; quod quamquam solida ratione non videtur sustineri posse, adeoque positive consulere debitori non possum, tamen eatenus scitu utile est, quatenus in casu difficili debitoris bona fides facilius supponi atque integra relinqui possit. Cf. *Gury-Baller*. I 721.

## *Articulus II.*

### De secunda radice et mensura restitutionis, seu de actione damnificante.

#### § I.

##### *Generalia principia.*

1148 I. Ut secluso contractu vel iudicis sententia ex actione damnosa *per se* obligatio stricta restitutionis oriatur, actio (vel omissio) secundum ea, quae habes n. 912, debet esse

1) formaliter perfecte iniusta, i. e. cum culpa theologica perfecta; 2) iniusta contra ius commutativum; 3) realiter iniusta, ita ut damnum re ipsa secutum fuerit; 4) efficaciter sive efficienter iniusta, i. e. nexus causalitatis verae debet esse inter actionem et damnum.

II. Mensura restitutionis non ex solo damno *immediate* illato desumenda est, sed ex toto damno, quod dominus laesus ex illa actione patitur, et quod aliquo modo, etsi confuse tantum, praevium est.

III. Per accidens autem inducitur obligatio restitutionis per culpam tantum iuridicam post iudicis sententiam, eaque in tali mensura inducitur, quam iudicis sententia iusta statuit.

IV. Si quae alia restitutionis obligatio ex contractu alicui incumbit, id ex natura ipsius contractus atque libera contrahentium voluntate et consensu ortum ducere debet.

**Explicatio.** I. Pauca dicam de conditionibus quae necessariae sunt, <sup>1149</sup> ut actio *per se* restitutionis obligationem inducat. *Conditio prima* propterea postulatur, quia aliter actio non est perfecte humana, saltem non ut iniusta perfecte humana est; sed de solis actionibus vere et perfecte humanis earum quae sequelis homo respondere debet: in aliis actionibus potius causis necessariis quam liberis aequiparatur, ita ut damnum, quod fortasse oritur, potius rationem infortunii pro domino habeat quam rationem culpabilis damnificationis. — Ab aliis alia ratio non plane diversa affertur haec: Reparatio damni est quaedam poena actionem damnificantem naturaliter sequens; at gravis poena, qualis est restitutio gravis damni, proportionem non habet cum culpa aut nulla aut imperfecta tantum: ergo, ut obligatio imponatur, requiritur culpa perfecta seu plene theologica. — *Conditio altera* patet, quia ex iis, quae supra dicta sunt, solum iustitia commutativa ad restitutionem obligat.

*Conditio tertia* etiam evidenter requiritur, quia obligatio est id restituendi, in quo alter *damnum passus est*, non, in quo quis alteri nocere *volebat*; nam hac intentione prava *virtus* quidem iustitiae laesa est, at nondum laesum est alienum *ius*.

Conditionis *quartae* necessitas ex eo patet, quod, nisi nexus *causalitatis* sit inter actionem et damnum, seu nisi actio verum influxum natura sua in damnum exercuit, damnum illud ut re causatum agenti imputari nequit; et licet aliquis nexus occasionis vel ansae datae existat, tamen damnum istud imputandum est potius aliis causis aliorumque actioni, eorum scilicet qui ex prioris actione ansam vel occasionem sumpserunt illave usi sunt. — Verum, quamquam conditiones hic recensitae communiter ut necessariae admittuntur, earum applicatio aliquando quidem facilis, aliquando tamen est difficilis, ita ut opinionum diversitas in certis quibusdam adiunctis non evitetur. Quare infra singulas conditiones practice discuti necesse est.

II. Circa culpam mere iuridicam plura notanda sunt.

1150

1. *Notio*: Culpa iuridica dicitur actio vel omissio (defectus diligentiae et curae) contra leges seu iura positiva: quod cum advertentia et vero peccato committi potest, potest etiam sine peccato. At leges id non considerant, utrum cum an sine peccato factum fuerit. In priore casu evadit culpa iuridica simul theologica, in posteriore fit culpa *mere iuridica*. Plerumque ex solo defectu advertentiae ad obligationem diligentiae praestandae fieri potest, ut omissio diligentiae a lege requisitae sit culpa *mere iuridica*, quia ipsa haec diligentia plerumque in conscientia debetur.

Distinguitur quidem in iure Rom. culpa iuridica lata, levis et levissima, at non eo sensu, ut ei respondeat culpa theologica gravis, levis, levissima; nam culpa iuridica levis et levissima theologice gravis seu mortalis esse potest. Sed cum recentiora iura eam distinctionem omittant, sufficit dicere, diligentiam ad praecavenda damna sive iuridice sive theologice debitam pro diverso officio et pro diversa rerum gravitate esse diversam.

Culpa iuridica complectitur etiam factum alienum ab eo, qui secundum leges impedire cura sua debebat, non impeditum. Sic 1) damnum ab animali illatum dominus reparare tenetur, nisi — id permittente iure Romano — ipsum animal tradat pro noxa; 2) damnum illatum ab eo, qui sub aliena tutela est, ille tenetur reparare, qui tutelam agit, ut pater, herus, magister: sed ius Gerni. id non imponit, «si debita diligentia seu inspectio fuerit adhibita, aut si debita diligentia, etsi adhibita fuisset, damnum non impedivisset» (§ 832).

1151 2. Culpa*e* iuridicae et obligationis inde ortae extensio. Quaeritur a scriptoribus, num et quando adsit obligatio reparandi damnum ex culpa *mere* iuridica. Ex quibus pauci contendunt, obligationem illam semper existere, etiam ante iudicis sententiam; alii, iique etiam pauci, obligationem in conscientia ne post iudicis quidem sententiam adesse, sed esse necessitatem et obligationem publicae auctoritati non violenter resistendi; longe vero plurima pars sentit, adesse obligationem in foro conscientiae, sed non ante iudicis sententiam, nisi forte amplior obligatio ex contractu existat: cf. *Vogler* n. 93; *Giribaldi* tom. 3, tract. 2, c. 1, n. 49 et alios; quae opinio omnino tenenda est. Nam 1) secunda sententia practice omnino non potest teneri. Cum enim ipsi huius sententiae fautores concedant, debitum a iudice impositum non posse non solvi, practicum emolumentum tum tantum illi opinioni inesse posset, si post solutionem id, quod solum est, occulta compensatione repetere liceret. At nemo est, qui id concedat aut concedere possit. Nam, ut id liceret, illa secunda sententia contra tertiam, si non plane certa, saltem multo probabilior esse deberet: quod prorsus dici nequit. Ratio, quae eam utcumque suadere possit, haec est, quod aut leges et iudices nolint veram obligationem imponere, aut, etsi velint, id, utpote iniustum, facere non possint. Verum, eos *velle* inducere obligationem, luce clarius est; desiperent enim, si actori laeso ius addicerent, quod verum ius, cui obligatio alterius responderet, non esset: id autem velle *cur iniustum sit*, non probatur; fuit enim homines attentiores et cautiores, si sciunt, se ad defectum advertentiae sive allegandum sive probandum nullatenus admitti. 2) Sed etiam sententia prima teneri non debet. Obligatio illa non ex natura rei — haec enim ex sola culpa theologica obligationem restituendi imponit — sed ex positiva lege ortum ducit. At nullatenus constat, mentem legislatoris esse, ante iudicis sententiam obligationem inducere. Vix ullus est, qui legem practice ita intelligat; at consuetudo optima legum interpres. Immo lex illa ne aliter quidem prudenter intelligi potest: nam cuilibet legislatori notum est, homines difficulter res suas cedere; quare, si eos vellet obligare, ut id ultro facerent, legem statueret plerisque pro lapide offensionis et occasione peccandi. Insuper notissimum est principium, poenam a lege statutam neminem in se sponte exsequi debere semetipsum spoliando rebus, quas legitime suas fecerat; at sine culpa theologica restitutioni faciendae obnoxium fieri rationem merae poenae habet.

1152 Scholion. Idem fere dicendum est de iis, qui ex quasi-contractu seu officio, aut ex certo quodam contractu aliis alienisve rebus curam impendere debent. Ante iudicis enim sententiam non tenentur gravia damna, quae alii ex ipsorum actione passi sunt, reparare, nisi culpabilem negligentiam, eamque graviter culpabilem, commiserint. Quam autem diligentiam et curam sine gravi peccato omittere possint advertentes, a diversitate officiorum et contractuum pendet. — Si qua exceptio ab hac regula videatur occurrere, haec aut ex libera conventionne contrahentium desumitur aut ex natura contractus: de quibus infra suis locis.



Aliquid culpa*e* iuridicae simile pro radice restitutionis statuitur iure Germanico § 826: «Qui agendi ratione bonis moribus contraria alteri sciens et volens damnum infert, hoc ei damnum tenetur reparare»; quo non requiritur, ut sit actio ex se iniusta.

Iam ad singulas condiciones, quae requiruntur, ut ex natura rei actio damnificans restitutionis obligationem secum ferat, accuratius considerandas mentem convertamus.

## § 2.

*Discussio primae conditionis ad restitutionis onus necessariae: quod actio debuerit esse formaliter iniusta.*

Quaestio I: Quomodo ad restitutionem tenetur, qui *cum culpa* <sup>1153</sup> *veniali* damnum intulit?

1. Si peccatum veniale est tantum propter materiae parvitatem, nullum dubium est, existere quidem obligationem, sed levem tantum, ad damnum illatum reparandum.

2. Difficultas in eo casu movetur, quo damnum grave illatum est, sed cum peccato veniali tantum, eo quod perfecta advertentia et deliberatio defuit. Quodsi culpa haec etiam iuridica culpa est, secuta iudicis sententia, obligationem reparandi damnum etiam in conscientia existere, iam modo dixi.

3. Sed antea ex se obligationem in foro conscientiae asserendam non esse, etiam notavi supra n. 1149.

Nam opinione satis communi (cf. *Vogler* n. 109 sqq) tenetur, ex culpa *imperfecta* non oriri obligationem sive gravem sive levem restituendi damnum *notabile*: quia 1) sequelae ex actione non perfecte humana oriundae potius casui fortuito adscribendae sunt quam homini agenti; quia 2) obligatio resarciendi damnum illatum poena quaedam est, atque, si est notabile damnum, gravis poena est, peccatum autem veniale ex se gravem poenam non meretur. Hanc sententiam tenent inter alios *Sotus*, *Mastrius*, *Lessius* l. 2, c. 7, n. 27; *Lugo* disp. 8, n. 59; *Tambur.*, In decal. l. 8, tract. 3, c. 2, § 5, n. 3; *Giribaldi* tom. 3, tract. 2, c. 1, n. 26 sqq; *Pont.*, *Sporer* tract. 4, sect. 1, n. 49 etc. contra *Vasquez*, *Molina*, *Bonac.*, *Laymann* l. 3, tract. 3, p. 1, c. 6, n. 4 etc., quorum alii tenent, totum damnum sub gravi, alii totum damnum sub levi reparandum esse, alii partem damni culpa*e* proportionatam esse restituendam idque sub levi, alii idem censent sub gravi aut sub levi fieri debere, prout valor restituendus gravis fuerit aut levis.

4. Idem dicendum, si negligentia in praecavendo damno alieno levis tantum fuit; nam etiam tum, ut nimirum ex negligentia commissa obligatio reparandi damni oriatur, plena oportuit adesse advertentia, quae in levi negligentia generatim deest.

5. Videtur autem ex n. 3 legitime concludi debere, ut etiam ille ab omni obligatione reparandi damnum excusetur, qui damnum *leve* ex actione imperfectae deliberationis intulit. Nam, etsi huius damni reparandi obligatio gravis poena non sit, tamen non maior est proportio inter hanc obligationem eiusque causam non satis deliberatam, quam proportio est inter obligationem gravem et eius causam semideliberatam: quare etiam leve illud damnum fortuito casui potius adscribi debet. Ceterum, si de levi

negligentia agitur, ex qua damnum leve ortum sit, fieri omnino potuit, ut *sufficiens* advertentia damni alicuius *levis* orituri adfuerit, quae satis non fuisset ad plenam advertentiam damni gravis, si quod forte ortum esset. Quod si obtinet, obligatio damni levis reparandi omnino statui debet.

6. Qui circa valorem rei damnificatae erravit, ad quid teneatur, vide statim infra post quaest. IV.

1154 Quaestio II: Qualis sit obligatio reparandi grave damnum, quod pluribus culpis venialibus plene deliberatis commissum est.

1. Hypothesis propositae quaestionis duobus modis contingere potest, aut quia damnificator damni iam illati non recordatur, aut quia damni illati bene memor erronee putat, ad peccatum grave ampliorem materiam requiri.

2. In posteriore hypothesis dicendum est, adesse obligationem, eamque gravem, damni restituendi, si modo tantum temporis intervallum non intercessit, ut singula damna non amplius coalescere censeantur. Qui enim plene deliberate singula damna intulit, eo ipso obligationem singula damna resarciendi, idque in toto suo valore bene cognito, in se sumpsit; neque est ratio cur excusetur ab illa poena propterea, quod peccatum grave non commiserit. Hoc enim propterea non commisit, quia damnum illud pro gravi non habuit. Sed si hoc, neque poenam illam reparandi damni, quam ipse sibi lubens imposuit, pro gravi habere potest; — ad poenam vero, quam levem putat, ex sola veniali culpa plane obligari potest. Adesse autem obligationem re ipsa sub gravi, propterea videtur dicendum esse, quia haec ex re *objective* sumpta, non ex subiectiva aestimatione determinanda est. Alioquin ad multa absurda delaberis; sume aliquem putare, gravem materiam in iustitia non esse nisi ad 300 marc. ascendat: eum non posses obligare sub gravi ad solvenda debita, si 200 marc. inutiliter suo genio indulgens dissipasset! — Aliter tamen iure iudicaveris, si nimia sit proportio inter facultates damnificatoris et eius, qui damnum passus sit; tunc enim recte negaveris proportionem inter damnum illatum et poenam subeundam, si damnificator inculpabili errore putavit, ad grave damnum hominis divitis plus requiri, sibi tamen grave damnum fore restitutionem integram.

1155 3. Prior autem hypothesis (1) oblivionis priorum damnorum raro profecto tantum admitti potest, nisi materia damni totalis maneat *circa in limine* materiae gravis; immo ne asserenti quidem facilius credendum est, quia homo rerum praeteritarum postea non semper ita perfecte recordatur, hic vero advertentia ad materiam gravem in confuso sufficere dicenda est, ut damno materiam gravem complente grave peccatum committatur. — At *si* vere illa hypothesis obtinuit, ut sane tandem obtinere potest, obligatio quidem adest, singula damna ideoque totum damnum etiam grave reparandi, sed *sub gravi* haec obligatio *non* videtur adesse.

Scilicet esse obligationem, nemo negat, quia saltem singula illata damna in se separatim sumpta suam obligationem restituendi imposuerunt et im-

positam relinquunt. Immo hanc obligationem adesse sub gravi, longe plurimi affirmant, modo ne intercesserit notabile intervallum inter singula damna: vide *Vogler* n. 123, cum eo *Lugo*, *Tamb.*, *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 185 sqq. At ut hanc opinionem probarent, alii alias excogitarunt rationes (vide *Lugo* disp. 8, n. 64 etc.; *Tamb.*, In decal. 8, tract. 3, c. 2, § 5, n. 7), angustias suas sentientes et fatentes ausi non sunt recedere a «communissima sententia». Has rationes afferre et examinare non vacat. Sufficit indicasse, non deesse gravissimos auctores praecipue posteriores, qui gravem obligationem negent, idque magis cohaerere cum principiis prius allatis, quia fieri nequivit, ut aliquis sine peccato gravi pervenerit ad damnum grave, nisi inculpabilis error sive ignorantia circa valorem totalis damni intercesserit: quod si factum est, restitutionis mensura nequit sumi ex pleno valore obiectivo. Cur autem hic non sub gravi, in hyp. n. 2 sub gravi teneatur damnificator, ratio discriminis est, quia in n. 2 valor totalis damni materialiter omnino cognitus erat, hic ne materialiter quidem *totalis* damni valor menti observabatur. Sub levi vero cur hic teneatur de toto damno in oppositione ad eum casum, quo rei damnificatae valoris cognitio omnino afuit (vide infra n. 1157 in fine), ratio est, quia cognitio damni in singulis damnificationibus adfuit, ac proin singulorum damnorum, *ut singulorum*, saltem facienda est reparatio. — Opinionem hanc benigniorem defendunt *Diana*, *Petschacher*, *Viva* in thes. 29 *Alex. VII* n. 15 (vide *Reuter* III, n. 326; theol. *Wirceb.*, De iust. n. 585) et sequi videtur ex *Lacroix* l. c. n. 194.

Attamen, ut iam monui, illa inadvertentia practice raro admitti potest, maxime si damna illa repetita *eidem domino* illata sunt; facilius, si *diversis*, nec damnificatori ullum advenerit emolumentum.

Quaestio III: An umquam adsit obligatio reparandi damnum, 1156 quod ex actione damnificatoris inculpabili oriatur.

1. Ex sola inculpabili actione numquam oritur obligatio stricta restitutionis faciendae; attamen actio inculpabilis *occasionem* talis obligationis praebere potest.

2. Nam qui actione vel inculpabili vel imperfecte culpabili causam damni alieni posuit, tenetur impedire, quominus actio sua effectum producat vel nocere pergat, modo id etiam nunc efficere possit sine incommodo relative gravi.

Sicut enim quilibet tenetur abstinere ab actione alteri iniuste nociva, ita etiam tenetur, hanc ipsam actionem, quam nondum omnino a se quasi dimisit, iterum ad se revocare seu retrahere; sed quasi imperfecte tantum ab homine actio *illa* dimissa est, cuius effectum facile impedire vel interrumpere etiam nunc potest.

3. Quodsi facile potest damnum a sua actione aliter oriturum impedire, sed negligit, hac negligentia peccat contra iustitiam, idque per se graviter; quo fit, ut, si gravi negligentia hoc suum officium omiserit, iam ex actione seu potius omissione graviter culpabili et iniusta damnum non impeditum reparare teneatur.

Scilicet damnum ex mea actione oriundum voluntarie non impedire idem est ac nunc voluntarie damnum efficere: quare damnum, quod antea non voluntarium erat, nunc voluntarium fit. Ut si inadvertenter ignem in feni acervum iniecissem, nunc vero, advertentia accedente, non exstinguerem, cum possem, idem esset moraliter, ac si nunc volens ignem supponerem.

At si sine damno relative gravi id facere iam non possum, omissio illa atque consequens inde conflagratio voluntaria mihi non erit. Porro damnum illud seu incommodum, quod subire debeo ad avertendum damnum alienum ex mea actione involuntarie oriundum, relative aestimari debet tum ad gravitatem damni alieni, tum ad meas facultates, ita tamen, ut gravis obligatio non sit subeundi irreparabiliter damni proprii vere notabilis.

4. Ex dictis sequitur, si orta fuerit obligatio reparandi damni, cuius causam posui inculpabiliter, sed quod, cum potuissem, non impedivi, obligationem illam restringendam esse ad eam partem damni, quam post cognitum strictum officium impedire in mea potestate erat, non vero illud damnum reparari debere, quod iam erat productum neque facile infectum fieri potuit.

1157 Quaestio IV: Qualis obligatio restituendi remaneat ex actione culpabili, sed retractata.

Cum praecedenti quaestione cohaeret haec altera quaestio, quae versatur de actione non inculpabili, sed plene culpabili, quae tamen effectum suum nondum produxit atque ab agente revocatur seu retractatur. Id locum maxime habere potest, si causa morali aliquis influxus exercebatur.

Nam qui volens causam physice agentem posuit, quantumvis doleat postea, damnum ex ea exortum reparare semper debet, ac propterea ab ulteriore reparatione tum tantum excusatur, quando damnum ulterius impedire potuit et *re ipsa* impedivit.

Paulo aliter res se habet, quando aliquis ut *moralis* tantum causa in effectum aliquem influit. Hac de re vide, quae infra dicuntur de cooperatoribus n. 1197 sq 1200.

NB. Ex prioribus iam solutam habes quaestionem, quantum restituere debeat, qui circa valorem rei destructae vel damnificatae errore laboravit. Videlicet si ignorans rei valorem temere egit, eo ipso sciens et volens (i. e. saltem in confuso satis attendisse dicendus est) periculo quodcumque damnum inferendi sese exposuit: quare si revera damnum illatum etiam multum superat damnificatoris aestimationem, tamen totum reparare tenetur. Si vero cogitatio nulla de vero rei valore orta erat atque invincibilis manserat ignorantia, damnificator excessum valoris supra eum, quem aliquo modo coniectaverat, reparare non tenetur, antequam forte a iudice compellatur. Nam damnum quoad illum excessum non voluntarium est; at quia actio tandem iniusta damnum illud protulit: si iudicis sententia accedit, damnificator non iniuste poena perfectae reparationis faciendae afficitur.

### § 3.

*Discussio secundae conditionis ad restituendi onus necessariae, quod actio debuerit esse contra iustitiam commutativam.*

1158 Quaestio V: Num et quando ad restitutionem teneatur, qui in distribuendis officiis publicis et beneficiis inique egit.

Qua in re inique actum est tum contra communitatem, cui mali ministri praeficiuntur, tum contra eos, qui ut aptiores potius praeficiendi atque honore et munere donandi erant; at videndum est, num titulo



violatae iustitiae commutativae seu iuris stricti laesi: nam tum tantum restituito fieri debet.

Porro societas seu communitas eatenus ius strictum habet, quatenus ineptis ministris in suis bonis positive laedi potest et facile laeditur; iuri stricto autem satisfactum est, si ministris dignis et aptis regitur, etsi digniores et aptiores praefici possint. Quare iniquus distributor officiorum erga societatem seu communitatem tenetur ad restitutionem vel faciendam vel curandam, si ministros *indignos* et *ineptos* eligit, idque quoad damna illa, quae mali ministri vitio suo intulerunt sive communitati in genere, sive singulis eius membris, quorum curam suscipere in suo munere debuerant. Haec enim damna a distributore in confuso praevideri poterant et satis praevidebantur atque ab ipso mediate quidem, sed ut a vera causa morali, effecta sunt.

Circa eos autem, qui digniores erant et praetermissi sunt, non semper eadem restitutionis obligatio existit. Per se laeditur iustitia *distributiva*, quae, si sola laeditur, restitutionis onus secum non fert, atque revera *supremus* et independens societatis superior eam virtutem solam erga digniores praetermissos per se laedit. Iustitia commutativa laedi potest, 1) si muneris alicuius candidati per modum onerosi contractus convocantur, seu si illis sub onerosa quadam conditione promittitur fore, ut dignior eligatur, 2) si supremus societatis superior inferiores distributores iustitia commutativa erga candidatos obligaverit, ut optimum eligant.

Quae num re ipsa obtinuerint in beneficiis ecclesiasticis distribuendis, diligenter considerandum est. Ceterum haec sunt notanda:

1. Quando aliqua beneficia primarie in utilitatem candidatorum instituta <sup>1159</sup> sunt, iustitia commutativa laeditur erga eos, qui, cum potiores sint, inique praetermittuntur.

2. Quod cum communiter non obtineat: in beneficiis ecclesiasticis, quamquam electione indigni laeditur iustitia commutativa erga communitatem et ecclesiam, tamen extra casum concursus non laeditur iustitia commutativa erga eos, qui praetermittuntur<sup>1</sup>, sive eligitur minus dignus prae digniore, sive indignus prae digno, quia nemo ex iis iam habet ius strictum ad hoc et illud munus; attamen graviter laeditur iustitia distributiva et legalis<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Si quis autem fraudulenter inducitur ad beneficium ecclesiasticum minus digno conferendum: quamquam conferens iustitiam commutativam non laedit, tamen ille, qui fraudem commisit, eam prorsus laesisse dicendus est secundum quaestionem subsequentem.

<sup>2</sup> Hac occasione convenit, totam obligationem in beneficiis ecclesiasticis digniores assumendi breviter exponere.

#### I. Obligatio in genere.

1. Graviter peccat, qui quodcumque ecclesiasticum beneficium sive simplex sive curatum *indigno* confert, cum mentem superioris sui ecclesiastici graviter laedat atque ecclesiastica bona, quorum administrator, non dominus est, tam male impendat.

2. Graviter etiam peccat, qui beneficium curatum *minus digno* prae digniore confert, sive eligendo sive praesentando etc.: vide Trid. *sess. 24 de ref. c. 1* id aperte docens de eligendis episcopis, thes. 47 ab *Innoc. XI* damnatam. — Cf. insup. Trid. l. c. c. 18. — *S. Alph. IV* 90.

3. Si autem patrono competit ius praesentandi, ei quidem generatim eadem obligatio incumbit, attamen ille ecclesiasticus superior, cuius est *confirmare*, facile excusatur, etsi

3. Quando per modum concursus ad beneficia vacantia clerici vocantur, sententia longe communior docet, laedi iustitiam commutativam erga *digniore*,

praesentatus non sit *dignior*, modo absolute dignus sit; immo talis repelli vix potest nisi a Summo Pontifice. — Hinc patet, quantopere gravent propriam conscientiam gubernia illa, quae inhiant privilegio sibi dando, quo possint candidatos ad dignitates et officia ecclesiastica praesentare, aut ab iis repellere.

4. Quoad beneficia simplicia omissio digniore dignum eligere peccatum quidem est, immo, si saepius fieret, de gravi peccato merito esset timendum, at non plane constat, maxime si *raro* fieret, de gravi obligatione, nisi alter iustitiae titulus accedat. Cf. *S. Alph.* IV 93 et 94.

5. Qui contra digniore competitor existit, certamen subeundo non peccat, si modo non indignus sit, immo neque ordinarie peccabit acceptando, quia ipsius non est de maiore dignitate iudicare.

#### II. *Maior dignitas unde repetenda et quomodo sumenda.*

1. Si excessus *exiguus* negligitur in dignitate, id non constat esse peccatum grave: cf. *S. Alph.* l. c., *Sanchez*, Consil. mor. l. 2, c. 1, dub. 2, n. 17 sqq. Scilicet quamquam *S. Alph.* id in solis beneficiis simplicibus approbat, *Sanchez* n. 18 clare id etiam de beneficiis curatis docet.

2. Si speratur fore, ut dignior brevi post in meliore beneficio constitui possit, aut in loco, ubi utilius laboraturus sit: eius omissio, quae nunc fit, non est peccatum. Vide *Sanchez* l. c.; *Elbel*, De iuram. p. III, n. 136.

3. Quare si maior est utilitas ecclesiae, clericum digniore constitui in beneficio minoris dignitatis et valoris, iustissimum est, quia utilitatem ecclesiae privato bono clerici praeferrari rationi plane convenit.

4. Maior dignitas, quae hic attenditur, ex multis adiunctis resultat. Ceteris paribus praefendus est: a) senior, qui diutius meruit in officiis ecclesiasticis; b) qui e suis facultatibus ecclesiam fundavit; c) doctior minus docto; d) sanctior et prudentior ei, qui sola scientia et doctrina excellit; e) potens et nobilis alteri, quatenus potentia et nobilitas in bonum ecclesiae eiusque defensionem notabiliter confert; addere debemus: eum, qui gubernio civili gratus est, illi, qui ingratus est vel minus gratus, praeferrari pro circumstantiis posse et debere, si cetera sunt paria; f) pauper praefendus est diviti, si *ad solas divitias* respicitur; g) originarius extraneo et alienigenae; h) sacerdos ei, qui ad sacerdotium nondum promotus est, saltem in beneficio curato. Cf. *S. Alph.* et *Sanchez* loc. cit.

5. Si agitur de electione inter duos, quorum unus certo absolute dignus est, alter fortasse non ita, sed probabiliter etiam dignior: prior certe praeferrari *potest*. *S. Alph.* l. c. n. 92.

#### III. *De valore et nullitate collationis propter defectum dignitatis.*

1. Qui habet talem indignitatem seu defectum canonicum, ob quam *nulla* statuitur esse collatio (ut est excommunicatio, irregularitas), sine dubio invalide accipit beneficium.

2. Si quis ob aliam causam dignus non est, seu impar existit suscepti officii: eius electio et institutio irrita quidem non est, sed *irritanda*, nisi se reddat idoneum. Vide *Trid.* sess. 7 *de ref.* c. 3.

3. Eo magis non est ipso facto irrita beneficii collatio, si *dignior* praetermissus est. Attamen, quando provisio beneficiorum fit per concursum, dignior, qui praetermissus est, habet *ius appellandi*, ut denuo fiat examinatio et defectus commissus corrigatur: qui autem appellat, debet probare posse, defectum esse commissum. Vide *Trid.* sess. 24 *de ref.* c. 17 et 18; *S. Alph.* l. c. n. 103; *Sanchez* l. c. dub. 6.

4. Haec dicta sunt secundum ea, quae suprema legislatione Ecclesiae sunt definita. Attamen supremus Ecclesiae pastor, quamquam omnibus obligationem imponit digniores praeferrandi, propter graves rationes, praesertim alius publici boni Ecclesiae causa, silere potest, si ab aliis illae normae non observantur, modo ne agatur de indigno assumendo, atque ipse etiam sciens minus dignum prae digniore confirmare et instituere potest. (Cf. inter alios *Vogler*, *Iuriscultor* n. 251.)

qui prae digno at minus digno excluditur; pauci tantum sunt, qui de iustitia commutativa laesa dubitare eamve negare audeant. Quare censeo, posteriorem hanc opinionem normam agendi per se esse non posse, posse tamen aliquando, existentibus etiam aliis causis, aliquid ponderis addere, cur non semper obligatio restitutionis urgeatur, quando contra propositam obligationem peccatum fuerit <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Qui mitiori illi opinioni subscribunt, sunt secundum Sanchez l. c. dub. 46: *Ledesma, Navarrus, Henriquez* «alique iuniores», ac *Sotus*, ut Vogler dicit —; Sanchez ipse alteram quidem sententiam tenet, hanc mitiorem vero habet pro *probabili*; *S. Alph.* ei adscripserat aliquam probabilitatem, vel potius probabilitatem negare ausus non erat, at in retractationibus eam reprobatur, verum *improbabilem* dicere numquam est ausus IV 109.

Fundamentum autem, quo huius opinionis fautores nituntur, illud est, quod rationes pro severiore sententia allatae non videantur obligationem *iustitiae commutativae* omnino evincere.

Rationes enim allatae sunt: 1) Per evocationem ad concursum cum iis, qui examen subeunt, tacite initur *contractus*, ut illi, qui vincat, beneficium vacans tribuatur; *contractus* vero ille onerosus ex iustitia commutativa obligat, quemadmodum in agone victori ex iustitia commutativa debetur praemium, quod antea propositum erat. 2) Supremus Ecclesiae legislator lege sua (vide *Trid. locis supra cit.*) concurrentibus *ius strictum* tribuit, ut exigant collationem secundum normas praescriptas faciendam; idque confirmatur ex eo, quod illi, qui iniuste se praetermissum putat, ius appellandi concedatur, quo repareretur defectus commissus, atque ipse beneficium ab altero evincat.

Porro putant auctores benignioris opinionis, posse hisce rationibus aliquid opponi.

In 1<sup>a</sup> ratione similitudinem cum victore in agone nonnihil claudicare, eo quod praemii distributio ibi fiat *principaliter in utilitatem contendendum*, in distribuendis vero beneficiis ecclesiasticis eorum collatio principaliter fiat in utilitatem et bonum Ecclesiae, ut dignos praelatos et ministros habeat; quare cum utilitas contendendum secundariae tantum respiciatur, non esse certum, erga eos obligationem iustitiae commutativae contrahi.

Neque id certum fieri ex illo quasi-contractu, qui ineatur per ipsam evocationem ipsumque examinationis onus. Hac evocatione iniri obligationem *contractus* eligendi aliquem ex numero concurrentium, sed dubitari fortasse posse, utrum distributor beneficiorum novam obligationem eamque strictae iustitiae eligendi digniorem subeat praeter eam, qua ligetur ex iustitia distributiva et legali, an solummodo promittat, se impleturum esse eam obligationem, quam aliunde habet, ideoque, si nova obligatio accedat, haec sola sit fidelitatis.

Neque ex 2<sup>a</sup> ratione allata, scilicet ex iure appellandi, videri probari titulum iustitiae commutativae, quem dignior omissus iam habeat. Nam illud ius appellandi sic concipi posse, ut, qui illo utatur, post electionis factae correctionem demum titulum strictae iustitiae accipiat.

Verum quidem esse, eum, qui praetermissus sit, emolumento temporali privari ideoque damnum pati, eique aliquod ius esse huius emolumenti consequendi; at eiusmodi ius non semper fundari in exigentia iustitiae commutativae atque dubium videri esse, num lex ecclesiastica illi *ex hoc titulo* ius ad beneficium conferre voluerit. Etiam quando lex contra reum mulctam statuat fisco addendam, fisco ad eam ius quoddam habere, at tamen inde nondum certo concludi posse, iudicem, qui cum peccato omiserit reum condemnare, debere fisco mulctam indemnitate causa restituere, eo quod ius ad illud emolumentum potius videatur ex titulo iustitiae vindicativae quam ex iustitia commutativa a lege intendi et fisco concedi.

Haec sunt, quibus laxioris opinionis fautores alteram sententiam impugnare et dubiam reddere conantur. Num satis feliciter, alii viderint. Mihi quidem non adeo firma, sed debiliora esse videntur.

Facilius etiam dici potest, sententiam illam benigniorem applicari posse distributioni beneficiorum, quae fundatur non in concursu speciali ad certum beneficium vacans,

1160 Quaestio VI: Quomodo et quando peccet ille contra iustitiam cum onere restitutionis, qui alterum a consecutione alicuius boni excludit.

Circa hanc quaestionem practice aliquando satis implicatam cf. *Sanchez*, Cons. moral. l. 1, c. 4, dub. 2, n. 19 et l. 2, c. 1, dub. 49; *Lugo* disp. 9, n. 51 et disp. 18, n. 90 sqq; *Tambur.*, In decal. l. 8, tract. 3, c. 4, § 2 sqq; *Vogler*, Iuriscultor n. 372 sqq; *Ballerini-Palm.* III, n. 397 sqq.

I. Qui *quocumque modo* excludit aliquem a consecutione boni *ad quod et ad cuius consecutionem alter tunc ius habuit* (sive ius in re sive ius ad rem), is tenetur ad restitutionem — propter iniustitiam *ratione rei* commissam.

II. Qui a consecutione alicuius boni eum excludit, qui *positivum ius ad illud bonum non habuit*, tenetur ad restitutionem, si *mediis iniustis* usus est, alias non tenetur: — ergo teneri potest propter iniustitiam *ratione modi* commissam. Quae restitutio facienda est pro rata spei, quam alter habuit, fore, ut bonum illud consequeretur.

III. Qui alterum, etiam fraudulenter, a consecutione boni excludit, cuius acceptio aut collatio *obiective mala* seu *ex parte rei peccaminosa* fuisset, ad restitutionem non tenetur.

1161 Explicatio. I. Media iniusta, quorum usus in proposita quaestione restitutionis obligationem secum trahit, eiusmodi sunt: vis, fraus, dolus, mendacium, iniusta detractio. — Sed explicandum restat, quandonam iniustitia *efficaciter* commissa censeatur, ita ut restitutionis obligatio ei, qui impedivit, sit imponenda.

Nam in usu mediorum iniustorum iniustitia committi potest directe aut 1) contra eum, qui bonum aliquod ab altero se consecuturum esse sperabat, aut 2) contra eum, a quo sperabat, aut 3) contra utrumque. Restitutionis obligatio vera adest, si et quatenus iniustitia commissa est contra eum, qui bonum aliquod sperabat. Si ergo directe contra eum iniustum medium adhibitum est, sive *solum* sive *simul* contra eum: de restitutionis obligatione dubitari nequit. Si autem iniustitia directe respiciebat *eum, a quo* boni consecutio sperabatur, restitutionis obligatio eatenus adest, quatenus iniustitia in alterum, *qui* sperabat seu spem habuit, *redundavit*, atque ita redundavit, ut damnum seu boni sperati non-consecutio *per se*, non per accidens tantum, secuta esse censeatur.

Exemplum *primi* iniusti medii habes, si quis alterum vi, dolo detinet, ne benefactorem adeat, beneficii petendi causa; exemplum *secundi* iniusti medii, si benefactorem metu vel timore incusso a beneficio praestando retrahis; exemplum *tertii* iniusti medii, si benefactorem a beneficio cuidam praestando avertis, quem mendaciter dicis vel improbum esse, vel beneficii non indigentem. In ultimo exemplo utrumque habes et iniustitiam directe

---

sed in quasi-concurso generali, ut e. g. in Germania fit examine parochiali, quod sacerdotes subeunt: ex eo non illud ex iustitia commutativa in rigore sequi videtur, ut pro meliore examine meliora beneficia eligantur, sed ut pro examine peracto sacerdos, quantum ad scientiam attinet, habeatur inter dignos et suo tempore ipsius ratio habeatur.



commissam (hic mendacium damnosum) contra indigentem et iniustam benefactoris eiusque beneficae voluntatis circumventionem: in prioribus exemplis alterutrum tantum.

Quodsi directe solummodo contra benefactorem iniustum medium adhibitum est, non semper prima fronte potest dici, utrum damnum beneficiario illatum solummodo *per accidens* sequatur, sive secutum esse censi debeat, an *per se*, i. e. ex illa iniustitia ut ex vera causa. — Ut ad hanc difficultatem solvendam aliquam normam afferam: videndum imprimis esse puto, utrum ille benefactor, cuius voluntas fraudulentè inflectebatur, invitus sit aut esse debeat de illo fraudis *effectu*, qui beneficiario damnosus est, annon. Si de illo effectu invitus non est nec esse debet, damnum pro tertio illo facilius censi potest *per accidens* secutum esse; atque minus urgenda est restitutionis obligatio: alias urgenda est omnino. — Signum igitur, quo concludi possit, damnum tertii *per accidens* sequi, est, si is, qui tertio illi emolumentum collaturus erat, 1) hoc non intendebat principaliter eo fine, ut tertius ille ditesceret; 2) *si re adhuc integra*, post detectam sibi fraudem seu finitam iniustitiam nunc nolit bonum istud eidem tertio conferre: saltem si utraque conditio (1 et 2) obtinet.

Multum vero attende, sitne res adhuc integra. Nam si propter mutatas circumstantias vel novas exortas rationes benefactoris mens nunc mutatur, sane prior illa fraus seu deceptio *causa per se* communiter haberi debet.

2. Ratio discriminis afferenda est, cur fraudulenta exclusio alicuius ab emolumentis generatim quidem restitutionis obligationem inducat, non inducat in iis circumstantiis, quando emolumentum acceptio aut collatio *ex parte rei conferendae* peccaminosa fuerit.

Videlicet si quis impeditur a consequendo bono, quod iuris quidem titulo reclamare non potuit, potuit vero *licite accipere*, in illo iure laeditur, quod quilibet habet, bona legitime acquirendi. Habuit igitur ius ad bonum illud non immediate quidem, sed remote, mediate, hypothetice, mediante nimirum alterius voluntate benefica.

Si quis vero a consequendo bono excluditur, quod solo peccato sive suo sive alieno accipere potuit, neque immediate, neque mediate et remote ius ullum habuit. Nam ius ad actionem illam peccaminosam, qua mediante emolumentum accepturus erat, exstitit nullum. Peccaminoso quidem usu ius non exstinguitur, at in peccaminosam actionem quemquam ius habere, absurde tantum dicitur. Immo tertius quilibet iure suo utitur, si illam peccaminosam actionem, quantum potest impediatur; quod autem fraude aliqua id faciat, illicitum quidem est, sed carentia illius emolumentum, quae alteri propterea accidit, *non fit iniusta*. Cf. Sanchez, Vogler, Tamb. ll. cc. E. g. Qui alterum mendacio impedit ab expensis turpis rei causa faciendis, eum lucrum illud, quo tertia illa persona nunc caret, restituere debere nemo dixerit.

Quando vero datio et acceptio lucri in se honesta et licita est, peccaminosam eam fieri scis ex sola mente agentis vel modo agendi subiectivo: illam actionem fraudulentè impedire per se ab iniustitia relate ad effectum secutum immune non est; sed perpendenda sunt, quae in n. II dicta et explanata habes.

1163 *Tamburini* quidem putat, ut excusationem a restitutione facienda ille, qui fraudulenter impedimentum posuit, recte habeat, requiri, ut datio *et* acceptio lucri utrimque sit peccaminosa ex parte rei; at rectius videtur sufficere, si datio *aut* acceptio sine peccato *ex parte rei* fieri nequit.

Unde colliges:

1. Uxor, quae fraude maritum impedit a *prodiga* donatione, a sumptuoso convivio etc. minime tenetur damnum iis resarcire, quibus spes erat lucrum inde percipiendi.

2. Qui clericum decipiendo impedivit, quominus *illicitam* dispositionem testamentariam in favorem cognatorum faceret, his cognatis nihil restituere debet; deberet autem, qui a *licita* dispositione ita impedivisset.

3. Qui amicum ab itinere fraude et mendacio retinet, in quo largam donationem facturus erat, tenetur ad compensandam illam donationem secundum spem, si mendacio contra donatarium utens donatorem ab itinere avertit; si aliis fraudibus usus est, atque amicus donationem non principaliter intendit, sed solum *occasione* itineris eam facturus erat, deceptor non tenetur de illo damno, utpote per accidens secuto.

#### § 4.

*Discussio tertiae conditionis ad restitutionis onus necessariae: quod actio damnificans debuerit esse realiter iniusta.*

Quod ut melius explicetur, sit

1164 Quaestio VII. Num sit obligatio reparandi damnum, quod illatum est ab eo, qui erravit in persona seu domino laeso.

Tritum exemplum proponitur: Petrus incendit domum Caii, putans esse Titii, quam utpote inimici sui incendere voluit: teneturne ad restitutionem pro damno Caio illato? Cum hac in re scriptores multum dissentiant, ante omnia opus est, rem, quae in controversia versatur, accurate proponere et ab aliis, quae omnibus certa sunt, discernere.

1. Nemo negat, adesse onus restitutionis, si Petrus concomitanter solum erravit, ita ut hanc domum prorsus incendere voluerit, non curans, cuius sit, quamquam maiore gaudio id exsecutus sit putans, se Titio inimico damnum illaturum esse.

2. Omnes etiam fatentur, damnum reparandum esse, si, cura discernendi domum Caii a domo Titii non adhibita, ipse ille error culpabilis contra Caium fuit.

3. At si vere invincibilis error aderat circa dominum aedium atque voluntas damni inferendi *tantum contra Titium* erat, gravissimi theologi, inter quos *Lugo* disp. 17, n. 77; *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 200; *S. Alph.* III 629, excusant Petrum a damno reparando ex eo, quod damnum, quod voluit, re non intulerit, damnum autem re illatum voluntarium non sit nec *formaliter* iniustum.

Alii tamen *utique plures* Petrum ad reparandum damnum prorsus obligant, idque merito, cum a formali iniustitia *re* commissa immunis nullo modo existat. Scivit enim, rem esse *alienam*, in quo non erravit eamque rem liber et volens destruxit, quamquam non destruxisset, si eam Caii esse cognovisset. At non quaeritur, quid *fecisset*, sed quid *fecerit*. Quaero enim: commisitne ille, qui Caium putans esse Titium, hunc occiderit, vere et formaliter homicidium ac proin actionem formaliter iniustam? Quod si negare

quispiam vix audet, cur negemus, istud incendium esse actionem formaliter iniustam?<sup>1</sup> Sed demus, actionem Petri non esse formaliter et *immediate* iniustam *erga Caium*, certe est formaliter et *immediate* iniusta contra humanum genus, non minus ac illa actio, qua res domini incerti destruitur; atque ex hac sola relatione ad genus humanum actio iniusta obligationem gravem restitutionis secum fert, ut in alia causa ex doctrina ipsius *Lugo* colligere licet (cf. disp. 1, n. 34 et disp. 16, n. 32); proin etsi non *immediate*, tamen *mediate* et *remote* etiam contra ipsum Caium videtur *formalis* iniustitia commissa.

Quaestio VIII. Quousque obligatio restituendi sustineri debeat<sup>1165</sup> in dubio de damno illato.

Dubium potest esse 1) de ipsa damni existentia; 2) damno certo illato, dubium esse potest, a quonam fuerit productum.

Pro diversis illis dubiis dicendum est:

1. Si dubium est de damni existentia neque, inquisitione facta, solvitur: obligatio non est imponenda, ut cum *S. Alph.* (quem confer III 562 658) communis doctrina auctorum est, quia substantia rei et obligationis est incerta.

2. Si dubium est solummodo de auctore, damnum vero certo effectum est, rursus distingui debet. Ille, de quo certum non est, posueritne actionem ex natura sua damnum illud causantem necne, etiam ad nihil obligandus est. Sed si quem constat posuisse causam damni ex natura sua damni efficientem, ex eo autem dubiam quod plures eandem actionem posuerunt, sciri tamen nequit, *cuiusnam actio re ipsa* effectum produxerit, reliquorum actione superflua vel inefficaci manente: ille seu omnes illi quos constat posuisse talem actionem saltem ad damni partem restituendam obligantur; immo aliquando hypothetice ad totum, videlicet quando ex conspiratione omnes egerunt — de quo tamen confer, quae postea dicenda sunt.

V. g. Titus, compluribus in eum sclopetum dirigentibus, letaliter vulneratur, at nescitur, cuius globulus eum ita ferierit. Aliqui quidem etiam tum ab obligatione reparandi damni eximere volunt, hoc principio nixi: non est imponenda obligatio, nisi probetur, seu nisi de ea constet; at non constat de singulorum obligatione, cum de singulis probabile sit, eorum globulos non feriisse hominem. Verum male ratiocinantur. Demus, obligationem restitutionis non certo in vulneratione fundari ideoque imponi non posse; at *certo* in eo fundatur, quod quilibet, qui, reliquis sclopetum dirigentibus in hominem, etiam ipse suum sclopetum in eundem dirigit, eo ipso cum aliis causa incertitudinis est, quae invincibiliter circa verum necis

<sup>1</sup> Verum quidem est, *Lugo* l. c. n. 75 sibi obiciendo ita dicere: «Si volendo occidere Petrum inimicum per errorem occidis Paulum amicum, quem videns a longe non agnovisti et putasti esse Petrum, quem eo loco paulo ante reliqueras, non committis homicidium voluntarium, nec fortasse homicidium, quia illa occisio procedit ex ignorantia, quae causat involuntarium.» At respondens *ibid.*: «quidquid sit de antecedenti», satis innuit, se negare non audere, talem actionem esse *homicidium* saltem casuale quod vocant, idque formaliter et ut homicidium graviter culpabile, utut *fortasse* negatur, esse homicidium *voluntarium* sensu canonico, i. e. qua tale ex praemeditatione ortum.

auctorem versatur. Hanc ipsam incertitudinem causare, damnosum est illi vel illis, qui alias a *certo* auctore totius damni reparationem postulare possent; ergo omnes, qui hanc incertitudinem sive soli sive cum ceteris causaverunt, ad damnum illud reparandum sive ex parte sive in solidum tenentur.

Ceterum variarum regionum leges concedunt laeso eiusve haeredibus ius a quolibet agentium postulandae totius damni compensationis; quae poena iusta est, at, antequam infligatur, in foro conscientiae nondum est pleni iuris.

### § 5.

*Discussio ultimae conditionis, quae ad restitutionis obligationem requiritur, scilicet ut actio fuerit causa ex natura sua efficax seu, quae ex natura sua apta sit ad damnum producendum vel verum influxum in illud exercendum.*

1167 Nisi enim actio efficaciam habuerit inferendi damni, damnum aut aliquid damni in actione non continebatur neque in ea praevideri potuit; quare damnum agenti aut involuntarium est, aut etsi volitum, tamen non-voluntarium, ac propterea *ut re existens* non imputabile (quantumvis aliquando imputari possit ac debeat pravum animi desiderium). Quare.

I. Qui exercuit actionem lege prohibitam atque eam exercendo involuntarie alteri damno fuit, a) non tenetur ad restitutionem, si ratio prohibitionis alia erat quam periculum actionis illius; b) neque tenetur per se in foro conscientiae, si ratio quidem prohibitionis periculum fuit, attamen ille, qui actionem exercuit, omnem diligentiam adhibuit, ita ut censere debuerit periculum cessasse; c) tenetur vero ad restitutionem, qui in actione aut simpliciter prohibita aut sine certis cautelis prohibita cautionem necessariam non adhibuit atque ita infortunio occasionem dedit.

Hinc per se restitutioni obnoxius non est, qui contra leges venatur atque in venatione mero casu alterum occidit, si modo imprudentiam et negligentiam non commiserit.

Restitutioni obnoxius est, qui, cum tectum domus suae repararet, et cautelam sive ad praecavendos casus sive ad monendos praetereuntes omisisset, tegula fortuito delapsa, alterius vulnerationis vel necis causa fuit.

2. Qui crimen committit, quod praevidet, vel etiam optat, fore ut alteri imputetur atque gravem poenam attrahat: illi non tenetur istud damnum reparare, nisi vere aliquid fecerit, quod natura sua in alterum suspicionem criminis commisi converteret. Alias enim crimine suo non causa est, sed occasio tantum damni alterius. Si vero positiva fraude in alterum suspicionem convertit, videndum est, num illa fraus prudenter movere poterit, ut alterum pro reo haberent et punirent. Quodsi factum est, excitatio suspicionis fuit causa damni efficax; si alii vero temere alterum condemnaverunt, iterum solam occasionem damni habemus. Fateor autem, aliquando difficillimum esse discernere, utrum occasio tantum damni adsit, an vera et efficax causa. Aliqua exempla subiciam, quae aliquatenus rem declarabunt; alia procedente tractatu occurrent.

1168 A. Titus furatur magnam pecuniae summam; quo melius a se suspicionem avertat, coram ianua Caii aliquot nummos proicit: qui eos inventos retinet et abscondit, atque suspicione et inquisitione facta, propter inventos nummos,



quos dominus laesus pro suis agnovit, tamquam totius furti reus punitur. — Illa nummorum proiectio, *si sola est* (aliter, si accedunt adiuncta), non est sufficiens causa, quod Caio furtum imputetur, neque eorum apud Caium inventio: Titus *occasionem* quidem posuit, ob quam Caius *hoc* damnum incurrerit, non causam; et, si iudices fortasse levius contra Caium sententiam dixerint, hi causa sunt, non Titus; causat vero semper damna suspicionis eiusque non ita levis, proin illa reparationi sunt obnoxia.

B. Lucius, cum audivit, beneficium certum vacare, statim per literas petitor existit. Cneius curiositate ductus intercipit literas, lectas statim iterum expedit, ita ut transmissio nullam moram passa sit; verum cum hoc modo de vacante beneficio certior factus esset, simul cum Lucio petit beneficium et sibi obtinet. — Cneium complures scriptores a damni Lucio illati reparatione excusant, cum ignorantia facti illius publici, i. e. beneficium vacare, fuerit per accidens, atque beneficii consecutio orta sit per se ex iure petendi, quod etiam Cneius habuerit, per accidens ex literis iniuste apertis: *Reuter* III, n. 334, 2. Verum si propter interpositam moram literae non tam cito expeditae essent, atque haec mora causa fuisset, cur Lucius ab altero praeveniretur, Cneius omnino *iniusta causa* illius damni esset, quod Lucius pateretur; proin obligatio restituendi Cneio incumberet.

C. Publius spargit falsum rumorem: quo fit, ut Andreas comparatis sibi certi generis mercibus pro lucro, quod speravit, ingens damnum patiatur. Si Publius rumorem sparsit in iis circumstantiis et cum iis fictis indiciiis, quae rem sane probabilem redderent, ita ut credi prudenter posset et deberet: *causa* iniusta est, cur Andreas damnum incurrerit. Si vero cum illis circumstantiis seu indiciiis narrationem protulit, ut eam credi fuerit temeraria levitas: *occasio* damni fuit, non vera causa; esto, peccaverit graviter contra caritatem, non ita contra iustitiam.

### Caput III.

#### De restitutione bonorum fortunae oriunda ex actione damnificante per connexionem cum alio damno seu peccato.

Quasdam actiones, quae ad titulum hic inscriptum referri possunt,<sup>1169</sup> crisi subiecimus *cap. praeced. § 3*, quaestionem tractantes, quid statuendum sit de eo, qui alterum a bono aliquo consequendo avertat seu impediatur. Complures tamen aliae quaestiones discutiendae restant, quae primo et per se aliud virtutis obiectum laedunt. Insistendo in ordine decalogi potest nimirum damnum in bonis fortunae coniungi cum laesione iustitiae legalis vel oboedientiae legibus debitae (contra *quartum* praecceptum), cum laesione in bonis corporis (contra *quintum* praec.), cum laesione castitatis (fornicatione, adulterio, contra *sextum* praec.), cum laesione famae (contra *octavum* praec.).

Iustitiae legalis laesio, quae damna in bonis fortunae secum trahit, praecipue versatur circa tributa eorumque defraudationem, et circa leges militiam conscriptionemque spectantes.

## § I.

*De tributis eorumque defraudatione.*

1170 I. Publica auctoritas ius habet subditis tributa imponendi, cum id necessarium sit ad onera publica ferenda atque finem societatis publicae attingendum. Quare etiam S. Script. admonet Rom 13, 7: «Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal».

II. Haec tributorum impositio, quamquam ad legalem iustitiam pertinet, ita tamen fieri *potest*, ut subditis certa tributa ex iustitia commutativa solvenda imponantur. Nisi enim id fieri possit, non explicabis potestatem expropriationis, quam publicae auctoritati in casu necessitatis competere nemo ausus est negare. Ut autem titulus iustitiae commutativae re vera liget, oportet limites iustitiae in imponendo et exigendo tributo ne laedantur.

III. Titulus vero iustitiae commutativae non videtur re ipsa vigere, nisi postquam commissarius publicus quotam definiverit singulisque civibus solvendam imposuerit; antea videtur sufficere obligatio iustitiae legalis. Post determinatam vero et impositam quotam ex commutativa iustitia tributa re ipsa postulari ex eo apparet, quod gubernium quodlibet ius sibi attribuit tributa ita exigendi, ut, nisi solvantur, ipsa civium bona pro iis capiantur: — quae agendi ratio ius iustitiae commutativae arguit.

IV. Immo ne semper quidem ex iustitia legali tributa immediate exigantur oportet, ita ut lex immediate obliget ad tributa solvenda; sed fieri potest, ut immediate exigantur lege poenali, mediate obligatione conscientiae, videlicet, ut obligatio adsit conscientiae, nisi solum sit tributum, solvendae poenae longe maioris, postquam aliquis in eludendo tributo comprehensus sit.

V. Si cui possibile fuerit defraudare tributum, postquam eius solutio evaserit obligatio iustitiae commutativae: sane aderit obligatio restitutionis. Sed si quaeritur, cui restitutio fieri debeat, generatim non erit fiscus, qui damnum patiatur, cum ille necessaria certe exacturus sit, sed potius alii cives qui plus solvere debent. Quare restitutio apte fit in causas communis utilitatis vel pietatis. — Si autem pro *certa causa* tributum exigitur, eaque ex diminutione tributi solvendi damnum patitur seu minus iuvatur, huic sane debetur restitutio. Similiter quando ex tributi defraudatione is, qui tributis exigendis praepositus est, damnum patitur, huic certe damnum iniuste causatum resarciendum est.

1171 **Explicatio.** I. *De tributorum iustitia.* Ut tributa iusta fiant, requiritur: 1) ut in eorum impositione distributiva iustitia servetur, seu proportio secundum singulorum subditorum conditionem et facultates fiat; quod non omnino exacte et ad amussim fieri potest, at lato quodam modo; 2) ut exigantur ex causa publicae necessitatis et utilitatis<sup>1</sup>: ad

<sup>1</sup> Cf. S. Alph. III 617; Lugo disp. 36, n. 89 sqq, qui relate ad sua tempora ita dicit:

«Ad hoc (i. e. in dubio de iustitia legis legem praesumi debere iustam) tamen respondetur, praesumptionem pro principe et pro lege magnam quidem esse, quando

quam certe etiam pertinet, ut princeps aliique publicae auctoritatis viri secundum suam conditionem vivant et sumptus facere possint, imprimis autem huc pertinent conservatio tranquillitatis et pacis atque media ad id necessaria, sicut paratio eorum mediorum quae necessaria sunt ad rerum publicarum florescentiam. Quare tributa, quae in comitiis communi suffragio censentur necessaria pro re militari, pro necessaria instructione publica, pro fovenda re agraria et industriali similibusque causis, habenda communiter sunt pro iustis. Non ita ea quae impenduntur ad corrumpendas sanas doctrinas, impiasve fovendas, vel quae ad fines ex se utiles et necessarios expenduntur cum excessu et dissipatione. — In dubio de tributorum iustitia generatim quidem valet axioma: in dubio standum est superioris praecepto; attamen teste S. *Alphonso* eoque probante, magnus scriptorum numerus ex communi doctrina tenet, si sit omnino probabile, tributa esse iniusta, non esse obligationem tributa solvendi, *quatenus* omnino probabiliter iustitiae limites excedant. S. *Alph.* III 617.

Neque hoc contradicit communi axioma, quod in dubio superiori obediendum sit. Nam 1. si iniustitia sit *valde probabilis* seu ita probabilis, ut praesumptio, quae in favorem superioris est pro praecepti iustitia, elidatur: a permultis negatur obligatio oboedientiae in quolibet praecepti genere; 2. si praeceptum in notabile subditi damnum est, etiam facilius probabilis iniustitia subditum a stricta obligatione liberat.

2. *De tributis per leges mere poenales impositis.* Tributa indirecta seu vectigalia ex multorum opinione imponuntur per modum legis poenalis, idque colligunt tum ex mulcta seu poena *exorbitante*, qua, qui in eorum defraudatione deprehenduntur, affici consueverunt, tum ex communi hominum interpretatione et acceptance.

Alii autem, qui contradicunt, id saltem facile fatentur:

1) tributa illa indirecta, quatenus a pauperibus circa res usui necessarias exigantur, merito obiective iniusta censi; 2) immo generatim vectigalia, quatenus ab aliquo ex rebus ad proprium usum destinatis exigantur, ex consuetudine non ita obligare, ut ille teneatur ad res istas sponte declarandas.

Attamen ii, qui sibi eam quasi artem assumunt, ut in defraudandis vectigalibus incumbant, si minus laesae iustitiae commutativae immediate rei sint, saltem propter alia adiuncta a gravi, immo gravissimo peccato vix excusantur, cum 1) ipsi se gravissimo periculo exponant; 2) cum iniuste sese parent ad defensionem etiam cruentam contra custodes ministrosque publicos, qui vectigalibus ad confinia regionum exigendis praepositi sunt.

3. *De tributorum defraudatione, imprimis directorum.* Alia tributa directa ad normam poenalis legis considerari generatim non possunt; sed immediata obligatione conscientiae petuntur ex iustitia legali.

---

tamen non sunt circumstantiae, quae praesumptionem illam magna ex parte extenuent, prout sunt in casu tributorum, in quibus experientia constat, multa tributa de facto iniusta a probis et prudentibus censi. . . . Non est ergo praesumptio illa ita fundata in hoc casu, ut dubium valeat expellere, cum tot gravissimi doctores dicant, pauca esse tributa, in quibus conditiones omnes ad eorum iustitiam necessariae de facto concurrant: quod tamen dictum in universum non probo. — Legi meretur etiam ib. n. 21.

Attamen 1) qui in declarandis bonis suis pretioque aedium aliarumque rerum etiam multum infra rerum valorem haerent, e. g.  $\frac{1}{4}$  vel  $\frac{1}{3}$  infra verum valorem pretium declarandum deprimunt, non statim iniustitiae rei et restitutioni obnoxii sunt; sed praeter alias causas videntum est, num talis pretii indicati depressio communiter etiam ab aliis fieri consueverit. Quod si fit, proportio in solvendis tributis iam servatur; neque fiscus vel princeps necessariis tributis carebit, cum et tanta sint tributa, et quasdam artes a subditis adhiberi ad leges tributarias eludendas, satis sciatur. — Nimia tamen depressione bonorum, quae indicanda sunt, laeditur saltem iustitia legalis.

2) Si quando autem iuramentum exigitur, quo affirmari debeat, omnia rite esse declarata neque quidquam suppressum: valoris infra infimum depressione religio iuramenti graviter laeditur, nisi forte certo constet de tributi iniustitia ac proinde de *illegitima iuramenti exactione*, atque modus respondendi talis eligatur, ut restrictioni non pure mentali sit locus.

1174 3) In tributis quidem indirectis, quando sine iniustitia viam evadendi quaerere licet, non habentur pro iniusta fraude haec: attentionem custodum praeverti; simpliciter interrogatum respondere, se nihil habere declarandum: (neque ipsi custodes in rebus minoris momenti adeo exacte inquirere tenentur, immo recte transmittunt eos, a quibus vectigal exigi valde probabiliter iniustum fuerit, v. g. pauperes).

Est autem iniustitia, sive de indirectis sive de directis tributis agitur:

a) ministros in officio constitutos corrumpere aut inducere, ne fungantur suo munere (nisi forte tributum valde probabiliter iniustum sit, at ne tum quidem licet ministros inducere, ut contra suam conscientiam delinquant);

b) positiva fraude ministros impedire, quominus inquirant de rebus tributo obnoxiiis, causando iacturam temporis atque serio contestando, nihil tributis obnoxium adesse;

c) vel etiam iureiurando id affirmare;

d) a fortiori aerarium ita defraudare, ut aerario praepositus ad damnum subeundum cogatur.

4) Erga eos, quibus certa vectigalia a gubernio locata sunt, non est alia neque maior obligatio solvendi quam erga ipsam rem publicam; quando igitur ille status rerum est, ut erga rem publicam vel fiscum iustitia non laederetur, neque erga eum, cui ius vectigalium cesserunt, iustitia violatur. Nam non est plus iuris translatum, quam quod a republica vel fisco habebatur.

Scholion. Quod autem ministros attinet, qui secundum leges tributa exigunt, tam diu possunt exigendis tributis cooperari, quamdiu de iniustitia tributi iis certo non constat; immo generatim, si iuramento sese adstrinxerunt, ita agere *debent*. Hoc tamen nota moderamen, quod in singularibus circumstantiis, quae tributum in se non iniustum redderent valde probabiliter iniustum, ex rationabili legis interpretatione benignius agere possint.

## § 2.

*De militia atque conscriptione, et de iniustitiis, quarum illa ansam dare possit.*

1175 I. Ad militiam non tenentur vi iustitiae commutativae nisi milites conducti. Quare ab aliis, qui se subducunt, per se solum laeditur



iustitia legalis atque oboedientia legibus debita, si iustae fuerint; potest autem per accidens iustitia commutativa laedi erga alios, qui loco eorum, qui se subdixerunt, assumuntur.

II. Ut aliquis per iustitiam legalem ad militiam sive conscriptionem sequendam teneatur, necesse est, ut lex conscriptionis sit iusta: iusta autem est in genere, si adest necessitas belli iusti atque necessaria ad illud praeparatio.

Contra certos autem iuvenum ordines, si ipsi quoque ad militiam sequendam cogantur, iniustitia eo ipso committitur; eiusmodi sunt clerici et communiter etiam ii, qui familiae alendae prorsus sunt necessarii.

III. Qui igitur iuste ad militiam conscripti postea desertores existunt, per se ad castra redire tenentur ex iustitia legali, immo si libero contractu se locaverunt, ex commutativa iustitia; quibus adde obligationem religionis ex iuramento praestito: attamen per accidens excusari possunt; — quae causae excusantes quousque et quando existant, confessarii est expendere —, scilicet:

- 1) propter gravissimam poenam, qua plecterentur, si redirent;
- 2) si qui in bello iniusto militare cogentur, non solum non tenentur redire, sed potius tenentur aufugere (cf. quae dicta sunt in praec. 5° decal. de bello);
- 3) si in castris aut inter sodales graviori animae periculo exponuntur, quod nequeunt remove, aut si de cura animarum non est provisum, *per se* aufugere licet, vel immo fieri potest, ut propter nimiam fidei et morum pericula aufugiendi obligatio oriatur. Simul tamen considera, num aufugiendo non gravioribus etiam animae periculis, id quod potest accidere, exponantur.

IV. Qui in iis locis, ubi obligationi militiae per alterum militem substitutum satisfieri potest, pretio conducti sunt pro altero, si militiam deserunt atque ita eum, qui eos conduxit, in periculum subeundae militiae coniciunt, ad restitutionem tenentur 1) saltem pretii accepti, si putant se propter conditiones non praevisas posse contractum locationis iuste rescindere; 2) alias ne haec quidem restitutio sufficere videtur, sed eius mensura potius secundum illud damnum determinanda est, quod, qui conduxerat, subire tenetur.

V. Qui autem ad conscriptionem vocati artibus vel fraudibus utuntur, <sup>1176</sup> ut immunes evadant, aliquo modo in causa esse possunt, cur ipsorum loco alii assumantur, qui alias sorte liberi exstitissent. Quaestionem igitur de peccaminositate *in genere* hic plane relinquo, et solam quaestionem *iustitiae commutativae* et — quae inde sequitur — *restitutionis* respicio. Quae cum satis difficilis poenitenti sit: stricti iuris limites accurate perpendendi sunt, ne plus oneris a confessario imponatur, quam plane imponi debeat. In hunc finem pro ultimo casu notanda videntur sequentia:

1. Ad restitutionem non tenentur, si omnes iuvenes apti ad militiam assumuntur, quia ex fraude illa nemo damnum passus est.

2. Neque tenentur ad restitutionem, si lex militiae iniusta est, sive lex in genere iniusta est, sive ob specialem rationem iniusta evadit erga eum, qui arte se subtrahit, nisi forte *contra alterum iuvenem* aliquis mendacium

damnosum fraudemve commisisset atque ita causa foret, cur ille alias immunis remansurus nunc ad militiam assumeretur. — Nam ad id, ut sese subducat, sane ius habet. Si autem ad illum effectum ius habet, alium effectum, a lege vel officialibus alterum assumptum iri, permittit, non causat, nisi ipsius actio contra illum ipsum dirigatur. Ergo peccare potest ratione mediorum, quae adhibet, sed non ratione effectus, quod sese liberat.

3. Neque tenentur ad restitutionem, etsi leges militiae iustae sint, qui arte et fraude, officiales medicosve *decipiendo* etc. liberi evaserunt. Nam in hoc casu applicari debent regulae de eo, qui impedit alterum a consecutione boni: nimirum hic impeditur alter iuvenis a favore, quem per legem atque sortem habuit, obtinendi libertatem a militia. Porro ut propter tale impedimentum positum is, qui posuit, ad restitutionem teneatur, requiritur aut 1) ut alter habuerit immediate ius ad illud bonum seu illum favorem, aut 2) ut ille, qui voluerit illum favorem conferre, invitus a sua voluntate benefica, adeoque iniusto modo, deiectus sit, aut 3) ut iniustus modus immediate contra eum, qui alias favorem istum accepturus erat, adhibitus sit.

Verum *ultima* (3.) hypothesis excluditur in nostro casu. — *Prima hypothesis* non obtinet: nam quomodo unus prae altero ius strictum habet assequendi libertatem ab onere alioqui communi? Quod si contendas, dicere debes, A., qui fraude et deceptione se subtraxit, contra B., qui nunc assumitur ad militiam, etiam tum iniustitiam veri nominis commisisse, si, dissolutis moribus infirmitate contracta, sese militiae ineptum reddidit: at quis unquam id dicere ausus fuerit? Similiter igitur, qui v. g. mutilatione se reddidit ineptum, peccavit quidem, at non peccavit iniustitia erga alterum, neque ad restitutionem tenetur. — Relinquitur ergo *secunda hypothesis* discutienda, voluerintne leges, seu legislator atque officiales unum assumere, alterum non assumere ex eo fine, ut uni prae altero favorem seu beneficium praestarent: quod sine studio partium dici nequit. — Ergo nihil est, ex quo certo evincas, iustitiam commutativam esse laesam ab eo, qui fraudulenter se subduxit.

1177 4. Maior difficultas est, si officiales vel medici *corrumpuntur*; nimirum videntur illi ex iustitia commutativa teneri, ut fungantur suo munere secundum leges, ita ut ii, quorum interest ea servari, vi iustitiae exigere possint fidelem muneris executionem. Fateor, hanc rationem difficulter solvi. Nihilominus fac attendas, non omnino constare eos ex iustitia commutativa teneri, ut secundum leges iis, quibus lex favet, favorem illum concedant, ut supra dictum est de distribuendis beneficiis ecclesiasticis; sed fortasse solum ex iustitia legali et ex iustitia distributiva tenentur id exsequi, quod leges utcumque statuerint, praesertim quando leges non intenderunt uni prae altero titulum iustitiae commutativae conferre. Quare plane consentire etiam eorum opinioni non possum, qui censent, ex eo iustitiam commutativam laedi, quod iuvenes onus omnibus universim impositum contractu aleatorio inter se dividere iubeantur, ut nonnulli eo onere graventur, ceteri vero sint liberi, iuvenes igitur sortem ducentes stipulationes huius contractus ex iustitia stricta servare debere. — Nam id quidem verum est, in ipsa sortitione contra neminem fraudem adhiberi posse sine iniustitia: verum sortitione non omnia sunt peracta. Quid igitur, si quis arte evitaverit, quominus ad sortitionem accederet; quid, si post sortitionem arte et dolo se subducendum curaverit? Cf. *Marres*, De iust. n. 225.

Ceterum quid ego opiner, dixi; quam probabiliter dictum sit, aliis iudicandum relinquo. Cf. n. 1159.

5. Id utique saltem relinquitur, ut sit non solum utcumque grave peccatum, sed plane contra iustitiam commutativam, liberationem unius efficere per mendacium fraudemque, quae directe contra alterum tendat. Quare si tale medium adhibitum esset, de obligatione restitutionis plane constaret.

De damnis a militibus in bello iniuste illatis atque de eorum reparatione vide, quae dicta sunt in praec. 5° n. 1023.

### § 3.

*De restitutione in bonis fortunae, quae ex homicidio vel vulneratione sequitur.*

I. Obligatio restituendi oritur tantum ex homicidio vel vulneratione <sup>1178</sup> iniusta, ergo non conectitur cum defensione cruenta erga iniustum aggressorem, nisi cum gravi culpa moderamen inculpatae tutelae laesum fuerit.

II. Restitutio pro vita, membro, doloribus per se non debetur, quia sunt bona alterius ordinis, quorum in suo ordine restitutio impossibilis est: quamquam iudex mulctam potest imponere. *S. Alph.* III, n. 627 ex communiore sententia.

III. Restitutio igitur versatur circa omnia damna, quae et vulneratus incurrit, et quae per se cum occisione sive vulneratione iniusta pro aliis conexa sunt, atque eo ipso ab occisore in confuso praevidentur. Erga vulneratum consistit: 1) in expensis pro sua cura faciendis; 2) in defectu lucri, quod tempore illo, quo aegrotat, fecisset. *S. Alph.* n. 631.

IV. Debitum restitutionis, quod contractum erat immediate erga eum, qui vulneratus postea ex vulneribus etc. mortuus est, solvendum est *quibuslibet haeredibus* sive necessariis sive liberis, siquidem ius illud iam erat in bonis defuncti, cuius omnia bona et credita ad haeredes transeunt. *S. Alph.* ib.

V. Maior difficultas est in assignanda restitutione eorum bonorum, <sup>1179</sup> quae occisor defuncto immediate nondum debebat, sed quibus alii, qui a defuncto bona consecuturi erant, per occisionem privantur.

Ad quam difficultatem solvendam attende ea, quae ante de impediendo alicuius boni consecutionem dicta sunt. Ex quibus facile erues:

1. Occisor tenetur proxime cognatis vel haeredibus necessariis, quibus occisus providere debebat, ea restituere, quae defunctus probabiliter (i. e. secundum spei aestimationem) lucraturus erat, et quibus per eius praematuram mortem privantur.

Ratio autem huius restitutionis ea est: Licet illi haeredes non habeant ius strictum ad illud emolumentum ab occiso accipiendum, occisor tamen violenter impedivit eum (defunctum), *qui voluit* illis haeredibus istud emolumentum conferre. At impedire vi aut fraude eum, qui vult alteri bonum aliquod conferre, saltem si formaliter ut emolumentum conferre voluit, actio damnosa est, quae inducat obligationem indemnem faciendi eum, qui propterea bono illo caret. Occisum vere voluisse proxime cognatis emolumentum *ut tale* praestare seu bona, quae lucraturus erat, relinquere, omnino sumi debet, nisi contrarium probetur, i. e. nisi occisus iam antea fuerit homo suis inutilis.

Alia ratio reddi potest haec: Familia stricte sumpta est persona moralis et iuridica, quae, si minus bona communia, tamen sua iura habet, eamque violenter dirimere iniustitia est; occisione autem, quam supponimus, violenter dirimitur vel turbatur familia. Ergo contra eam omniaque eius membra suo modo iniustitia commissa est, ac proin erga illa immediate contracta est obligatio reparandi damnum inde exortum, idque secundum probabilem spem.

2. Si vero alia via fortasse perinde provisum est *uxori*, ac si defunctus superstes sit, erga eam minor obligatio erit, maxime ubi illa haeredibus necessariis, ut saepe fit, non adnumeratur. — Idem fere de *parentibus* defuncti saepe dicendum (quando scil. ex necessariis haeredibus non sunt), si illis non minus bene providetur, quam provisum esset a filio occiso.

1180 3. *Aliis* vero haeredibus vel *cognatis*, qui proxime cognati non sunt, neque haeredes necessarii, ita ut obligationem illis providendi defunctus non habuerit, quamquam aliquam fortasse spem habebant haereditatem maiorem postea recipiendi, non ita constat, aliquid titulo restitutionis deberi: nisi forte aliquis eorum a defuncto quasi in familiam susceptus erat et quodammodo pro filio habebatur, cuius curam defunctus agere constituerat.

Nam eorum damnum 1) multo magis incertum est, neque defunctus voluntatem ita determinatam habuit eos ditandi; 2) etiam aliquo modo damnum illud compensatur per id, quod citius adeant haereditatem. Quare plerumque aut non constat de damno, aut illud per accidens cum homicidio coniunctum esse censetur.

4. Communiter etiam deest certum fundamentum restitutionis obligationem urgendi *erga creditores* defuncti, qui fortasse damnum incurrunt.

Nam si haeredibus necessariis ea titulo restitutionis data sunt, quae defunctus probabiliter lucraturus erat, in hac restitutione iam comprehenditur id, quod creditores sperare poterant. Quare aut ex haereditate ita aucta creditoribus satisfit, sicuti satisfactum verisimiliter esset ab ipso defuncto — atque ita damnum efficax creditoribus non infertur, aut, si illis non satisfit, id aliorum fraudi aliisve causis tribui saepe potest, ex homicidio per accidens tantum sequitur (cf. *Less.*, De iust. etc. l. 2, c. 9, n. 151 sqq) et plerumque valde dubium est. Non tamen nego, posse *singularia adiuncta* aliquando existere, in quibus damnum pro creditoribus *per se* ex homicidio secuturum esse praevideatur; quod si fit, praecipue quando intendatur hoc ipsum damnum ab homicida, illis ab homicida videtur indemnitas praestanda esse: non quod ultima ratio huius obligationis sit intentio prava contra creditores concepta, sed quia, nisi haec intentio adsit, vix in concreto praevidetur et attenditur necessarius nexus inter homicidium et damnum creditorum<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Haec quaestio de restitutione erga creditores occisi facienda, si ex homicidio aliquod damnum incurrerunt, adeo implicata est atque tam diversas solutiones a diversis scriptoribus nacta est, ut, si in ulla umquam quaestione, in hac appareat, utrum scriptor aliquis sibi constet necne in afferendis conditionibus et adiunctis, quae requirantur, ut ex actione damnosa obligatio restitutionis exsurgat. Nam quamquam communius negant, intensionem inferendi damnum id efficere, ut adsit obligatio restituendi, quae aliter non



5. Insuper adde: 1) Si moriturus ante mortem *omnia debita* homicidae 1181 remitteret, peccaret, si aut creditores habet, quibus satisfieri non potest, aut proxime cognatos, qui sustentatione indigent. Attamen homicida in tali eventu a) *ex se* quidem non videtur stricte obligari erga haeredes defuncti necessarios aut proxime cognatos, quia illi *immediate* non habent ius ad aliqua bona, saltem non ad ea quae a defuncto nondum possidebantur, sed ius habent *mediante* voluntate defuncti, qui non ex iustitia, sed ex *pietate* illis subvenire debet; quare si eam voluntatem non gerit, ipse pietatem laedit, alter vero ab obligatione liberatur, non secus ac si defunctus, si superstes mansisset, suis noluisset amplius quidquam lucrari aut conferre. Verum tenebitur *ex lege*. Cum enim leges positivae cognatis *ius* concedant ad sustentationem statui congruam a proxime cognato habendam, hanc dandi obligatio iustitiae redundat in homicidam. b) Non obligatur erga creditores; nam, excepta haereditate, quae exstat, eorum ius est *immediate* erga personam defuncti, non erga bona quae nondum possidet. Quare si superstes debitor laborare et bona acquirere recusasset, aut potius si sese impotem reddidisset, etiam nihil accepissent. Paucis, creditores habent ius et actionem in debitorem eiusque res, *quamdiu debitor est seu vivit*, non habent ius, *ut* debitor sit, seu *vivere pergat*. Res autem non adsunt; voluntaria illa condonatione erga homicidam debitor impedivit, quominus bona, quae poterat ante mortem, acquireret: ergo creditoribus ius non remanet, ac proin pro homicida non relinquitur obligatio.

2) Aliquando praesumi potest, haeredes, si divites et nobiles sunt atque aliorum auxilio nullatenus indigent, homicidae restitutionem, quam ipsi debeat, remittere, si eiusmodi indemnitate ab homicida cognito non reclamant. Id tamen a diversis adiunctis et conditionibus pendet.

Quae de homicidio dixi, etiam aliquo modo ad duellum appli- 1182 canda sunt, attamen cum certis limitibus:

adfuisset: in hac quaestione tamen multi declinant ad eam habendam pro ratione, quae distinguat inter obligationem restitutionis et inter immunitatem a restitutione.

*Lugo*, isque sibi constans, dicit, obligationem creditoribus restituendi desumendam esse ex intentione, qua occisor egerit, ipsis creditoribus damnum inferendi; aliter censeri illud damnum per accidens cum homicidio coniunctum (disp. 11, n. 79 sqq et disp. 8, sect. 8): in aliis quoque exemplis hanc intentionem multum urget. *Lessius* l. c. n. 151 et 154 videtur etiam pro obligatione restitutionis stare, si homicida damnum creditorum intenderit; alios vide apud *S. Alph.* III 633 et 634 *Molina* aliique homicidam semper obnoxium esse dicunt restitutioni erga creditores, qui verum damnum subituri sint, cum debita sua, quae aliter potuissent repetere, nunc non possint.

*Sanchez*, Consil. mor. l. 1, c. 4, dub. 4 dicit cum aliis, homicidam, si *praeviderit* damnum creditorum, ad restitutionem erga eos teneri, aliter eum non teneri de illis damnis, utpote non praevisis, et per accidens secutis.

Ut verum fatear, omnino dicendum videtur, aut homicidam semper excusari ab obligatione damni creditoribus reparandi, aut sustinendum esse, quod *Sanchez* dicit, eum debere restituere, si quod damnum pro creditoribus *praeviderit*, i. e. si *sciverit adesse peculiares circumstantias*, quae communiter quidem desunt, at aliquando adesse possunt, ex quibus pateat, huius et huius viri caedem propter adiuncta necessario secum trahere damnum creditorum, quibus debitor nunc nondum satisfacere possit, quibus autem postea, laboribus assumptis, et possit et velit omnino satisfacere. — At practice raro haec obligatio aderit, quia damnum aut non praevidebatur, aut efficax non fuit, siquidem erga haeredes necessarios fieri debuerit illa restitutio, ex qua debitoribus, si alias spem habebant, etiam nunc satisfieri possit et debeat.

1. Ille, qui alterum provocat ita, ut metu infamiae aliorumve damnorum eum *quasi cogat* ad acceptandum, eumque provocatum in duello occidit aut vulneravit, ad restitutionem damnorum in bonis fortunae tenetur non tantum erga vulneratum, sed etiam erga haeredes propinquosque eodem modo, quo secundum superius dicta homicida tenetur.

2. Si vero alter *sponte* et libere duellum acceptat, etsi provocans provocatum occiderit, ille ad restitutionem non tenetur.

3. A fortiori si provocatus provocantem vulneravit aut occidit, restitutionis obligatio nulla est.

Quare falsum est, duellantes numquam teneri ex iustitia ad compensationem superstitibus faciendam. Optime *Lugo* disp. II, n. 66 sqq hanc quaestionem tractat:

«Communiter DD. dicunt, quando duo sese invicem provocant propria sponte, neutrum teneri restituere damna, si adversarium occidat; quia non intervenit propria iniuria propter pactum implicitum, quo singuli permittunt adversario pugnam et occisionem. Quando vero unus solus provocat, et alter non sponte, sed coactus, ne incurrat infamiam, consentit; si provocans occidit, dicunt teneri (eum) ad restitutionem pro damnis, quia per vim et metum iniustum coegit adversarium ad periculum subeundum. In his conveniunt Doctores: *Salonius, Less., Bañez, Molina, Sanchez.*»

Scil. si provocatus invitus consentit, invitus etiam mansit relate ad damnum, quod ii fortasse incursum sint, quos ipse ex pietate alere debeat et quos superstes alere voluit; si autem libere seu sponte consentit, ipse libere periculum subit, quo impos evadat ad implenda officia pietatis, seu abicit voluntatem beneficam, quam erga suos gerere quidem debebat, sed sciens et volens non gerit. At alter, qui illum occidit, solummodo si voluntatem illam beneficam vi vel fraude exstinxit seu detorsit, ad reparandum cognatis damnum tenetur.

#### Appendix de medico eiusque obligationibus.

1183 Ex tacito contractu medicus aegrotos curare debet: cuius officium summi momenti et gravissimae obligationis est, cum bonorum temporalium maximum eius fidei committatur. Quare non solum si ex industria, sed etiam si ex inscitia aut negligentia medicus nocet sive positive sive negative: iniustitiam circa vitam alienam committit.

Et quamquam sicut in omni iniustitia, ita etiam in illius iniusta actione, ut obligatio restituendi damna oriatur, culpa perfecta, in hac re mortalis, requiratur: tamen sciri debet, etiam ex culpabili inscitia et negligentia mortaliter peccari posse.

I. Medicus igitur non potest sine sufficienti scientia aegroti curam suscipere; suscepta autem cura, diligentiam adhibere debet, quae etsi communiter extraordinaria non requiritur, tamen pro morbi conditione et speciali contractu seu promissione aliquando fieri potest ut extraordinaria omnino sit oporteat.

II. Tenetur non multiplicare expensas sine causa per inutiles visitationes et medicamenta: at si conditio quidem aegroti desperata est,

sed cura protracta ad solatium illius multum conducit, media innoxia, alias quidem inutilia, plane inutilia dici nequeunt; quare haec praescribi ex voluntate aegroti rationabiliter supposita, praecipue apud ditiores, possunt, modo cognati de statu aegroti moneantur neque expensae iusto maiores fiant.

III. Pauperes in necessitate constitutos medicus ex caritate gratis curare debet: nisi forte pro eorum cura a civitate salarium detur; quod si fit, plane ex iustitia eorum curam medicus agere debet.

IV. Non potest, relictis mediis securis, incerta adhibere: prioribus deficientibus, innoxia quidem adhibere potest: ea vero, quibuscum periculum gravis nocumenti, praesertim mortis accelerandae, coniunctum est, adhiberi non licet, nisi et desperatum sit alioqui de salute aegroti et insuper eius consensus, sive explicite sive implicite, accesserit.

V. Experimenti causa adhibere remedia cum probabili aegroti periculo, etsi exploratio remedii multum utilis esse possit, graviter prorsus illicitum est, neque ex aegroti consensu licitum potest evadere.

VI. Cum animae salus corporis sanitati infinite praestet, gravis peccati reus est medicus, qui neque per se neque per alios aegrotum de vitae periculo monet, ut tempestive de animae salute, sacramentis recipiendis, atque componendis negotiis cogitare possit.

Nota. 1. *Inde colliges*, graviter peccare medicum his praecipue modis: 1184

1) si sine sufficienti cognitione curam aegroti suscipit;

2) si aecedente casu difficiliore alios peritos consulere renuit vel dissuadet;

3) si inutiliter expensas auget;

4) si aegrotos pauperiores deserit aut negligit;

5) si remedia dubia extra necessitatem adhibet;

6) si mortem hominis desperati accelerat (v. g. ne diutius dolores sentiat), aut falsa commiseratione efficiat, ut sensus ita sopiantur, ut ad sui conscientiam aegrotus redire non possit, sed in tali statu decedat (quando medicus ita agens in bona fide relinqui possit, quando plane ex ea deturbandus sit, vide supra n. 893);

7) si media abortus procurat, sumpti scil. sensu theologico: cf. n. 1008 et 1012;

8) si foetum abortivum aut de vita periclitantem non curat sive absolute sive conditionate baptizandum;

9) si suadet remedia, quae ut inhonesta adhiberi licite nequeunt<sup>1</sup>;

10) si incurius est in monendis aegrotis, ut animae saluti prospiciant.

2. Posse autem medicos in ipso suo officio exercendo animae propriae pericula incurrere, per se patet: quare cautelis et mediis, quae religio subministrat, sese muniant oportet.

<sup>1</sup> In quorum numero collocandus non raro videtur *copiosior usus morphii, cocaini*, similisve medicamenti. Qui nisi necessariis cautelis circumscribatur, periculosissimus fieri potest aegroti. Notum enim est, non paucos homines incuria medici et immoderato morphii usu et quoad corpus et quoad animam plane in exitium ruisse et ruere. Nam qui eius usui indulgent, brevi pessimos effectus ebrietatis eosque longe peiores, quam quos vini ebrietas procreare solet, in se experiuntur: consuetudinem vix superabilem per frequentioresem semper usum morphii sese in verae ebrietatis statum inducendi, alias potu inebriante sensus sopiendi, omnis generis spurcitia sese maculandi mox induunt atque confirmant. Cf. *Copellmann-Bergmann*, *Medicina pastoralis* <sup>15</sup> 49 sqq.

3. Medicus, si pro futuro sese iam obligavit ad curam habendam aegrotorum, statuto salario, tempore morbi contagiosi locum deserere nequit; qui autem liberum plene retinuit exercitium suae artis, quoniam ex sola caritate tenetur, raro *obligatur* cum propriae vitae periculo manere.

4. Ut experimentum alicuius remedii sumatur, hominis vitam seu valetudinem in periculum inducere intrinsecus malum est, cum vere sit actum *dominii* in vitam hominis exercere. Neque licitum id evadere potest ex eo, quod fortasse multi alii salventur post mediū virtutem cognitam; peccatum enim semper est, vitam uni adimere, ut mille salventur. — At si de damno gravi vel irreparabili non agitur, certe etiam experimenti causa aliquid sumere aut in consentiente tentare illicitum erit non magis, quam de propriis viribus citra damni periculum experimentum sumere.

Alias autem experimentum sumatur in bestiis, aut ex curationibus, quae licite peraguntur, simul prudenter experientia colligatur et augeatur.

1185 5. De monitione circa confessionem instituendam leges canonicae latae erant: 1) Concilii Later. IV sub *Innoc. III* an. 1215 districte adeoque sub gravi praecipientis, ne quis medicus infirmorum curam suscipiat, qui confessi non fuerint: quod utique de morbo intelligitur, qui periculosus evadere possit; 2) *S. Pii V* «Supra gregem» 1566 veterem legem confirmantis et simul iniungentis, ut medici iureiurando promittant, se, antequam infirmi curam incipiant, eum de confessione admonituros atque praeceptum se servaturos esse non ultra tres dies aegrotum invisendi, nisi testimonio confessarii scripto constiterit, aegrotum esse confessum.

Verum haec, quae sapientissime constituta erant in salutem christianorum, ne malitia hominum in maiorem ruinam essent, iam diu benigniore interpretatione interpretati erant, ut scil. sufficeret moraliter certum esse de bono statu aegroti, et tandem si monitus nollet confiteri, nihilominus medicus curam porro impendere posset. Ita *Ben. XIV*, *Scavini* tract. I, n. 60r etc.

Immo nostris temporibus in multis regionibus leges illae ecclesiasticae desuetudine ad limites naturalis et divinae legis redactae sunt: ita ut alia obligatio vix supersit, nisi ut aegrotus moneatur, ne periculum subeat decedendi sine reconciliatione cum Deo tempestive peracta atque sine sacramentorum munimine, aut decedendi negotiis temporalibus non compositis.

#### § 4.

*De restitutione in bonis fortunae debita propter fornicationem aut stuprum.*

1186 I. Per se propter corporis laesionem etiam vi factam restitutionis obligatio, utpote impossibilis, non adest: attamen qui vi mulierem oppressit, ob id solum iuste a iudice damnatur, ut iniuriam pecunia redimat; neque iniustum est, si mulier iuri denuntiandi violatoris, nisi oblata sibi pecunia, non renuntiat.

II. Attamen si mulier vi oppressa, aut gravi metu ad consensum dandum permota est, violator *ex se* tenetur reparare omnia damna, 1) quae puella patitur, cum iam bene nubere non possit, 2) quae parentibus oriuntur ex infamia aliisque incommodis, 3) quae incurruntur propter expensas pro prole alenda, educanda, si puella conceperit.

Ad matrimonium cum puella ineundum, nisi promissio facta sit, obligatio per se non adest, si alia via reparatio plena est possibilis. At si



causa ad iudicem ecclesiasticum defertur, violator, etsi puella gravida non evaserit, adigitur ad puellam aut ducendam aut dotandam, per se *pro libitu puellae violatae*. Nihilominus vir repugnans non adeo severe ad matrimonium adigitur. Accuratorem doctrinam de diversis casibus, in quibus electio inter matrimonium et dotationem datur seu puellae seu viro, vide apud canonistas. — Si autem ad iudicem non recurritur, et ex altera parte puella satis bene nubat seu nupserit, non secus, ac si violata non sit, stricto iure violator ratione damni puellae illati, utpote quod non existat, nihil debet.

III. Si puella sponte sua in peccatum consensit, violator tenetur tantum, idque in solidum cum puella, circa prolem forte natam<sup>1</sup>. Attamen parentes puellae possunt nihilominus coram iudice agere ob damna sibi obventura, ut ex onere augendi dotem. Sed ante iudicis sententiam in hoc casu non constat de obligatione alicuius restitutionis parentibus debitaе, siquidem de iniustitia commissa non constat (vide *Lugo c. aliis et S. Alph. III 640*), nisi forte propter iniuriam personalem parentibus inflictam venia petenda seu condonatio requirenda sit. — Ceterum si deflorator crimen suum cum puella commissum evulgans causa est, cur puella eiusve parentes cum infamia bonorum temporalium damnus incurrant, ex iniusta diffamatione ad reparanda damna tenetur. Cf. *Marres, De iust. n. 289*.

IV. Si puella sub matrimonii promissione sive vera sive ficta ad<sup>1187</sup> peccandum inducta est, communissima doctrina tenet, iuvenem obligari ad puellam ducendam, non solum quando gravida evaserit, sed etsi non conceperit: aliter habetur iniusta deceptio, quae solo matrimonio inito reparatur.

Attamen haec obligatio corrui, si causae omnino graves contra matrimonium adsunt: 1) si magna disparitas conditionis seu nobilior conditio iuvenis nota fuit puellae, ita ut promissionem matrimonii pro ficta habere deberet; 2) etsi haec puellae praevis nota non fuit, si tamen existit magna inter eam et iuvenem status proportio: sola vero proportio divitiarum per se non sufficit; 3) si malus exitus matrimonii iure timeri debet, v. g. quia puella nimis levis est etc.; 4) si iuvenis magnas inimicitias magnumque et diuturnum odium parentum et proximorum incursurus sit: at si discordiae leviores fuerint, brevi cessaturae, potius standum est matrimonii obligationi secundum ea, quae dicuntur (vol. II) de sponsalibus, quibus parentes sese opponant.

Verum alia reparatio non iam propterea excluditur, quod matrimonii ineundi obligatio aut facultas desit.

<sup>1</sup> De obligatione circa prolem haec notanda sunt: Ex iure Romano mater tenetur prolem tribus annis alere, i. e. *lactare*, ad alias expensas pater statim tenetur, post tres annos patri soli onus et expensae pro alimentis incumbunt; ex iure Germanico proles manet quidem sub cura matris, sed pater non solum debet ferre expensas puerperii matrisque sustentationis per 6 hebdomadas (§ 1715), sed etiam *omnes* expensas alimentorum pro prole et educationis atque praeparationis ad statum vitae, idque prout convenit conditioni matris (§§ 1707 et 1708) et usque ad aetatem 16 ann., vel ultra, si quando proles se sustentare nondum possit; ex iure Gallico et ubicumque positivae leges nihil constituunt, mater et pater ex aequo obligantur prolis curam gerere, eique necessaria providere.

1188 Sed quid iuvenis facere debet, si puella, per matrimonii promissionem seducta, postea ipsa nubere iuveni nolit? Ad obligationem rite dignoscendam videndum est, *cur* puella nolit, et *quomodo* matrimonii promissio a iuvene facta sit. Si promissio illa potius sub ratione reparandi damni facta est quam ex coniugali amore per se intento, haec promissio virtualiter duplex est 1) reparandi damnum, 2) idque per matrimonium. Quare si tunc puella vel parentes eius nolint matrimonium, restat, ut iuvenis alio modo damnum reparat. Si vero promissio principaliter ad ipsum matrimonium referebatur: iuvenis ad nihil aliud tenetur, quando aut puella aut eius parentes — *sine gravi causa tunc demum detecta* — matrimonio contradicunt; si eiusmodi gravis causa *adest*, nihilominus tenetur alio modo damnum reparare, quantum potest. Habetur vero gravissima causa nolendi matrimonium, 1) si parentes propter ignobilitatem iuvenis et conditionis disparitatem, aut propter eius pravos mores, quorum antea notitiam non habebant, contradicant; 2) si, quaecumque est voluntas parentum, puella ipsa causam gravem antea incognitam in iuvene detegit, quae sibi matrimonium nimis grave reddat. Cf. *S. Alph.* III 647 lim. V.

V. Si puella plures viros admiserit, ac propterea dubium oritur, quinam sit pater prolis, nemo videtur obligari posse, nisi iudex iuxta leges obligaverit; sed puella sibi damnum adscribere debet. Aliud est, si a pluribus viris vis inferatur, aut si de muliere matrimonio iuncta agitur. Cf. supra n. 1165 et infra n. 1190.

### § 5.

#### *De restitutione in bonis fortunae debita propter adulterium.*

1189 In praesenti quaestione ad ea, quae de fornicatione dicta sunt, nos restringere possemus, nisi aliud magnum damnum considerandum esset, quod per adulterium infertur, damnum dico, quod maritus adulterae mulieris pati potest per suppositionem prolis adulterinae pro legitima, et damnum, quod filii in haereditate incurrunt ex adulterinae prolis consortio<sup>1</sup>. Quando igitur constat, prolem esse *adulterinam*, nota:

I. Qui iniuste extorsit adulterium a muliere (sive violenta oppressione, sive metu incusso etc.), tenetur solus de omnibus damnis, quae uxori, marito, legitimis filiis oriuntur.

II. Si mulier libere in adulterium consensit, uterque adulter *in solidum* restitutioni obnoxius est relate ad damna, quae marito legitimisque filiis oriuntur; per se quisque pro dimidia parte damnorum obligatur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Adulteri tenentur de damnis, quae *per se* ex suppositione adulterinae prolis oriuntur seu connexionem per se cum ea habent, e. g. de diminutione paternae haereditatis, vel alterius haereditatis *ex lege* legitimis filiis *debitae*. Si quis vero consanguineus remotioris gradus proli adulterinae, quam pro legitima habet, ex mera liberalitate donum vel legatum concedit, quod, nisi ita errasset, fortasse alteri donasset: restituito illi tertio ab adulteris non debetur, quia eiusmodi damnum potius *per accidens* cum adulterio coniungitur. Cf. *Lugo* disp. 13, n. 37. Quamquam ipsa proles adulterina, si *certo* suum ortum sciret, dona illa, utpote ex errore facta, recipere vel retinere non posset.

<sup>2</sup> In casu valde raro vir adulter, excepta obligatione circa prolis procreatae educationem, ab ulteriore restitutionis obligatione excusari potest. Si enim adulter nullo modo

III. Mulier adultera restitutionem facere debet ex bonis paraphernalibus, si quae habet, aut ex dote sua post mariti mortem; si nihil proprii habet, maiore labore et industria studeat viro suo damnum reparare, quantum potest, atque etiam alia via pro possibilitate damno filiis legitimis impendenti occurrat.

At vix umquam ad sui criminis revelationem propriamque subeundam infamiam tenetur; immo plerumque propter pessimos effectus sic ne licet quidem agere. Speculative quidem ad id teneatur, si ex una parte eius fama non tanta sit, et ex altera parte damnum magnum impendeat. At practice etiamtum *plerumque* excusatur, quia nemo, ne proles quidem illegitima, solius matris testimonio credere tenetur. (*S. Alph.* III 654; *Lugo* disp. 13, n. 62.) Relinquitur ergo obligatio, quando alia indicia probantia adsunt. Quibus in adiunctis non iam proprie de infamia et criminis notitia agitur, quippe quae iam aliunde satis habeatur, sed de confessione ad crimen *comprobandum*.

IV. Quando *plures* adulteri ad mulierem accesserunt circa idem<sup>1190</sup> tempus generationi aptum, et proles, *certo adulterina*, cuiusnam sit, nescitur: si qui communi consilio egerint, vel tantummodo sciverint sive graviter suspicati fuerint, iam alios esse admissos, puto eos teneri *omnes pro rata* dubii ad damna marito filiisve legitimis oritura reparanda. Nam omnes posuerunt causam, quae *ex se* apta est aut ad prolem certi patris procreandam, aut ad efficiendam incertam et dubiam paternitatem, ideoque ad efficiendam incertitudinem circa eum, a quo damni certi reparationem integram maritus aliique damnificati repetere possint. At *hanc ipsam incertitudinem* efficere, actio iniusta et damnosa est. Ergo ex hac iniustitia, cuius effectum ex ipsa sua actione oriri posse cognoverunt, ad damnum reparandum tenentur: attamen cum eadem iniustitia, perinde ac si de certo auctore constet, non sit, quilibet pro rata tantum damna oritura reparare debet, in solidum non tenetur. Cf. *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 337 cum *Illsung*; *Lugo*, De iust. disp. 13, n. 19—25.

Nota: 1. Haec computatio ita videtur facienda esse, ut mulier adultera pro dimidia parte damnorum restituere debeat, altera dimidia pars in singulos adulteros dividenda sit: nisi propter mulieris impotentiam eius quoque pars distribui debeat in viros complices.

2. Si vero adulteri aliorum adulterorum admissionem ignoraverunt, mulier pro causa illius incertitudinis effectae haberi debet; neque in hoc casu constat viros adulteros vel posuisse causam damni efficacem, vel posuisse scientes. Quare probabile esse censeo, illos adulteros non posse per se, seclusa lege positiva, cogi ad faciendam compensationem. Cf. *S. Alph.* III 658, cuius sententia fortasse etiam paullo magis poenitenti favet.

---

inducit mulierem ad prolem adulterinam pro legitimo supponendam, atque mulier adultera citra infamiae periculum *facile* hanc suppositionem evitare potuit, ipsa sola huius suppositionis ideoque damnorum sequendorum rea est. At quia generatim mulier moraliter loquendo non potest prolem non supponere, seu alio mittere, propterea etiam adulter in solidum omnium damnorum reparandorum est debitor. *S. Alph.* l. c. n. 659. Fere idem placet etiam cl. *Marrès* n. 305.

3. Si plures adulteri mulierem ad peccatum coegerunt, dubium nullum de eorum obligatione existere potest, qua tenentur, iique soli atque singuli, pro rata omnia damna reparare, etiamsi ignoraverint, esse criminis socios.

4. Positivae leges civiles aliquando maiorem obligationem singulis adulteris vel fornicariis imponunt: — quod eliminavit ius Germanicum § 1717. Tali iuri onerive ultra naturalem legem extenso post iudicis sententiam standum est. Quare si unus ex illis totum damnum reparare debuit, compensationem non potest habere ab ullo nisi ab aliis adulteris seu damnificatoribus pro *eorum* parte. Cf. *Pruner*, *Lehre vom Recht* etc. II, § 61.

1191 V. Fornicarios aut adulteros, qui prolem ex peccato conceptam ad brephotrophium mittunt, ex iustitia ad compensandas expensas teneri, non semper constat. Convenit autem omnino, ut quandam compensationem faciant; quae pro sacramentali poenitentia aliquando, modo cum prudentia fiat, potest imponi. Ratio, cur de iustitiae strictae obligatione non constet, est quia, si fundatae domus sunt, fundatores intendebant bono infantium providere, quos a parentibus ad evitandam infamiam aliter facile gravissimo periculo expositum iri merito putabant. Illud periculum vero a parentibus divitibus non minus quam a pauperibus impendere, per se clarum est. Cf. *S. Alph.* III 656; *Gury* I, n. 734. Sed qui, pia eiusmodi institutione non existente, civitatis expensis communibus prolem suam alendam curaverint, expensas restituere debent; sicut etiam quicumque, postea ut parentes agniti, a iudice ad ferendas expensas condemnati fuerint.

Hic locus esset dicendi etiam de restitutione bonorum fortunae propter laesam famam vel honorem; verum eam explicationem differo usque ad tractandum octavum decalogi praeceptum.

#### Caput IV.

#### De restitutione propter actiones secundarie seu per cooperationem damnificantes.

1192 Quae hucusque dicta sunt, actionem damnificantem in se respiciunt et ipsum potissimum agentem, quatenus aut solus aut principaliter egit. Quoniam vero unius eiusdemque damni non una causa, sed plures exsistere possunt, quae aut ab invicem independentes sunt, aut dependentes idque variis modis, singillatim diversas causas cooperantes pertractare convenit, ut videatur, quae et quanta restitutionis obligatio singulis incumbat:

Diversae autem cooperationes hoc trito versiculo continentur:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Tres posteriores communi nomine *negativa cooperatio* dicuntur, ceterae *positiva*. Pauca de singulis.



## § 1.

*Iussio et mandatum.*

Uterque modus cooperandi, et per *iussionem* et per *mandatum*, hic coniungitur, quamquam, si presse sumuntur mandatum et iussio, non leve discrimen invenitur.

I. Conveniunt mandatum et iussio in eo, quod et iubens et mandans *principalis* auctor eorum sit, quae mandato sive iussione fiunt, siquidem exsecutor nomine alieno, i. e. mandantis vel iubentis, agat. In hoc autem differt mandatum a iussione, quod iubens *auctoritate sua adigat* exsecutorem, mandans vero *libera conventione alteri* actionem aliquam exercendam *committat*.

Nostrum igitur est considerare, quid iuris sit, si quis iussione vel mandato in damnum inferendum influxerit.

I. Sive iubens sive mandans tenetur principaliter damna omnia reparare, quae alter vi sui mandati vel iussionis tertio intulit. Exsecutor enim quoddam instrumentum iubentis seu mandantis est; hic primarius auctor totius damni habetur.

II. Etiam ea damna a iubente seu mandante reparanda sunt, quae in mandati executione difficulter caveri poterant, quia haec damna cum ipsa iussione ita cohaerent, ut, humano modo re considerata, ex iussione seu mandato orta et praevisa sint.

III. Si vero exsecutor in iis, quae facile omittere vel cavere poterat, limites mandati transgreditur vel errat, de illo excessu vel errore iubens seu mandans non tenetur: quia in his exsecutor proprio nomine agit, neque mandans horum damnorum causa, sed summum *ocasio* est.

IV. Si quae damna ipse exsecutor patitur, mandans mandatario damna reparare non tenetur, nisi forte de hoc contraxerunt; iubens vero illi, quem ad executionem *coegit*, damna omnia reparare debet, quae exsecutor intra limites iussionis manens contraxit, si modo aliqua ratione praevideri potuerunt.

Explicationis causa nota: 1. Quamquam mandatarius et mandatum 1193 proprie dicitur de gratuita susceptione actionis nomine alterius exercendae: tamen relate ad damni reparationem eadem prorsus dicenda sunt etiam de eo, qui mercede promissa vel soluta alterum *conducit*, ut suo (mandantis) nomine damnum inferat.

2. Si quis vero precibus alterum inducit, ut tertio cuidam damnum inferat, modo pro mandante, modo pro consulente habendus est. Nam si ille, qui rogatur, suo proprio nomine agit, rogans pro consulente habetur seu pro auctore secundario; si rogatus nomine rogantis se acturum esse ostendit, rogans pro mandante seu principali auctore habendus est. Ad quod discernendum aliquando confert attendere, utrum actio proposita in utilitatem rogantis tendat, annon. Si tendit, praesumptio est, eam etiam nomine rogantis actam esse: quod practice relate ad ordinem restitutionis per se teneto.

3. Contingere potest, ut mandans ante mandati executionem illud retractet. Quod si contingit, de restitutione haec observa:

1) Si retractatio re ipsa ad mandatarium satis mature pervenerit, mandans ab obligatione liber evadit; nam si mandatarius nihilominus damnum infert, non ut mandatarius amplius agere potest, sed suo nomine suoque periculo.

2) Idem dicito, si mandatarius acceptas literas, quas suspicabatur retractationem continere, ex industria clausas servavit, ut, quod lubens voluit, damnum impune inferret. Haec enim agendi ratio fraudulenta erat; quapropter omnes effectus huius fraudis ipsi mandatario imputandi sunt, quorum principalis est ipsa damnificatio *re* illata.

3) Si autem retractatio sive casu sive aliena culpa ad mandatarium re ipsa non pervenerit, quaecumque tandem facta est a mandante retractatio, ipse mandans nullatenus a damno reparando liberatur: mandatum enim semel datum pergit esse moralis causa, donec mandatarius retractationem cognoverit. Utrum autem mandans recursum habeat ad eum, qui fortasse sua culpa retractationem impediverit seu retardaverit, ex culpa ab eo commissae conditione pendet.

## § 2.

### *Consilium.*

1194 1. Consilium in eo convenit cum iussione, quod alterum ad agendum impellat, sed in eo discrepat, quod consulens non sicut mandans aut iubens principaliter agens sit, siquidem actio non consulentis nomine exercetur, etsi pro diversa consilii conditione principalis causa aliquando dici possit.

2. Consilium distinguitur *nudum* vel *vestitum*. Posterius habetur, si cum consilio seu suasionem etiam motiva aliave media agendi subministrantur; nudum, si nihil horum adiungitur.

3. Consilium nocivum, de quo solo hic agimus, potest iniuste nocivum esse 1) ei, *cui* datur; 2) alteri, *contra* quem datur.

Quibus praenotatis, haec de restitutione statuenda sunt:

I. Consulens peccat contra iustitiam, quando sciens et volens alicui consilium praebet, ex quo damnum iniustum cuipiam oritur, ideoque ad illud damnum reparandum tenetur aut primarie aut secundarie pro diversa consilii conditione.

II. Imprimis igitur videndum est, contra quem iniustitia fuerit commissa. Si iniustitia, ut fraus et deceptio, commissa est contra eum, cui datum est consilium, consiliarius tenetur primarie ad reparanda damna, tum quae decepto orta sunt, tum ea, quae ille fortasse aliis vi istius consilii, ideoque involuntarie, intulit. — Si vero, qui consilium accepit, sciens et volens *iniquum* consilium secutus est atque ita tertio cuipiam damnum intulit, consulens tantum secundarie tenetur.

III. Consilium efficaciter damnosum non censetur esse, quod datur ei, qui iam omnino determinatus est ad damnum illud inferendum, neque propter consilium acceptum ad maius damnum inferendum movetur.

IV. Consilium damnosum qui dedit, ex iustitia tenetur revocare, ut damnum, antequam oriatur, impediatur aut damni progressum sistat: quod etiam tunc faciendum est, quando aliquis bona fide consilium

nocivum dederit, si modo, cognita veritate, revocatio cum incommodo relative magno non coniungatur.

Revocatio sufficiens, si fit, a reparatione damni postea secuturi consiliarium liberat; quanam autem revocatio re ipsa sufficiat, ex diversa consilii dati conditione pendet.

**Explicatio.** I. *De efficaci influxu iniusto* particularia exempla:

1195

1. Si quis alterius consilio deceptus vel in errorem inductus est, videri debet, num ille error vere consulenti tamquam causae adscribi debeat: aliquando enim contingere potest, ut censenda sit mera occasio, et ut ipse, qui consilium petiit, sua imprudentia, levitate sibi damnum causaverit.

Sic, qui petit consilium in aliquo negotio ab eo, quem scit vel scire debet, nulla cognitione vel prudentia in ea re pollere, sibi adscribere debet, si illius consilio confisus damnum patitur.

Qui autem consilium petit ab eo, qui ex officio suo rei peritiam habere debet, iniuste damnum patitur ab eo, a quo pravo consilio in errorem inductus est, atque propterea iuste ab eo quaerit damni reparationem; idem dic de illo, qui non ex officio quidem consilium dedit, attamen scientiam in ea re affectavit.

2. Quid circa restitutionem dicendum est de eo, qui *solum modum* aut circumstantiam iniustae actionis suasit?

R. Videndum est, utrum modus circumstantiave in damni substantiam eiusve augmentum influxerit, necne. Quatenus influxit, eatenus consulens etiam restitutioni obnoxius fit; aliter non. Si autem dubius manet influxus, ita ut iudicari debeat, alterum etiam sine consilio dato perinde damnum illaturum fuisse, obligatio restitutionis contra consulentem non est urgenda, maxime cum nihilominus in ipso damnificante tota restitutionis obligatio maneat, ex qua dominus laesus indemnus fiat. Vide *S. Alph.* III 562.

3. Si *plures suadent*, aut alter confirmat mentem iniquam ex alterius consilio nondum firmiter conceptam: quid dicendum de restitutione?

R. Si ex motivis propositis, etiam ex novis, damnificator efficaciter movetur, omnes consulentes tenentur.

4. Quid, si *minus malum alteri suadetur*?

1196

R. 1. Si haec suasio non dirigitur contra certum hominem, quem damnificator antea non cogitavit: suasio minoris mali prae maiore inferendi, aut etiam pro circumstantiis suasio aequalis mali, neque iniusta neque illicita per se est. Quare obligationem reparandi damnum non contrahit:

a) qui suadet minus malum eidem personae inferendum;

b) qui suadet, ut damnum in bonis fortunae potius divitibus (in genere) inferatur quam homini pauperi;

c) qui suadet, ut potius huic personae parcatur quam alteri determinatae, quando damnificator contra utramque sub disiunctione consilium inferendi damnum iam concepit *neque malum ex circumstantia personae augetur, sed potius diminuitur*. Videlicet, qui hoc suadet, potest eius defendendi causa, qui sibi magis amicus est, damnificatoris mentem ab eo avertere. Confer hac de re *Lugo* disp. 19, n. 54: quare in assumpta hypothesis, quando fur deliberat de furto aut in Petrum aut in Paulum committendo, videtur licere, si Petri amicus dicat: «*Parce saltem Petro, qui mihi prae Paulo amicus est*», quod, nisi Paulo gravius sit damnum ferre, nemo dixerit illicitum esse: nam damnum Pauli ita a me permittitur potius, quam causatur. Cf. n. 799.

R. 2. Si suasio illa voluntatem seu mentem damnificatoris dirigit in certam personam, contra quam antea voluntatem damnificandi non conceperat, id illicitum atque contra iustitiam est, etiamsi de maiore malo ab altero avertendo agitur, nisi malum illud maius adeo superioris ordinis sit, ut pro eo a me vel ab amico avertendo aliena bona invadere vel surripere possim utpote in extrema necessitate constitutus.

Quamquam *Vasquez* et *Lambur.*, In decal. l. 5, c. 1, § 4, n. 6—14 et n. 64 plus concedunt in suadendo minore malo prae maiore, tamen, quae in R. 2 dixi, saltem cum sententia multum communiore et *S. Alph.* III 565 tenenda sunt. Nam ut, quae modo licita esse negavi, citra iniustitiam fieri possent, deberet constare, licite alicui damnum a me inferri posse aut 1. ut alterius peccatum impedirem vel diminuerem, aut 2. ut ab altero damnum gravius averterem. At neutra causa per se sufficit, ut alicui damnum inferre licite possim. Non prior; alioquin enim mihi liceret a divite pecuniam auferre, si alterum, pecunia oblata, a blasphemia compescere possem, quod nemo dixerit. Non posterior causa; nam, quod non licet ad avertendum damnum proprium, neque licet ad avertendum damnum alterius, quare cum positiva damnificatione non possum alterius damnum vel necessitatem auferre, nisi sit necessitas quasi-extrema secundum regulas supra de illa traditas.

1197 II. *De revocatione necessaria.* Attendi debet, quam revocationem consulens facere teneatur, ut a damno, quod post revocationem sequitur, reparando immunis evadat.

R. 1. Si fuit consilium *simplex*, simplex revocatio sufficit.

R. 2. Si fuit consilium *erroneum*, error et veritas detegi debet.

R. 3. Si fuit consilium *vestitum motivis*, motiva quae aequè graviter dissuadent, ac suaserant priora, proponi debent. *S. Alph.* III 559 pro satis probabili habet, consulentem ex iustitia non amplius teneri ad damna reparanda, quae alter, spreta dissuasionem, intulerit, si *motiva aeterna* sive supernaturalia proposita fuerint ad dissuadendum peccatum. (Contrarium tamen *Lugo*, *De iust. et iure disp.* 19, n. 37—42; *Vogler* n. 297 alique sustinent eo, quod influxus prior, quo prava motiva subministrans consiliarius alterum exstimulaverat, non sit extinctus, quando ille aeternas veritates iam nolit advertere: id quod verius esse puto.)

1198 R. 4. Si vero consulens *modum et media subministravit*, quo alter consilium exsequatur, retractatio consilii nullatenus sufficit, sed hisce mediis modisve indicatis *obstaculum efficax* opponi debet; alioqui consulens secundarie ad reparandum damnum tenetur, quod alter, revocatione sprete, nihilominus infert.

Quare in posteriore hac hypothesis et in altera hypothesis, quando revocatio omnis facta est impossibilis, consulens *ex iustitia* tenetur eum, cui damnum impendet, monere, si hoc modo tantum efficax damni impedimentum poni potest: *S. Alph.* l. c. Attamen, si solum damnum inferioris ordinis (ut in bonis fortunae) impendet, consulens non *absolute* ad hanc monitionem faciendam tenetur; si enim sibi ex ea maius damnum timet, potest damni secuti restitutionem potius eligere quam illius impeditionem.

In prioribus autem casibus (saltem in R. 1 et 2), quando retractatio quidem facta est, ea autem damnificatorem non movit, ut consilium conceptum deponeret, consulens non iam ex iustitia, sed *ex caritate* tenetur ad eum monendum, cui damnum impendet: non ex iustitia, quia ex sua parte consilium datum efficaciter retraxit; ex caritate tamen tenetur, quia consilium iniquum semel datum saltem occasio est, cur damnum, quod, alias non



futurum, nunc immineat. Antequam vero hanc denuntiationem faciat, damnificatorem, si potest, monere debet, atque dicere, se illam denuntiationem facturum esse, ut his minis eum ab iniquo proposito deterreat.

## § 3.

*Consensus.*

Consensus ille hic intelligitur, qui habetur, quando plures communi suffragio aliquid decernunt, faciunt, quod alteri seu aliis iniustum damnum infert. Hinc iam patet, si unus aliquis ex iis, qui communi suffragio damnum intulerunt, toti damno reparando obnoxius dicitur, id non ita intelligi, quasi ipse solus absolute damnum totum subire debeat, sed tantum dicitur ei etiam incumbere curam, dominum laesum prorsus indemnem faciendi, sive per se solum sive simul cum aliis.

Considerandam habemus imprimis obligationem singulorum suffragantium in ordine seu relatione ad obligationem illam, quae ex actione totali omnium suffragantium oritur. Quare non intendimus definire, utrum simpliciter primaria an secundaria obligatio restituendi adsit. Id enim definiendum est ex conditione *actionis totalis*, quae ex compluribus illis suffragantibus oritur: haec ipsa modo principalis damnorum causa, modo secundaria est.

Cooperandi modus, de quo loquimur, praecipue habere potest locum in sententia iudiciali iniusta, in comitiis publicis, quando leges et decreta iniusta atque nociva decernuntur.

In genere igitur statuendum est:

I. Qui complent numerum necessarium suffragantium, semper restitutioni obnoxii sunt.

II. Etiam qui excedunt numerum necessarium, restitutioni obnoxii sunt: 1) si ex conspiratione agitur; 2) si omnes simul suffragium ferunt, ita ut nullus sit suffragantium ordo, nulla successio, quod evenire *potest*, e. g. si stando, sedendo etc. simul signum consensus datur; 3) si numerus *excessivus est, qui determinet alios* cooperatores, ut actionem damnosam compleant et efficacem reddant, aut, ne sua suffragia retractent; 4) si ii, qui accedunt ad numerum iam completum, causa sunt cur alii, qui *iniuste* afuerunt, se a restitutione immunes iudicare possint: quod si accidit, singuli eorum, qui ita in causa sunt, *pro rata* restitutioni obnoxii evadunt.

Nisi autem harum circumstantiarum una alterave adfuerit, illi, qui post completum numerum necessarium accedunt, probabiliter a restitutione excusantur: *S. Alph.* III 566. — Si vero dubium est, num numerus iam fuerit completus, tenetur, qui accessit, *saltem pro rata*: *S. Alph.* ib.

III. Obligatio restitutionis ex suffragio dato oriunda videtur extinguui, si, antequam actio damnosa legaliter perfecta fuerit, suffragium revocatur ita, ut alii etiam revocare atque damnum efficaciter impedire *potuerint*.

IV. Qui non-dando suffragium causa iniusti damni fuit, tenetur (quamquam post eos, qui positiva causa sunt) ad damnum reparandum,

quando ex officio obligabatur ad damnum, de quo agitur, praecavendum. Quare *non tenetur*, 1) qui ex iusta causa absens erat, 2) cui ex mero privilegio et favore suffragium competit, 3) qui utcumque non ex iustitia obligabatur ad damnum illud avertendum, etsi absentia contra caritatem fortasse deliquerit.

1201 Quodsi ea, quae dixi, ad comitia publica applicantur, haec notatu digna videntur, quando agitur de lege damnosa ex iustitia impedienda:

1. Praecipue consideranda est suffragatio in ultima et decisiva legis deliberatione, quae communiter tertia vice fit.

2. Quae praecesserunt, eatenus tantum consideranda sunt, quatenus fortasse suasionem, *consilium efficax* contineant.

3. Numerus excessivus aliquando causa esse potest, cur iniqua lex feratur. Quod accidere potest, si superiora comitia ex *magno* numero suffragantium, qui fuerint in comitiis inferioribus, ad suum consensum moventur, aut si gubernium legi non favet, at magno numero in comitiis pro eo suffragante quodammodo cogitur aut permovetur, ut ex sua parte etiam ad legem illam accedat. At in hisce casibus influxus, qui ab illis suffragantibus exercetur, iam alius ordinis est, videlicet ad consilium aut coactionem revocatur.

4. Per modum conspirationis agitur, si in conventibus separatis ii, qui ad easdem partes pertinent, seu eiusdem «fractionis» — ut vocant — sunt, inter se de hoc aut illo suffragio ferendo conveniunt; — attamen antequam suffragium vere a singulis feratur, talis conspiratio potius rationem *consilii* habet relate ad executionem, quae fit ipso suffragio lato. Quare, qui solum in conventu fractionis consenserit, in comitiis ipsis vero inter efficaciter suffragantes non est, is non eodem ordine, sed plerumque post hos ad restitutionem tenetur.

5. Exemplum accipe, in quo tum qui absentes suffragium non tulerunt, tum qui praesentes supra numerum necessarium inique tulerunt, ad restitutionem teneantur. Sume ex 400 deputatis 300 tantum in comitiis adfuisse. Ex 100 absentibus 60 legitime sint impediti; 40 ignavia domi manserunt, ne contra desideria gubernii suffragia darent. Ex praesentibus 151 pro lege iniqua sunt; 119 aperte se contra legem esse fatentur; 30 per se ausi non essent, pro lege proposita stare, sed restitissent, at cum videant, resistantiam inutilem esse, quo melius speciem prae se ferant gubernio faventium, nunc etiam accedunt ad vota maioritatis. Quadraginta illi absentes causa quidem sunt, cur lex iniqua maiorem numerum suffragiorum consecuta est, atque etiam magis causa efficax sunt quam triginta illi, qui, causa iam desperata, ad maioritatem accesserunt. Nihilominus hi triginta communiter in adiunctis narratis causa sunt, cur absentes illi putaturi sint, se absentia sua nihil efficaciter nocuisse, seque a restitutionis obligatione immunes esse: nam numerum 181 non poterant superare, etsi 40 ad 119 accessissent. Quare tunc, antequam vera rerum conditio 40 illis viris absentibus nota fuerit et probata, 30, qui ad maioritatem accesserunt, *potiore* obligatione restitutionis procurandae constricti manent.

#### § 4.

#### *Palpo.*

1202 Palpo dicitur, qui laudando, vituperando, exprobrando alterum exstimulat ad damnum inferendum. Quare:

1. Qui ita agit, *consulenti* aequiparandus est quoad restitutionem.

2. Eiusmodi vero excitatio non tantum fit, quando aliquis expresse et directe verbis et consilio utitur; sed etiam indirecte fieri potest, e. g. quando aliquis alteri iniuriam ipsi illatam ut atrocem in mentem revocat, vel adeo vivide repraesentat, ut alter ad vindictam sumendam inflammetur: modo, qui ita egit, satis adverterit, probabiliter hunc effectum ex sua excitatione oriturum esse.

3. Qui vero post damnum perpetratum id approbat, laudat, per se restitutioni faciendae obnoxius non fit; attamen obnoxius fieri potest, quatenus haec approbatio aut ad nova damna alterum commovet, aut ad damnum illatum non resarciendum efficaciter determinat.

4. In dubio de influxu efficaci observa ea, quae de consulente dicta sunt n. 1195.

### § 5.

#### *Recursus, sive de receptante scu recursum praebente.*

1. Receptans ille dicitur, qui latroni vel furi refugium praebet, quo securus evadat contra insequentes et tuto bona furtiva deponere possit.<sup>1203</sup>

2. Eatenus igitur receptans obligationis restituendi particeps fit, quatenus causa est, 1) cur bona sublata non restituantur, 2) cur fures vel damnificatores, securitate oblata freti, animentur ad damna inferenda. — Si autem receptans etiam rei furtivae partem accipit, simul sub alio titulo restituere debet.

3. Receptatores sunt, qui se promptos ostendunt ad emendas res a filiis familias, famulis, aliisve hominibus, qui ex variis circumstantiis suspectae fidei censi debent; quare non tantum earum rerum, quas receperunt, restitutionem facere debent, sed etiam aliorum damnorum reparandorum secundarie obligationem habent, ad quae inferenda furis animum auxerunt.

4. Receptatores non sunt, qui amicitiae aut cognationis causa reum occultant et protegunt, ne a ministris iustitiae comprehendatur et poenas luat, *quando de eo capiendo agitur*; si qua vero damnificatio ex hoc sequitur, quatenus videlicet reus fortasse omittat resarcire, ad quod faciendum captus cogeretur, id per accidens est relate ad eos, qui volunt solummodo conservationem et protectionem boni altioris ordinis: vitae, famae, libertatis rei. Attamen qui ita furem protegit, ne omittat hortari furem, ut damnum illatum domino reparat.

5. Receptanti a fortiori equiparandus est, qui furi in ipso furto securitatem praestat, observando et monendo, si forte alii advenerint, qui delictum animadvertant et impedituri sint.

### § 6.

#### *Participatio.*

Cooperationes, quas in praecedentibus §§ consideravimus, relate ad illius actionem, cui opera praestetur, mediata causa damni sunt, i. e. per influxum *moralem*. Participans vero qui dicitur, relate ad illius actionem, cuius est participans, simul cum illa actione aequae immediate influit. Sed, cum illa ipsa actio, cuius alter particeps est, diverso modo in alienum damnum influere possit, etiam participans non uno

eodemque modo damni causa est. Participatio haec immediata potest versari circa ipsam actionem damnum inferentem, aut circa rei alienae detentionem.

1. Participans in re aliena detinenda seu in praeda tenetur restituere, idque principaliter ipsam rem, quam detinet.

2. Participans in actione damnificante tenetur saltem restituere damnum pro rata suae actionis idque principaliter, si proxime et immediate agit; si vero ut moralis causa in totum damnum influit, reliquum damnum etiam saltem secundarie restituere debet.

3. At si ex mandato, iussione, coactione alterius egit, aut actionem physice, sed remote tantum cum damno tertii coniunctam posuit, ne suam quidem partem damni *primarie* resarcire debet: immo aliquando ab omni restituendi obligatione excusatur, scil. si tam gravis est metus, quem patitur, ut secundum principia de cooperatione mediata vel immediata illa participatio in damnum tertii licita evadat.

1205 4. Ut autem haec cooperatio licita sit, haec servari debent:

1) Immediate in nece alterius cooperari numquam licet<sup>1</sup>.

2) Immediate in alterius vulnerationem, mutilationem influere nemini licet, nisi ut ab illo ipsam mortem avertat.

3) Immediate in damnis tertio inferendis in bonis fortunae cooperari, probabiliter illicitum non est, si fit ob gravissimam causam, v. g. ad mortem propriam vel simile malum evadendum; neque constat, cooperatorem tunc restituendis damnis obnoxium fieri. Ita cum aliis *S. Alph.* III 571.

4) A fortiori ad damnum bonorum fortunae inferendum cooperari licet ex causa gravi quidem, etsi non gravissima, si: a) cooperans possit et velit damnum reparare; b) aut damnum adeo magnum non sit, ita ut merito prae damno alias ipsi orituro possit sperni; aut c) damnum tertio inferendum per cooperationis omissionem nullatenus impediatur. Attamen, si cooperatio mea est causa efficax damni alieni, et ego solius damni in bonis fortunae a me avertendi gratia cooperor, id communiter non possum, nisi habeam animum restituendi ex meis bonis. *S. Alph.* l. c.

5. Remote vero cooperari ad damnum in bonis superioris quoque ordinis efficiendum ex causa valde gravi vel gravissima pro diversis adiunctis licitum fieri potest: porro, si licita est cooperatio, restitutionis obligatio plerumque fundamento caret. Sume v. g. famulum ex metu parantem equum hero iniustum damnum alii illaturo.

<sup>1</sup> Sed si habeo apud me depositum pugionem, quem dominus repetit a me inimicum occisurus, reddere possum, si alias ipse periculum vitae subeam, quia cum aequali damno meo non teneo alterius vitam protegere: idque satis *certum* est ex *S. Alph.* l. c. n. 571 et 697, *Lacroix* l. 2, n. 265, qui ne meminit quidem severioris opinionis, etc. Quare cum *S. Doctor H. A.* tract. 10, n. 56 contrarium dicit, id ex inadvertentia incorrectum mansit; nam in italica editione ed. Neap. 1765 *S. Doctor* id correxit, sicut in posterioribus editionibus theologiae moralis ll. cc.

Immo etiam si agitur de dando pugione *meo*: etiam hoc quam plurimi pro licito habent, ducti ratione *sane gravi*, quod hanc cooperationem materialem, neque omnino proximam, alicui liceat praestare propter gravissimam causam propriae vitae servandae. Cf. quae dicta sunt de cooper. n. 832. Vide *Castrop.* tract. 6 disp. 6, p. 11, n. 9, qui pro se affert *S. Thom.*, *Sanchez*, In decal. l. 1, c. 7, n. 18, *Vasquez*, *Vega*, alios. Atque ipse *S. Alph.* III 571 ab editione 6<sup>a</sup> satis clare ita rem intelligit: de quo vide *Gaudé* ad *S. Alph.* II 66 *not. f.*



## § 7.

*Cooperatio negativa.*

Huius cooperationis tres modi assignantur «mutus, non obstands, <sup>1206</sup> non manifestans»: qui materialiter diversi sunt, non formaliter.

Mutus dicitur, qui, *antequam* damnum inferatur, loquendo id impedire potest nec facit. — Non obstands ille est, qui, *dum* malum inferitur, id avertere, impedire utcumque potest, sed non impedit. — Non manifestans dicitur, qui *post* damnum illatum illud silentio premit, cum manifestando illius reparationem inducere possit, vel ulteriores sequelas praescindere.

I. Qui *negative* tantum influit in damnum alterius, non tenetur ad restitutionem, nisi *ex iustitia* seu *ex officio* illud impedire debeat. Alias quidem per se contra caritatem peccavit, at caritatis laesio restitutionem secum non fert.

II. Qui vero *ex officio* constitutus est ad curam bonorum alienorum habendam vel ad praecavenda damna, restituere debet (quamquam non primarie), quando gravem negligentiam in suo officio commiserit, vel sciens et volens damnum permiserit.

III. Sicut autem gravis metus aliquando excusat a culpa et a restitutione eum, qui *positive* cooperatur, ita magis etiam eum, qui *negative* tantum in damnum influit, saltem communiter loquendo. Frequentius tamen pericula gravis damni illi ex iustitia subire debent, qui ad tuendam publicam securitatem in officio constituti sunt.

**Explicatio** per quaedam exempla: 1. Confessarius, qui poenitentem *non* <sup>1207</sup> *monuit* de restitutione facienda atque in causa est, cur dominus laesus indemnis non fiat, ad restitutionem non tenetur, siquidem constitutus non est ex officio ad bona temporalia sive sui poenitentis sive aliorum protegenda. Excipitur tamen, si confessarii silentium *positivae approbationi aequivaleat*, ita ut poenitens ex responso declinato recte colligat, confessarium negare restitutionis obligationem. Quomodo vero ad emendandum defectum commissum teneatur, alibi dicitur vol. II, *tract. de Sacram. poenitentiae*, de obligationibus confessionem subsequenter.

2. Famuli ab illis rebus herorum, quae ipsorum custodiae specialiter commissae sunt, damnum ex officio avertere tenentur: quare si patiuntur eas a fure sive extraneo sive domestico auferri, heris suis tenentur de damno. Ita omnes.

Quando autem agitur de aliis bonis herorum, multi putant, famulos ex iustitia debere damnum, quod ab extraneis inferatur, impedire, non vero damnum, quod inferatur ab homine domestico, ut a famulo sodali. Alii tamen satis probabiliter utrumque negant et agnoscunt solam caritatis obligationem, nisi herus famulum vel ancillam custodem, procuratorem, praepositum illorum bonorum constituerit. Cf. *Mazzotta tract. 4, disp. 1, q. 5, c. 6* referentem pro hac opinione *Molina, Rebell., Bonac.* et alios, et revera ex doctrina *Reb. p. I, l. 1, q. 14, n. 62* et *Azor p. 3, l. 4, c. 16*, etsi non ita explicite loquantur, id videtur colligendum.

3. Pater, superior, magister, qui passus est, damnum a filiis vel subditis tertio cuidam inferri, quamquam peccavit, ad restitutionem tamen non tenetur, nisi a) damnum illatum fuerit a puero rationis nondum satis compote, aut

nisi b) propter culpam iuridicam sententia iudicis secundum leges facta accessit, aut nisi c) silentio suo animos subdito addidit ad damnum inferendum, ita ut silentium illud potius positivo influxui equiparari debeat ac pro consilio, excitatione habeatur. Nam alioquin ob solum influxum negativum iustitiam non laesit, cum habeat quidem curam *suorum*, non vero curam alienorum, qua ad eorum bona protegenda ex officio teneatur.

1208 4. Custodes silvarum, agrorum, si eos, qui damnum inferunt, impune abire sinunt atque ita causa existunt, cur damnum illatum non reparetur aliudve inferatur, dominis reparationem damni debent: at si agitur de damnis minoris momenti, ad summum rigorem contra damnificatores adhibendum non tenentur; immo ei moderari potius debent, tum ne damnificatori poenam ultra meritum infligant, tum quia haec est voluntas domini laesi rationabiliter praesumpta, saltem si ipsius damni illati reparatio fit.

5. Mulcta, quae propter neglectum officium sive custodis non denuntiantis sive iudicis non condemnantis reo non imponitur, probabiliter a custode sive iudice titulo restitutionis non est solvenda ei, cui alias mulcta illa addicta fuisset: nam mulcta rationem iustitiae vindicativae habet neque ad ditandum fiscum alterumve imponitur, sed lucrum alterius per accidens est; quare illius lucri non-assecutio, qua lucrum est, censetur ex negligentia vel culpa iudicis etc. *per accidens* sequi. Cf. *S. Alph.* n. 583 cum *Less.*, *Lugo* aliisque, *Azor* l. c. c. 16. Vide etiam supra n. 961. Aliter post sententiam mulctae.

6. Ille, qui a fure sive damnificatore pecuniam accepit, ne ipsum furem impediatur, denuntiet, ad damni reparationem non tenetur, nisi ex officio debebat damnum impedire; sed si a fure rem furtivam pro praemio seu mercede accepit, ex *possessione rei alienae* ad illam reddendam tenetur, secus praemium retinens contra iustitiam delinquit. Contra caritatem autem etiam delinquere potest, non tam retinendo, quam accipiendo praemium, nisi furem etiam ad furtum reparandum efficaciter moveat.

### Caput V.

#### De variis restitutionis circumstantiis.

Circumstantiae, quae restitutionis obligationem magis explanant, hae fere sunt: 1) *quantum* quisque restituere debeat, et *quo ordine* damnificatores seu *debitores* obligentur, si plures concurrerunt ad damnum; 2) *cuinam* restituendum sit; 3) *quo ordine* compluribus *creditoribus* satisfieri debeat; 4) *quo modo* restitutio peragenda sit; 5) quoniam sint causae a restitutione excusantes.

#### § 1.

##### *De quantitate debiti atque de ordine inter debitores.*

1209 Propter multorum cooperationem ad unum idemque damnum fieri potest, ut singulis insit obligatio aut totius indemnitate procurandae aut partis damni tantum restituendae. Alterutra autem obligatio alicui incumbere potest aut absolute aut hypothetice tantum, i. e. in hypothesi, quod alii non restituant aut restituere non possint.

Si singulis incumbit obligatio id efficiendi, ut dominus laesus integre indemnis fiat, dicuntur *in solidum* ad restitutionem obligari.

I. Ut aliquis *absolute* obligationem restituendi habeat, debuit esse damni auctor principalis; ut autem hypothetice obligationem restitutionis habeat, sufficit utcumque etiam secundarie, seu positive seu negative, in damnum influxisse.

II. Inter ipsos cooperatores seu causas secundarias potest adesse ordo dependentiae; possunt scilicet aut *eodem ordine* teneri aut *diverso ordine*. Si qui enim cooperati quidem sunt secundarie, ita tamen, ut alii principalius quam alii egerint: qui remotiorem influxum exercuerunt, solum in defectu aliarum causarum magis principalium tenentur. Qui autem eodem ordine causalitatis damnum effecerunt, *si* ad eos obligatio restitutionis devolvitur, singuli certe ad partem suam pro numero operantium tenentur; deficientibus aliquibus, quando adest obligatio in solidum, reliqui, aut etiam unus qui restat, totum damnum reparare debet.

III. Ordo vero, secundum quem restitutio facienda est, hic teneri<sup>1210</sup> debet:

1. possessor rei alienae, saltem si quis est malae fidei possessor<sup>1</sup>;
2. mandans seu iubens, isque relate ad merum damnum omnium primus est; cui aequiparandus videtur ille, in cuius favorem alter ab ipso rogatus damnum intulit;
3. exsecutor;
4. positivi cooperatores, neque per se inter eos aliquis ordo existit;
5. negativi cooperatores, iique, si plures sunt, generatim etiam inter se uno eodemque ordine.

Cf. *S. Alph.* III 557 sqq, *Salmant.* tract. 13, c. 1, n. 139 sqq; *Lugo* disp. 19, n. 131.

Relate ad positive cooperantes videndum est, *cuiusnam actionis* cooperatores sint. Si quis enim positiva cooperatione suasisset solum ei, qui ex officio tenebatur aliquod damnum impedire, ne illud impediret: ille certe positiva actione cooperatus esset; attamen *post* cooperatorem hunc negativum teneretur, quia hunc solum adiuvit.

<sup>1</sup> Ex hoc deduces, quid dicendum sit de obligatione restitutionis, si quis a fure res furtivas sciens emit easque iterum aliis vendidit. Nimirum videtur *ultimus malae fidei emptor* principaliter debere rem eiusve valorem restituere, quia ille est, qui rem detinet sive in se, sive in aequivalenti (accepto scil. pretio ab emptore bonae fidei); idque *quoad ipsam rem*, si eam retinet, *certain* est: damna autem, quae praeter rei reantiam dominus passus est, singuli possessores malae fidei pro tempore detentionis primarie, subsequentia secundarie restituere debent. — Verum quoad ipsam rem furtivam eiusque valorem malae fidei possessor recursum retinet ad suum venditorem, donec ad furem perveniatur, ut scil. pretium emptionis recipiat. Atque etiam fur ille et omnes possessores malae fidei intermedii *domino* obstricti sunt, quatenus prorsus curare debent, ut dominus *indemnis fiat* sive per se ipsos, sive per subsequentem emptorem. Cf. *Tamb.* l. 8, tract. 2, c. 8, n. 6 *in decal.*

Immo aliis videtur *fur* principaliter de *valore rei* domino teneri, nisi forte ultimus malae fidei emptor rem destruxerit vel in suam utilitatem converterit: quod relate ad pretium, quod ipse fur accepit, rectum esse puto; relate ad veri valoris complementum, quod addendum sit, non ita.

Similiter si Petrus Henrico mandat eumve iubet Paulo incendium suadere: Petrus, quamquam aliquo sensu mandans, tamen non est principalis causa damni; sed principalis causa Paulus est. At Petrus *ante* Henricum teneretur. Quare in tali casu habetur aliquis ordo dependentiae inter ipsos cooperatores secundarios positivos.

1211 IV. Ut obligatio restituendi in solidum utcumque pro aliquo existere possit, requiritur et sufficit, ut damnum totum ei tamquam causae utcumque adscribi possit. Quod discerni sine difficultate plerumque potest, nisi plures *in eodem genere causalitatis* concurrerint. Si hoc modo plures concurrerunt, videndum est: 1) num *ex conspiratione stricte dicta* egerint, i. e. ita, ut singuli ad consilium mutuum capiendum efficaciter ceteros determinaverint; 2) num singulorum seu cuiuspiam actio in suo genere *sufficiens* fuerit ad damnum totum sive immediate sive mediate efficiendum; 3) num actio, etsi non sufficiens, tamen *necessaria* fuerit, ut damnum inferri posset. Quorum unum si obtinet, de obligatione restituendi in solidum dubitari nequit. Si quis vero neque *ex conspiratione stricta* egit, neque actionem ad damnum totum in ullo genere causae *sufficientem*, neque *necessariam* posuit: influxus efficax in totum damnum afuisse dicendus est; ac propterea obligatio ad partem quidem damni reparandam aut primarie aut secundarie aderit, nullo modo autem obligatio in solidum seu ad totum damnum resarciendum.

Quare: a) Qui se adiungit aliis iam determinatis ad rem furtivam transportandam, incurrit obligationem in solidum, si ipsius auxilio alii *indigebant*, ut proposito re ipsa starent et efficaciter rem auferrent; obligationem partialem tantum (idque, nisi aliquid detineat rei furtivae, secundarie), si ipsius auxilio non indigebant.

b) Qui, aliis ignes aedificio subicientibus, movetur, ut ipse etiam in eiusdem aedificii partem ignem coniciat, non tenetur in solidum, tenetur tamen ad suam partem. Nam 1) non tenetur in solidum, quia, licet ignes ab ipso suppositi suffecissent ad totam domum comburendam, tamen re vera non sufficiebant, cum invenirent domus partes aliquas iam ignibus consumptas; 2) tenetur vero ad partem, quia, etsi incendium ab aliis excitatum satis fuisset ad totum damnum, tamen re ipsa flamma ab ipso excitata partem domus consumpsit: nisi forte incendium ab aliis excitatum iam adeo in flammam eruperat, ut certo certius de tota domo iam actum esset; tunc enim ignis denuo appositus rem in morali aestimatione nullius amplius valoris destruxit, atque ita efficaciter damnificans ratio non fuit.

1212 V. In dubio de influxu in totum damnum obligatio restituendi in solidum imponenda non est. Immo imponenda non est, si, inquisitione facta, dubium manet, i. e. si probabile quidem, sed non certum est, alios pari ordine obligatos suam partem restituisse aut restituturos esse: *Salmant.* tract. 13, c. 1, n. 152 et *S. Alph.* III 579, qui theoretice quidem in secundam partem assertionis non plane consentit, consentit tamen practice, ut facile omitti possit monitio restituendi *in solidum*, etsi de obligatione per se constet, cum rudes homines difficulter sibi persuadeant, se teneri ad partem a sociis ablatam. Quinimmo — addit S. Doctor — «satis praesumi valet, quod ipsi domini,



quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab iis ablatam, cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum».

VI. Ii, qui secundarie tantum ad restitutionem tenebantur, si dam-<sup>1213</sup>num reparaverunt, recursum habent ad causam primariam, atque contra eam, si opus est, etiam occulta compensatione uti possunt. Cf. *Lugo* disp. 19, n. 116 sqq.

Idem dicendum est, si, restitutione tandem ad causas secundarias plane devoluta, unus cooperator totum damnum restituit; ille videlicet recursum habere potest etiam per occultam compensationem, ut eorum, qui secum eodem ordine tenebantur, suam quisque partem sibi refundat.

Si ex iis, qui secundarie tantum tenentur, non omnes eodem ordine tenentur, atque unus alterve totum restituit, difficilius esse potest, quatenus compensatio locum habeat. 1) Si is, qui prius et magis immediate tenebatur, reparationem fecit, ille, qui remotius obligatus erat, ab omni onere solutus est, neque contra ipsum compensationem facere licet; 2) si vero ille, qui remotius tenebatur, restitutionem fecit, per occultam compensationem per se ad solam causam principalem recursum habet; attamen si de impossibilitate restitutionis ab ipsa faciendae *constet*, etiam recursus servatur ad causam secundariam principali propinquiorem, ad causas autem secum aequales non habet recursum, nisi *constet* de defectu omnium priorum, neque tunc recurri potest nisi pro compensatione *partiali*.

VII. Si causae principali a domino laeso facta est condonatio, causae omnes secundariae liberantur; si vero alicui causae secundariae remissio facta est, *neminem*, qui *potius* obligatus est, condonatio iuvat, neque ii, qui *eodem ordine et iure* tenentur, a sua parte restituenda eximuntur. Cf. *Lugo* l. c. n. 140; *Reuter* III, n. 345.

## § 2.

### *Cuinam restitutio facienda sit.*

Proposita quaestio ex se difficultatem non habet, siquidem illi, qui<sup>1214</sup> laesus est, restitutio fieri debet: attamen per accidens difficultas oriri potest ex eo, quod ii, qui laesi sunt, aut cognosci aut adiri non possint; neque semper — id quod alibi iam notatum est — obligatio *gravis* existit erga ipsum illum, qui laesus est, restitutionem faciendi. Quare, ut paucis diversos casus, qui facilius occurrere possunt, contraham, noto sequentia.

I. Restituendum est *domino rei certo et noto*, nisi nimia difficultas aut alia causa excusat.

II. Qui abstulit rem ab eo, qui iuste rem alienam detinuit, huic *possessori*, non domino, rem reddere debet, nisi ob circumstantias singulares aliud suadetur.

III. Si obligatio restituendi, aut obligatio ipsis dominis utpote graviter non laesis restituendi sub levi tantum urget, ex causa medio-criter gravi id omnino licite permittitur, ut pro domino laeso *pauperes quilibet* vel *causa pia* eligantur: nisi forte in quibusdam adiunctis *pauperes loci* prae aliis eligendi sint.

IV. Si igitur *multi* ex certo quodam loco laesi sunt, ut fieri contingit fraudibus in pondere et pretio a mercatoribus commissis: iis, quos notabile damnum passos esse cognoscitur, certe restitutio fieri debet, alias: a) consultum est augere pondus et mensuram emptoribus moraliter iisdem occurrentibus; b) quod si fieri nequit, restitutio in pauperes vel causam piam *eiusdem loci* fiat (v. g. in aerarium publicum curae pauperum destinatum); c) attamen, ut *eiusdem loci* pauperes eligantur, *gravis* obligatio non est: unde notabilis difficultas ab omni culpa eum excusat, qui *quoslibet* pauperes, quibus restituat, sibi elegerit. Cf. *S. Alph.* III 534 et 595.

1215 V. Si dubium est circa *paucos dominos*, cuinam ius restitutionis accipiendae competat, pro rata dubii valor pro restitutione debitus in singulos dividi debet, idque sub gravi, quando de materia gravi agitur, nisi alia causa excusans existat.

VI. Si laesa est *communitas* atque ita laesa est, ut communitas qua talis seu certus aliquis communis finis damnum re ipsa patiatur, illi, i. e. personae morali seu iuridicae quae laesa est, restitutio omnino fieri debet, neque sufficit per se, pauperes eiusdem vel alterius loci eligere. Facilius tamen pauperes eiusdem communitatis tunc eligi possunt, si ipsi communitati, quae laesa est, horum cura incumbit.

Dixi: si communitas qua talis re ipsa damnum patitur sive passa est. Potest enim contingere, ut res ablata vel damnificata communitatis vel personae moralis quidem fuerit, attamen damnum ex huius rei defectu potius in alios redundet, qui cogantur eo amplius ad communem causam conferre. Quod si fit, obligatio restitutionis definienda est secundum regulam, quae valet in damnificatione *multis* illata.

At quaeri potest, quid sit iuris, si laesa sit communitas seu corpus morale, quod pravum finem prosequitur. Eiusmodi communitas ius existendi, etsi a gubernio videatur accepisse, revera non habet neque habere potest, adeoque facultate acquirendi et possidendi prorsus destituitur. Bona igitur ea, quae ab eiusmodi societatis membris aliisve collata sunt, videntur in eorum dominio manere. Quapropter si bona illa laesa essent, restitutio non ipsi illi societati, sed pro rata singulis membris esset facienda. Attamen facilius videtur ratio adesse, cur pauperes eligantur: 1) eo quod raro pars singulis restituenda gravis sit; 2) quod singuli, quantum ipsorum erat, dominium abiecerunt, — quamquam haec ultima ratio per se sola rem evincere non videtur.

Ab hoc autem plane distat alia causa, quae videri potest similis, scilicet quando communitas *legitima* certas possessiones habet fini illegitimo et pravo destinatas. In quibus si fit defraudatio vel damnificatio, restitutio plane facienda est, non illi quidem pravo fini, sed *communitati*, quae, sive res suas male impensura est sive non, in iure suo laesa est. Cf. *Gallo*, Suppetiae missionariorum I 269 et ib. duas declar. S. Officii.

1216 VII. Maior explicatio necessaria est, si agitur de bonis vel debitis, quae theologi vocant *incerta*. Incerta autem vocantur, non quando de *aliquibus* dubium existit, utrum hic an ille dominus sit, sed si *plane incertum et ignotum* est, quinam fuerit laesus, ita ut ne probabilis quidem ratio pro *certis et determinatis* personis habeatur. Idem aliquando statui potest, si plane impossibile est dominum invenire vel adire.

1. Si bona fide vel sine peccato ex errore acquisita fuerint bona, quorum dominus plane incertus et incognitus est, ea valent, quae de rebus amissis et inventis dicta sunt: consilii esse potest, ut pauperibus distribuantur; at obligatio non est.

2. Si bona incerti domini fuerint ex delicto acquisita, aut debita incerta ex delicto contracta, communissima est sententia eaque prorsus tenenda, restitutionem esse faciendam, eamque pauperibus sive causis piis.

Scriptores omnes, qui hac de re tractaverunt, hanc obligationem propugnant eamque clare docent, non tantum quando bona aliena iniuste possidentur, sed etiam, quando ex sola damnificatione debita contracta sunt, ut videre est apud *Lugo* disp. 21, n. 100; *Less.* l. 2, c. 14, n. 33; *Laym.*, De iust. tract. 2, c. 9, n. 2: quamquam nonnihil dissident in assignando fonte huius obligationis. *Less.*, *Laym.*, *Salmant.* etc., quibus assentit *S. Alph.* IV, n. 71, obligationem repetunt *ex lege positiva canonica*, quae expresse id statuat de usuris et de pretio simoniaco, et quam *consuetudo* consensusque Doctorum atque ius gentium ex paritate rationis interpretata sint de omnibus debitis ex delicto ortis. Communius autem *Lugo* aliique (*Less.* l. c. n. 35 id habet pro opinione fere omnium DD.) totam obligationem *ex ipso iure naturali* derivant, cum lex naturalis iustitiam commutativam, si laesa fuerit, reparandam exigat non tantum propter ipsum dominum laesum, sed etiam propter humanam societatem atque communem possessionum securitatem. Hinc fit, ut si dominus laesus inveniri non possit, in bonum societatis humanae restitutio fieri debeat, quod aptiore modo non agitur quam pauperes causasve pias eligendo, quorum sublevatio in societatis humanae bonum et commodum redundat.

3. Ex hac ipsa vero ratione, quod pauperes causaevae piae pro dominis eligendi sint, efficitur, ut aliquando onus restitutionis exstingui possit, idque in iis adiunctis, in quibus non exstingueretur, si dominus laesus certus et notus esset:

Scilicet 1) si debitor ipse pauper est. Nam quando ita est, scriptores magno consensu concedunt, debitorem quasi sibi ipsi restituendo debitum exstinguere posse atque ita quidem, ut etiam pro futuro tempore, quo fortasse ad meliorem fortunam redierit, debitum exstinctum maneat, modo nunc debitor neque re neque in probabili spe, ut haereditate, facili artis exercitio etc., bona sufficientia possideat. *Less.* l. c. n. 41 et 46; *Lugo* disp. 20, n. 8 etc. Quod sane non in favorem furis et furti cedit, sed in favorem paupertatis.

2) Si debitor a S. Pontifice condonationem vel reductionem debitorum incertorum acceperit. Quod Summi Pontifices prioribus temporibus non raro fecerunt in bulla «*Cruciatæ*», indulgentiis ac dispensationibus adiungentes bullam *Compositionis*, qua pro certa quadam elemosyna in pios usus facta debitorem in foro interno ab omnibus debitis incertis liberarent.

Posse videlicet S. Pontificem illa debita, quorum tandem solutio ad pias causas referenda est, ex iusta causa reducere et condonare, nemo est, qui dubitet vel dubitare possit. Iustam autem causam censebant communiter, quod et certius *aliquid* pro piis causis acquireretur, et debitoris conscientiae melius consulere, qui aliter facillime in mala fide relictus fuisset. Solum id non ab omnibus eodem modo intelligebatur, quo sensu quave amplitudine S. Pontifex hanc condonationem re ipsa facere intenderit, utrum debitorem omnino liberatum esse voluerit, an hypothetice tantum, i. e. nisi postea forte dominus apparuerit.

In eo tamen *consentiebant*: 1) saltem id nequaquam solvi debere postea, quod pro bulla accipienda vel eleemosyna danda iam solutum esset; 2) neque ea, quae post bullam bona fide acceptam ex bonis incertis consumpta fuerint, ita ut possessor seu debitor ditior non evaserit; aut 3) quae post bullam bona fide acceptam praescriptione acquisita vel extincta fuerint. Circa reliqua bona aut debita non una erat DD. sententia: cum alii docerent, in foro interno nullam manere obligationem, nisi forte, sententia fori externi intercedente, ei, qui postea se dominum certo laesus probasset, ius iterum addictum esset; alii putarent, ne in foro quidem externo eam sententiam iuste ferri posse; alii e contrario etiam sine iudicis sententia hanc obligationem, ex qua domino certo comparenti pars ista loco restitutionis reddenda esset, integram mansisse censerent. Vide hac de re *Lugo* disp. 6, n. 150 et d. 21, n. 91 sqq. Ex quibus sententia prima practice omnino praefenda est; tertia autem solida ratione destituitur, nisi in ipsa bulla conditionata tantum condonatio expressa sit; alias enim ex ipsa bulla voluntatem S. Pontificis eam fuisse satis colliges, ut saltem in foro conscientiae, excluso ordine externi fori, tantam condonationem, quantum posset, debitori concederet: poterat vero condonationem facere absolutam, non minus quam civilis auctoritas res inventas post debitam inquisitionem, sed frustra factam, inventori absolute addicere potest<sup>1</sup>.

### § 3.

*Quo ordine restituendum sit, seu potius quo ordine diversa debita sint solvenda.*

1219 Ordinem certum in solvendis debitis observari, per se nihil ad iustitiam pertinere, quando omnibus creditoribus satisfieri possit, manifestum est. Tum igitur solum quandam ordinem servari interest, quando debitor omnibus solvendo est impar. In qua hypothese quaedam certa, quaedam controversa sunt:

I. Quae extra controversiam sunt, hisce tradam:

1. Res aliena in individuo existens domino reddenda est.

2. Cessione bonorum iam incepta vel indicta, debitor non suo arbitrio, sed secundum legum positivarum statuta solutionem facere debet, cum illo ordine inverso creditorum iura certa laederentur.

3. Creditoribus privilegiatis, si repetunt suum debitum, ante omnes reliquos satisfieri debet: quos discite ex legibus regionis. Communiter hoc titulo solvenda sunt: impensae funerales, merces operariorum, impensae pro ultimo morbo etc.

4. Dein creditoribus hypothecariis servato temporis ordine satisfaciendum est; neque in hac re seria est difficultas.

5. Denique reliqua debita solvenda sunt, ita tamen, ut 1) ea, quae *stricta iustitia* debentur, sive ex contractu sive ex delicto, omnino sint solvenda ante illa, quae debentur ex gratuita promissione; 2) ut debita erga certos creditores prius solvi omnino expediat quam debita incerta.

<sup>1</sup> *Hinc colliges*: Qui, *prudenter* iudicans, restitutionem a se debitam propter adiuncta pauperibus faciendam esse, ita revera fecerit, is ab omni onere liberatur, etsi postea *fortuito* dominus laesus compareat.



Plerique dicunt, *ex obligatione* prius solvenda esse debita certa quam incerta; cum vero *S. Alph.* III 687 contrarium etiam pro probabili habeat, videlicet posse utriusque generis debita solvi pro rata: satius duxi dicere, quid *saltem practice expediat*.

II. In ipsis vero debitis communibus seu nullo modo privilegiatis, <sup>1220</sup> cum non una sit sententia docentium, quae quibus praeferri postponive possint aut debeant: practice in foro conscientiae haec *licent* debitori, qui statum suum labilem scit, attamen cessionem bonorum suorum re ipsa nondum fecit (cf. *S. Alph.* l. c.; *Lugo* disp. 20, sect. 7):

1. Potest fieri integra solutio creditori priori (erga quem debitum iam diutius contractum est), sive repetit debitum, sive non repetit.

2. Potest fieri integra solutio creditori, qui tempore posterior est, *si repetit prius* suum debitum, ubi lex regionis non obstat.

3. Potest singulis creditoribus, tempore debiti contracti non attento, solutio fieri pro rata.

4. Potest probabiliter integra solutio fieri creditori, qui tempore posterior est, etsi non petat, si relate ad alios creditores *pauper* est. *S. Alph.* n. 691 putat, «posse praeferri pauperiorem recte dici probabile».

III. Solum igitur id restat discutere, num sit illicitum atque iustitiae <sup>1221</sup> commutativae *per se* contrarium, si integra solutio alteri creditori non pauperi, qui tempore posterior est, offeratur a debitore, a creditore accipiatur. Quaero hoc, seclusa lege positiva.

In qua re id certum dici debet, debitorem aliquo modo laedere ceteros creditores, eumque propterea, cessione bonorum facta, si postea ad meliorem fortunam redierit, citius in id incumbere debere, ut illis pro hac laesione satisfaciatur; concessio enim, per quam ei licet saltem plenam solutionem differre, donec commode possit, supponit, *omnibus* debitoribus *pro rata* satisfactum esse. Ceterum de iustitia stricte laesa ne in hoc quidem casu constat, neque creditorem, qui ita solutionem integram prae reliquis accepit, ad restitutionem aliis creditoribus pro rata faciendam obligare possumus. Difficulus enim aliquis evadat argumentationem, quam instituit *Lugo* disp. 20, n. 174: Quodsi liceat prius petenti integre satisfacere, cur non licebit eum ut amicum monere, ut prius petat? quod nihil aliud est nisi non petenti integram solutionem offerre; siquidem offerendo debitor monet creditorem, creditor annuendo petit atque sic solutionem accipit. — Porro prius petenti integre satisfieri posse, *Lugo* quidem *negat*, habet tamen pro opinione *probabili*, *S. Alph.* vero contra *Lugo* *probabilius* esse dicit n. 692 ex iure Romano.

In quantum autem leges positivae alicuius regionis obstant, aut aliis creditoribus ius concedunt rescissionem solutionis ex parte postulandi, id omnino servandum est. — Ita in *Gallia* (ex lege 28 Maii 1838) *invalida* esset solutio, sive quae fieret post cessionem bonorum a tribunali declaratam, sive quae facta esset intra 10 dies ante hanc declarationem. — In Statibus Foederatis *Americae Sept.* solutio intra 4 menses vel etiam plures cessioni bonorum praevios facta declaratur invalida: diversi tamen status diversum tempus assignant.

## § 4.

*De modo restitutionis peragendae.*

1222 Restitutionem aperte et domino conscio fieri, nullatenus necesse est, sed sufficit, ut fiat ea ratione, loco et tempore, ut dominus vere et plene indemnis reddatur.

I. Potest igitur restitutio fieri augendo pondus et mensuram, excedendo debitos labores et servitia, aut etiam per simulatam donationem, modo res donata *domino* vere *tanti valeat*, quantum est damnum illi illatum.

II. Potest fieri restitutio per hominem intermedium, nuntium, confessarium etc.

III. Restitutio facienda est stricto iure in eo loco, in quo dominus rem seu valorem possideret, si damnum ei illatum non fuisset; at si domino nihil interest aut pluris interest restitutionem fieri in alio loco, debitor pro maiore suo commodo id eligere potest. Haec, si obligatio oritur *ex culpa*; nam si ex sola re aliena detenta (cum bona fide) aut ex contractu debitum existit, aliae regulae statuendae sunt, ne debitor cum suo damno gravetur.

IV. Restitutio facienda est statim ac fieri potest, at moraliter loquendo; quare ad brevem dilationem mediocris ratio sufficit, v. g. commodior occasio etc.: si vero ratio gravis existit, debitor etiam in diuturniore dilatione non peccat; secus aut graviter aut leviter peccat, prout diutius aut brevius differt.

Quaedam accuratius sunt expendenda.

1223 I. **Restitutio tecta.** 1. Simulata donatio per se prorsus sufficit ad debitum restitutionis exstinguendum, immo generatim etiam donatio facta ab eo, qui, restitutioni obnoxius, eius immemor fuit. Nam nisi praevalens intentio erat ante omnia donare — quod vix sumi potest — implicite voluit prius exstinguere debitum iustitiae, quam liberalitatem non debitam vel gratitudinem exercere. Si quis vero obligationis restituendi memor expresse voluit liberaliter donare, debitum suum non exstinxit. — Ergo si restitutio facienda erat pauperibus causisve piis, eleemosynas *post* contractum debitum factas computari posse, saepe satis probabile est.

Porro in simulata donatione id incommodi aliquando accidere potest, ut dominus laesus moveatur ad donationem mutuam. Quae si fiat, ab illo debitore doni valor retineri non potest, quippe quod factum fuerit *ex errore*, sed clam facienda restitutio est donatori.

2. Quo securior fiat restitutio sive per ipsum debitorem sive per hominem intermedium, dividi potest summa totalis in arbitrarias partes, quae diversis temporibus atque e diversis locis domino transmittantur. Hoc secreti servandi causa praecipue noto.

1224 II. **Restitutio per intermedium.** Difficultas oritur, si restitutio faciendi nuntio quidem vel confessario commissa, sed per eum domino re ipsa facta non est, eo quod res v. g. amissa, a fure sublata fuerit.

Debetne tunc prior ille debitor denuo damnum subire, ut ille, cui debuerat restitutionem, re ipsa indemnis fiat?

R. 1. Si nuntius ab ipso creditore (voco creditorem eum, cui restitutio debetur), aut a iudice designatus est, cui pro creditore res transmittenda committatur, debitor immunis est, quia creditor *per nuntium*, quod suum erat, iam possederat. Ita plane communis sententia.

R. 2. Idem dicendum est, si creditor forte rogatus virum eligendum arbitrio debitoris commiserit, qui suo (i. e. creditoris) nomine rem reciperet.

R. 3. Si vero debitor, creditore non rogato, sua sponte aliquem elegerit, per quem restitutionem faceret — id quod in restitutione ex delicto faciendâ, de qua agimus, communiter fieri consuevit — per se damnificator ab obligatione non liberabitur, si forte re ipsa restitutio domino laeso facta non fuerit; nam nuntius ille instrumentum non domini laesi est, sed damnificatoris, cui periculum rei tam diu subeundum est, donec domino satisfactum sit.

Attamen si poenitens, qui per se ipsum restituere non potest — ad 1225 infamiam enim subeundam non tenetur — confessario rem seu valorem restituendum tradiderit, videtur nullatenus improbabile esse, poenitentem liberum manere, etsi fortuito ad dominum res restituenda non pervenerit. Fateor equidem, sententiam longe communiorem damnificatorem condemnare ad damnum potius bis subeundum, quoniam 1) communis regula est, damnificatoris esse, periculum et casus fortuiti damnum subire, 2) dominus vero, quem in hunc restituendi modum consensurum esse praesumatur, conditionate tantum consentire censeatur, videlicet modo periculum transmissionis subeatur a debitore: attamen hae rationes minime sententiam illam certam esse evincunt. Ut enim taceam de scriptoribus, auctoritatis sane non minimae, qui in contrariam opinionem propendunt, — subiiciuntur aliqua eorum testimonia infra in nota — rationibus adductis aliae rationes opponi possunt<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Mirum non est, etiam ex iis scriptoribus, qui nobiscum potius sentiunt, complures magis dubitanter loqui; nam aliqui non de solo confessario loquuntur, sed de quolibet homine fido; aliqui non tantum loquuntur de casu, in quo confessarius vel nuntius inculpabiliter rem amittat, sed etiam de casu, in quo eam fortasse culpabiliter amittat atque retineat. At facile quisque videt, longe graviorem esse rationem a nobis adductam, si de solo confessario agimus, qui quasi naturaliter ut persona intermedia constituitur, ac longe facilius ex voluntate creditoris praesumpta argumentum sumi posse, si solam inculpabilem rei amissionem quam si culpabilem quoque detentionem respicimus.

S. Alph. III 704: «Si fur mittat domino rem ablatam per *confessarium aut virum fidelem*, et iste sibi illam retineat, an teneatur (primus fur) iterum restituere?» R.: «Olim primam (negantem) sententiam vere probabilem censebam, sed (ex rationibus mox allatis melius postea pensis) de illius probabilitate valde dubito. At quia Lessius et Sporer cum Tambur. non audent primam opinionem damnare, nec ipse audeo.»

Castropal. (quem S. Alph. dicit *negare* obligationem iteratae restitutionis, at non omnino recte) loquitur de confessario, qui «sive retineat sive amittat» et disp. I, punct. 17, § 9 tandem dicit de sententia obligationem negante: «In hanc sententiam propendit animus; at quia communiter auctores contrarium sentiunt, manet obligatus.»

Salmanticenses (De restit. c. 1, punct. 9) proponunt ita quaestionem: «si res utcumque non pervenit ad dominum», atque hoc sensu pro sententia obligationem negante haec proferunt: «ita tenet Soto, Gabr., Cenedo, Ledesma, Rodriguez, probabilem tenent Filliuci, Trullench., Less., Hurtado, Diana»: ipsi vero suam de hac opinione sententiam non expresse proferentes, *contrariam* opinionem dicunt *probabiliorem*.

Lessius, De iust. et iure l. 2, c. 16, n. 64—67; Sporer tract. 4, c. 4, n. 19; Tambur., In decal. l. 8, tract. 4, c. 1, § 5, n. 7 vocant sententiam negantem «non omnino im-

Cardo rerum in eo verti videtur, utrum confessarium solummodo ut mandatarium poenitentis considerare debeamus — quod si fieri oportet, victas manus damus — an iure eum considerare possimus ut quasi-mandatarium seu *negotii gestorem* ipsius domini creditoris. Qui autem negotiorum gestor est ex praesumpta domini voluntate, vere *illius* nomine agit, cum *illius* periculo curam rerum sibi assumit: quod ita verum est, ut ubi leges civiles negotiorum gestionem permittunt vel statuunt, negotiorum gestor a domino compensationem petere possit eorum damnorum, quae ipse *ex* negotii gestione passus fuerit. At videtur prorsus iure id fieri, ut confessarium pro negotii gestore creditoris habeamus. Si enim ante factum et ante casus fortuitos homines interrogaremus, utrum vellent in causis restitutionis, quam poenitens aliter secure perficere non posset, confessarios pro negotii gestoribus agnoscere, an persistere in alio restitutionis modo, qui, cum periculosior pro debitore esset, creditores quam saepissime in periculum coniecturus esset nihil prorsus recipiendi: vix ullus esset, qui non consentiret. At si esset ita, tota causa finita est. Cum primum enim res restituenda in manus eius, qui creditoris negotii gestor est, consignata fuerit, restitutio ipsi creditori est facta, non secus ac si creditor expresse suum nuntium ac mandatarium miserit. Quare altera ratio contrariam opinionem tenentium per se corrui, cum periculum rei casusque fortuiti tam diu solummodo apud damnificatorem maneat, donec restitutio *domino* facta fuerit, i. e. aut domino personaliter aut ei, qui dominum ipsum repraesentat.

1226 **Scholion.** Causa ab ea, quam nunc discussimus, non omnino ab-similis est, quando confessarius poenitenti iniunxerat restitutionem erga pauperes, quamquam creditor certus aderat, cui restitutio deberetur. Poenitens igitur, qui bona fide consilium confessarii erroneum secutus fuerit, estne obligandus, ut denuo certo domino restituat?

R. 1. Confessarius subsequens, qui rem comperit, non minus quam in priore casu saepe prudenter aget, si dissimulat, quaecumque tandem est theoretica quaestionis solutio.

R. 2. Verius autem puto, pro debitore remanere obligationem certum dominum (etsi bis solvi debeat) indemnem faciendi; nam hic revera nulla facta est restitutio domino, pauperes enim non sunt negotii gestores, per quos res ad dominum pervenire debeat: excipi autem casus potest, quando

---

probabilem», quamquam contrariam tenent; *Filliucci* vocat eam simpliciter «non improba-bilem» tract. 32, c. 5, n. 135. Hi autem loquuntur de *confessario*: (Tambur. «de conf-essario vel homine fido» — *Sporer* loquens de confessario l. c. dicit: «ita absolute docent *P. Navarra, Rodriguez, Reginald., Filliucci*, alii, quos affert *Diana* p. 2, tract. 3, sect. 17 *miscell. resol.* 2 censens hanc sententiam esse tutam in praxi»).

In Casibus *Bened. XIV*, cas. 1 Apr. 1770 fit distinctio, utrum res aliena in in-dividuo an solum rei pretium *confessario* traditum fuerit: atque omnino docetur, debi-torem ad nihil amplius teneri quoad rem in individuo traditam, teneri tamen ad iteratam restitutionem quoad id, cuius solum valorem confessario tradiderat. Quod autem *S. Antonin.* pro huius doctrinae fautore inducitur, lapsus oculorum videtur esse, siquidem *S. Ant.* l. c. tit. 2, c. 4, § 1 e contrario docet, obligationem restituendi in debitore manere.

Ceterum non solum si quis sententiae benigniori assentitur, sed etiam si eam sibi probari posse non putat, non raro prudentiae fuerit, obligationem *iteratae* restitutionis dissimulare, siquidem ex obligatione illa inculcata facile est, id solum efficere, ut debitor in mala fide constituatur atque mala fide omittat, quod ex monitu confessarii pro ob-ligatione habet.



ex nota domini liberalitate praesumpta eius voluntas sive consensus colligi potest, quo invitus non sit, ut loco suo pauperes electi fuerint.

S. *Alph.* l. c. n. 704 etiam negat, a debitore satisfactum esse; quamquam *Tamb.* l. c. *potius* quam in priore casu a secunda solutione excusat, dicit enim: «etiamsi in priore casu (si res confessario tradita esset, sed ad creditorem non pervenisset) sequaris securiorem sententiam (quam ipse per se tuetur), *hic* te non audeo obligare» — at non videtur recte id dici.

III. De restitutionis expensis eiusve dilatione. I. Qui ex delicto <sup>1227</sup> restituere tenetur, *suis expensis* rem alienam domino transmittere debet. Atque hoc ita communi sententia scriptores urgent, ut debitor ad restitutionem generatim *ipsi domino faciendam* teneatur, etsi expensas rei pretio duplo maiores facere debeat; excusatus tamen sit, si etiam maiores expensas debeat subire: videlicet eum tum aut exspectare, aut pauperes pro domino eligere posse. Verum ut exspectetur seu ut differatur *paulisper* restitutio, saepe facilius concedi potest.

2. Dilatio si fieri debet, voluntas restituendi a poenitente serio concipienda et retinenda est. Atque id imprimis a confessario caveri debet, ne facilius meras fallacias et praetextus pro veris rationibus habeat, quibus aliquis a restitutione facienda excusetur. Rationes revera excusantes expendentur sequenti § 5.

Gravis quaestio in illa causa movetur haec, num is, qui tandem ex causa gravi et *iusta* restitutionem ex delicto debitam nunc differat, debeat domino etiam illud damnum reparare, quod ex hac dilatione patitur. In qua quaestione S° *Alph.* l. c. n. 680 et 704 cum sententia longe communiore assentiendum est, debitorem ad id teneri: declarationis tamen causa addiderim, «modo illa damna ex damnificatione in confuso saltem aliquo modo praevideri potuerint»; quodsi non potuerint, contraria opinio aliquorum, qui negant hanc obligationem, omnino videtur satis probabilis esse. Scilicet *iniusta* causa damni non est dilatio, quae nunc fit — hanc enim iustam esse supponitur — sed prior damnificatio; at ut haec inducat restitutionem damnorum, damna debebant *aliquo modo* in confuso praevideri posse.

### § 5.

*De causis a restitutione sive omnino sive ad tempus excusantibus.*

Causae excusantes referuntur fere ad impossibilitatem, condona- <sup>1228</sup> tionem legitimam, solutionem aequivalentem. Plures tamen referuntur a *Reuter* III, n. 351 sqq, quae num et quando excusationem a restitutione sive plenam sive temporaneam admittant, accuratius discutendum est, videlicet:

1) Impotentia atque magna difficultas debitoris, 2) remissio a creditore facta, 3) cessio bonorum, 4) damnum creditoris vel alicuius tertii, 5) solutio creditoris creditori facta, 6) rei interitus, 7) compensatio, 8) auctoritas iudicis, 9) donatio creditori facta, 10) incertitudo debiti, 11) transactio, 12) ingressus in religionem, 13) praescriptio, 14) compositio S. Pontificis auctoritate facta.

Pauca de singulis, in quantum nondum explanata sunt per ea, quae in superioribus exposita continentur.

I. De impotentia et magna debitoris difficultate. Haec enim ad tempus, seu quamdiu illa difficultas existat, causam excusantem continet.

1. Impotentia illa adest, quando debitor aut eius proxime cognati in extrema necessitate versantur. *S. Alph.* III 698, 7.

2. Etiam merito latius sumitur haec necessitas, vid. si adest aut restituendo efficitur necessitas valde gravis vel quasi-extrema: nisi forte creditor in eadem necessitate versetur; tunc enim creditor praefendus est.

3. Quando debitor, si restitueret, e statu suo *iuste acquisito* prorsus ex-cideret; idque *S. Alph.* admittit, etsi debitum ex delicto ortum ducat. Attamen id prorsus debitori incumbit, ut intra limites status sui parce vivens paulatim colligat, unde restituendi facultatem sibi comparet; vel, ut *Reuter* dicit l. c.: «Cum eversione status iuste acquisiti debitor non tenetur statim totum restituere, ut e. g., si vir nobilis ideo deberet carere omni famulatu, aut redigi ad statum plebeium, labore manuum vivere etc., vel si civis honestus mendicatio vivere deberet; tenetur tamen etiam *cum aliqua status sui diminutione*, salva eius substantia, curare, ut per partes successive restituat v. g. parcius vivendo, dimittendo plures famulos, diligentius laborando vel negotiando etc.» *S. Alph.* n. 698, 5.

4. Quando restitutio fieri nequit sine gravi damno in bonis altioris ordinis, ut cum gravi periculo vitae aut famae: at quantum fieri potest, alia via, qua securius fiat restitutio, quaerenda est.

5. Quando debitor eiusve familia per restitutionem ex fragilitate in magnum animae periculum induceretur, ut desperandi, filias prostituendi etc. *S. Alph.* ib. 9.

6. Immo si per instantaneam restitutionem praeter rei alienae dimissionem vel debiti solutionem aliud grave damnum debitoris sequeretur, obligatio statim restituendi urgenda non esset, nisi dominus ex rei suae carentia fere aequale damnum subiret. Nam in aequali necessitate vel damno praefendus est dominus. Cf. supra n. 1122, *Reuter* l. c., *S. Alph.* n. 697.

1230 II. Remissio a creditore facta, si modo libere et legitime facta est, — i. e. neque fraude vel minis seu metu extorta, neque facta ab eo, qui ius non habuit — certe ab omni onere debitorem eximit intra limites ipsius condonationis.

Quare si formaliter condonatio concessa est, nihil difficultatis relinquunt. Id solum praestat addere, sufficere etiam posse condonationem rationabiliter praesumptam: quae aliquando locum habere potest in iniuriis erga parentes, heros commissis atque in similibus adiunctis. *Reuter* III, n. 353 haec dicit: «Hinc, qui rem detinet *prudenter credens*, dominum non esse invitum, non peccat; et comperto, quod dominus fuerit invitus, probabiliter non tenetur restituere, nisi quod in se vel in aequivalenti superest. . . . [Attamen id intellege, nisi antecedens culpa causam damni iam dederit.] Si *dubitetur*, an dominus esset remissurus, *petenda est remissio.*» Alii loco condonationis rationabiliter praesumptae dicunt: «si moraliter certum est, dominum non esse invitum». Ceterum communiter poenitentes debent in hac re prudens consilium confessarii alteriusve viri prudentis et pii inquirere.

1230 III. Cessio bonorum in casu eversionis rei familiaris.

1. Cessio bonorum *secundum leges* facta id saltem privilegium tribuit debitori, ut residuorum debitorum solutionem tam diu valeat differre, dum postea commode possit. *Reuter* III, n. 354.

2. Ut autem hic favor in conscientia valeat, excluditur: 1) omnis fraudulenta seu ficta solvendi impotentia; 2) etiam bonorum cessio ex delictis inducta seu causata; 3) retentio bonorum occulta praeter ea, quae lege conceduntur: nam, licet in conscientia ea bona retineri possint, quae ad parce vivendum pro conditione debitoris necessaria sunt, idque occulte, si forte per leges necessaria non concedantur, tamen quod praeter leges retinetur, excluditur etiam postea a favore legis, ita ut pro hac restitutione *commoda* facultas expectari non possit.

3. Per se autem neque iudicialis neque conventionalis bonorum cessio excusat a futura residuorum debitorum solutione, nisi forte aut expressa creditorum declaratione aut aliis signis satis certis pateat, creditores voluisse debita, quae restent, absolute condonare. Neque sufficit, si leges postea *actionem iudicalem* creditorum non amplius admittunt; haec enim sola actionis fori externi denegatio est, quae neque ius neque debitum in foro interno exstinguit.

4. Pro Anglia quidem contendit *Croll* (De iust. et iure III, n. 1232), et legum intentionem esse debitum prorsus extinguere, et eas leges etiam pro foro conscientiae ut iustas et validas habendas esse. Quae tamen non ex sola lege concludi posse censeo, sed puto *accedere alia adiuncta debere*, ex quibus consensum creditorum aut revera existentem aut iure debitum colligere liceat: quae re ipsa aliquando adesse non negaverim etiam in aliis regionibus, si modo inculpabilis sit bonorum cessio, nulla fraudis macula aspersa.

Videlicet contingere potest, maxime apud negotiatores, ut pro debitis contractis usurae solvantur tantae, quae, ut *iustae* sint, iam referri debeant etiam ad periculum sortis, cui aes alienum seu pecunia mutuo data in manibus debitoris exponatur. Quodsi pro hoc periculo pars usurarum ex contractu debitarum solvebatur, nunc vero periculum in verum damnum casus fortuiti transivit, iustum non est, ut dominus sortis seu creditor ius retineat ad *totum* debitum postea a debitore repetendum. Quare si eiusmodi usurae solutae sint, non abnuerim, opinioni auctoris Anglici accedere. — Quod eo magis tunc fieri licet, si ex communi persuasione homines in illa regione putant, se in conscientia servare posse eas legis dispositiones, quibus, re cum creditoribus composita, modo bonorum cessio ut dixi fuerit inculpabilis, ab omni in posterum solutione immunes declarantur; tunc enim in debitis contrahendis pecuniisque mutuo dandis tacite et implicite in hanc conditionem *consentitur*, ut, oriente inculpabili infortunio, debita censeantur exstincta.

Ceterum *Croll* notat, idque recte, si quis hoc legis favore se uti posse credat, id omnino requiri, ut ipse etiam prorsus secundum leges agat, neque minimum quidquam in suum favorem sibi permittat ultra id, quod leges concedant.

IV. Damnum creditoris vel alicuius extranei. Quod <sup>1231</sup> caput paucis absolvi potest. Si enim ex restitutione vel solutione, si nunc fiat, creditori damnum oriatur, caritas postulat, ut potius differatur solutio, nisi forte debitori ex retentione etiam damnum oritur. Immo eadem fere lex caritatis exigit, ut, si restitutio tertio cuidam ex-

traneo notabile damnum eiusve periculum creat, quod multum excedat incommodum illud, quod dominus ex dilata solutione habet, restituito etiam potius differatur: v. g. si praevidetur, dominum re sibi reddita in praeiudicium tertii abusurum. (Obligationem differendi restitutionem intellige, «modo ne dilatio *debitori* nimis onerosa sit».)

V. Solutio, quae creditoris creditori fiat, non semper omnino liberat; nam nisi ex rationabili causa ita agatur neque debita sint eiusdem generis, creditor rationabiliter invitus fuerit circa hanc permutationem proprio arbitrio factam.

VI. et VII. Interitus rei quando excuset, et compensatio quando liceat, ex praecedentibus satis liquet.

1232 VIII. Auctoritas seu sententia iudicis. Si sententia iudicis, quae me absolverit a solvendo debito aut mihi addixerit rem actioni subiectam, obiective iusta est, non opus est in ea tamquam in causa me niti, si quaero, cur rem retinere aut debiti solutionem negare possim: nam patet, me debitorem tum non esse nec fuisse. At quaerunt, num per sententiam obiective iniustam, quam bona fide pro iusta habui, mihi titulus in conscientiae foro ita tribuatur, ut etiam postea cognita veritate, nisi alia sententia evincar, nihil amplius restituere debeam.

Attamen dicendum est, ne consuetum quidem praescriptionis tempus semper id efficere, ut res revera mea fiat — quod etiam Puchta contra aliquos iuristas recte monet («Pandecten» § 157, not. m et «Vorlesungen über das heutige röm. Recht» § 157). Summum igitur iudicis sententia me in bona fide confirmare potest: quare si cum bona hac fide rationes ad-sunt, quae titulum coloratum constituunt atque per iudicem novum robur acceperunt, consueto tempore praescribere possum; si titulus deest, solo 30 annorum spatio praescribo; si demum titulus vitiosus est — quod per se sumi non debet —, numquam. Attamen si titulus, qui nunc adest et in quo sententia nitebatur, vitiosus non est, postea vero tandem aliquid detegitur, quo titulum meum vitiosum esse probetur: praescriptio, si absolutum est requisitum tempus, secundum plerarumque regionum leges non corrui.

IX. Donatio facta creditori ab eo, qui debiti immemor fuit, saltem quando nolisset mere liberaliter donare, si debiti memor fuisset. *S. Alph.* III 700 id pro practice probabili habet: cf. supra n. 1223.

X. Quomodo et quando propter *debita incerta* adsit ratio debitum exstinguens, supra satis dictum est.

XI. Transactio. Quae est conventio extraiudicialis, qua, lite iam mota, partes litigantes rem dubiam componant modo utrisque oneroso, videlicet sibi invicem aliquod ius dubium, quod *fortasse* habent, cedunt, sed vicissim pro eo ius minus quidem, at certum tenent. Si, transactione bona fide facta, alteruter litigantium invenit, sibi ius certum in totam rem fuisse, alteri nullum: tamen transactioni semel factae standum est, neque ab altero aliquid restituendum, nisi forte transactio redundet in praeiudicium tertii, cuius iuri cedi non poterat (*Reuter* III, n. 270) vel nitatur in falso facti supposito (*Cod. civ. Germ.* § 779).



XII. *Ingressus in religionem.* Num et quando debitori aere alieno gravato liceat religiosum fieri etiam cum probabili damno creditoris, non huius loci est discutere, sed id iam dictum est in tractatu de statu religioso.

Hic paucis noto, quae religiosus debitis ex priore vita gravatus circa solutionem seu restitutionem facere teneatur. Succincte et clare *Reuter* haec tradit n. 326.

1. Religiosus debitor tenetur ad opera vel labores statui et conditioni religiosae convenientes, quibus lucrari possit, quae solvat; religio enim *non liberat* ab onere solvendi, nisi quatenus solutioni praestandae *impedimento* est.

2. Religiosus autem non tenetur ad eos labores, qui statum dedeant vel extraordinaria opera sint, etsi praelatus licentiam dederit — nisi forte oboedientiae praecepto eum ad id adstringere possit et adstringat.

3. Immo religiosus ne ad ordinarios labores in illum finem extinguendi debita exercendos tenetur, si praelatus licentiam denegat.

4. Praelatus vero licentiam denegans iustitiam erga creditorem religiosi non laedit, nisi fraudulenter eum susceperit; attamen si sine iusta causa denegat, videtur contra caritatem delinquere.

5. Si quae vero bona per religiosum sive haereditate, sive donatione, sive etiam stipendio pro eius labore deductis expensis monasterio accederent, haec primo in extinguenda eius debita impendi deberent, quia bona illa ad monasterium transeunt cum illo onere, quod iis annexum fuisset, si in dominio religiosi mansissent. Ita *Lugo*, De iust. et iure disp. 3, n. 220 et disp. 20 n. 79; *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 447; *Reuter* III, n. 362.

XIII. *Praescriptio* quomodo a solvendo vel restituendo liberet, superius dictum est.

XIV. De compositione S. Pontificis auctoritate facta supra, ubi de bonis incertis locuti sumus, iam plura dicta sunt. Hic vero ea addenda duxi, quae occurrere possunt circa restitutionem bonorum ecclesiarum iniuste direptorum.

Cum igitur bona aliena eaque cum sacrilegio possideantur, iniustitia aliquo modo delenda est: quod cogitari nequit fieri nisi 1) per restitutionem, 2) per compositionem vel condonationem ex parte S. Pontificis ex gravissima causa concessam, 3) per praesumptam voluntatem Ecclesiae, 4) per praescriptionem.

Ex quibus modis aliqui iam ex natura sua a disputatione excluduntur. Primo enim si *restitutio* re ipsa facta est, totum negotium est confectum. Dein circa *praescriptionem* haec occurrunt notanda: 1) Praescriptio admitti nequit in raptoribus, utpote malae fidei; 2) neque in iis, qui scientes bona ecclesiastica per quoscumque contractus sibi acquirere tentant; 3) neque sufficit ea bona fides subiectiva, qua aliquis rudis ingenii fortasse putet, civilem potestatem legitime ea bona invadere posse: nam talis ignorantia iuris divini et naturalis nullatenus sic admitti potest, ut cum illa praescriptio subsistat. Quapropter circa bona ecclesiastica immobilia vix umquam praescriptio legitimum dominium conferre potest, etsi per plura saecula possessio perduraverit.

Relinquitur igitur, ut aliquid de praesumpta voluntate Ecclesiae et de condonatione ex parte S. Pontificis dicamus.

1235 Praesumptam voluntatem seu consensum Ecclesiae aliquando in quibusdam circumstantiis admitti posse, circa bona mobilia videtur colligi ex iis, quae *Ben. XIV* disputat in literis ad Congr<sup>a</sup> de Propag. Fide secretarium datis occasione Postulati ab Archiep. Antibarensi propositi die 19 Martii 1752 (in Bullar. Ben. XIV n. LVII).

Ibi enim non renuet, quin ad bona ecclesiastica mobilia direpta ab infidelibus atque divendita, ita *ut vix spes sit, verum dominum inveniendi*, applicetur responsum anno 1630 datum circa bona christianorum a piratis occupata et vendita: «Utrum Christiani liberi, qui hic (Tuneti) negotiandi gratia commorantur, et alii captivi ementes a piratis infidelibus bona a fidelibus rapta, et in hac urbe venum exposita, vel dono ea recipientes, ut hic ad proprios usus utantur, vel ad terras christianorum lucri gratia transmittant, peccent mortaliter et teneantur ad restitutionem?»

«Patres deputati (i. e. theologi consulti) existimarunt, bona christianorum a piratis rapta posse fideles absque noxa mortali et onere restitutionis emptione, venditione aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere ac in proprios usus convertere, non obstante quod sint in bello iniusto rapta» — attamen huic responso a consultoribus S. Officii haec clausula addita est, «ut fideles animum paratum haberent ad restitutionem emptarum rerum, si umquam verus earum dominus compareret, easque redimere vellet pretio soluto, quod emptor Turcis in emptione numeravit.»

Rationem vero *Benedictus XIV*, plures eosque gravissimos auctores quos laudat secutus, repetit ex praesumpta voluntate veri domini, cuius res aut utiliter geratur, aut secundum eius voluntatem potius in utilitatem fidelium quam infidelium raptorum converti debeat. Quare si similes conditiones in rebus ecclesiasticis accidant, videtur eadem agendi ratio licita esse.

1236 Haec quidem de rebus mobiliibus, maxime iis, quae diu servari nequeunt. At de immobilibus longe alia est eaque non controversa auctorum sententia, vid. earum possessio utpote rapina non incognita vitiata, atque talis, ut ad legitimum dominum res semper redire possit, manet iniusta, donec aut restitutio aut legitima condonatio facta fuerit.

Et revera etiam dissimilis agendi ratio praescribitur in instructionibus S. Poenitentiariae a Pio IX approbatis pro absolvendis iis poenitentibus, qui bona mobilia ecclesiastica, et iis, qui immobilia a gubernio Italico occupata sibi acquisiverint. Praestat responsa occasione Iubilaei Concilii Vatic. data hic subicere, data ex Poenit. 1 Junii 1869, cum *absolvendi* potestas confessariis per Bullam Iubilaei esset tributa:

«4. An et quomodo possint absolvi, qui acquisierunt et possident bona ecclesiastica immobilia alienata a gubernio?»

«R. Poenitentes qui detinent huiusmodi bona, non esse absolvendos, nisi prius loci Ordinario aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per dioecesin designandis, consignaverint syngrapham ab iis subscriptam seu coram testibus subsignatam, eique Ordinario quam primum transmittendam ac caute in Cancellaria dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque haeredes et successores subiacere declarent: 1) retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde parendi; 2) conservandi ipsa bona, et rem utilem in iis gerendi; 3) adimplendi pia onera iisdem bonis annexa; 4) subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis, ad quae de iure per-

tinent; 5) monendi haeredes et successores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.»

«5. An possint absolvi et sub quibus conditionibus illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt, quae postea aliis vendiderunt atque cooperati sunt ad contractus super iisdem bonis?»

«R. Affirmative, deposito lucro exinde iniuste percepto in manibus Ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.»

«6. An et sub quibus iniunctionibus possint illi absolvi, qui acquisierunt bona mobilia ecclesiastica?»

«R. Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum, ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio, quod iudicio Ordinarii seu confessarii fuerit minus iusto. At si agitur de rebus, quae non sunt usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de supellectilibus et vasis sacris, imponatur poenitentibus obligatio quam primum recurrenti ad loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem rebus iuxta indultum ipsi Ordinario iam a S. Poenitentiaria concessum provideat.»

Facultas episcopis data haec erat, ut possint fidelibus, qui recurrant, potestatem facere emendi res ecclesiasticas mobiles, remoto scandalo, atque 1) erogata eleemosyna ut supra, si pretium censeatur iusto minus; 2) ut si agatur de rebus, quae servari possint, earum elenchum tradant Ordinario, et parati sint, eas, soluto pretio, ecclesiae locisve piis restituere etc.

Igitur praecipue circa bona immobilia ecclesiastica iniusto modo 1287 acquisita, nisi restitutio re ipsa fiat, *condonatio vel compositio a S. Pontifice* exquirenda est.

Posse vero S. Pontificem eam condonationem facere, modo adsit omnino gravis causa, ex eo elucet, quia 1) est summus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum et causarum piarum; 2) quia suprema iurisdictione in Ecclesia et pro universali Ecclesiae bono utitur: quare si bonum Ecclesiae universale maioris ordinis id postulat, etiam cum damno singulorum institutorum ecclesiasticorum condonationem facere potest.

De facto vero *fecerunt* R. Pontifices compluries eiusmodi condonationes circa bona illa, quae a *guberniis* iniuste occupata, et dein sive in possessionem fisci sive in possessionem privatorum emptorum transierunt: fecerunt hoc ad servandam fovendamque pacem regnorum cum Ecclesia aut ad faciliorem reddendam reconciliationem eorum, qui ab Ecclesia defecerant.

In tali *publica et gravissima* causa S. Pontifices satis facile fecerunt condonationem aut plenam, aut cum onere alicuius eleemosynae.

Primum exemplum praebuit *Iulius III*, cum mitteret *Card. Polum* ad Angliam post schisma Henrici VIII, regnante Maria, cum Ecclesia reconciliandam. Per literas 28 Iunii 1554 datas Cardinali Legato amplissimam concessit facultatem «cum quibuscumque bonorum ecclesiasticorum tam mobilium quam immobilium in praefato regno possessoribus seu detentoribus, pro quibus ipsa Serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis, *arbitrio tuo*, auctoritate Nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, et cum iis, ut praefata sine ullo scrupulo in

posterum retineri possint, dispensandi, omnia et singula alia, quae in his et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, consulendi et faciendi; salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem haec S. Sedes merito tibi videretur consulenda, Nostro et praefatae Sedis beneplacito et approbatione». Qua facultate Cardinalis non parce utendum esse duxit, atque brevi regnum pacavit fideique catholicae iterum subiecit — pro dolor! — post paucos annos in schisma et haeresim relapsurum.

Amplissimam etiam condonationem *Clemens XI* literis ad *Augustum II*, Poloniae Regem et Saxoniae Electorem, die 10 Nov. 1712 datis iis promisit, qui in Saxonia bona ecclesiastica possidentes ab haeresi ad fidem catholicam reversuri essent.

1238 Pro nostris temporibus nota haec: 1) 15 Iulii 1801 *Napoleoni I* condonatio facta est eorum honorum ecclesiasticorum, quae ad illud usque tempus a gubernio occupata et alienata erant: quod responso S. Poenit. anno 1818 et postea per Breve *Pii VII* 20 Oct. 1821 extensum est ad omnia bona, quae 15 Iulii 1801 a gubernio occupata erant, sive fuerant alienata sive non. — Die 27 Nov. 1891 pro Archid. Colon. cum Trevir. et Monast. dioeces. concessum est, ut idem valeat relate ad *occupationes a gubernio Gallico usque ad finem anni 1814 in sinistra Rheni ripa* continuatas: quod die 7 Febr. 1894 extensum est «ad bona ecclesiastica, quae in toto regno Borussiae usque ad finem anni 1824 saecularizata sunt et de praesenti a privatis tamquam propria possidentur vel in posterum possidebuntur» (cf. *Analecta eccl.* III 211). 2) Accedit pro *republica cisalpina* tum temporis condonatio per concordatum 16 Sept. 1803. 3) Pro regno utriusque Siciliae habetur condonatio in conventionem 7 Martii 1819, 4) pro tota Sardinia 14 Maii 1828, 5) pro Belgio 16 Sept. 1833, 6) pro Hispania per concordatum 1851 et 1859, quo omnes qui bona eccl. a gubernio usurpata emerunt plene liberantur. Quae vero acquisita sunt aut privata occupatione, aut etiam sub auctoritate civilis potestatis in iis regnis, quibus condonatio facta non est — (neque hac in re pro condonatione plena haberi potest acceptatio salarii clericis quotannis a gubernio solvendi, nisi condonatio vere adiuncta sit) —: eo tantum modo legitime in possessione eorum, qui detinent, manere possunt, quod recursus habeatur in singulis casibus ad S. Sedem, quae etiamtum, imposita quadam «componenda» in causas pias satis benigne iniuncta, possessionem sanare consuevit.

## SECTIO IV.

### DE BONIS EXTERNIS IURIBUSQUE TRANSFERENDIS.

1239 Bona externa atque iura humanis usibus destinata, hominibus eorumque necessitatibus sibi continuo succedentibus, ab uno in alterum transferri necesse est. Quod fit 1) cotidiano commercio inter homines atque rerum commutatione, in qua tota fere rerum publicarum efflorescentia atque temporalium abundantia rerum nititur; aliter enim homines abundarent fortasse in una re, in altera summa premerentur penuria: hinc diversi ineuntur *contractus*.

Fit 2) *successione in bona defuncti*. Cum enim pro usu huius vitae externa bona a Deo concessa sint, finita vita eius qui possedit, bona



per mortem dimissa ad superstites transire eorumque usibus cedere debent, ut naturali destinationi possint servire.

De utraque bonorum iuriumque translatione agere debemus, ut tractatio de iustitia absoluta sit atque perfecta, idque etiam pro foro interno, quia in bonis illis transmittendis, si uspiam, iustitia laedi facile potest. Quod imprimis valet de contractibus, in quibus non solum bonorum iuriumque dominus mutatur, sed generatim etiam ipsorum iurium vera fit commutatio. Quae, ut iustitia servetur, immediate aequalitatem rei ad rem postulat: unde etiam tota iustitia stricta nomen commutativae iustitiae sortita est.

## PARTITIO I. DE CONTRACTIBUS.

Praeter scriptores saepe laudatos sive de universa theologia, sive de iure et iustitia agentes, ut *Molina*, *Lugo*, *Lessius*, *S. Alph.*, *Ballerini-Palmieri*, plures alii hic commendandi sunt, ut *Beusch*, Tractatus canonico-legalis de pactis et contractibus in genere (apud *Migne*, Cursus theol. tom. XVI); scriptores recentes: *Pruner* n. 678 sqq, eiusdem opus «Lehre vom Recht etc.»; *Schwane*, Die Verträge; *Marres*, De iustitia lib. tert.; *Allegre*, Le code civil commenté; *Van Gestel*, De iustitia et lege civili.

Amplissimus igitur modus transferendi et mutandi bona atque iura sunt contractus: in quibus tota fere socialis vita quasi in cardinibus vertitur. Solum, quantum satis est pro confessario atque conscientiae direttore, de iis dicturi sumus.

### *Caput I.*

#### De contractibus in genere.

##### *Articulus I.*

##### Notio et divisio contractuum.

Definitur contractus duorum vel plurium conventio circa aliquid<sup>1240</sup> praestandum. Illud, de quo praestando conveniunt, potest esse aut *res* aliqua, aut *actio*, aut *omissio*. Dicitur «duorum vel plurium consensus seu conventio»: per se enim sunt *duae* partes contrahentium, quorum unus alterius consensum acceptet suoque assensu consensum efficiat; quia vero ex alterutra vel utraque parte plures esse possunt, qui in eadem re conveniant, propterea dictum est: duorum *vel plurium* consensus.

Distinctiones praecipuas do ex iure Romano et communi, quamquam in recentioribus iuribus complures ex illis distinctionibus evanuerunt:

1. Contractus *unilateralis* et *bilateralis*, prout uni tantum parti aut utriusque obligatio imponitur, atque ita aut contra unam aut contra utramque ex contractu actio iudicialis instrui possit.

2. Contractus *gratuitus* et *onerosus* — quae distinctio fere cum praecedenti coincidit — prout cedit secundum formam suam in unius tantum partis utilitatem (*gratuitus*), aut per eum utriusque partis utilitas intenditur, seu ita alterutrius partis utilitas respicitur, ut ea pars suo onere etiam ad alterius utilitatem conferre debeat (*onerosus*) — aliis verbis, si ius unius ad id, quod alter *praestare* debet, mutua *praestatione* habetur. — V. g. promissio et donatio sunt contractus gratuiti et simul unilaterales; commodatum et depositum gratuiti bilaterales; venditio est aliquis ex contractibus onerosis, qui numquam non sunt bilaterales.

3. Contractus *sollemnis* et *simplex*, prout certis formalitatibus a lege praescriptis perficitur, aut sine eiusmodi formalitatibus privato contrahentium consensu valide et legitime perficitur: v. g. venditio publico instrumento perfecta, aut venditio privatim facta.

4. Contractus *realis* et *consensualis*, prout aut requiritur ex una parte *rei traditio* (contractus *realis*), aut solus utriusque partis consensus ad hoc sufficit, ut in sua specie existat. Ita v. g. promissio, et secundum pleraque iura venditio, sunt contractus consensuales; mutuum est contractus *realis*.

5. Contractus *realis* et *personalis*, prout ex contractu praecipue ius circa *rem* nascitur ideoque *ipsa res obligata est*, aut *sola persona contrahens* obligatur. — Sic promissio alicuius actionis potius est *personalis*, promissio alicuius rei plerumque *realis* est contractus.

1241 6. Contractus *nominatus* et *innominatus* ita distinguitur, ut prior speciale nomen atque specialem actionem in foro iudiciali habeat, alter speciali nomine vel actione careat, sed generali tantum titulo laesae iustitiae in iudicium deferri possit.

7. Contractus *nudus* et *vestitus*, prout per se solam obligationem in conscientia parit, aut etiam civilem obligationem, de qua in iudicio conveniri possit. Sic contractum nudum habes e. g. in simplici stipulatione, qua aliquis cum altero convenit, se suam domum illi vendere velle.

Nota tamen haec: 1. Etiam nudus contractus non omni civili effectu caret. Nam etsi ex tali contractu qua tali civilis actio non admittitur, admittitur tamen etiam in civili foro exceptio contra actorem alius causae, retentio accepti etc. — Immo accedentibus singularibus circumstantiis eae conventiones, quae alias nudi contractus censentur, plenum civilem effectum aliquando parere possunt, v. g. secundum ius Rom. et canon. in favorem causarum piarum.

2. a) Contractus *innominatus*, qui nudus non sit, semper *realis* est, non *consensualis* tantum. — b) Dein nota: nudus consensus ad contractum *innominatum* celebrandum in foro *externo* obligationem non parit, in foro *interno* autem intentio et aequitas respicienda sunt. c) Immo etiam contractus *innominatum* completo per rei traditionem, in foro *externo* non raro datur locus poenitendi seu facultas resiliendi; quid vero in conscientia liceat, ex intentione contrahentium vel consuetudine multum pendet.

3. Contractus *innominati regulares* enumerantur sub quadruplici forma: 1) do ut des, 2) facio ut facias, 3) do ut facias, 4) facio ut des: quibus formulis iam satis ostenditur, hunc certum contractum non existere, nisi evaserit *realis*, ideoque si qua conventio praecesserit, hanc nudam quandam stipulationem praeviam esse.

Contractus *innominati irregulares* vocantur: contractus simplicis permutationis, et contractus aestimatorius (*Troedelvertrag*); cf. infra c. 4, a. 1, § 2.

8. Contractus *stricti iuris* et *bonae fidei*, quae distinctio in iure Romano magni momenti erat, hodie autem in recentioribus iuribus vix amplius obtinet. Videlicet «*stricti iuris*» ii contractus vocantur, in quibus obligationes stricte secundum verba contrahentium sumuntur: «*bonae fidei contractus*» ii, in quibus bono arbitrio iudicis multa relinquuntur, qui secundum aequitatem et consuetudinem dubia diiudicet, idque in Anglia etiam nunc in multis

causis observatur. (Plura v. *Beusch* l. c. c. 2, n. 99 sqq.) Possunt tamen bonae fidei contractibus ii fere aequiparari, circa quos leges positivae plura disponunt, quae cum obligatione *expresse* inita *simul* sint observanda, etsi a contrahentibus nec statuta neque *expresse* cogitata sint: prout sunt fere contractus onerosi.

9. Contractus *expressus* et *tacitus*, vel etiam *quasi-contractus* ita distin-<sup>1242</sup> guuntur, ut contractus *expresse* fiat consensu formaliter manifestato, *tacitus*, quando consensus ex alia actione, e. g. officii susceptione, colligitur. *Quasi-contractus* aliter a theologis, aliter a iuristis sumitur. Theologi communiter *quasi-contractum* eum dicunt, quem modo dixi *contractum tacitum*, quo aliquis ut in allato exemplo suscepti muneris promittit, se fideliter suo munere functurum esse. Iuristae *quasi-contractum* eam nominant iuridicam relationem, quae *consensu a lege praesumpto* producitur, ut in *negotiorum gestione* (in qua dominus, in cuius favorem negotii gestionem alter suscepit, ea quae gesta sunt, rata habere tenetur); in *solutione indebiti*, *tutela*, *haereditatis aditione*. Quapropter, etsi consensus vere defuerit, tamen lex eandem obligationem inducet, ac si consensus datus sit.

10. Contractus *absolutus* aut *conditionatus*, prout absoluta obligatio contrahitur, aut obligatio dependens fit ab aliqua conditione.

Contractus igitur et eius obligatio ab ipsorum contrahentium libera<sup>1243</sup> voluntate quam maxime pendet; attamen ut in distinctione n. 8 vidimus, aliquando ipsa lex in certis quibusdam contractibus obligationes determinat accuratius atque magis explicat. Quare ut universim ea, quae in contractibus occurrunt, complectamur, distinguere debent contractus 1) *essentia*, 2) *natura*, 3) *accidentia*. *Essentia* enim ea comprehendit, sine quibus contractus non subsistit; *natura* ea insuper addit, quae, tali contractu existente, simul secundum leges vel consuetudines adesse censentur, nisi contrahentes *expresse* contrarium statuerint: siquidem ambitus obligationum et iurium non solis verbis contrahentium, sed etiam lege, consuetudine, *aequa* interpretatione definiuntur; *accidentia* ea dicuntur, quae, nisi *expresse* addantur a contrahentibus, cum contractu ipso non censentur constituta.

Singula vero, quae in quolibet contractu occurrunt vel occurrere possunt, discutienda sunt, tum circa *contractum «in fieri»*, tum circa *contractum «in facto esse»*, i. e. circa obligationem iuridicamque relationem ex contractu exortam. Ad *contractum* autem in fieri necessaria sunt 1) *objectum* seu *materia* circa quam contractus versatur, 2) *personae* contrahentes, 3) *legitimus consensus*.

## Articulus II.

De causis contractuum seu de contractibus „in fieri“.

### § 1.

*De objecto seu materia, circa quam contractus versatur.*

*Objectum* contractus id omne et id solum esse potest, circa quod<sup>1244</sup> contrahentes liberam iuridicam disponendi facultatem habent, vel circa quod iuridicam obligationem inire possunt.

Fusius autem enumerantur hae conditiones, quae obiectum afficere debent, ut sit aptum, circa quod hic et nunc contractus fiat, sive est res quaedam externa, sive actio praestanda:

1) ut sit obiectum *possibile*, tum physice, tum moraliter: nam ad impossibile nemo obligatur, neque se obligare potest. Immo haec impossibilitas iure latiore quodam sensu sumitur, ut etiam impossibilitatem moralem latiore comprehendat; nam quod homo ita sibi impossibile fore iudicat, ad id eum sese obligare *velle*, assumi nequit. Porro nisi vere *voluit* sese obligare, contractus non subsistit;

2) ut sit obiectum *existens*, i. e. sive *in re* sive *in spe*: alioquin obiectum rei impossibili aequiparatur, vel voluntas seria obligationis contrahendae defuisse dici debet;

3) ut sit obiectum offerenti *proprium*: de re enim aliena disponere per me non possum, ideoque corrui obligatio — quod non impedit, quominus ex fraude vel iniustitia erga alterum obligari possim;

4) ut sit obiectum *certum et determinatum*, saltem *aliquo modo*; obligatio enim omnino indeterminata existere nequit, atque oblatio rei prorsus indeterminatae censetur esse illusoria, non seria; e. g. si quis dicat «vendo tibi vinum», nihil determinans, is ludere velle censetur, nisi forte intendat sese obligare ad vendendum vinum pro futuro tempore, quandocumque alter emere voluerit;

5) ut sit obiectum *honestum*; si enim id, circa quod contractus versatur atque obligationem contrahentes suscipere conantur, inhonestum est seu illicitum, impossibile est, ut vera obligatio verusque contractus fiat. Quod inhonestum est, vitare et omittere tenemur; quod ex contractu debemus, tenemur praestare seu facere: ad utrumque igitur, ad faciendum et ad idem omittendum, obligatio existere nequit; quare cum obligatio omittendi ea quae sunt illicita prior sit et absoluta, altera umquam oriri nullatenus potest;

6) ut sit obiectum aliquo modo *pretio aestimabile*, videlicet aut utile ei, cui gratuito contractu res addicitur, aut tale, quod, si contractus onerosus est, aliquo modo comparari possit cum reciproca obligatione ab altero inita: aliter enim obligari velle aut nugatorium esset aut iniquum; proin obligatio vera oriri non posset, ergo neque contractus.

1245 Scholion. Cum contractus obiecto cohaeret id, quod dicitur causa contractus. Causa enim contractus illud est, quod in contractu celebrando aliquis intendit, adeoque finis est. Qui potest esse multiplex. Proxime vero ab alterutro contrahentium in bilaterali seu oneroso contractu intenditur opus ab altero praestandum vel res ab eo tradenda. Quod si fit, causa contractus simul illius materia seu obiectum dici potest, quamquam non sub eodem respectu consideratur. Quare quae de causa hoc sensu sumpta dicenda sunt, intelliguntur ex iis, quae de obiecto dicta vel dicenda sunt. De aliis causis autem postea quaedam attingentur.

Explicationem uberiores aliquarum conditionum addere oportet:



I. Res, circa quam conventum est, si possibilis *tantummodo ex parte manet*, efficit, ut contractus fiat invalidus, si indivisibiliter de ea re contractum est, vel si res indivisibilis est: valet contractus quoad partem possibilem, si obiectum est divisibile et contractum de eo est divisibiliter; e. g. si contraxisti, ut 100 cori tritici tibi tradantur, quando 50 ex iis pereunt, manet generatim obligatio circa reliquos 50.

II. De conditione, ut res *pretio sit aestimabilis* secundum explicationem 1246 ante datam, plura notanda sunt:

1. Haec conditio supponit, agi de contractu, vi cuius pretium aliquod datur ei, qui aliud praestitit aut praestiturus est. Porro id ante omnia notandum est, pretium ut pretium dari, nec aliter dari posse nisi pro illa privatione, quam alter actionem aut rem praestando sibi infert, vel pro obligatione, quam in se assumit. Si igitur ea obligatio vel privatio nulla est vel tanti non est, ut cum pretio comparari ullatenus possit: impossibile est, ut iuste pretium detur aut accipiatur. Quare tunc, si nihilominus aliquid redditur, videndum est, num pro gratuita donatione haberi possit; aliter contractus de pretio dando est invalidus.

2. Igitur pretium eiusque iustitia non est sumenda ex utilitate alterius, sed ex onere, quod ille, qui pretium accipit, subit, ex huiusque oneris communi aestimatione. Id solum respondet iustitiae commutativae, quae in aequalitate dati et accepti consistit: quare qui aliquid tradit, secundum mensuram rei traditae seu oneris suscepti aequivalens sua vice accipere debet, non secundum mensuram utilitatis, quam alter fortasse percipit; nam illam ipse non tradidit, seu illa sese non privavit. Cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 77, a. 1, qui tamen recte ait: «Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum iuvatur, potest *propria sponte* aliquid vendenti supererogare.»

Hinc: 1) Pro ostendenda via, quae sine ullo incommodo ostendi potest 1247 est, ex contractu exigi nihil potest; potest tamen alter occasione huius actionis gratuita promissione sese ad donum conferendum obligare.

2) Si quis alteri pro observando ieiunio, ad quod iam existit obligatio legis, certum pretium promittit: ille contractus non est invalidus, quia a) censetur esse liberalis promissio, etsi conditionata: b) res seu labor incommodum *in se* pretio aestimabile est, neque obligatio ex oboedientia impedit, quominus obligatio *verae iustitiae* accedere eaque aestimari possit.

3. Si quis cum altero contraxit ad negotium peragendum in dissito loco, per se non impeditur, quin cum tertio pro pretio contrahat ad simile negotium peragendum. Illud enim novum onus ex consortio alterius non amittit in se pretii aestimabilitatem. Quod autem mandatarius non habeat novum incommodum notabile, per accidens est.

Videlicet videndum est, utrum obiectum contractus seu pretii sit *labor praestandus*, an *obligatio suscepta*. Si est labor praestandus, quando novus labor non accedit, pretium augeri nequit; si vero obiectum est obligatio suscepta, etsi secunda obligatio per accidens laborem non auget, si modo in se pretio aestimabilis est, pretium augeri non est iniustum.

Utrum autem nuntii, qui publice constituuntur ut nuntii, pro quolibet negotio idem pretium exigere possint, sive in eodem loco unum sive plura conficienda habent, annon, ex consuetudine et positiva lege pendet. Quamquam enim id ex se iniustum esse nondum dici potest, possunt tamen leges pretium ita determinare, ut ex iustitia diminuendum sit, si plura negotia eodem labore confici possint.

4. Res spiritualis et supernaturalis obiectum pretii temporalis licite esse non potest; potest tamen per se permutatio rei spiritualis cum re spirituali fieri, aut etiam pretium dari pro re temporali rei spirituali adnexa. Recole, quae de simonia dicta sunt n. 529 sqq. Verum inde non sequitur, in quolibet pretio simoniaco etiam committi *iniustitiam*: in tali enim commutatione revera aliquid datur, quod pretium temporale sine comparatione superat; quo fit, ut uterque contrahens rei spirituali gravissimam inferat iniuriam et sacrilegium committat. Sitne laesa iustitia commutativa, et quando, aliunde repeti debet. Cf. *Lugo*, De iust. et iure disp. 18, n. 69.

1248 III. Gravissima quaestio agitur de obiecto *turpi*, videlicet num valeant contractus circa rem turpem.

Sensus quaestionis exponitur. 1. Non quaeritur, possitne obligatio adesse ad rem illicitam seu peccaminosam actionem, de qua conventum est, faciendam. Id enim prorsus negandum esse, patet. Quare et haec promissio nulla est, et pretium pro illicita re *facienda*, si quod acceptum sit, est reddendum.

2. Ergo neque id quaeritur, num *haec conventio* de re illicita pro pretio aliquo facienda, utpote ab initio nulla, tractu temporis valida fieri possit. Id enim eodem iure negari debet.

3. Sed quaeritur, sitne pretium in illa illicita et invalida conventionem statutum demum solvendum, si, illicite non obstante, alter actionem in pactum deductam vere praestiterit, atque num solvendum sit vi novi alicuius contractus realis et innominati, qui oriatur ex re seu actione in alterius favorem secundum eius voluntatem praestita, ex contractu innominato «facio, ut des».

Opiniones diversae. Sunt, qui negent, ullam contractus obligationem oriri: ita praeter alios, quos videre licet apud *Baller. Palm.* III, n. 581 sqq, *Beusch*, De pact. et contract. c. 4, n. 269 sqq; *Carrière*, De contract. I 224. Communior autem opinio *affirmat*, cui subscribendum esse censeo. Cf. etiam *Vermeersch*, Quaestiones de iustitia<sup>2</sup> n. 294.

1249 Opiniones affirmantis probatio. Praevia illa conventio de re illicita pro pretio praestanda prorsus illicita et invalida quidem erat; at in se continebat rei peccaminosae secundum eius utilitatem apparentem appreciationem, vel potius determinationem pretii, quanti ex aestimatione promittentis periculum illud et incommodum valeat, quod ex actione turpi quidem, at simul onerosa et periculosa exsecutori nascatur. Quae periculi aestimatio non est intrinsecus mala. Quando igitur alter vere illud periculum et incommodum subiit, quod alter — etsi inique — in suum favorem postulaverat, *contractus realis perficitur* (facio, ut des) atque pretium ex conventionem determinatum pro periculo et incommodo solvendum est, nisi forte: 1) sit pretium omnino prodigum, quod est reducendum; 2) aut lege positiva ipso hoc pretii accipiendi iure exsecutor reus privetur; 3) aut contractus turpis tanquam iniustus erga promittentem declaratus sit.

Hac expositione principalis ratio adversariorum videtur eversa esse. Dicunt enim: Praevia conventio invalida erat omnino, ergo etiam invalida erat secundum pretii promissionem; atqui quod ab initio invalidum est, tractu temporis non firmatur. Quam rationem *Beusch* graviter urget ex eo, quod subsequens contractus innominatus essentialiter pendeat a praevia stipulatione; proin, vitiata radice, quod ex illa oriatur, etiam vitiatum seu invalidum esse. — At *distingui* oportet: ab illa praevia stipulatione sub-

sequens innominatus contractus ita pendet, ut censi debeat completio et perfectio illius, quod antea incohatum erat, seu: habetur idem contractus, antea incohativus, postea completus, Nego. Subsequens contractus pendet a priore conventionem non secundum speciem suam essentialem, sed secundum pretii *determinationem*, Concedo: quae pretii determinatio in se non erat invalida nec peccaminosa.

Confirmatur nostra opinio solutione secundae rationis adversariorum. Dicunt igitur secundo, si lex naturalis contractus eiusmodi validos relinqueret, lex naturalis praeberet incitamentum ad peccata; incitaretur enim, qui actionem peccaminosam promisisset, ad implendum peccatum, quo sibi irrevocabiliter alterum obligaret ad pretium solvendum. At lege naturali incitamentum ad peccatum praebere nequit. Ergo valor eiusmodi contractus, etiam posita actione in pactum deducta, sustineri nequit.

Resp., distinguendo mai. Lex naturalis non auferret omne incitamentum peccati, Concedo mai.; positive praeberet incitamentum, Nego mai. Nam lex naturalis potius dicit cuilibet homini, peccata multo graviorem poenae reatum contrahere, quam sit quaelibet temporalis utilitas, ac proin quamlibet utilitatem temporalem potius relinquendam esse quam peccatum committendum. Attamen revera in multis casibus ordo naturalis non aufert quamlibet temporalem utilitatem a peccato; sic enim Deus vult probare virtutem et probitatem: neque id repugnat. — Si vero adversariorum rationem aliquis urgere velit, ad absurdissima delabitur: e. g. eum, qui die Dominica laboraverit, iniustitiae reum dicere debet, si pro labore suo pretium sumit; eum, qui contra iustam parentum voluntatem matrimonium promiserit, idque invalide, etiam invalide illud contrahere; quod maxime tunc par ratio est, quando matrimonii celebratio fiat per procuratorem, si quidem causam illi demandatam revocandi ex suppositione obligatio est.

NB. 1. Quod de aliis contractibus circa rem turpem dictum est, prae-1250  
cipue, immo magis valet de extorto turpi consortio a puella sub promissione matrimonii; hanc nimirum implendam esse, iam supra dixi n. 1187, nisi graves causae contrariae adsint. Nam vel ipsa matrimonii promissio in actu peccaminoso sive postquam iam coepit impleri, renovatur, in quo casu nullum dubium de valore promissionis ex natura rei adesse potest; vel si, promissione matrimonii a iuvene facta, puella sui corporis potestatem praebet, ipsa hac actione, utut peccaminosa, acceptat et repromittit, ita ut contractus sponsalitus habeatur, non secus ac per acceptance[m] arrhae et annuli post oblatum matrimonium, quamdiu non obstat positiva lex irritans. Re ipsa ex decreto *Ne temere* a die 19 Apr. 1908 adest quidem pro catholicis lex *sponsalium* contractum quemcumque informem irritans. Quare in casu nostro obligatio ad matrimonium non iam erit pro catholicis ex sponsalibus; at naturalis valor nudae promissionis onerosae, quae alias in deceptionem damnosam transiret, omnino sustinendus est. Cf. quae vol. II dicuntur de sponsalibus.

NB. 2. Possunt tamen leges positivae eiusmodi contractus etiam quoad pretii aestimationem irritos facere: quod si *certo* fecerunt, atque ita fecerunt, ut non in foro externo tantum, sed etiam in foro interno omnino eos irritos redderent, id in conscientia servandum est; si *probabiliter* fecerunt, ante iudicis sententiam id eligi potest, quod cuique probatum fuerit.

Practice igitur haec tenenda sunt:

1251 I. Si agitur de peccatis in pactum deductis, quae lege criminali non puniuntur, post opus praestitum pretii solutio in conscientia urgenda est, saltem eatenus, quatenus agitur de damno et incommodo compensando.

2. In iis criminibus, quae lege puniuntur, neque solutio ita urgenda, quamquam aliqua compensatio non raro multum suadenda est, neque post solutionem acceptam restitutio est imponenda; quia in illis criminibus plures auctores docent, poenam lege infligendam id etiam includere, ut reus mercede sua privetur: cui sententiae aliquis etiam ante iudicis condemnationem sese conformare potest, sed non tenetur. Vide *Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 14, n. 70 et c. 18, n. 20: immo leges positivae non raro utrumque statuunt, ut neque ex causa turpi aliquid exigendum neque datum repeti possit.

3. Si qui autem contractus turpes declarantur ipso facto irriti a lege propter periculum fraudis et iniustitiae, pretium acceptum restituendum est, nisi forte alter libere et liberaliter cesserit vel cedat.

4. In accipienda vel exigenda mercede pro peccaminosa actione posita id practice tamen est cavendum, ne nova complacentia et approbatione peccati denuo peccetur.

## § 2.

### *De personis contrahentibus seu de subiecto contractuum.*

1252 Ex iis, quae de obiecto contractus dicta sunt, iam patet, eos omnes contrahere posse, qui de rebus vel actionibus suis liberam habent disponendi facultatem. At id non ex sola hominum natura, sed etiam ex positiva lege repeti debet, cum publica auctoritas eam disponendi facultatem, quam natura dederat, aliquando auferre vel restringere possit.

I. Ex natura sua excluduntur a faciendo contractu, qui usum rationis non habent, ideoque infantes, amentes, ebrii.

II. Lege positiva vel non possunt, vel firmiter non possunt in multis saltem rebus contractum facere: *filij minores, uxores, interditi, civiliter mortui.*

De singulis eorum pauca notanda sunt: accuratiora videnda sunt in singularum regionum legibus. Cf. etiam n. 1272 sqq, ubi de rescindibilitate contractuum principia statuuntur.

## Punctum I.

### *De filiis minoribus.*

Cf. *Prunck* et *Schwane* ll. cc.

1253 Quinam sint *minores*, n. 1057 dictum est, ubi egimus de dominio.

I. Minores sine consensu tutoris vel curatoris firmiter contrahere non possunt, ita ut ipsi non sint obligati. Qui vero contraxit cum minore, obligationem excutere nequit, si ex parte minoris eiusve curatoris res, de qua conventum erat, fuerit praestita.



2. Etsi tum ipse minor, tum qui eius curam agunt, seu quorum interest contractum rescindi, hanc rescissionem petere possint: nihilominus in conscientia minor resarcire debet damna, in quae alterum per dolum coniecit, aut ex quibus ipse lucrum seu commodum hausit.

3. Difficilior est quaestio, teneaturne solvere aes alienum contractum ex computationibus aliisve prodigis actionibus, vel ex pecunia mutuo accepta ad eiusmodi usus malos et prodigos, si alter, v. g. caupo, sciens minori haec praestiterat, ut is genio suo posset indulgere, quando lex positiva ius debita exigendi creditori neget; aliis verbis: potestne talis lex ita accipi, ut in poenam cooperationis illicitae ius creditoris prorsus exstinguatur, an ita tantum, ut sola actio iudicialis denegetur?

Ius Romanum sic revera constituit de *pecunia mutuo accepta*. Quare si consumpta est ad fines utiles vel etiam ad eas recreationes, ad quas spectata conditione pater adolescentis pecuniam daturus fuisset, reddenda quidem est; at si exhausta est *ad usus excessivos et inutiles*, neque minor fraudulenter egit nec sui iuris (in casibus exceptis) erat aut esse videbatur: ex complurium sententia ne postea quidem, quando maior evasit, in conscientia est reddenda. Ita *Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 20, n. 8 sqq; *Laymann* l. 3, tract. 4, p. 3, c. 15; *Molina* etc. Vide *Reuter* III, n. 151 in fine. — Id ex iure Romano. Cf. Casus consc. I, n. 795. Neque recentiora iura contradicere videntur, cum negent, filios minores *firmiter* contrahere posse sine consensu curatoris. Cod. Germ. § 107 sqq.

Confer insuper, quae supra dicta sunt de bonis castrensibus et liberis: ex quibus nimirum filius familias, quando et dominium et administrationem liberam habet, utpote sui iuris, etiam debita contracta tenetur solvere. Plura autem, quae etiamtum in favorem minoris ius Romanum concessit, videri possunt apud *Beusch* c. 3, n. 80 sqq.

## Punctum II.

### De uxoris.

1. Communi iure uxor libere contrahere potest circa bona, quae 1254 praeter dotem ipsius sunt; circa bona communia autem seu familiae, quorum administratio ad maritum pertinet, non potest disponere, nisi marito absente seu impote, aut consentiente.

Hinc in rebus minoribus, quae ad res familiares sub cura uxoris constitutas pertinent, contractus facere potest, ut emere, etsi maritus non positive consenserit: nam nisi uxor largius procedat, re ipsa maritus vel non est invitus, vel irrationabiliter invitus est.

2. Iuribus particularibus facultas uxoris magis restringitur etiam circa bona propria, ita ut de iis sine consensu mariti aut iudicis firmiter contrahere non possit: versatur igitur in eadem conditione, ac dictum est de minoribus: quare tum maritus uxorisque haeredes, quorum interest, ex parte uxoris rescindi contractum, tum ipsa uxor — nisi fraudulenter egerit aut in suum suorumque favorem alterum ad contrahendum

induxerit — rescissionem petere potest, reddendo tamen id, in quo facta est ditior.

Verum id non obtinet in rebus consuetis ad familiae sustentationem necessariis; neque de illo contractu, quem uxor proprio nomine negotiationem exercens fecerit. Cf. Cod. civ. art. 217—225.

Alia iura uxoris facultatem magis extendunt: quae consuli debent.

### Punctum III.

#### *De interdictis.*

1255 Ab administratione bonorum interdicti possunt a publica auctoritate per iudicis sententiam publicatam ii, qui propter statum mentis administrationis incapaces videntur, ne familiae et haeredibus magnum damnum inferant.

Tales sunt hebetudine seu mentis imbecillitate laborantes, prodigi declarati: iis igitur curator sive tutor designatur, qui actibus et contractibus eorum consentire debeat.

Quare contractus, qui sine illius curatoris legitimo consensu initi sunt, rescindi possunt ab ipsis interdictis aut eorum causam agentibus; ab iis vero, qui cum illis contraxerunt, contractus vitium opponi non potest, ut ipsi se ab onere assumpto liberent.

1. Secundum ius Romanum atque etiamnunc secundum quaedam iura recentiora censentur civiliter mortui religiosi professi, qui saeculari vitae mortui toti se Deo divinoque servitio tradiderunt. Qui ex statu suo, ut dictum est in tractatu de religione, firmiter contrahere non possunt sine superioris sui consensu. Attamen quoniam haec iuris constitutio primarie ad ecclesiasticum forum spectat, attende, quae propter iniquas quasdam leges civiles Ecclesia de religiosis eorumque possidendi potestate nunc constituerit (supra n. 674 et 677 sq).

2. Alii civiliter mortui habebantur in poenam, nimirum damnati ad mortem, perpetuum carcerem, deportationem: qui et acquirendorum bonorum et dispositionis de bonis faciendae incapaces per legem existebant. Verum haec capituli diminutio ex recentioribus iuribus evanuit.

### § 3.

#### *De consensu seu causa formali.*

1256 I. Ad essentiam contractus saltem requiritur, ut sit consensus 1) verus et internus, 2) externus, 3) mutuus, 4) ex intentione contrahentium saltem alterutri intimatus.

II. Utrum autem ad mutuum illum consensum necessarium post oblationis ab una parte factae intimationem requiratur etiam reciproca acceptationis ab altera parte factae intimatio, non una est auctorum opinio.

III. In contractu reali consensum habes ipsa rei traditione vel acceptatione firmatum.

Explicanda igitur sunt 1. consensus in se spectatus, 2. reciproca intimatio.

I. De consensu eiusque conditionibus. 1. Consensum verum et internum requiri, longe communior est sententia (vide *Molina* tract. 2, disp. 352; *Sanct.*, De matr. disp. 9, n. 3; *Lugo* disp. 22, n. 45 sqq; *Beusch* c. 1, n. 19 sqq): quamquam id negant *Vasquez*, *Dicast.*, De iur. et iust. l. 2, tract. 3, disp. 1, n. 461 aliique. At non recte negant. Nam in quolibet contractu fit alicuius dominii vel iuris privatio atque in alterum translatio: quae fieri nequit, nisi aut voluntaria abdicacione aut privacione per legitimam potestatem facta. Verum posterior si fit, iam non per contractum iura transferuntur; si vero voluntaria privatio adest, habemus, quod volumus, internum et verum voluntatis actum seu consensum. Cf. *Ballerini-Palm.* III, n. 561.

Neque sufficit dicere — ut adversarii aiunt — si modo *externus* consensus datus fuerit, prorsus eandem obligationem produci, sive interne quis consenserit, sive non. Nam id non est semper verum. Consensum quidem rite datum esse, praesumitur, quamdiu fictio probari nequit; immo saepe verum est, leges positivas obligare eum, qui fecte consensit, ad easdem obligationes sustinendas, ac si vere consenserit. At ex eo, quod fictus consensus obligationem inducere potest, nondum fit, ut ratione contractus hanc obligationem inducat.

NB. Id, quod aliquando summi momenti est, hic non est praetermittendum, eum videlicet, qui fictum consensum posuit, alteri contrahentium, communiter saltem loquendo, obligari quidem, at ipsum non acquirere iura quasi ex contractu valido. Quare si postea alterius contrahentis interest, contractum factum non esse: illi, qui fecte consensit, integrum iam non est, pro libitu nunc vero consensu fictionem suam emendare, sed accidere potest, ut restituendi obligationem subeat relate ad ea, quae ab altero sine vero iure accepit.

2. Consensum debere insuper esse *externum*, facile colligitur ex ipsius contractus essentia et fine. Est enim consensus plurium efficax et practicus, qui iurium translationem atque permutationem efficere debet. Iam vero id impossibile est, nisi oblatio ex una, acceptatio ex altera parte externe se prodat, ita ut alter alterius consensum percipere possit et cognoverit. Paucis: contractus est actus ad alterum et cum altero; atqui actus mere interni eiusmodi non sunt.

3. Ex eadem ratione requiritur, ut consensus sit *mutuus*: quia *utriusque* contrahentium est, iura accipere, aut saltem sive offerre sive accipere. Cf. *Ballerini-Palm.* III, n. 574.

4. *Intimatio* alteri facta non utcumque, sed nomine vel mandato eius, qui consensum suum offert, requiritur.

Quare si v. g. Ioannes promittit, se Paulo aliquid daturum esse: haec promissio, quantum ex parte Ioannis requiritur, non sufficit ad contractum promissionis, si Andreas proprio Marte, mandato a Ioanne non accepto, Paulo id nuntiet; esset autem consensus ex parte Ioannis completus et sufficiens, si promissio aut coram Paulo fieret, aut ex intentione et mandato Ioannis Paulo nuntiaretur.

Ratio, cur talis intimatio necessaria sit, ea est, quod in contractu unus alteri loqui debet, unus alteri aliquid debet offerre. Ut autem aliquis alteri loquatur, debet omnino *intentionem* suam in id dirigere, ut, quae dicat, alteri

manifestentur, adeoque aut coram altero ad eum loqui debet, aut mandatarium suum ad eum mittere, per quem ei loquatur. — Alia ratio reddi potest, quia in contractu utriusque contrahentium voluntas moraliter uniri debet; quod non fit, nisi voluntas saltem unius alteri ex prioris intentione manifestata sit.

1258 II. De intimatione reciproca. Consensus unius consistit in oblatione, alterius in acceptatione. Quae *acceptatio*, quamquam externa esse debet, facilius sufficit ut sit tacita seu ex circumstantiis satis manifestata, scilicet maxime quando est in favorem eius, cui aliquid offertur.

At sufficitne haec acceptatio aliquo modo externe facta, an requiritur, ut insuper haec acceptatio primo offerenti iterum nuntietur, si coram illo non fit?

R. 1. In contractibus unilateralibus, in quibus solus qui offert onus subit, est communis et certa sententia, talem reciprocum nuntium factae acceptationis non requiri, sed contractum perfici, cum primum, subsistente consensu offerentis, alter externe acceptaverit.

Nam si quis dominio vel iure aliquo sese abdicat, atque alter sciens id occupaverit, nihil est, quod amplius requiratur ad translationem iurium perfectam. In his scilicet contractibus sola haec quaestio est, utrum intimatō ex parte offerentis requiratur, an sufficiat sola illius voluntatis cognitio utcumque non per offerentem neque eius nomine datam, ut alter acceptans contractum perficere possit. Cf. *Lugo* disp. 23, n. 70 sqq.

R. 2. In contractibus bilateralibus talis reciproca acceptationis scientia neque ex se necessario requiritur; potest tamen sive lege positiva, sive privata contrahentium voluntate utiliter haec reciproca cognitio ut necessaria conditio exigi.

Videlicet ratio, cur alicui haec mutua cognitio videri possit necessaria, ea sola est, quod in bilateralibus contractibus, sicut mutua iuris cessio, ita mutua acceptatio requiritur. Atque ita prorsus est. At prior, qui alteri absenti v. g. per literas aliquid offert sub conditione reciprocae pretii vel alterius rei oblationis, hanc alterius contrahentis oblationem, quam sperat, iam continuo hypothetice acceptare potest: quod si facit, iam quando alter propositis conditionibus consentit, et utriusque oblatio et utriusque acceptatio habetur, eaque non hypothetica tantum, sed absoluta.

1259 Attamen et lex positiva et ipsa privata contrahentium voluntas exigere potest, ut acceptatio prioris offerentis perfecta non censeatur, nisi postquam alterius consensum sciverit. Et revera plerumque leges positivae aliquod tempus determinant, quo prior offerens expectare debeat, ut responsum alterius possit recipere: quo elapso si responsum non recepit, ab oblatione facta recedere potest, sive interim alter acceptaverit, sive non. Quae vero accuratius definiantur a lege, quilibet in sua regione videre debet.

Scio equidem, alios scriptores eosque gravissimos contendere, contractum bilateralem *ex natura* sua id postulare, ut illa mutua consensus dati cognitio adsit, inter quos *Lugo* disp. 22, n. 27; *Reuter* III, n. 106, 5, aliique. — Attamen potius puto, eorum opinionem sic explicandam esse, ut dicatur, nisi de contraria intentione prioris offerentis constet, *generatim praesumendum esse*, eum *noluisse* ita sese obligare, ut statim ac alter acceptaverit et antequam ipse id cognoverit, contractus obligatio sit perfecta; *posse* autem absolute illum ita sese obligare, prorsus fatendum puto; immo ita re ipsa fieri,



etiamsi expresse id a contrahente declaratum non fuerit, non certum quidem, at probabile esse. Cf. *Beusch* l. c. c. 1, n. 75 sqq. *Vermeersch*, Quaest. de iust. n. 319 ex eo repetit necessitatem *intimatae acceptationis*, quod sine ea non habeatur iuris cessio quoad ius quod *altera* pars contrahentium transferat. Verum illa iuris cessio existere potest, antequam is ad quem cessio dirigitur huius rei notitiam acceperit.

Inde deduco: 1) si in casu necessitatis tali modo matrimonium contractum esset, <sup>1260</sup> illud, utpote *probabiliter* validum, sustinendum seu non pro nullo declarandum esse; 2) si vero alii contractus non omnino indissolubiles ita facti sint, in sola probabilitate seu dubio potius pro contrahentium libertate standum est, nisi forte — id quod plerumque contingit — obligatio adsit, id, quod inceptum est, complendi. Pro diversa autem opinione, quae requirit aut non requirit acceptum nuntium acceptationis a posteriore contrahente factae, effectus retractatae voluntatis, si qua interim ab altero contrahentium licite sive illicite conciperetur, aut latius aut minus late patet ad reddendum contractum, ut contractus est, nullum. Nam in una opinione solus offerens, si ante acceptationem alterius voluntatem absolutam mutat, facere potest, ut contractus fiat nullus; in altera opinione et offerens et acceptans toto illo tempore, quod decurrit usque ad notitiam acceptationis ab offerente habitam, mutata voluntate contractum reddere possunt invalidum: quamquam secundum leges sive civilem sive naturalem saepe eadem obligatio contrahitur, eo quod sine iniustitia voluntas certo aliquo tempore mutari nequeat.

*Explico*, quod dixi de matrimonio. Sumo hominem moribundum, qui nunc tandem ex gravissima causa concubinatum in matrimonium mutare statuit. Declarat hanc suam voluntatem et consensum, quantum possibilis est, coram sacerdote et testibus, iique statim ad mulierem ire festinant, quae libenter consentit. At cum ad moribundum redeunt, is sensibus destitutus invenitur, neque amplius ad se redit, ita ut ambo *praesentes* consensum renovare nequeant. Matrimonium probabiliter — nisi alia impedimenta obstant — valide contractum est: quare in favorem mulieris superstitis prolisque susceptae mea opinione pro matrimonii valore stari potest.

#### § 4.

##### *De vitiis consensus.*

Consensui ex natura sua ea obstant, quae libero et voluntario contraria sunt; ideoque error et ignorantia, et metus.

##### Punctum I.

##### *De errore et dolo.*

Notiones praeviae.

1. Error potest *circa substantiam* contractus versari, vel — quod <sup>1261</sup> fere idem est — circa ea, quae in substantiam redundant, aut *circa accidentia* tantum.

Circa substantiam autem versatur vel in eam redundat: 1) si est circa ipsum obiectum eiusve naturam; 2) si erratur circa contractus speciem, e. g. si contractus loco venditionis habetur pro donatione; 3) si erratur circa rei qualitatem, quae primarie intenditur atque potius quam ipsa res secundum naturam spectata — de qua vide plura in tract. de matrimonio.

2. Error potest *dare causam contractui*, aut potest esse error *incidens* tantum: quodsi prorsus indifferenter se habet voluntas contrahentis circa rem, in qua erravit, dicitur error *concomitans*.

Quae de errore dicta sunt, similiter de *ignorantia* dici possunt.

3. Error potest oriri ex *dolo et fraude* alterius contrahentis, aut sine eius fraude existere potest.

1262 Quibus notatis, haec attende **principia**:

I. Error in substantia vel redundans in substantiam invalidum facit contractum: quia defuit consensus in id, de quo *videtur* esse conventum; immo etsi, errore non exstituto, is, qui erravit, consensisset, nihilominus contractus nullus est, quia videndum est, quid fecerit, non quid facturus ille fuisset.

II. Error non redundans in substantiam, at dans causam contractui, invalidos vel saltem in foro conscientiae revocabiles reddit *gratuitos* contractus; non ita *onerosos* (*Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 17, n. 33); sed ad normam legum positivarum haec causa componenda est.

Cur dixi, contractum gratuitum facilius irritum reddi propter errorem, ea ratio est, quia in illo facilius quivis error dans causam contractui afficit actus substantiam, utpote ex sola contrahentis liberalitate orti adeoque eius *independenti* dispositioni prorsus obnoxii. Quo fit, ut propter occurrentem aliquem defectum facilius reddatur irritus vel saltem non tam firmam inducat obligationem. In contractibus onerosis vero, in quibus favores et onera sunt mutua, aequum non est, ut adeo facile propter errorem unius alter incommodum patiatur; non enim subiectivum uniuscuiusque arbitrium, sed obiectivus rerum ordo praevalere debet.

Nihilominus *Lessius* l. c. in foro conscientiae concedit, eum qui se illo modo deceptum deprehenderit, non teneri ad complendum contractum, si res adhuc sit integra, dummodo damnum quod alter contrahens inculpabiliter passus sit compenset.

At si error dans causam contractui inductus vel sustentatus est dolo vel fraude alterius contrahentis, rescindibilis est contractus etiam cum damno fraudatoris: et si error ille versatur circa *conditionem sine qua non* antea satis manifestatam, contractus in se est irritus. Cf. *Lessius* l. c. n. 29 sqq.

1263 III. Error neque redundans in substantiam neque dans causam contractui, nullos contractus facit invalidos vel rescindibiles.

Ad quae adverte:

1. Contractum invalidum esse vel rescindibilem id discriminis habet, quod contractus rescindibilis effectu suo tum tantum caret, quando alteruter contrahentium, in cuius favorem contractus rescindi potest, ut id fiat postulat; neque semper utrilibet hoc ius competit, sed communiter uni tantum.

2. Error in persona, quacum contrahitur, in gratuitis contractibus per se est error substantialis, in onerosis communiter non, nisi persona sit ipsa contractus materia, ut in matrimonio.

3. Error circa motivum distinguitur circa motivum *movens seu finale*, et circa motivum *impellens*. Error circa motivum tantum impellens non inficit contractum, nisi forte rescindibilem faciat gratuitum; error circa motivum finale irritum facit vel rescindibilem etiam onerosum contractum, modo alteri contrahenti illud finale motivum manifestatum fuerit.

1264 Hinc: Qui emit vinum Mosellanum pro Rhenano, non fecit per se contractum nullum; potest tamen facile rescindere contractum, si deceptus est: immo aliquando talis error qualitatis potest contractum ipsum irritum

facere, v. g. si vinum, quod accepit, illi usui et fini, quem venditori indicavit, inutile est.

Simile quid dic de eo, qui emit pannum viridem pro nigro: potest haec qualitas in substantiam rei redundare vel motivum finale afficere. Attamen si sola culpa ementis error commissus est, venditor non tenetur rem emptam cum suo damno recipere.

In contractibus onerosis, ne facilius instabilia fiant iura et acta humana, leges positivae limites quosdam fixerunt, intra quos propter errorem vel etiam fraudem contractus rescindi possit. Attamen id non impedit, quin ille, qui fraude usus sit, in conscientia teneatur alterum omnino indemnem facere, ita ut totius damni (cf. n. 1148) compensationem ei debeat, quam secus ille, qui damnum fraude passus est, occulte sibi potest vindicare.

NB. Quid circa valorem, nullitatem, rescindibilitatem contractuum initorum cum errore qui dedit causam contractui, ex solo iure naturae statuendum sit, theologi minime conveniunt. De diversis hac in re sententiis videri potest *Ballerini-Palm.* III, n. 601—613; *Vermeersch*, Quaest. de iust. n. 310sq. Quare si in ulla re, ut leges positivae certam normam statuerent, prorsus necessarium erat.

#### Punctum II.

##### *De metu in contractibus.*

Recolenda sunt ea, quae de metu eiusque influxu in voluntarium <sup>1265</sup> art. 2, § 3 de actibus humanis atque de distinctione inter metum gravem et levem dicta sunt n. 84 sqq.

I. Metus, qui non relinquit sufficientem usum rationis, undecumque exortus, irritum facit contractum tali metu factum, idque iure naturae, cum non sit actus vere humanus.

II. Manente usu rationis, metus *intrinsecus* aut *a causa necessaria exortus*, aut utcumque *iuste incussus* contractus non reddit irritos nec rescindibiles.

III. Metus *gravis iniuste incussus ab altero contrahentium* contractum quemlibet ex illo metu initum reddit iure naturae saltem rescindibilem: *Lugo* disp. 22, n. 110 sqq; *Lessius* l. c. n. 35 sqq.

Nam alter contrahens, utpote iniuriae reus, iniustitiam omnesque sequelas reparare debet: neque hoc facit, nisi ad nutum alterius, qui iniuriam passus est, contractu cedat. Quod maxime patet, quando metus in hunc finem incutiebatur, ut contractus extorqueretur. Sed etsi non in hunc finem incussus est, si tamen sustinebatur, dum contractus iniretur, vix aliquod discrimen interest; nam etiamtum, si minus directe, saltem indirecte ipse contractus ineundus ab eo, qui metum incussit, iniuste intendebatur et causatus est. Quare ut iniustitia repararetur, effectus ille iniustus debet ad nutum alterius contrahentis infectus fieri posse.

NB. In idem fere recidit, quando metus a tertio quidem incussus est, at sciente atque aliquo modo comprobante vel influente altero contrahentium.

IV. Si vero *metus iniustus gravis incutitur a tertio* quodam, ita <sup>1266</sup> ut *ex illo metu* contractus ineatur, altero contrahentium tamen nullo

modo iniuste influente: ex solo iure positivo vigente desumendum est, num aliqui contractus et qui fiant irriti vel rescindibiles.

Saepe autem leges positivae, si metus gravis probetur, per iudicem rescindunt eiusmodi contractus (cf. ius Rom., Gall. a. 1111 et 1117): quare semper licet ei, cuius interest, ad iudicem confugere. Haec ita intellige, ut ille, qui metum passus est, non obligetur ad implendum contractum, non quod *alter* pro libitu possit resilire. — Ius Germ. concedit ei, qui metu adactus sit ad aliquam quasi voluntatis suae declarationem, ut hanc possit *impugnare* coram iudice (§§ 123 sq 318).

Ius naturae ex se solo actus et contractus cum homine ab incutiendo metu prorsus alieno factos intactos relinquit; sed ei, qui iniustum metum incussit eiusve incutiendi particeps fuit, obligationem reparandorum damnorum imponit.

1267 V. Revera irriti sunt *iure positivo ecclesiastico* contractus vel actus, qui *ex gravi metu utcumque iniuste incusso* facti fuerint, sequentes:

1) matrimonium et pacta dotalia, 2) professio religiosa [vide decretal. l. 1, tit. 40, c. 1], 3) vota quaelibet [id ex aequa interpretat. iuris divini, ex analogia relig. professionis secundum cap. cit. decretal., ex perpetua doctrina theologorum: cf. *Sanchez, Lugo* disp. 22, n. 122], 4) traditio rerum eccles., 5) renuntiatio beneficii eccles., 6) absolutio a censuris [vide decret. l. c. et l. 1, tit. 20, c. unic. in 6], 7) auctoritas tutoris interposita.

Addunt aliqui «collationem iurisdictionis ecclesiasticae»; at cum nullus textus iur. can. afferatur, qui id evincat, haec opinio probabilitatis limites non excedit. Quare iurisdicatio, si metu quidem, sed tandem cum voluntatis intentione collata esset, saltem probabilis iurisdicatio probabilitate iuris haberi deberet: quae cuius usus vel valoris sit, vide in tractatu de sacramento poenitentiae. Idem dic de «electione praelati».

1268 VI. Metus *levis* non facit irritos neque rescindibiles contractus *onerosos*, nisi forte sponsalia velis esse in tali casu rescindibilia. Ratio est, quia metus levis facile sperni potest, neque censetur hominem absolute determinare, saltem non in iis contractibus, qui, utpote onerosi, in se ipsis aliam causam cur ineantur habent. Si quis igitur in tam gravi negotio metui vere levi cessit, id sibi imputare debet.

Verum metus levis iniuste incussus ad extorquendum contractum, videtur contractus *gratuitos* facere irritos, non rescindibiles tantum. Eos enim saltem rescindi posse, vix a quopiam negatur. At si rescindibiles sunt, atque utpote gratuiti, ei soli, qui metum passus est, quamdiu valent, obligationem imponunt: haec obligatio, quae pro libitu excuti possit, potius dicitur nulla, et proin contractus illi ab initio irriti iure habentur. Cf. *Lugo* disp. 22, n. 138 sq.

Ius Germanicum non distinguit inter metum gravem et levem, sed de solis *iniustis minis* loquitur (l. c.), ob quas liceat actum impugnare. Videtur igitur iudici relinqui discernendum, quae minae videantur sufficientes fuisse ad actorem *permovendum*.

1269 Scholion. Ex iure naturae contractus ex gravi metu initus dicitur (supra III) *saltem* esse rescindibilis, sed videtur, modo rationis usus pertur-



batus non fuerit, etiam rescindibilis *tantum*, non ipso facto irritus esse (nisi forte excipias matrimonium, de quo cf. vol. II, de matrimonii impedimentis). Plus enim non postulatur a iure naturae, cum metus non impediatur, quin actus ex eo procedens sit simpliciter voluntarius, quamquam involuntarius est secundum quid. Idque, si de contractibus ex natura sua solubilibus agitur, magis favore potest ei, qui metum et iniuriam passus est. Fac enim, interim circumstantias ita mutari, ut, quod antea incommodo et damno erat, nunc iam sit commodo: nulla est ratio, cur contractum initum ipso facto nullum dicamus; sed cum damno et incommodo eius, qui iniuriam intulit, ab altero prorsus sustineri potest. Neque valet obiectio illa, metum utpote iniuriam non posse ius producere. Nam dicendum est, iniuriam illam esse tantum occasionem nova iura constituendi, quod non repugnat; produci autem nova iura et onera voluntaria susceptione et cessione; iniuriam vero illatam producere obligationem resarciendi iniuriam omnesque eius sequelas.

Aliud etiam est *ex metu* contractum inire, aliud *occasione metus* incussi contractum <sup>1270</sup> inire. Qui v. g. a latrone invasus praetereuntem hominem cum eius periculo advocat, promittens certam recompensationem, ad hanc promissionem non cogitur metu incusso, sed ex metu aliunde incusso ansam seu occasionem sumit. Quare promissio ex hoc non est invalida aut rescindibilis, nisi forte in aestu timoris plus aequo obtulerit, metuens, ne viator ille aliter caritatis officii oblitus auxilium denegaret: quod si obtinuit, ad limites iustae atque aequae aestimationis promissio videtur reducenda. — Immo in promissione sive ex metu sive occasione metus facta ne sistere quidem possumus; nam praestito auxilio alius contractus plane validus oritur, scil. contractus realis: «facio ut des».

E contrario, qui a latrone invasus huic pro recuperanda libertate certam summam promittit, solvere non tenetur, sive latro per sese hanc pecuniam extorquere voluit, sive alter sponte obtulit, ut sibi redderetur libertas; nam in priore hypothesis metus gravis incussus est in hunc finem, ut promissio pecuniae fieret, in posteriore saltem ille gravis metus sub hoc respectu iniuste sustentatus est.

Qui vero ab altero iniuria vere affectus pecuniam extorquet, ne eum ad iudicem deferat, nisi excessiva summa sit, eam retinere potest, sive intendebat rem iudici deferre sive non, quia metum *miustum* non incussit, sed pro pecunia *cessit iure suo*, quod habuit, alterum deferendi ad iudicem.

### Articulus III.

#### De obligatione contractuum seu de contractibus in facto esse.

Postquam de consensu, qui causam contractus efficientem vel contractum *in fieri* constituit, breviter disputavimus, relinquatur, ut ipsum effectum sive contractum *in facto esse* consideremus; aliis verbis, vinculum scrutari debemus, quod contractu efficitur.

Vinculum igitur consistit in iuridica obligatione, qua contrahentes ligantur. Haec aut substantialis obligatio est, ex contractu per se oriunda; aut accidentaliter sive accessoria, quae ad contractum extrinsecus accedere potest.

#### § I.

##### *De contractus obligatione substantiali.*

I. Contrahentes obligantur ad id, quod libere in contractu expresserunt, etsi ab eo, quod communiter in simili contractu constituitur, sit diversum. <sup>1271</sup>

II. In iis contractibus, circa quos leges aut legitimae consuetudines ambitum obligationum magis determinant, seclusa expressa conventionione contraria, obligationes in illo ambitu oriuntur (cf. ea, quae dicta sunt circa naturam contractus eiusve accidentia).

III. Contractus autem obligatio sumitur secundum voluntatem contrahentium rationabiliter intellectam, ita ut non extendatur ad circumstantias non praevisas, quae valde mutant contractus obiectum.

IV. Contractus obligatio aut solos contrahentes afficit, si mere personalis est; aut etiam ad alios, qui locum contrahentium tenent, transit, si per contractum non persona tantum, sed res ipsa obligata est.

Omnia haec adeo patent, ut probatione non indigeant, neque ulla videtur hac in re scriptorum controversia.

Hinc iam considerandum est, quot et quibus modis obligatio exorta finiatur. Hoc nimirum obtinet, 1) si obligatio impletur; 2) si obligatio ab alterutro contrahentium alteri condonatur; 3) si legitima auctoritate ius vel obligatio exstinguitur; 4) si mutatis circumstantiis obligatio corruiere censetur, ut dictum est in princ. III.<sup>1</sup>

Gravior quaestio oritur circa rescindibilitatem contractuum eorumque nullitatem propter defectum conditionum lege positiva praescriptarum.

De contractibus, qui rescindi possunt, iam quaedam notavimus agentes de subiecto seu personis contrahentibus n. 1252 sqq.

1272 Contractus a lege declarati rescindibiles. Effectus seu obligatio, quae ex contractu rescindibili oritur, sic considerari debet, ut verum conferat ius, veramque imponat obligationem, attamen non ex utraque parte firmam: quapropter postquam ille vel illi, in quorum favorem rescissio conceditur, hanc postulaverunt, alter ius suum amittit atque res in priorem statum restituere debet. Circa facultatem rescindendi contractus a lege positiva datam eiusque licitum usum haec tenenda sunt:

1. Si concessio legis nititur in motivo boni communis, v. g. in praecavenda fraudulenta circumventionione eorum, qui matura deliberatione nondum utuntur, ille, in cuius favorem statuitur rescindibilitas, huic iuri renuntiare valide nequit.

2. Si concessio facta est in solum favorem privatum, ille, cui facultas rescindendi a lege datur, libere huic iuri renuntiare potest; qua renuntiatione facta, licite rescindere non amplius potest in foro conscientiae, idque, sive in foro externo facultas rescindendi sustinetur sive non.

3. Sed etsi aliquis eorum, in quorum favorem contractus factus est rescindibilis, iuri suo renuntiavit, alii, quorum interest contractum rescindi, id nihilominus postulare possunt.

<sup>1</sup> Iure positivo plures modi distinguuntur, quibus contractus obligatio finiatur videlicet: impletio, compensatio, confusio (si ius et obligatio in unam eandemque personam transierit), novatio, remissio, impossibilitas superveniens, praescriptio liberativa, conditionis resolutoriae verificatio etc. Quae nominasse sufficiat; quid iuris servandum sit in singulis illis modis, a iurisperitis discendum est.

4. Qui vero fraudulenter aliquem induxit ad contrahendum, occultans contractus rescindibilitatem vel fraudulenter promittens illius stabilitatem, tenetur ad damni reparationem, si fortasse postea alii rescissionem contractus postulant; minus etiam ipse rescissionem postulare potest.

Hinc: 1. Quomodo minor, cui lex concedat ius invocandae rescissionis,<sup>1273</sup> possit licite hoc iure uti, iam supra dictum est. Favore legis uti potest, etsi alter, quocum contraxit, ipsum ad promittendum *induxit*, se iure suo numquam usurum esse, quia bonum commune postulat hanc protectionem aetatis immaturae; favore legis cum alterius damno uti non potest, si ipse illum hac promissione fraudulenter circumvenit.

2. Si uxor, ut se suosque a necessitate eriperet, alterum sollicitavit, ut certam rem a se emeret, firmitatem contractus pollicita, postea non potest illum rescindere, etsi maius pretium ipsi offeratur.

3. Attamen alii, maritus, filii, uxoris promissione non ligantur, quin possint ipsi postulare rescissionem *eius* contractus, quem sibi nocivum esse intelligant. Verum si ita fiat, uxor, quae alterum ad contrahendum pertraxit, firmitatem contractus perpetuam fore praetendens, ad damni reparationem etiam tunc tenetur.

4. Qui gravi metu inductus promittit, se datum esse talem summam neque datam repetiturum, seu donationem se non rescissurum, favori a lege dato videtur invalide renuntiare; nam si hac promissione ligaretur, id in damnum commune vergeret atque nefariorum hominum audaciam auferet. Optime facit, promittendo cum restrictione mentali, quam hic non pure mentalem facere facile potest.

Contractus a lege declarati nulli seu irriti: Alia dif-<sup>1274</sup>ficultas est in solvenda quaestione, num leges, quae contractum non rescindibilem tantum sed irritum declarent, eam vim habeant, qua contractus illi ne in foro conscientiae quidem valeant: maxime cum scriptorum hac in re non levis sit discordia.

*Lugo*, De iust. et iure disp. 22, n. 249 sqq loquens de contractu sine sollemnitatibus iure requisitis facto (cf. etiam *Pruner* n. 686 sqq) refert has sententias:

Prima sententia docet, contractum vel actum, quando aliud consensus vitium non adest, esse prorsus validum in conscientia atque obligare, sed illi denegari actionem in foro externo, et *hoc sensu* eum dici civiliter invalidum: proin eum, qui possessorem in iudicio cogat, ut rem ex tali contractu acquisitam sibi reddat, in foro conscientiae iniuste agere et restitutioni esse obnoxium. Huius sententiae patroni referuntur inter alios: *Sylvester*, *Navarrus*, *S. Anton.*, *Filliucci*, *Reginald*, alii.

Secunda sententia docet, eiusmodi contractus vel actus etiam in conscientia *non valere*, ideoque ex iis ius non acquiri. Ita praeter alios: *Covarruv.* tom. I, c. 10, n. 12 sqq, *Paul. de Castro*, *Bañez*, *Becan*, *Vasquez*, et (quoad substantiam) *Lessius*, De iust. et iure l. 2, c. 19, *Molina*, ipse *Lugo* l. c.

Tertia sententia est, intentionem legislatoris et sensum legis consuetudine approbatum eum esse, ut ille, qui ex tali contractu vel actu aliquid possideat, non teneatur se ipse spoliare, sed ut alii, quorum interest, possint ab

eo rem in iudicio repetere: quo facto, possessorem teneri in conscientia ad rem reddendam. Ita *Soto, Lud. Lopez, Henriquez, Sanchez*<sup>1</sup>.

Tertiam sententiam aliqui ex eo defendunt, quod in dubio primae et secundae sententiae melior sit conditio possidentis. Verum recte notat *Lugo*, inde non fieri, ut haec distincta dicatur sententia; aliud enim esse, si quaeratur de speculativa sententiae veritate et probabilitate (et sic hanc tertiam sententiam, quando infra iudicium nostrum dicturi sumus, etiam intelligimus), aliud esse, si quaeratur, quid propter *diversarum* sententiarum *probabilitatem* practice liceat. Si enim prima et secunda opinio probabilis sit, quamquam nulla alia opinio accedat, necessario inde sequi, ut et possessor, cui faveat prima sententia, eam sequi possit, et alter, cuius intersit, secunda sententia nixus iudicis auctoritatem implorare possit: cui demum ab utroque standum est.

1275 At ne in illa quaestione dubii relinquamur, haec noto:

1. Extra controversiam esse debet, publicam auctoritatem *posse*, si ratio boni communis id postulet, contractibus vel actibus subditorum suorum in iis rebus, quae publicae auctoritati subiacent, certam formam sollemnitatemque praescribere, qua deficiente, contractus vel actus vere in se irriti sint, idque in foro conscientiae. Id, ut internas rationes omittam, clare demonstratur ex facto Ecclesiae, quae in Conc. Trid. contractum matrimonii sine paroco et testibus ineundi irritum fecit. Eandem vero potestatem quaelibet publica auctoritas seu etiam civilis potestas intra limites earum rerum habet, quae eius supremae curae concredita sunt. Nam Ecclesia minime hanc potestatem habuit ex eo solo, quod matrimonium sit sacramentum, cum haec ratio potius multis theologis summam difficultatem creare visa sit, ut legi potest in historia in actib. Conc. Trid.<sup>2</sup>, sed eam se habere collegit ex eo, quod sit *contractus*, qui *ut sacer* suae potestati subiaceret.

2. Cum igitur quaestio iuris in abstracto *indubia* sit, tantum restat alterutra quaestio alia: 1) utrum *de facto* a legislatore intenta et consuetudine recepta sit lex contractus irritans eo sensu, ut sint vere in utroque foro, externo et interno, irriti, an potius secundum eum modum, quo sententia tertia rem considerat; 2) num, etsi legislator omnimodam nullitatem *intenderit*, fortasse dici debeat, non subesse causam satis iustam ad illam nullitatem inducendam, sed sufficere plane et debere sisti in nullitate civiliter sumpta, ita ut contractui sollemnitatibus carenti assistentia iudicis denegetur et alteri, cuius intersit, competat facultas iuridice rescissionem postulandi.

Quare in omni casu prima sententia excluditur, nisi forte simus a) in iis circumstantiis, in quibus etiam ipsam iudicalem rescissionem admitti certo iniustum sit, aut b) in iis contractibus, in quibus legislator satis clare dicat, se obligationem in conscientia nullo modo attingere velle. Atque ita revera multi ex antiquis primae sententiae fautoribus arguere conantur, neque immerito, cum in iure Romano non obscura sint indicia, legislatoris mentem eam solam fuisse. Sed cum in recentioribus legibus talis mens non probetur, tantum remanent consideranda, quae antea dixi, scil. estne 1. sensus legis consuetudine receptus secundae an tertiae sententiae conformis? 2. legis irritantis iustitia aut iniustitia exigite moderamen, quod tertia sententia

<sup>1</sup> Scriptores laudatos vel alios, ubi hanc rem tractent, vide infra de *successione haereditaria* cap. I: coniungunt enim generatim utriusque rei tractationem, ac propterea etiam quaerunt de *contractu vel actu*; adde *Marres* l. 3, c. II.

<sup>2</sup> *Pallavicini*, Historia Conc. Trid. l. 22, c. 4—8.



contra secundam statuit, aut etiam aliquando id, quod prima sententia contendit? Si videlicet iniusta non est lex in certis contractibus, hanc saltem voluntatem legislatoris fuisse et esse dicere debemus, ut voluerit per iudicis sententiam, si intercedat, ius et obligationem vere etiam in foro conscientiae firmam reddere.

3. Ut igitur nunc dicam, quid re ipsa sentiendum sit practice, leges a 1276 legibus debent distingui. Scil. in conscientiae foro ex contractu, cui lex sive ecclesiastica sive civilis obstat, excluso dolo in contractus compartem, aliquid accipi atque res accepta retineri potest ante iudicis sententiam secundum sequentia:

1) Si lex irritans *poenalis* est, deficiente culpa theologica, contractus validus haberi potest, at ob iuridicam culpam a iudice rescindibilis; si vero culpa theologica adest, atque lex eum, qui culpam commiserit, ipso facto *inhabilem* declarat ad ius acquirendum, sententia iudicis expectari nequit; si autem lex actum iam validum ipso facto per certam culpam rescindi declarat, etiam post culpam commissam probabiliter expectari potest iudicis sententia *declaratoria*. Vide *S. Alph.* I 148; *Thesaurus*, De poenis eccles. p. I, c. 35.

2) Si lex irritans est in favorem et commodum privatum lata, contractus interim in conscientia sustineri potest, cum alter contrahens iuri suo libere possit renunciare.

3) Si contractus ex natura sua omnino validus et licitus ab utroque contrahente libere initur omissis sollemnitatibus legis, interim pro valore, immo etiam obligatione in foro conscientiae standum est. Tantummodo alii non contrahentes, quorum fortasse interest contractum vel actum rescindi, per se non impediuntur, quominus legis favorem implorare possint, secluso dolo et fraude. Sic ex multis illis auctoribus, qui — ut supra — secundam et tertiam sententiam tenent.

4) Idque a fortiori dicendum est, si legis *verba ipsa* non nullitatem certo exprimunt, sed de sola rescindibilitate intelligi possunt: quia tunc, utpote in odiosis, quae libertatem naturalem restringunt, minimum quid tenendum est, atque hoc eo magis, quod consuetudo non raro id in ipsis illis legibus induxit, quarum verba per se nullitatem exprimunt. Et spectata hodierna *civili* legislatione (cf. infra de testamentis), praesumi posse videtur, nullitatem, quam lex enuntiet, ita intelligi, ut contractus nullus sit in conscientia tandem post sententiam iudicis, antea naturalis valor ab iis, quorum intersit, possit sustineri: scilicet leges hodiernae fere tum tantum actus civium videntur regere velle, quando publico iuri per recursum ad iudicem subiciuntur. — Immo si lex aliquem actum vel contractum tantummodo declarat actione iudiciali carere (klaglos), obligatio, quae natura sua ex tali contractu in conscientia oritur, manet prorsus intacta, neque iudicis sententia eam ullo modo immutabit.

5) Si vero lex aliqua, quam iniustam esse non satis suadetur, certum 1277 quendam contractum vel actum *et prohibet in conscientia et simul ipso facto irritum declarat*: illius nullitas statim in foro etiam conscientiae sustineri debet, ac proin obligatio restitutionis ei, qui ex tali contractu aliquid possidet, per se incumbit. Exemplum habes in renuntiatione bonorum, quae a novitio fiat ante tempus a Trid. sess. 25, c. 16 *de ref. regul.* statutum; idem in certis contractibus medicorum et advocatorum a lege civili reprobatis.

6) Similiter in conscientiae foro statim pro invalidis, respective restitutioni obnoxiiis ii actus vel contractus habendi sunt, qui propter boni communis bonorumve morum periculum, quod avertendum sit, vel propter ipsius

contractus *naturam* declarantur ipso facto invalidi et nulli. Quando autem periculum boni communis in causa sit, quando bonum privatum, in praxi non tam facile discernitur: quare in dubio potius standum est pro actus valore, donec res iuridice componatur; immo ut propter boni communis periculum contractus alias validi non tantum rescindibiles sed *irriti ipso facto* fiant, videtur requiri, ut communiter id ipsum sit necessarium et rescindibilitas ad protegendum bonum commune insufficientis putetur.

Nota 1. Quae n. 3) dixi, praecipue observanda sunt in contractibus emptionis et venditionis vel similibus causis.

2. Quae de defectu sollemnitatis dicuntur, etiam fere edicuntur de contractibus iis, qui propter aliam causam vel defectum a lege declarantur invalidi vel infirmi; quare easdem regulas applicato.

3. Quamquam ea, quae de valore contractuum dicuntur, auctores communiter transferunt etiam ad testamenta: attamen, quid de iis dicendum sit, suo loco speciatim notabitur. Maiore iure dixerim, ex valore testamentorum «informium» argui posse valorem informium contractuum, quam vice versa: quare recte testimonia auctorum illic alleganda huc etiam transferri et applicari possunt. — Consuli meretur *Van Gestel*, De iustitia et lege civili.

## § 2.

*De obligationibus accidentalibus seu iis modificationibus, quae per se ad ipsam iustitiam pertinent.*

1278 Obligationes, quae ad substantialem obligationem accedunt, possunt aut in eodem genere manere, i. e. in genere iustitiae commutativae, aut alius generis obligationem, ex motivo alius virtutis accedentis, constituere.

Prius si obtinet, contractus obiecta extenduntur, limitantur, modificantur, scil. a) per meram rei obligationisve determinationem, b) per modum superadditum (germanice: Auflage), c) per conditionem appositam. Alius virtutis obligatio inducitur per iuramentum, quod contractui additur. De singulis fusius. Hac paragrapho de prioribus obligationibus agimus, sequenti § de posterioribus.

Notiones. 1. *Modus* a conditione sic distinguitur, ut a conditione ipsius contractus existentia et valor pendeat, modus vero contractum validum supponat, et tantum novam aliquam obligationem adiungat.

2. *Conditio* distinguitur *suspensiva* et *resolutiva*. Prior est, quae, nisi verificetur, impediat, quominus contractus vere fiat; posterior, quae, si postea contingat (vel nisi certo tempore impleatur), contractum eo ipso rescindat.

1279 **Rei explicatio.** I. **Determinatio** addita est aut determinatio *temporis*, aut determinatio *rei*.

1. Si determinatio *temporis* adicitur (contractus *ad diem*), vinculum obligationis statim oritur, sed debitum implendae seu perficiendae obligationis prorogatur.

2. Si *rei* fit determinatio seu designatio, haec fieri potest demonstrative, taxative, disiunctive. Si fit *disiunctive*, per se, i. e. nisi aliud exprimitur, eligendi facultas est apud eum, qui onus habet tradendi.

3. In quacumque rei determinatione specialiter mentionem meretur, quid iuris sit, si *error* irreperit.

a) Si error est *circa qualitatem*, contractus non fit invalidus, nisi redundat error in substantiam.

b) Si error est *in quantitate*, regula haec statuitur: si res designatur mere *demonstrative*, error nihil mutat, ita ut tota res debeatur, etsi quantitas minor designata fuerit; si vero res designatur *taxative*, excessus supra id, quod designatum est, non debetur, nisi aliter ex circumstantiis constet de mente contrahentis.

*Demonstrative* censetur res designari, si primo res ipsa exprimitur, dein secundarie tantum quantitas; *taxative*, si primo quantitas, dein res exprimitur. E. g. «tale praedium ibi situm 50 iug.» est *demonstrative* designatum; «1000 mc. in hac vel illa arca inclusa» est *taxative*; «haec capsula, pecuniam 1000 mc. continens» per se *demonstrative*, ita ut, materia contractus sic designata, tota capsula, etsi 1200 contineat, debeatur, nisi aliud ex circumstantiis eruatur.

II. Modus, si quis vere imponitur, ex iustitiae obligatione implendus est. 1280  
Atque ita accidere potest, ut aliquando propter «modum» non impletum alteri contrahenti facultas detur contractum rescindendi, aliquando ne id quidem sufficiat ad iniustitiam compensandam.

Speciatim considerandi sunt modi tres:

1. Modus *poenalis*, seu «contractus *sub poena*», quae pro culpabili dilatione solvendi vel praestandi debiti aliquando statuitur; attamen ut iusta poena sit, debet esse moderata et tantum contra culpabilem moram statuta.

2. Alius specialis modus est «*sub causa*»: quae intelligitur pro *fine*, in quem alicui ius vel donum aliquod conceditur. Exemplum habes, quando aliquis alteri pecuniam contractu donationis confert ad «emendos libros, ad ludum, ad alendos equos etc.» Sed, utrum ille finis vere tamquam modus imponatur, seu utrum pecunia accepta revera ex obligatione in finem assignatum impendenda sit, an solummodo indicetur voluntas donantis, qua velit donatarium *aptum reddere* ad illum finem, *si velit*, prosequendum, ex circumstantiis erui debet. Saepe enim nulla prorsus obligatio intenditur (vide *Molina* tr. 2, disp. 208 et *Lugo* disp. 23, n. 111). Immo plerumque, si modus assignatus est *in solam utilitatem donatarii*, non censetur obligatio illum implendi adesse (nisi forte donatarius sibi incurius sit et donator hanc iustam et providam curam in certa aliqua re urgere voluerit). Si vero modus impositus redundat in utilitatem tertii vel aliorum, aut etiam in communem utilitatem, censetur prorsus obligatio illum implendi, atque ita quidem, ut, neglecto illo fine, donatio corruat acceptumque donum potius restituendum sit.

3. Tertius est modus *turpis* (i. e. qui sine peccato impleri nequit), aut modus utcumque *impossibilis*. Hi modi habentur *pro non adiectis*, ita ut contractus vel actus simpliciter ut validus sustineri debeat, neglecto illo modo superaddito: nisi forte modus *ut conditio* imponatur. Attamen id valet de modo accessorio; *non valere idem de fine*, ad quem aliquid datur, ex modo dictis concludes. In hoc enim opus est distinctione. Videlicet si ille finis principalis vel totalis est, donatio vel contractus est irritus; si vero accidentalis est, aut si donator non ipsum illum finem attingendum sibi proposuit, sed solum donatario voluit possibilitatem huius finis attingendi praebere, contractus valet et finis indicatus prorsus est negligendus. Cf. n. 1282.

III. De conditione plura: 1. Sola conditio *de futuro* incerta con- 1281  
tractum suspendit: nam conditio de praeterito et de praesenti aut

statim facit, ut contractus sit validus et perfectus, aut ut sit prorsus nullus; conditio de futuro certa solam impletionem suspendit seu diem determinat.

2. Conditio alterutri contrahentium imposita, si modo possibilis et honesta est, impleri debet, idque per se *in propria forma*, ut aiunt: aliquando tamen sufficit aequivalens impletio (v. g. conditio «si nubas» generatim impletur, si puella monialis fit). Scil. videri debet: 1) mens eius, qui conditionem posuit; 2) num forte turpis evadat conditio, nisi aequivalens impletio pro vera impletionem habeatur; quod si obtinet, aut aequivalens impletio debet sufficere, aut contractum diiudica secundum regulam de conditione turpi mox dandam (cf. *S. Alph.* III, n. 830 930).

3. Conditio onerosa alterutri contrahentium imposita habetur ut impleta: 1) si ille, cui imposita est, fecit, quod suum erat, ad eam implendam; 2) si alter sive tertius, cuius intererat eam impleri, vel in cuius favorem conditio apposita est, eam remisit; 3) si ille, cuius intererat eam non impleri, alterum ab ea implenda impedivit.

1282 4. Conditio de futuro turpis aut impossibilis reddit contractum *nullum*. Quare hic nota discrimen inter *conditionem* turpem et *modum* turpem.

Attamen in foro externo quidam actus vel contractus excipiuntur, ita ut conditio turpis vel impossibilis in illis *pro non adiecta* habeatur, vel aliis verbis non habeatur pro vera conditione, sed pro modo superaddito, videlicet:

1) in matrimonio, nisi agatur de conditionibus turpibus substantiae matrimonii adversis, seu unitati, indissolubilitati, prolis generationi repugnantibus; 2) in donatione inter vivos; 3) in dispositionibus testamentariis secundum complurium regionum leges (cf. infra de testamentis). Verum in rebus civilibus leges regionis consuli debent, cum leges diversae diversa statuunt.

Dixi: *in foro externo* pro non adiecta habetur. Nam possintne *in se* eiusmodi conditiones vere pro non adiectis haberi, ita ut in foro conscientiae iura eadem orientur, ac si appositae non sint, pendet: a) ab intentione contrahentium, num vere eam consideraverint ut conditionem sine qua non; b) a potestate auctoritatis publicae in materiam contractus, si forte ius in illam materiam, etiam contra contrahentem vel dominum, valide transferri possit. Quod in dispositionibus testamentariis, immo etiam in donationibus difficultatem non parit; quia saltem in poenam peccati illum, qui turpem conditionem apposuit, auctoritas publica dominio et iure privare, idque in alterum transferre potest. In matrimonio autem id est impossibile: quatenam inde consecutaria pro matrimonio deducenda sint, vide postea vol. II.

### § 3.

#### *De obligatione iuramenti contractui adiecti eiusque influxu.*

1283 Quae quantaque sit iuramenti obligatio, supra, quando de religione egimus, explicatum est. Quod vero cum illius obligationis notitia cohaeret, quodque hic potissimum adverti debet, illud est, non idem esse iuramentum valere, et iuramento contractum firmari. Prius latius patet quam posterius.

Iuramentum valere per se dicit, obligationem *religionis* induci; iuramento contractum firmari dicit, per religionis obligationem id effici, ut *iustitiae* obligatio, quae secus aut nulla aut infirma, i. e. ad



arbitrium solubilis, fuerit, evadat *firma et insolubilis*. Hoc fieri potest 1) positiva lege, quae statuere potest, ut contractus sola positiva lege irriti vel rescindibiles, adiecto iuramento sint firmi; 2) renuntiatione libera ex parte illius contrahentium, in cuius favorem aut natura aut positiva lex induxit contractus rescindibilitatem, nisi forte hanc ipsam renuntiationem propter graves rationes boni communis lex positiva irritam esse declaraverit.

Ergo, etsi iuramento contractus non firmetur seu iustitiae obligatio non oriatur, nihilominus obligatio religionis potest exsistere. Neque abs re erit, haec monuisse, siquidem pro diversa obligatione iustitiae aut religionis diversa est causa diversaque facultas obligationem illam exstinguendi. Cf. hac de re *Marres* l. c. n. 267 sqq.

I. Circa obligationem igitur per iuramentum contractui additam haec nota:

1. Iuramenti obligatio tam diu sustinenda est, quamdiu licite observatur et circa obiectum aptum seu obligationis capax versatur.

2. E contrario iuramenti obligatio oriri non potest, si obiectum est aliqua ratione illicitum, aut res plane inutilis et nugatoria.

3. Iuramento *firmari contractus* non possunt ii, qui iure naturae sunt irriti, aut qui a lege positiva ita irriti facti sunt, ut eorum executio simul prohibeatur, vel ex ipsa natura, v. g. propter periculum communis boni, illicita evadat.

4. Positiva lege secundum iura recentiora non videntur ulli contractus solius iuramenti causa firmi fieri, qui aliter irriti vel rescindibiles declarati sunt: Romano iure complures actus vel contractus recensebantur, qui secus quidem irriti, accedente iuramento validi ac firmi evaderent. Nam pro reverentia, quae divino numini debetur, legislatores considerabant, inconstantiae et levitati, cuius alioqui per irritationem ratio aliqua habebatur, hic satis provisum esse, siquidem neminem leviter iusiurandum usurpaturum esse confidebant.

Attamen illa recentiorum legum conditio non impedit, quin illi, qui libere omnino favori per leges dato renuntiaverint, in conscientia promissioni datae et contractui, qui in se licitus sit, stare debeant.

Ceterum haec plana sunt ex iis, quae de «religione» circa iuramentum diximus n. 562 sqq 570.

II. De obligatione iuramenti *irritanda* pauca tantum addenda sunt <sup>1284</sup> ad ea, quae l. c. iam tradidimus, scil. circa irritationem illius iuramenti, ex quo tertio ius iustitiae commutativae ortum aut firmatum est.

Haec enim iuramenta generatim ab auctoritate ecclesiastica dissolvi non possunt. Nam ius tertii laedi nequit, neque, si ius tertii obest, tam facile ratio esse potest, cur, manente iustitiae obligatione, obligatio religionis auferatur.

Attamen 1. Quando materia contractus seu acquisiti iuris subest ecclesiasticae potestati, Ecclesia, i. e. per se solus R. Pontifex, potest etiam ius tertii exstinguere, ac proin iuramentum accessorium: 1) si ratio boni communis id postulat in singulari casu, siquidem bonum privatum bono communi cedere

debet; 2) si crimen poena iuris privandi dignum commissum sit, quod Ecclesia hoc modo punire velit. Verum in praxi haec rarissime occurrent.

2. In materia suae iurisdictioni subiecta Ecclesia etiam lege praevia id efficere potest, ut cum certo quodam contractu etiam iuramentum adiectum ipso facto irritum sit. Quod re ipsa Ecclesia fecit Trid. sess. 25, c. 16 *de ref. reg.* Id tamen alii aliter explicant. *Suarez* censet, id non fieri, nisi simul res ipsa reddatur prohibita et illicita, ita ut iuramentum irritum sit, eo quod sit de re obiective illicita praestanda (cf. *De relig. tract.* 5, l. 2, c. 26 et c. 38, n. 14 sq); *Lugo*, *De iust.* et iure disp. 22, n. 196 videtur paulo aliter sentire, scil. Ecclesiam etiam ipsum actum iurantem in se et immediate invalidum fecisse vel facere posse, non solum mediante materiae prohibitionem.

3. Potestas autem civilis in rebus sibi subiectis, quamquam certo non potest immediate actum iurantem invalidum facere, tamen indirecte fere eodem modo, ut de Ecclesia hic dixi, obligationem iuramenti, si necessarium est, extinguere valet; immo etiam lege antecedente iuramentum irritum facere potest, saltem si causam iustam habet, cur ipsam rem, circa quam versetur iuramentum, simul *prohibeat* et illicitam reddat.

Cf. fusius hac de re *Lugo* l. c. n. 245 sqq; *Sanchez*, *In decal.* l. 3, c. 22, n. 10; *Molina*, *De iust. tr.* 2, disp. 149, n. 13.

## Caput II.

### De contractibus gratuitis.

#### Articulus I.

##### De contractibus gratuitis unilateralibus.

1285 Contractus gratuiti unilaterales sunt promissio et donatio. De utroque contractu singillatim pauca notabo, reliqua ex iis, quae de contractibus in genere dicta sunt, patebunt.

#### § 1.

##### De promissione.

I. Promissio est contractus, quo aliquis gratuito se obligat ad aliquid alteri praestandum aut in eius favorem omittendum.

II. Ut contractus promissionis subsistat, requiritur

1. voluntas verae obligationis subeundae;
2. voluntas ab omni errore metuque immunis, qui plenam libertatem impedit;
3. intimatio seu manifestatio alteri facta;
4. acceptio ex parte promissarii (i. e. eius, cui aliquid promittitur).

III. Promissione acceptata, oritur per se obligatio *fidelitatis*<sup>1</sup>; potest tamen aliquis etiam ex iustitia se obligare: in quo posteriore casu

<sup>1</sup> Quae tandem sit fidelitatis obligatio, et quod discrimen inter fidelitatem et iustitiam, erudite pertractat *Lugo*, *De iust. et iure* disp. 23, n. 12 sqq.

Obligatio iustitiae scilicet supponit, in alterum verum ius esse translatum; obligatio fidelitatis ad solum promittentem respicit eique imponit morale debitum, ne facta ipsius

promissio in re gravi *sub gravi* obligat; in priore per se sub levi, cum fidei datae laesio sit mendacio similis, attamen per accidens, i. e. propter praeviam deceptionem damnunquae alterius, obligatio gravis evadere potest. — Esse autem promissionem ex iustitia obligantem eruitur 1) ex verbis, si quando promittens se alteri *ius conferre* expresse vel aequivalenter declarat; 2) si promittens videt, promissarium ex non impleta promissione *conici in damnum*; 3) si promissio est *remuneratoria* seu aestimatio retributionis propter servitia praestita; 4) si est promissio mutua; 5) si fit promissio iurata neque in ea declarat promittens, se nolle iustitiae obligationem sed velle solam obligationem religionis in se sumere.

IV. Corruit promissio, ita ut obligatio implendi promissum desinat<sup>1286</sup> exsistere: 1) si res promissa vel circumstantiae rei vel personae notabiliter mutantur, ita ut promissio ad eas circumstantias non censeatur sese extendisse; 2) si promissarius sponte condonat; 3) si res fit illicita vel inutilis; 4) si, promissione *mutua* facta, alter promissis non steterit.

V. Promittente aut promissario mortuo, antequam promissio perfecta fuerit aut effectum sortita sit: quae tenenda sint, pendet maxime ab intentione, quam promittens habuit et manifestavit.

Explicandi causa nota: 1. Saepe in iis, quae vocantur promissiones, cum verus animus sese obligandi in promittente desit, non promissionem stricte dictam habemus, sed propositum, quod veri nominis obligationem secum non fert; at si prae se tulit veram promissionem, quae alterum decepit atque in damnum coniecit, promittens nihilominus obligationem eam implendi vel damnum resarciendi contrahere potest.

2. Promissio qua talis, antequam acceptata fuerit, a promittente semper revocari potest: quod maxime tum observandum est, quando intimatio erga promissarium fit per nuntium. Quodsi nuntius munus mandatarii gerit, revocatio, ut valeat, debuit mandatario innotescere, alioqui si innotescere non potuit, revocatio nihil valet, sed promissio a mandatario facta talis est, ac si ab ipso mandante facta sit.

3. Promissio etiam, quae ex iustitia obligat, promissario dat ius ad rem tantum, nondum ius in re.

4. Si post promissionem acceptatam, sed ante eius executionem moritur<sup>1287</sup> promittens, promissio realis<sup>1</sup> transit ad haereditas, promissio personalis non transit.

Si vero moritur promissarius, videndum est, utrum promissio facta fuerit solum intuitu ipsius personae promissarii, an potius in favorem familiae illius;

a verbis discrepent, neque fundamentum habet in altero, sicut habet iustitia. — Verum haec fidelitatis notio, utut recta sit in promissione mere personali, in publica promissione, qua rex promittit pro se et successoribus suis manca videtur esse. Addi ibi debet obligatio alia, quae instar legis (Constitutionis) a promittente latae successores obliget, ne temere legem illam semel constitutam laedant neve immutent.

<sup>1</sup> A reali promissione distinguitur *personalis*, eo quod in posteriore ipsa *actio* sit, quae principaliter promittatur, in priore, ut res quaedam eiusque utilitas ad alterum transeat, intendatur. In reali promissione, etsi promittens ex sola fidelitate se obligaverit, obligatio nihilominus ad haereditas promittentis transit, non quod *erga promissarium immediate* iustitia existat, nisi id defunctus conferre voluerit, sed obligatio *directe erga defunctum* haereditas ligat ad eius voluntatem atque fidem datam implendam.

in posteriore casu promissio implenda est erga familiam superstitem, in priore casu promittens ad nihil tenetur.

5. Si ante acceptationem alteruter moritur, acceptari valide posse, ut in promittente eiusve successoribus obligatio oriatur, leges positivae communiter non concedunt: quare, si ita leges disponunt, de *obligatione* implendi promissionem sermo esse nequit, quoniam ille, cuius interest, has leges publicas potest servare. Verum accidere potest, ut aliquis ex tali promissione imperfecta aliquid sibi acceperit: quare quaeri debet, num hae leges ita obligent, ut etiam ii, quorum interest eas non servari, eas servare debeant. Quod idem est ac quaerere, num aliquando lex naturalis probabiliter plus concedat, idque, quando nemo contrarium sollicitet, servari possit.

Igitur: 1) Si promissarius mortuus fuerit, videndum est, utrum promittens potius familiam an personam promissarii respexerit: quodsi familiam, haeredes acceptare possunt. (NB. Haec quaestio oriri nequit, si promittens ipse *per se* promissionem intimat; potest autem moveri, si per internuntium promittit.)

2) Si promittens, misso internuntio, mortuus fuerit, ille ex lege naturali tunc videtur promittere posse, ita ut haeredes defuncti obligentur, si ipse mortem defuncti nondum potuit scire, atque ab eo non ut merus nuntius, sed ut mandatarius designatus erat: siquidem eius acta rata haberi debent.

3) Immo spectato solo iure naturali, si promittens *absolutam* suam voluntatem ostendit: promissarius, qui (sive per se, sive per merum nuntium post cognitam mortem promittentis eius verba referentem) habuerit notitiam promissionis, *probabiliter* adhuc acceptare potest: sed quia probabiliter tantum, haeredes defuncti multo minus potest obligare.

## § 2.

### *De donatione.*

1288 I. Donatio est translatio domini alicuius rei gratuita in alterum: quare ex parte donatoris requiritur cessio, ex parte donatarii acceptatio.

II. Ut igitur donatio valeat, 1) donator debuit non esse inhabilis ad donandum, 2) donatarius non inhabilis ad recipiendum, 3) actio cedendi et acceptandi legitima esse debuit.

III. Secundum leges civiles inhabiles ad donandum communiter ii sunt, qui non sunt plene sui iuris, ut pupilli, minores, uxores in certis rebus etc.: de quibus n. 1253 sqq. Verum si de re sua *libere* omnino disposuerunt neque dolum ullum passi sunt, in conscientia dici nequit, donationem esse in se nullam, sed exspectari potest, donec nullitas actus ab iis, quorum interest, invocetur. Idem dic de aliis eiusmodi legum dispositionibus: immo si qua disponunt in odium causarum piarum, haec ne in conscientia quidem servari possunt.

Inhabiles ad accipiendum communiter ii censentur, qui per testamentum accipere quidquam nequeunt. Quae legales dispositiones quo sensu existant, in qualibet regione ex legibus videndum est; quousque in conscientia id, quod forte nihilominus acceptum fuerit, iniuste possideatur ac proin restitutioni obnoxium sit, collige ex iis, quae de dispositionibus testamentariis erga legaliter inhabiles dicentur infra.



IV. Actio donandi et acceptandi, ut in conscientia effectum producat, nullam formam specialem requirit, modo libere agatur. Sed ut actionem civilem producat, requiritur, aut ut res ipsa sit *tradita*, idque cum instrumento scripto, si de immobilibus agitur; aut ut facta sit iuridica interventio vel antecedens iuridica promissio. Cf. *Schwane* § 12.

V. Donatio facta, etiam civiliter et iuridice valida, aliquando revocari potest. Communiter a legibus positivis assignantur hae causae: 1) onus vel conditio non impleta, si donatio ita fuit onerata<sup>1</sup>; 2) ingratitude donatarii, i. e. crimen enorme contra benefactorem commissum; 3) proles donatori postea nata<sup>2</sup>.

Verum non omnes leges has causas eodem ambitu eodemve sensu statuunt: aliis revocationem privatam, solam iuridicam aliis permittentibus; aliis statutibus, ut donator *possit* revocare, aliis, ut donatio *ipso facto* corruat. Quare ut donatarius in conscientia obligetur ad reddendam donationem, quam iam possidet, confessarius aut ipse consulere aut consulendas leges regionis curare debet. — In Statibus Foeder. Americae Sept., excepta Luisiana ubi ius Gallicum viget, vix habes causam, propter quam donatio corruat.

Ceterum non in solis privatis, sed etiam in iuridicis donationibus leges civiles, si de re alicuius momenti agitur, donatori per certum tempus facultatem revocandae donationis concedere solent (ius Germanicum de hoc silet). — Quo favore, nisi de causis piis agatur, donatorem etiam in foro conscientiae generatim uti posse, probabile est. Cf. *Schwane* l. c., *Lugo* in simili quaest. disp. 23, n. 157.

VI. Donationes etiam aliquando non plenum effectum sortiuntur,<sup>1290</sup> ita ut, si donatarius postea ad partem haereditatis donatoris vocetur, dona antea accepta in partem haereditatis suae computare debeat.

Scilicet id non tam valet de donis manualibus (nisi magni momenti omnino sunt) quam de iis, 1) quae alio modo per documenta futuro alicui haeredi concessa sunt, nisi expresse a donatore exceptio facta fuerit; 2) de iis, quae notabiliter supra conditionem familiae expensa sunt in favorem unius filii prae aliis, in studiis etc.; 3) de iis omnibus, quae ut postea in divisione bonorum pro parte computanda essent, donator seu testator expresse voluit, aut eum voluisse praesumi debet, ne naturalem aequitatem laesisse dicatur; 4) multo magis fieri debet computatio eorum bonorum in futura haereditatis divisione, quae nisi computarentur, reliquorum haeredum *pars legitima* laederetur. Vide infra de testam. § 5.

Verum in omnibus illis casibus fructus rerum donatarum donatarius non tenetur computare: alioquin donatio omnino *nihil* valeret.

VII. De donatione, antequam per traditionem perfecta sit, similia dubia excitari possunt propter mortem sive donatoris sive donatarii interim secutam, sicut de promissione: in quo casu idem tene, quod notatum est paragr. praeced. de promissione acceptata sed executioni nondum data.

<sup>1</sup> In quo casu ius Germ. non admittit totalem revocationem (§ 525 et 526).

<sup>2</sup> Pro qua causa ius Germanicum statuit eam donatoris conditionem, qua non amplius possit secundum statum suum vivere vel obligationes familiares implere (§ 519 et 528).

De donatione per nuntium cum ipso dono missum, si donator *interim* moritur, etiam idem dicendum est ac de promissione in tali casu. Cf. *S. Alph.* n. 720—740; *Lugo* totam disp. 23.

## *Articulus II.*

### De contractibus gratuitis bilateralibus.

Contractus gratuiti bilaterales, qui in favorem quidem unius partis fiunt, utrique tamen obligationes imponunt, ad sequentes revocantur:

Commodatum et precarium, depositum et sequestrum, mandatum et negotiorum gestionem: quibus adnumerant etiam mutuum, pro quo tamen spectata conditione hodierna alius contractus fere substituitur.

#### § 1.

##### *De commodato et precario.*

Praeter alios scriptores vide *Elbel* V, n. 355—386.

1291 Contractus illi ineuntur in favorem eius, cui res aliena conceditur (qui commodatarius vocatur): quodsi pro re concessa compensatio quaedam exigitur, potius transit in contractum locationis.

I. Commodatum contractus est, quo res *certi usus gratia* alicui gratis conceditur, ut post determinatum usum rem domino reddat.

Precarium in eo differt a commodato, ut usus rei *revocabilis* sit *ad arbitrium concedentis*.

II. Obligationes commodatarii sunt:

1. ne re utatur nisi ad usum concessum; alioquin omnia damna inde provenientia reparare debet, immo cum primum limites contractus volens excedit, omne rei periculum in se assumit, etiam casus fortuiti. Nam quia contractus totus in utilitatem commodatarii cedit, hic ad insignem curam rei sibi commodatae obligatur.

2. Debet igitur rem diligenter custodire, quare negligens custodia facilius theologica culpa evadat.

3. Debet expensas ordinarias necessarias subire, v. g. alendi equum commodatum, non vero extraordinarias.

4. Debet damna resarcire, quae ex sua culpa saltem theologica et mortali res subiit; immo commodator ius habet, ut *iuridice* exigat compensationem omnis damni ex commodatarii culpa etiam iuridica tantum exorti. Cf. *S. Alph.* III 749; *Reuter* III, n. 178; *Schwane* l. c. § 14.

III. Obligationes commodatoris seu concedentis rem hae sunt:

1. Non potest rem repetere nisi secundum limites contractus; excipe, si res aut circumstantiae notabiliter mutarentur.

2. Debet vitia rei nociva commodatario aperire.

3. Debet expensas extraordinarias, quas commodatarius fortasse facere debuit, resarcire. Vide *S. Alph.* n. 747; *Reuter* n. 169.

Ex his patet, quae sint obligationes in contractu precarii.

## § 2.

*De deposito et sequestro.*

Hi contractus sunt in favorem eius, qui rem alteri committit.

1292

I. Depositum est contractus, quo res aliqua alteri committitur custodienda, deponenti, quando ei libuerit, restituenda. *Reuter* III, n. 174; *S. Alph.* III, n. 746; *Elbel* V, n. 359.

II. Depositarius (seu is apud quem res deponitur) debet 1) curam diligentem rei depositae habere, quam communiter homines prudentes circa rem propriam habent: ita ut ex culpa theologica gravi ad reparanda damna teneatur. Nihilominus ad extraordinariam et specialem diligentiam, nisi eam expresse promiserit, non tenetur. 2) Re deposita uti nequit sine voluntate domini sive expressa, sive saltem prudenter praesumpta: immo si ita fit, contractus quodammodo transit in commodatum, atque illius regulis *aliquatenus* subiacet, non prorsus tamen, quoniam contractus non transit totus in utilitatem depositarii. 3) Postulante domino, rem statim reddere debet, nisi forte eam detineat titulo compensationis, aut damni sive a se sive ab altero avertendi. *Ib.*; *Schwane* § 13.

III. Deponens refundere debet expensas in custodienda re a depositario factas, immo reparare omnia damna, quae propter depositum passus fortasse est, e. g. damnum, quod tulit in custodiendo equo morbo, qui proprios equos infecit, secundum axioma: officium suum nemini debet esse damnosum.

IV. Sequestrum est certa quaedam depositi species, qua res litigiosa apud tertium deponitur vel custodienda et administranda datur, ut, lite finita, victori tradatur. Qui contractus privatim fieri potest ab utraque parte litigantium consentiente, potest etiam iudiciali auctoritate constitui: in ultimo casu ad finiendum sequestrum iudicis interventus expectari debet.

Sequestrum fere iisdem regulis subiacet ac depositum quodlibet, nisi excipias, quod, una parte tantum exigente, res reddi nequeat. Dein in sequestro iudiciali custodiae merces depositario addicitur, quae utique solvenda est; quare a puro depositi contractu nonnihil excidit<sup>1</sup>.

## § 3.

*De mandato et negotiorum gestione.*

I. Mandatum contractus est, quo aliquis negotia quaedam suo nomine gerenda alteri committit, isque ea alieno nomine gerenda gratis suscipit.

1293

<sup>1</sup> Immo recentes leges etiam in *deposito* distinguunt depositum gratuitum et dep. pro mercede (ius Germ. § 689 sq). In priore depositarius praestare tenetur solum damnum illud, quod oritur ex neglecta ordinaria cura, quam homines de rebus suis gerere solent; in posteriore tenetur gravius, etiam in conscientia, ita tamen ut sine iudicis sententia requirere debeas negligentiam theologice culpabilem. — In specie caupones, qui ex officio hospites recipiunt, praestare debent omnia damna rebus apud se depositis illata, nisi causata sint a vi maiore aut ab ipso illo hospite eiusve socio (§ 701).

Verum quamquam mandatum ex se gratuitus contractus est, ac proin mandatarius, si nihil statutum antea est, postea nullam retributionem postulare potest, tamen non excludit natura sua honorarium: de quo ergo simul potest pacisci.

II. Mandans tenetur 1) ratum habere, quod a mandatario conformiter ad mandatum actum est; 2) mandatario ea praestare, resp. expensas resarcire, quas in exsequendo mandato facere debuit; immo 3) etiam damna resarcire, quae in mandato exsequendo, seclusa culpabili imprudentia, fortasse mandatario acciderunt.

Si vero cum statuto salario eoque aucto mandatarius quaedam pericula in se sumpsit, mandans ultra conventionem nihil debet.

III. Mandatarius ex altera parte debet 1) rem alienam ordinaria saltem diligentia ut propriam gerere; quare de dolo et negligentia theologice culpabili per se in conscientia tenetur; 2) debet sese intra limites mandati continere, alioqui incipit proprio nomine agere; 3) non potest sibi retinere lucrum, quod facit emendo vel vendendo, nisi dominus consentiat, aut ipse ultra id, quod vi mandati debuit, aliquid praestiterit. De quo cf. infra de *venditione* (p. 761).

IV. Mandatum exstinguitur non solum confecto negotio, sed etiam: 1) revocatione mandati mandatario intimata, quam mandans semper facere potest; 2) renuntiatione ex parte mandatarii debito tempore mandanti declarata; 3) morte naturali aut civili mandantis aut mandatarii.

Verum de morte mandantis et mandatarii leges positivae non semper eodem modo loquuntur. Ius Germanicum v. g. *in dubio* supponit, *mandantis* haerodem porro sustinere mandati contractum, haerodem *mandatarii* non sustinere (§ 672 673).

1294 V. Negotiorum gestio est quasi-contractus mandati similis, quo aliquis aliena negotia gerenda suscipit non ex illius commissione expressa, sed ex voluntate praesumpta domini *absentis*. — Generatim quidem caedem sunt mutuae obligationes ut in mandato; attamen relate ad negotii gestorem 1) obligatio reparandi damna propter incuriam vel imperitiam temperari nonnihil debet, quia secus vix esset, qui vellet alterius negotia curare; 2) ius ad convenientem mercedem ex eadem causa habere videtur. Ita «probabilius» *Gury* I, n. 848, alii.

Ius Germanicum attribuit ius ad compensationem eorum, quae impendit (quod videtur includere laboris remunerationem), nisi adfuerit voluntas gratis rem gerendi: quae praesumitur in cognatis, qui ab eo, cuius causam gesserunt, aluntur (§ 683—685).

### Caput III.

#### De contractu mutui qui ex se gratuitus, per accidens onerosus contractibus adnumeratur, et de usura.

Cf. praeter *S. Thom.* 2, 2, q. 78 et *S. Alph.* III 758—792: *Zech*, Rigor moderatus . . .; *Biner*, Dissert. iurid. de usuris (*M*, curs. theol. XVI); *Mastro-*



*fini*, De usuris; *Bolgeni*; *Sc. Maffei*; *de la Luzerne* de eod.; *Funk*, Zins und Wucher; *Perin*, De lege usur.; *Allègre* in opere multum laudato Le code civil commenté.

### Articulus I.

#### De notione contractus mutui et usurae.

I. Mutuatio contractus est, quo unus rem suam primo usu consumptibilem, seu rem sterilem et infructuosam in alterum transfert cum obligatione rem similem, i. e. eiusdem generis, ad aequalitatem reddendi<sup>1</sup>.

Datam definitionem rectam esse, habes ex ipso iure, quod talem contractum gratuitum mutuuum vocat; insuper ex collatione cum aliis contractibus. Quodcumque enim membrum ex definitione abstuleris, alium habebis contractum.

Nam si alteri tradideris rem ut fructuosam, non similem, sed *eandem* tibi reddendam stipulaberis: et prout facis gratis, aut pro recompensatione, habes contractum aut *commodati* aut *locationis*.

Aliud discrimen, quo differt mutuuum a commodato et locatione, necessario oritur, idque maximi momenti: scil. in commodato et locatione res ipsa individua manet in dominio tradentis, ita ut naturaliter pereat tradenti, in mutuo res sub hac individuali forma transit in dominium recipientis seu mutuatarii, cui etiam naturaliter perit, valor autem rei, vel, si mavis, ideale Esse rei, quod non perit, manet apud dantem seu mutuatore, qui proin ius habet semper rem aequalentem recipiendi. Aliis verbis: in mutuo periculum rei est apud mutuatarium.

II. Obiectum contractus mutui est res *ut infructuosa*; fructifera<sup>1296</sup> autem res aliqua esse potest 1) naturaliter, 2) artificialiter vel instrumentaliter, 3) civiliter: cum earum rerum pretio aestimabilis sit *usus*, ut distinctus est ab ipsa rei substantia, contractui mutui illae res per se non subiacent<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Accuratiorem notionem de contractu mutui accipere potes ex l. 2, § 1 Dig. de reb. creditis 12, 1 atque iuris civilis interpretibus. «Mutui datio consistit in his rebus, quae pondere, numero, mensura consistunt, quoniam eorum datione possumus in creditum ire (scil. mutuuum contrahere): quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem (magis) quam specie. Nam in ceteris rebus ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest.» Videlicet natura rerum, in quibus fit mutuuum, id secum fert, ut solutio debiti fiat reddendo rem acceptam non in specie (i. e. non ipsa haec individua res accepta; sic iuristae intelligunt illud «in specie»), sed rem eiusdem generis.

Cur autem ita statuendum sit, ratio est haec, quia res, circa quas mutuuum versatur, sunt primo usu consumptibiles; quare qui eas petit, sane non petit, ut ipsas reservet et postea reddat, sed ut consumendo iis utatur, et dein res similes in eadem quantitate et qualitate reddat. Inde autem fit, ut dici debeat, mutuuum versari circa res, quae non habeant usum pretio aestimabilem a rei substantia distinctum, paucis circa res steriles infructuosas ut tales.

<sup>2</sup> Frugifera ex sese proprie est solum 1) natura et 2) labor, si tendit ad producendas res seu ad illas immutandas et humano usui magis adaptandas.

Verum labor humanus aequivalenter fructificans est etiamtum, quando tendit ad res adducendas earumque abundantiam in certo loco procurandam.

Labor autem humanus instrumento indiget, quo homo possit, aut quo melius possit labores praestare et utilitatem rerum inducere seu augere: quare recte etiam instrumenta

III. Quare ex natura contractus mutui eiusque obiecti fit, ut ultra id, quod datur, recipi postea nihil possit, nisi aut natura obiecti mutetur, aut ratio *accedat*, cur obligatio carendi illa re per certum aliquod tempus pretio aestimabilis evadat.

Nimirum carentia rei infructuosae, cuius usus totus in consumptione vel distractione consistit, per se aestimabilis non est, sed sufficit, ut, quando re uti volo, rem similem aequivalentem recipiam. Quare neque obligatio carendi seu haec libertatis restrictio pretio aestimabilis est aestimatione vere rationabiliter fundata: maxime cum periculo meo res eripatur atque pro futuro tempore meo usui in tuto collocetur. Unde si cui carere re sua est aliquo sensu pretio aestimabile, non minus pretio aestimabile est liberum esse a periculo rei suae perdendae.

1297 IV. Nisi igitur ratio accedat, ex qua usus vel carentia rei evadat pretio aestimabilis, exactio fenoris vel cuiuslibet oneris impositio ultra redditionem rei eiusve valoris est contra iustitiam atque peccatum usurarii vocatur; denegatio mutui pro necessitate petentis contra caritatem esse potest.

1. Definitionem peccati usurae sensu ecclesiastico habes ex Concilio Lateran. V sess. 10 (5 sub Leone X): «Ea est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu nullove periculo lucrum fetusque conquiri studetur.» *Denzinger*, *Enchirid.* 9 n. 623.

2. Hinc usura non est, si quis mutuo tradens frumentum paciscitur, ut reddatur seu secundum pretium, quod tempore redditionis habebit, seu frumentum secundum mensuram datam, etsi pretio creverit: nam quia mutuator etiam servaturus erat, non debet officio mutuandi damnum pati. — Verum neque usura est, si quis timens, ne decrescat pretium, paciscitur, ut mensura reddenda sit secundum valorem *praesentem*, si mutuans rem ipse servaturus non sit; secus est usura: nam cum hoc tempore mutuator venditurus esset frumentum suum, damnum pateretur, si solam mensuram traditam reciperet. At pacisci, ut solvatur secundum pretium summum, quod occurreret tempore mutationis sive sit tempus praesens sive tempus redditionis, *per se* iniustum est et usura, quoniam mutuatorio imponitur onus seu periculum praeter ipsius rei periculum, i. e. onus ipsi contractui superadditum. Cf. *S. Alph.* III 782; *Lacroix* n. 910.

3. Usura est propter contractum mutui mutuatorio *imponere* onus res suas apud hunc et illum emendi, idque etiam si emptor pluris non debeat emere, quam alibi emisset: *S. Alph.* n. 780, siquidem iniusta est libertatis restrictio.

4. Usura non est ex gratitudine expectare, mutuatarium empturum esse res necessarias apud mutuatorem eiusve cognatos; neque est usura recipere, quod ex gratitudine sine pacto datur, etsi intercedat quidam timor

---

hominum usui destinata frugifera dicuntur, — idque 1) quando iuvant ad res ipsas producendas vel humanis usibus adaptandas, 2) etiam quando iuvant ad res aliunde adducendas.

Tandem ille, qui res non consumptioni, sed aliis usibus humanis destinatas suas fecit, earum usum aliis cedens iuste pro utilitate, qua cedit, compensationem postulat; quae compensatio ex annua locatione colligenda fructus *civilis* vocatur.

mutuatarii, ne secus sibi viam mutuum alia vice accipiendi vel retinendi occludat: modo ne mutuator id indirecte exigat quasi sibi debitum. Vide *S. Alph.* n. 763.

5. Usurae igitur *specifica malitia* non in oppressione pauperis consistit, etsi quam plurimum cum illa coniungatur atque in ea potissimum eius propria malitia augeatur: nam usura etiam contra divitem exerceri potest. Quando igitur pauperum oppressio accedit, praeter malitiam iniustitiae, quae ex se in usura est, aliam malitiam sive iniustitiae sive laesae caritatis, quae in gravi malo pauperi inferendo apparet, consociatam habes.

Verum imprimis *de pecunia* quaeritur, num ex se sit et esse debeat obiectum contractus mutui sensu antiquo et theologico considerati. Circa quod tenendum omnino est, pecuniam, ut mutuo data ius det ad fenus accipiendum, debere aut iam generatim non habere conditionem sterilitatis, aut in iis circumstantiis per accidens existere, quae ex actionem auctuarii ultra sortem reddant non iniustam.

Rationes autem quae per accidens licitam redderent eiusmodi auctuarii perceptionem, poterant semper existere atque ita ab Ecclesia semper erant modi agniti, quibus hominibus *licuerit* ex pecunia sine proprio labore fructum et utilitatem percipere, cum ex pecunia stricte in mutuum data id non licuerit.

**Explicatio.** 1. Quaestio de pecuniae mutatione hodie summi momenti est: cuius decisio ex dicendis magis colligitur. Hic solam viam quandam sternimus ad eam praeparandam. Hoc unum monebo, rationem, qua iusta iniustave sit perceptio lucri ex pecunia mutuo data, non tam repetendam esse ex eo, utrum mutuatarius lucrum habeat necne, sed potius ex eo, utrum id, quo se privat mutuator, sit pretio aestimabile. Titulus enim recipiendi lucrum vel compensationem secundum ea, quae dixi n. 1246, peti debet formaliter non ex utilitate, quam alter ex mea actione habet, sed ex utilitate, qua ego me privavi in favorem alterius: quamquam unum cum altero saepe cohaeret ab eoque pendet. Quapropter peccatum usurae formaliter et directe non ex eo peti debere censeo, utrum mutuum sit consumptivum, an productivum in ordine ad mutuatarium, ut aliqui putant, sed ex eo, utrum aut in genere aut pro mutuatore ex singularibus adiunctis pecunia sit quodammodo productiva, annon. Hae enim sunt rationes, cur qui tradit alteri pecuniam, compensationem petere possit sine iniustitia, nec quidquam refert *quoad iustitiam*, sitne mutuatarius percepturus lucrum, annon; referre utique potest quoad caritatis laesionem<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Ille «usurae» peccaminosae conceptus adeo constans et sollemnis est in omnibus ecclesiasticis documentis, ut revera mirari debeamus, hodie ab aliquibus e numero eorum, qui aliter sentiunt, theologos veteres, praecipue scholasticos incriminari, quod usurae conceptum perverterint atque in falsa hac praeconcepta idea inhaerentes idonei non fuerint ad rectam de mutuo et de usuris doctrinam tradendam.

Ecclesiasticam doctrinam, quam falsam dici salva fide sustineri vix potest, habemus copiose expositam in literis encyclicis *Ben. XIV* «Vix pervenit»: quas literas, etsi definitionem ex cathedra constituere non appareat, quippe quas S. Pontifex ad solos Italiae praesules dederit, tamen in praecipuis punctis eam sententiam, quam plane pro norma haberi Pontifex iubeat, exprimere, legenti patet; postea dein d. 29 Iulii 1836 S. Offi-

2. Qui Ecclesiae crimini vertunt severissimas leges de usuris, quasi publico bono obstaculum creasset, nesciunt, quod dicunt. Pro temporum circumstantiis modus iustus semper praesto erat ex pecunia superflua moderatum lucrum faciendi, modo ipsum lucrum in iustitia fundaretur. Id licuit 1) per emptionem censuum; 2) per contractum societatis et contractum trinum: de quibus pauca noto.

1289 1) De censu. Censum emere in genere nihil est, nisi per pecuniae summam vel aliam rem traditam ius sibi acquirere quotannis certam aliquam summam recipiendi: vel emere sibi ius, quotannis ex certo aliquo obiecto alieno determinatum lucrum seu pretium accipiendi.

Qui ius ad annum censum acquisivit, censualista dicitur; qui solvere debet, censuarius.

Distinguebatur census *realis* et *personalis*. Nimirum realis dicitur, quando ius quotannis aliquid recipiendi respicit immediate certam rem frugiferam, quae in dominio alterius est: personalis, si nulla res frugifera adest, ex qua censualistae ius recipiendi competit, sed ius habet in solam personam, quae sive labore sive alio modo id acquirere debet, quod quotannis solvat.

Realis est aut *reservativus*, aut *designativus*. Reservativus, si ius percipiendi annum summam fundatur in ipsa re (v. g. agro), quam censualista in censuarium transtulit: designativus, si est alia res, in quam censualista ius non habuit antea, sed nunc per designationem censuarii limitatum ius acquisivit.

Census est aut *redimibilis*, aut *irredimibilis*, redimibilis ex una parte tantum aut ex utraque, prout volente alteruto obligatio solvendi annum censum redimi potest una solutione longe maiore, aut non potest.

a) Census realis eiusque liceitas sollemnem approbationem accepit ex Constit. *Martini V* et *Calixti III* «Regimini universalis Ecclesiae» eumque, si ex sola parte censuarii redimibilis erat, usque ad 7—10% pro diversis rerum adiunctis ascendere tunc potuisse, ibidem non obscure indicatur: ceterum in quantitate census iniustitiam committi potuisse et posse, non est, quod commemorem.

cium, approbante *Gregorio XVI*, declaravit, illas litteras *respicere Ecclesiam universalem*. Porro in iis tamquam indubitata doctrina inter alia haec proponuntur:

Ad illud *peccati genus*, quod usura vocetur, evitandum nihil conferri ex eo, «quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit» (ergo negatur, usurae naturam esse ex oppressivo fenore repetendam) «vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam otiosam, sed ad fortunas suas ampliandas, vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus» (ergo negatur, usurae naturam peti ex conditione mutuatarii atque ex fine «consumptivi», ut vocant, vel «lucrativi mutui»).

Nihilominus aliquando ex conditione mutuatarii pendere posse postea S. Pontifex declarat, num possibile sit, aliquem titulum existere, qui rem alteri creditam transferat ex contractu gratuito stricti mutui in materiam alterius contractus lucrum admittentis: negat enim «reperiri *semper*, et praesto esse *ubique* una cum mutuo *alios titulos legitimos*, vel secluso etiam mutuo, *contractus alios iustos*, quorum . . . praesidio, quotiescumque pecunia, *frumentum aliudve id generis* alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctuarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. . . Multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo (gratuito) *alteri succurrere*».

Hanc autem doctrinam etiam cum recta doctrina philosophiae et oeconomicae sententiae plane congruere, tum ex dictis, tum ex infra dicendis patebit.



b) Censum personalem ex lege naturali licere per se, habes ex *S. Alph.* III 840 cum multis aliis scriptoribus. Quod autem *S. Pius V* per Const. «Cum onus» eum prohibuit, *positivae legis* erat propter abusum periculum: verum eam legem tum desuetudine abrogatam esse, tum numquam nisi pro Italia vim habuisse, videri potest apud *S. Alph.* n. 844 sqq.

Emptione igitur censuum antea id obtineri potuit, quod nunc pecunia mutuo pro fenore data obtinetur. Spectata autem pecuniae natura in se, hanc formam longe iustiore[m] fuisse quam perceptionem usurae ex mutuo, patebit infra. Nihil enim est, quod iniustitiam redoleat, si ex iure in rem frugiferam redundat in me perceptio annuorum fructuum vel eorum partis.

2) De contractu societatis. Alius modus pecuniam utiliter impen-<sup>1300</sup> dendi habebatur per *contractum societatis*: quo ab una parte pecunia, ex altera parte industria et labor impendebatur ad certum negotium, ex quo lucrum sperabatur. Lucrum igitur certam divisionem secundum stipulationem et aestimationem iustam subibat.

Quoniam autem vi contractus *societatis* et lucrum manebat incertum, et periculum pecuniae datae seu sortis apud dominum erat: ille, si magis volebat, contractum aleatorium *assecuracionis duplicem* insuper inire poterat, quo a) pro lucro incerto maiore certum sed minus lucrum eligeret, et b) ex ipso illo lucro partem cederet, quo in alium sortis periculum refunderet. Qui contractus si singuli spectantur, natura sua ab omnibus habebantur et habentur liciti, modo servetur iusta aestimatio: neque dubium erat, quin cum diversis contrahentibus hi contractus iniri possent. Cum uno eodemque autem omnes tres contractus inire (*contractum trinum*), aliquibus videbatur illicitum tamquam usura palliata, immo producunt Constit. *Sixti V* anno 1586: «Detestabilis avaritiae», qua contractus ille trinus condemnatus sit.

Verum contractum illum ut ex natura sua illicitum *Sixtus V* non damnavit; iniustos modos et iniustum pretium utique damnavit, neque ullus contractus illo aptior videtur ad contegendam iniustam et exorbitantem exactionem, qua laboris et industriae fructus ab eo, qui pecuniam aliamve rem tradidit, omnino absorbeatur. At haec *naturam* contractus minime attingunt. Testem huius rei, quod nimirum contractus ille *in se* damnatus non sit, habemus *Bened. XIV*, De syn. dioec. l. 10, c. 7, n. 4—6; *S. Alph.* III, n. 908; *Comitol.*, Resp. moral. l. 3, q. 12, n. 3, ubi referuntur testimonia Cardin. Tolet. et San Severino, qui hanc *Sixti V* Bullam redegerant; immo decis. Rotae Rom. 3 Iunii 1602.

Contractus igitur trinus modus iustus esse poterat, quo aliquis ex pecunia sua lucrum faceret, ut nunc ex fenoris perceptione. Magnum autem discrimen est inter mutuum et contractum hunc, propter quod etiam facilius ab iniustitia immunis dicendus erat. Nam pecunia impendebatur *vi contractus* ad certum negotium lucrativum, atque lucrum re ipsa ex magna parte pecuniae impensae attribui debebat.

Quibus explicatis, nunc e contrario leges et iudicia Ecclesiae proferam, quae circa usuras, easque etiam ex pecunia mutuo data percipiendas seu perceptas prodierunt. Quae, etsi primo aspectu anti-logiam continere videantur, quasi tolerantia recentiore tempore exercita confligat cum legibus anterioribus, tamen re ipsa nullam inter se pugnam habent.

*Articulus II.***Leges et iudicia Ecclesiae circa usuras et quodlibet fenus ex pecunia mutuo data.**

## § 1.

*Prohibitiones usurarum.*

1301 I. Quoniam ecclesiasticae leges in ipsa lege divina et positiva et naturali nituntur, ante omnia colligendi sunt textus S. Scripturae de usura et fenore loquentes.

Ex 22, 25: «Si pecuniam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.»

Lv 25, 35—37: «Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.»

Dt 15, 8: «Sed aperies eam (manum) pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.»

Ib. 23, 19 et 20: «Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis.»

Cf. etiam 2 Esdr 5, ubi Nehemias exprobrat tamquam crimen usuras a fratribus accipere.

Ex 18, 8: «Si . . . ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit . . . vita vivet.»

Ex 18, 13: «ad usuram dantem, et amplius accipientem: Numquid vivet? non vivet: cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur.»

Ex 22, 12 inter cetera scelera etiam enumeratur: «Usuram et superabundantiam accepisti . . . meique oblita es, ait Dominus Deus.»

Ex N. T. habes Mt 5, 39—42 Christum Dom. de perfectione legis evangelicae loquentem: «Ego autem dico vobis: Non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram. . . Qui petit a te, da ei: et volenti mutuari a te, ne avertaris.»

Lc 6, 34 et 35: «Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant aequalia. Verumtamen, diligite inimicos vestros: benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.»

Ex illis igitur locis S. Scripturae, maxime si explicationem SS. Patrum et Ecclesiae adiungimus, usuras illicitas esse, easque etiam ut e pecunia colligendas ex sese non licitas exsistere, colligitur; peccaminositatem, etsi praecipue in opprimendis pauperibus eluceat, tamen formaliter collocari in eo, quod amplius, quam datum sit, recipiatur: verum id etiam apparet, aliquam pecuniae fenerationem ex circumstantiis evadere posse licitam; secus permissum Iudaeis non fuisset, «alieno» fenerari. Nisi enim ad supremum Dei dominium confugere velis — quod puto in hac re non licere — concedi debet, eo quod apud alienos pecunia

mutuo data maius periculum subibat, vel vehiculum negotiationis erat, in se malum non fuisse, quandam compensationem stipulari.

II. Ecclesiasticas leges solum generales et universales hic commemoro<sup>1</sup>.

Conc. Later. III. sub *Alex. III* (c. 25) haec habet: «Quoniam in omnibus fere locis crimen usurarum invaluit, ut multi, aliis negotiis praetermissis, quasi licite usuras exerceant, et qualiter utriusque Testamenti pagina condemnentur, non attendant: ideoque constituimus, quod usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum ququam accipiat. Qui autem acceperit vel christianae tradiderit sepulturae: et quae acceperit reddere compellatur et, donec ad arbitrium episcopi sui satisfaciatur, ab officii sui maneat executione suspensus.»

*Innoc. III* in Later. IV: «Quanto amplius christiana religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super his Iudaeorum perfidia insolescit, ita quod brevi tempore Christianorum exhauriant facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne a Iudaeis immaniter aggraventur, synodali decreto statuimus, ut, si de cetero quocumque praetextu Iudaei a Christianis graves immoderatasve usuras extorserint, Christianorum iis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter, unde Christiani, si opus fuerit, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem iniungimus, ut propter haec non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine studeant cohibere Iudaeos. Hac eadem poena Iudaeos decernimus compellendos ad satisfaciendum ecclesiis pro decimis et oblationibus debitis, quas a Christianis de domibus et possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Iudaeos quocumque titulo devenissent, ut sic ecclesiae conserventur indemnes.»

*Greg. X* in Conc. Lugd. II: «Usurarum voraginem, quae animas devorat et facultates exhaurit, compescere cupientes, constitutionem Later. Concilii (III) contra usurarios editam, sub divinae maledictionis interminatione praecipimus inviolabiliter observari. Et quia, quo minor feneratoribus aderit fenerandi commoditas, eo magis adimetur fenus exercendi libertas: hac generali constitutione sancimus, ut nec collegium nec alia universitas, vel singularis persona cuiuscumque sit dignitatis, conditionis aut status, alienigenas et alios non oriundos de terris ipsorum, publice fenebrem pecuniam exercentes aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere vel conductas habere, aut alias habitare permittant; sed huiusmodi usurarios manifestos omnes intra tres menses de terris suis expellant, numquam aliquos tales de cetero admissuri: nemo illis ad fenus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contra fecerint, si personae fuerint ecclesiasticae, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis, minores vero personae singulares, excommunicationis; si autem collegium vel alia universitas, interdicti sententiam ipso facto se noverint incururos.

<sup>1</sup> Tangi autem usuras non oppressivas tantum, sed quaslibet, legenti patebit, siquidem in plerisque edictis usurae simpliciter condemnantur. Nec sane aliter has leges intelligere potest, qui ad definitionem Concilii Later. V attenderit, nisi — quod absolum et inpium fuerit — dicere velit, Ecclesiam cum Ecclesia, Concilium generale cum Concilio generali pugnare.

Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terrae ipsorum, quamdiu in iis iidem usurarii commorantur, ex tunc ecclesiastico subiaceant interdicto. Ceterum, si laici fuerint, per suos ordinarios, ab huiusmodi excessu, omni cessante privilegio, per censuram ecclesiasticam compescantur.

«Quamquam usurarii manifesti de usuris, quas receperant, satisfieri expressa quantitate vel indistincte in ultima voluntate mandaverint, nihilominus tamen iis ecclesiastica sepultura denegetur, donec de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfactum, vel illis, quibus facienda est restitutio . . . idonee de restitutione facienda sit cautum. . . — Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum praestent idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso iure.»

1304 *Clem. V* in Conc. Vienn.: «Ex gravi ad Nos insinuatione pervenit, quod quorundam communitates locorum in offensam Dei et proximi, ac contra iura divina pariter et humana, usurariam approbantes quodammodo pravitatem, per statuta sua iuramento quandoque firmata, usuras exigi et solvi nedum concedant, sed ad solvendas eas debitores scienter compellunt, ac iuxta ipsorum continentiam statutorum gravia imponendo plerumque usuras repetentibus onera, aliisque utendo super his diversis coloribus et fraudibus exquisitis, repetitionem impediunt earundem. Nos igitur perniciosis his ausibus obviare volentes, sacro approbante Concilio, statuimus, ut quicumque communitatum ipsarum Potestates, Capitanei, Rectores, Consules, Iudices, Consilarii aut alii quivis officiales statuta huiusmodi de cetero facere, scribere, vel dictare, aut quod solvantur usurae, vel quod solutae, dum repetuntur, non restituantur plene ac libere, scienter iudicare praesumpserint, sententiam excommunicationis incurrant: eandem etiam sententiam incursum, nisi statuta huiusmodi hactenus edita de libris communitatum ipsarum (si super hoc potestatem habuerint) intra tres menses deleverint, aut si ipsa statuta sive consuetudines effectum eorum habentes quoquo modo praesumpserint observare.

«Ceterum quia feneratorum sic ut plurimum contractus usurarios occulte ineunt et dolose, quod vix convinci possunt de usuraria pravitate, ad exhibendum, cum de usuris agatur, suarum codices rationum, censura ipsos decernimus ecclesiastica compellendos.

«Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut haereticum puniendum: locorum nihilominus Ordinariis et haereticae pravitatis Inquisitoribus districtius iniungentes, ut contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tamquam contra diffamatos vel suspectos de haeresi procedere non omittant.»

1305 Definitionem Concilii Later. V habes supra. Insuper approbatur institutum montium pietatis: «Sacro approbante Concilio, declaramus et definimus, montes pietatis . . . per republicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem absque lucro eorundem montium accipitur, neque speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari, quinimmo meritorium esse, ac laudari et probari debere



tale mutuum, et minime usurarium putari. . . . Omnes autem . . . , qui contra . . . praedicare seu disputare verbis vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latae sententiae poenam, privilegio quocumque non obstante, incurrere volumus.»

## § 2.

*Tituli, ex quibus Ecclesia et theologi fenus admiserunt.*

I. *Primus* titulus ex sententia *S. Alph.* III 765 cum *Sylvio, Fagn.*,<sup>1306</sup> *Cabassut., Lugo*, De iust. et iure disp. 25, n. 76; *Salmant.* tract. 14, c. 3, n. 38 «et aliis innumeris» communiter agnitus est: *periculum sortis*, modo ne sit periculum commune, quod sors etiam apud dominum et ubique subit, sed maius et extraordinarium; cui etiam consonat declaratio *S. C. de Propag. Fide*, ab *Innoc. X* approbata 1645 pro Sinensibus, videlicet, non esse eos inquietandos, «si aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminenti (scil. fugae debitoris, tardae solutionis, difficultatis exigendi) et qualitatis eiusdem, et servata proportione inter periculum et id quod accipitur».

Recte animadvertit *S. Alph.* l. c. — id quod per se prorsus patet — «bene exigere potes a mutuuario id, quod alter tibi daret pro assecuratione sortis, licet mutuum postmodum integre tibi reddatur». Scil. illa assecuratio est aleatorius contractus; si totum mutuum postea recipies, lucratus es; si non recipies, damnum patieris, non tamen tantum, quantum patereris, si nihil pro assecuranda sorte iam recepisses.

Inustus autem ille contractus fit, si aestimatio periculi aequo maior est.

II. *Secundus* titulus, vi cuius aliquid ultra sortem recipi posse<sup>1307</sup> communiter omnino docuere theologi (*S. Alph.* n. 766), est *poena conventionalis*, quae nimirum constituitur pro casu «si mutuarius in culpabili mora fuerit et redditionem mutui ultra statutum tempus culpabiliter differat». Qui titulus, ut per se solus iustus sit, debet 1) statuere moderatam poenam, 2) non debet apponi ex intentione mutuatoris re ipsa desiderantis, ut poena incurratur, 3) debet non postulari, nisi quando revera *culpabilis* fit dilatio solutionis.

Ceterum si mutuum dabatur *pro longo tempore*, intra quod mutuator obligabatur, ne repeteret pecuniam — nam contractus mutui ex se non obligabat, ut *diu* mutuuario res mutuo data concederetur, sed pro brevi tempore, quo duraret necessitas — *S. Alph.* n. 760 prorsus aliquam compensationem concedit, cum dicit, hoc esse onus mutuo non internum, sed extrinsecus superadditum, maxime cum moraliter impossibile sit, mutuatorem per longum tempus expectantem non passurum esse aliquod periculum, incommodum, damnum, propter quod utique ex omnium opinione de compensatione aliqua pacisci possit. Atque recte notat *S. Doctor*, huic sententiae minime obstare thesin 42 ab *Alex. VII* damnatam: «Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus»: contra logicam enim peccare eum, qui generalem illam vocem «certum tempus» cum «*longo tempore definito*» vellet convertere.

III. *Tertius* igitur titulus iam indicatus est *damnum emergens seu*<sup>1308</sup> *lucrum cessans*. Nimirum si mutuator revera pecuniam seu rem mutuo

traditam utiliter impendere potuit et voluit, iniustitiam non committit. quando sub hac tantum conditione mutuatario rem suam tradere vult, ut compensatio sibi fiat, seu ut indemnis reddatur. Si vero lucrum non esset certum, sed solum in fundata spe, iniustum esset, compensationem totius lucri sperati postulari. Saltem titulum *damni emergentis* iustum esse, *S. Alph.* n. 768 dicit «certum est; ita omnes». *Lucrum cessans* autem damno aequiparari, habes ex *S. Thom.* 2, 2, q. 62, a. 4.

De omnibus his titulis theologi uno ore pronuntiant, necesse esse, ut id, quod vi illorum titulorum mutuator sibi deberi putet, antea in pactum deducatur; mutuans enim, nisi ab initio moneatur, contractum mutui solum eumque gratuitum se inire cogitat et statuit, neque in auctuarium illud dandum consensum dedit: quare iniuste postea compellitur ad solvendum.

1309 IV. *Quartus* titulus, recentiore potissimum tempore, i. e. ante plura decennia, multum defensus, est *praemium legale*. Vide *Gury* I 862 sqq et complures scriptores Gallicos. Neque tamen defuere iam saeculo decimo octavo, qui eundem titulum pro legitimo haberent: vide *Pichler*, de quo cf. *Zech*, Rigor moderatus. Nimirum putabant, supremam auctoritatem civilem posse iis, qui pecuniam sibi secus otiosam aliis mutuo traderent, moderatum aliquod praemium statuere, quo efficacius allicerentur et conferrent ad commune bonum, quod, quo magis pecunia cursat, facilius iuvatur: neque quidquam iustius esse, quam id solvi tandem ab iis, qui pecuniam mutuo acciperent, praesertim si ad propriam utilitatem et augendas fortunas impenderent, salva semper lege caritatis, gratis illis mutuandi pecuniam, quibus ratione paupertatis sive eleemosyna sive alia via succurrendum est.

Quem titulum Ecclesia non reprobavit, sed disputationi theologorum reliquit.

Aliquid veri et iusti huic titulo inhaerere, non puto esse negandum: tamen alia causa iusta recipiendi lucrum iam praesupponitur, ita ut praemium illud legale potius iusti tituli iam existentis declaratio et taxatio quam tituli non existentis creatio sit. Neque tacendum est, huius tituli defensores prorsus prohibere, quominus ad legale praemium alius titulus, ut lucri cessantis, periculi sortis addi atque ita auctuarium seu fenus recipiendum augeri liceat. Verum id commodi in titulo legalis praemii agnoscunt, quod in singulis casibus necesse non sit probare periculum vel lucrum cessans: quod si forte ex circumstantiis extraordinarium evadat, non esse illicitum plus fenoris exigere, quam praemium legale permittat.

Ratio autem, cur dixerim praemium legale potius, quam creet novum titulum, titulum existentem declarare, haec est: Si nimirum cursari pecuniam ad bonum commune et efflorescentiam rerum publicarum confert, conditio socialis vitae iam multum immutata esse debet et differre a stabilitate rerum, quae antea obtinuit; fluctuatio et permutatio rerum etiam frugiferarum debet evasisse facillima et perpetua, ita ut, qui vult uti pecunia, quam possidet, facile semper cum lucro vel cum magna spe lucri eam impendere possit. Quodsi rerum conditio ita est, aderit pro mutuatore ex natura pecuniae seu usus pecuniae *mutata* titulus lucri cessantis, seu aliis verbis, cedendo *usum*

*pecuniae* cedit mutuator rem communi aestimatione pretio aestimabilem, ac proin iuste poterit loco contractus puri mutui contractum quasi locationis pecuniae inire.

Sic iam facile intelliguntur responsa recentiora S. Sedis: neque est, <sup>1810</sup> cur, abolita omni *legali* fenoris aestimatione, liceitas alicuius fenoris recipiendi mutetur.

Collectionem horum responsorum habes in *Collectione Lacensi* concilior. vol. VI in app. ad synod. Pudicherianam col. 677 sqq, uti anno 1873 a *S. Congreg. de Propag. Fide* ad Vicarios Apostolicos transmissa est: ex quibus principaliora tantum eligo, et quidem, quo maior sit responsorum auctoritas, sola ea referam, quae *S. Off.* dedit, *approbante S. Pontifice*. Quod etiam id commodi habet, ut appareat, nequaquam S. Sedem in titulo legis civilis insistere, ut moderatum fenus permittat — quod legenti sola *S. Poenitentiariae* responsa facile videri possit licere sibi conicere, cum vix non semper, qui interrogabant, de huius tituli sufficientia quaerere viderentur.

Ceterum ipsum *S. Officium* iam 17 Ian. 1838 ad Ep. Nicaensem declaraverat, non fuisse mentem *S. Poenitentiariae*, quaestionem a theologis agitatam de titulo ex lege principis desumpto definire, sed solummodo normam propositam esse practicam relate ad poenitentes, qui lucrum moderatum lege principis statutum acciperent: v. l. c. col. 689; hinc si titulus legis principis approbari videtur, id non tam huius tituli approbationem quam approbationem *quantitatis* illius lucri, quam lex civilis pro pretio traditae pecuniae statuerat, in se continet.

**A. Episcopus Rhedonensis** in Gallia exponit *S. Congregationi In-* <sup>1811</sup> *quisitionis* sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant. — De sensu epistolae encycl. «*Vix pervenit*» acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus et innumera damna animarum. Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus et obiciat, sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a *S. Sede* non semel ea de re consulta: tunc isti confessarii exigunt, ut poenitens promittat, se filiali oboedientia obtemperaturum iudicio *S. Pontificis*, si intercedat, qualecumque sit, nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide: isti confessarii, etiamsi aliunde noverint, ab eo perceptum esse aut etiamnunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt; nulla de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit igitur episcopus Rhedonensis:

I. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare.

II. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes, consulendi causa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.

«Fer. IV die 18 Aug. 1830: Sanctiss. Dominus noster *Pius* divina providentia Papa VIII in solita audientia R. E. D. Assessori S. Officii imperita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Emorum DD. Cardinal. Inq. Gen. respondit: Ad I. Non esse inquietandos. — Ad II. Provisum in primo.»<sup>1</sup>

1312 B. S. Officio proponebantur dubia *Capituli Collegiatae Locarni dioecesis*, «Como» in Helvetia. Videlicet huius Capituli praebendae ex maxima parte consistere dicuntur in pecunia, quod praecipue evenit ex extinctione decimarum iussu gubernii facta. Pecuniam hanc in bona stabilia fructifera converti vix posse exponunt, cum eiusmodi bona rarius occurrant, aut si occurrant emenda, tanti pretii constent, ut non plus quam  $2\frac{1}{2}$  proc. annuatim referant; id autem praebendas iam per se satis exiguas nimis deprimere. Neque census annuos emi posse tum propter leges existentes, tum propter populi communem aversionem, qui potius annuas usuras 4—5 proc. pro mutuo solvere quam censu se onerare velit.

Quare interrogant:

I. «Sitne sustentatio honesta, qua beneficiati indigeant, et quam debeant habere ex fructibus 'capitalis' praebendae, in eiusmodi circumstantiis sufficiens titulus aliis ab Ecclesia iam approbatis similis, ob quem liceat

---

<sup>1</sup> *Episcopus Vivariensis* apud S. Officium dubium moverat de hoc ipso responso ad episcop. Rhed., propterea quod in eo nulla mentio fiat tituli ex lege principis petiti: cuius dubii solutio sane novam lucem huic causae affert.

«In Exposito episcopi Rhedon. nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam theologi reperiri in lege principis, sed unice de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu encyclicae *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum. — Unde alii dicunt, iudicium SS. Pontificis *Pii VIII* in se solo attendendum esse et separatim a responsis datis ab Em. Cardinalibus, ita ut sensus istius iudicii sit, sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede, ea de re non semel consultata (nimirum ita, ut non in lege principis insistatur tamquam in legitimo et necessario titulo)... — Alii... putant, dictum iudicium non sic esse intelligendum, et iudicium esse referendum ad dubia de titulo legis principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede... Itaque quaeritur:

«I. An praefatum iudicium SS. Pontificis intelligendum sit, ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo legis principis, de quo Em. Cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

«II. An titulus ex lege principis, de quo Em. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat, legem principis declarare, licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut in codice civili Francorum, quin dicat se concedere ius tale lucrum percipiendi.

«Fer. IV die 31 Aug. 1831. In congregatione generali S. Officii... propositis precibus Rev. P. D. episcopi Vivariensis, iidem Em. et Rev. DD. Card., praehabitis Dominorum Cons. suffragiis, dixerunt: Provisum in decretis fer. IV 18 Aug. 1830, atque dentur Decreta.

«Eadem die et fer. SS. D. N. *Gregorius* div. providentia Papa XVI in audientia R. P. D. Assessori S. Officii imperita, resolutionem ab Emm. captam approbavit.» (Sunt ea ipsa decreta, de quibus dubium movebatur, quia nullam legis principis ut necessarii tituli mentionem faciunt). — Quod responsum in collectione sua S. Congr. de Prop. fide non assumpsit; invenitur in *Gury-Ballerini* not. ad I, n. 878 ultimum documentum.



contractum inire, quo detur pecunia capitalis praebendarum ad usuras annuas 4—5 proc., adiecta hypotheca bonorum stabilium et cautione per viros notos et solvendo pares praestita, quo secura reddatur praebendarum perpetuitas?

II. «Possitne ille titulus extendi etiam in favorem ecclesiarum, monasteriorum aliorumve locorum piorum, atque etiam ad pupillos aliosque homines, qui in similibus circumstantiis, ut supra, versentur et debeant pecuniam, quam possident, frugiferam facere, ut honeste sustententur?

III. «Sufficiantne, ut ille contractus (mutui) licitus evadat, leges civiles earumque procedendi ratio, quae hodieum tales contractus communiter approbant atque eorum executionem tuentur, non minus quam communis et tacitus populi consensus, qui per longaevam consuetudinem videtur eiusmodi contractus commoditatis et facilitatis causa substituisse aliis contractibus difficilioribus et implicatis?

IV. «Possitne etiam ratio haberi auctoritatis Ordinarii et multorum virorum ecclesiasticorum doctorum et proborum, qui, spectatis circumstantiis supradictis, licitudini horum contractuum favent eosque approbant?»<sup>1</sup>

(Sequntur dein alia dubia minoris momenti.)

Fer. IV 31 Aug. 1831: «Propositis superioribus capituli Collegiatae Locarni precibus, quae iam per manus una cum Dominorum Consult. suffragiis distributae fuerant, Em. et Rev. Domini dixerunt:

Ad I II III IV: Non esse inquietandos, et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.»

«Fer. IV 7 Sept. 1831 S. Dom. N. *Greg. XVI* in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Em. resolutiones approbavit.»

Unde iterum patet, cum tam multa et varia interrogata essent de *titulo* ad moderatum lucrum percipiendum, S. Officium et S. Pontificem non solum titulum legis civilis eiusque taxam respexisse, sed in genere noluisse impedire, quominus annum lucrum ex pecunia aliis tradita perciperetur.

### Articulus III.

**Uberior declaratio iusti tituli feneratoris et diversae agendi rationis Ecclesiae ex hodierna pecuniae quasi-fertilitate et quasi-locatione.**

I. Pecunia ex sese sterilis est, ac proin, nisi alia accedant adiuncta<sup>1313</sup> aliaque elementa, recte dicitur peccatum usurae, si quis usu pecuniae mutuo datae lucrum quaerit seu percipit fenus.

II. Pecuniae, quando instrumentum negotiationis est, quaedam quasi-fertilitas potest attribui: nam revera lucrum, quod negotiando licite capitur, non soli labori et industriae, sed etiam pecuniae in negotiatione collocatae respondet; seu pecunia in negotiatione collocata habet praeter substantiae valorem usum pretio aestimabilem. Negotiationem autem intelligo non solum strictam, sed etiam latam, quando conficiuntur per machinas diversae res negotiationi destinatae.

Simile quid dici debet de pecunia, quando characterem habet representatricis *omnium* rerum, *etiam frugiferarum*. Nam si hunc

<sup>1</sup> Dubia proposita inveniuntur idiomate italico: quapropter ea verti in linguam latinam; responsa a S. Officio et a S. Sede data latina lingua prodierunt.

characterem induit, in pecunia dominus quasi omnia, etiam frugifera, possidet; hinc usus pecuniae est ipsi, etiam ultra eius valoris substantiam, pretio aestimabilis, quia utiles permutationes facillime potest peragere.

III. Ut autem pecunia hos characteres habeat, fieri potest aut ex speciali conditione domini, aut ex communi et universali conditione vitae socialis. Si prius tantummodo obtinet, in singulis casibus probetur oportet, eum, qui alteri pecuniam det, in tali conditione versari; secus non licite pro pecunia data postulet compensationem tamquam pro usu rei frugiferae. Si posterius obtinuerit, probatio singularis non requiritur, sed usus pecuniae iam communi aestimatione utilitatem habet pretio aestimabilem, substantia eius valoris manente intacta: quapropter quilibet pro pecunia alteri tradita compensationem recipere licite potest, sicut ex domo locata<sup>1</sup>; *vel* titulus lucri cessantis cuilibet suppetit, quod lucrandi facultate cum pecunia coniuncta se privet.

1314 IV. Nostris autem temporibus pecuniae conditionem hanc communem evasisse, ab eo, qui socialem vitam paulo aspexerit, nequit in dubium vocari. Nam 1) res omnis generis tantae fluctuationi et instabilitati subiacent, ut pro pecunia summa facilitate possint acquiri; 2) per libertatem negotiandi, per associationes quam plurimas, per industriales operas via ferrea machinisque multum adiutas, omnibus etiam iis, qui tantillum pecuniae secus otiosae possident, facultas datur partem habendi in negotiis ex se lucrosis<sup>2</sup>. Cf. *Palmieri* notam ad *Ballerini-Palm.* III, n. 737.

V. Prioribus vero temporibus, cum conditiones illae pecuniae extrinsecus advenientes non adessent, Ecclesia communi lege non poterat permittere, ut ex pecunia alteri tradita lucrum hauriretur, sed lege communi id interdicerere debuit, exceptionibus illis admissis et rationibus illis permissis, quibus, ut supra dictum est, ex pecunia semper licuit lucrum facere. Nam revera neque facultas negotiandi cuique aderat,

<sup>1</sup> Quod alii fere sic exprimunt: Quamdiu pecunia manet mera pecunia seu instrumentum permutationis, essentialiter infructuosa est et fenus quodlibet iniustum: sed si evadit «capitale», lucrum gignit, neque fenus percipere iniustum est, nisi sit excedens. Et quamquam cum natura «capitalis» sortis periculum coniungitur: nihilominus hoc periculum per cessionem partis lucri excuti potest. Cf. *Weiss*, Apologie des Christentums<sup>4</sup> IV 794 sqq.

<sup>2</sup> Quas condiciones sociales mihi non videntur illi satis expendisse, qui in hoc solo insistent, quod mutuato pecunia tradita quodammodo societatem ineat cum mutuario sive mercaturae sive alterius negotii lucrosi, aut sibi ius ad partem honorum (naturaliter) frugiferorum emat. — Equidem puto, neutrum esse plane necessarium, sed sufficere *communem facilitatem* adhibendi pecuniam in usus licitos quaestuosos, sive ex pecunia constituendi «capitale». Quare etiam quis est, qui non possit iure praetendere titulum lucri cessantis, maxime cum pro minima etiam summa pecuniae praesto sint associationes quae moderatum fenus tradentibus pecuniam vi negotiationis dare possint, v. g. instituta, ubi quaelibet pecunia ad futuros usus cum lucro reconditur, praecipue arcae parsimoniae, atque ea quae vocantur «Rabatt-Spar-Anstalten», (qua institutione iis, qui cotidianas res *soluta pecunia* emunt, lucrum aliquod conceditur, ita tamen, ut lucrum illud non statim tradatur, sed tradito chirographo ad fenerandum committatur)?

sed paucis tantum idque post collectam notabilem pecuniae summam: quodsi quis cum aliis in hunc finem coniunctim agere volebat, id poterat per contractum societatis; neque pecunia domino repraesentabat cuiuslibet generis bona: nam bona naturaliter frugifera in tam stabili possessione erant, ut dominum raro mutarent, res artificialiter frugiferae, cum inventiones nostri saeculi deessent, tanto numero tantaque copia minime erant: paucis, si quis pecuniam possidebat in summa non valde notabili, haec naturam sterilitatis, quam ex se habet, exuere non consuevit, sed mansit otiosa.

Hinc etiam facile intelligitur, cur etiam nunc Ecclesia non tam sollempni modo fenus permiserit, quam antea prohibuerit. Leges illae antiquae normae sunt, quae pecuniae valorem et naturam *per se* respiciunt, adeoque in se semper rectae et iustae: tolerantia vero hodierna respicit conditionem pecuniae *adventitiam*, eamque per se mutabilem, ita ut perpetua norma ex se esse non possit. Quis enim dixerit, socialem vitam eam esse, ut ad stabilitatem priorum saeculorum redire non possit? Quod etsi *improbabile sit, impossibile non est.*

Concludes. 1. Spectata hodierna conditione socialis vitae, non <sup>1815</sup> est amplius peccatum *iniustitiae* vel *usurae* accipere moderatum fenus etiam ab eo, qui utpote pauper mutuata pecunia utitur ad necessitates vitae: quia mutuator privat se usu pecuniae pretio aestimabili. Attamen *caritatis* obligatio urgere potest ad verum seu gratuitum mutuum, si conditio mutantis ea est, ut alterum ad eleemosynam talis gratuiti beneficii obliget. Usurae autem peccatum etiam nunc atque semper erit, res primo usu vere consumptibiles atque consumptioni, non negotiationi destinatas, quibus alter indigeat, ut frumentum etc., mutuo tradere cum obligatione fenoris: nisi forte titulus extrinsecus adsit, v. g. quod mutuator facilitatem habeat eas res in frugiferas convertendi lucrumque percipiendi, qua se nunc privet.

2. Si leges publicae certam taxam fenoris statuerunt, eam sine iniustitia transgredi non licet, nisi forte extraordinariae circumstantiae maioris periculi aut damni orituri existant: alias, qui maius lucrum sperat, per modum societatis in certa negotiatione similive commercio pecuniam collocare debet. Nam lex publica ut pretium certarum mercium, ita etiam pecuniae alteri commissae constituere potest, immo aliquando debet, quo maius est periculum, ne capitalistae iniustam partitionem lucri inter pecuniam et laborem vel industriam facere conentur.

3. Si vero de magnitudine fenoris quaeritur, quando legalis taxa <sup>1816</sup> non existit: eius iustitia per se quidem communem aestimationem sequitur, similiter ut alicuius mercis vel locationis pretium. Verum notari debet, hanc communem aestimationem non debere *iniuste* esse productam.

Iniuste produci potest diversis modis: 1) ex parte oppressivae exactionis eorum, qui ut pecuniae domini eam tradunt: nam quia ii in necessitate plerumque non versantur, difficiles et morosos sese exhibendo, illos, qui postulant pecuniam, quasi cogere facile possunt ut plus aequo solvant. 2) Accidere potest, ut pecunia multa quaeratur, ac proin augeatur traditionis pre-

tium; at quaeritur ad industrias, speculationes, negotia periculosa et iniusta, iique, qui eiusmodi rebus inhiant, quo minus curant, utrum postea solvendo impares sint necne, eo magis proclives sunt ad offerendum fenus enorme. Quodsi his aliisve modis commune pretium iusto magis crevit atque eiusmodi iniustis negotiis operationibusque innititur, tale pretium, etsi commune, sine iniustitia sumi nequit; est enim quaedam participatio iniustitiarum, quae a mutantibus et utentibus pecunia exercentur.

Signum autem iniusti fenus est, si lucrum, quod mutuatori promittitur, non manet notabiliter infra id quod iusta speculatione et negotiatione homines se lucraturos sperare possunt. Dico, nisi notabiliter infra id manet: nam labori et industriae certe bona pars lucri ex iustitia debetur<sup>1</sup>.

Quare etsi 6—9 proc. annui fenus, si communis aestimatio esset, usum pecuniae tanti valere, iniustum pretium dici posse non puto; tamen vix videtur communis aestimatio illa evasura esse: multo magis, si augetur etiam, e. g. ad 20 proc. usque, id iustum esse, plane non amplius video. Nolo tamen negare, per modum societatis in *singulari* omnino casu negotiatione tantum lucrari aliquem posse, aut ratione extraordinarii periculi, eiusque maximi, ipsum periculum tanti posse aestimari: at isti casus omnino sunt extraordinarii, qui communi aestimationi non subiacent<sup>2</sup>.

#### Caput IV.

#### De reliquis contractibus onerosis.

1317 Diversi et multi contractus onerosi iniri possunt innominati, aut qui non regulari alicui aestimationi subiacent, ut contractus illi «do ut facias, facio ut facias etc.» Verum de his speciatim agere non possumus, idque eo minus necessarium est, quod circa iustitiam iniustitiamve analogiam venditionis et locationis sequuntur.

<sup>1</sup> Ratio autem, cur ii, qui multum pecuniae possident, campsores puto (Banquiers) atque Croesos nostrae aetatis, generatim tantam vim in mutuatarios exercere atque fenus augere possint, satis clara est. Scilicet vis et numerus pecuniae numeratae seu numerorum nullam iustam proportionem habet, cum numero transactionum, quae fiunt, vel cum valore rerum transigendarum, de quibus contractus conficiuntur. Unde etiam saepe non satis pecuniae pro necessitatibus praesto est.

<sup>2</sup> Cum his concordat Romani theologi sententia, quam habes in libellis period. «Archiv für kath. Kirchenrecht» I 329. Recentiora responsa habes haec: Fer. IV 18 Dec. 1872 S. Rom. et Un. Inquisitio ad quaesitum Vicarii Gen. dioecesis Ariensis, num tolerari possit, spectatis circumstantiis temporum et raritatis pecuniae mutuandae, praxis iam inventa accipiendi 8% annui lucri ex pecuniis in mutuum datis, respondi:

«Emi et Rmi DD. rescribi mandarunt: *Dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos.*»

Postea episcopus Marsicensis et Potentin. quae siverat, num liceret mutuanti 8 vel 10% accipere, idque ea lege, ut mutuatarius insuper solveret tributum circiter 1/2% a gubernio possessionibus mobilibus impositum.

Cui S. Poenitentaria die 18 Apr. 1889 «mature consideratis expositis, ad praemissa respondet: *Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae periculosum sit, Ven. in Christo Pater episcopus orator in singulis casibus rem decernat iuxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.*»



*Articulus I.*

## De contractibus onerosis principalibus.

## § I.

*De emptione et venditione.*

Cf. *S. Alph.* III 793—838; *S. Thom.* 2, 2, q. 77; *Lugo*, De iust. et iure disp. 26; *Elbel* V, n. 556—591; *Schwane* l. c. § 19—21; *Pruner*, Lehre vom Recht I, § 145.

## PUNCTUM I.

*De natura contractus venditionis.*

I. Communis definitio emptionis et venditionis est: consensus de re et de pretio, seu contractus, quo unus se obligat ad rem alteri in dominium tradendam, et alter ille ad determinatum pretium solvendum<sup>1</sup>.

II. Quamquam igitur per se solus consensus emptionem et venditionem perficit — nisi forte in quibusdam casibus documentum scriptum aliaeve sollemnitates a lege positiva postulantur — tamen de acquirendo dominio et de periculo rei sustinendo, cum non omnes diversorum regnorum leges idem disponant, neque in conscientia ubique eadem principia valent.

III. Nihilominus in conscientia contrahentes sese ligare possunt contra legum praescripta ad onera alio modo disponenda, modo et iustitia naturalis servetur et scientes atque liberi a lege positiva recedant: quodsi nihil expresse statuitur, onera favoresque secundum leges regionis ferenda sunt, nisi forte contraria sit ac certa *consuetudo*.

## IV. Praecipuae dispositiones diversorum iurium sunt hae:

Ius Romanum. Contractus emptionis et venditionis perficitur con-<sup>1818</sup>sensu, nisi conventio facta sit de scripto documento; quod si obtinuit, consensus praevis habetur pro stipulatione postea faciendi contractum, nisi constet de contrario —: verum dominium non transfertur, nisi et re tradita et pretio aut soluto aut fidē de eo solvendo data. Nihilominus periculum rei et utilitas (sensu aliquatenus restricto) ad emptorem pertinet, ita quidem ut, si res pereat, emptor tamen pretium solvere teneatur. Cf. *Lugo*, De iust. et iure disp. 26, n. 3.

Ius Gallicum. Venditio solo consensu de re et pretio perficitur: instrumentum, si quod requiritur (requiritur autem, si summa venditionis 150 fr. excedit), est ad *solum probationem* in foro externo. — Si vero agitur de rebus, quae ad mensuram venduntur, aut gustari solent, ad consensum accedere debet mensuratio aut gustatio rei facta. Dominium statim transit in emptorem, ac proin etiam periculum et utilitas. C. C. art. 1583.

Ius Germanicum contractum quidem venditionis in solo consensu partium collocat: sed communiter cum rei traditione demum sive emptori sive alteri ab eo designato facta sicut dominium, ita etiam periculum et fructus atque onera in emptorem transeunt, antea manent apud venditorem.

<sup>1</sup> In iure Gallico hunc communem conceptum emptionis et venditionis nonnihil mutatum esse, habes ex no. IV. Cf. *Carrière*, De contract. II, n. 657.

Quoad fundos pro traditione sufficit etiam, si qua ante traditionem fit, inscriptio in libros publicos (§ 446 sq). Vide similiter in iure Austr. § 1064 et 1048—1051.

Ius Anglicum. Periculum rei est apud eum, apud quem est rei dominium. Ut autem emptione acquiratur dominium, 1) per se non requiritur traditio rei, sed consensus et pretium *constitutum*, modo res in specie et separatim determinata et perfecta sit; 2) dominium autem mercium, quae secundum pondus vel mensuram venduntur, non transit in emptorem, nisi res emptori aut alteri emptoris nomine sit tradita: idem valet de re, quae, licet in specie (in individuo) omnino determinata quidem est, sed nondum perfecta et ad tradendum apta fuit tempore contractus: haec enim etiam *tradi* debet, ut apud emptorem sit dominium. *Crolly*, De iust. et iure II, n. 498.

1310 V. Ex quibus colligitur, periculum rei — si excipis ius Austr. et Germ. — plerumque apud emptorem esse, etsi ex rationibus diversis diversa iura id statuunt; apud venditorem esse: 1) si quid emitur ad experiendum (auf Besicht oder Probe), antequam conditio impleta fuerit, 2) si quae emuntur ad mensuram seu pondus, antequam emptori mensurata fuerint.

E. g. 1) si statuto, immo et soluto pretio, 100 modios tritici ex cumulo mensurandos emis: periculum in te nondum transit;

2) si totum cumulum tritici emis, statuto pretio pro singulis modiis, periculum interim manet apud venditorem;

3) si totum cumulum emis, non mensuram, sed pretium totale tuo periculo determinans, periculum rei in te transit.

Nihilominus si ex culpa venditoris res pereat, ille tenetur non solum pretium emptori reddere, sed omne damnum emptori restituere. — Item si venditor est in mora quoad rem tradendam, ad ipsum spectat periculum. *S. Alph.* III 798.

1320 VI. Communiter etiam fructus et utilitas rei — si iterum ius Austr. et Germ. excipis — ad emptorem pertinet.

*S. Alph.* ib. iura, nisi aliter conventum sit, sic refert:

1) Fructus rei pendentes (vel eorum valor) spectant ad emptorem.

2) Si vero fructus erant immaturi et postea maturi facti sunt, incrementum debetur venditori, si res tradita nondum erat.

3) Fructus futuri, etiam re nondum tradita vel pretio nondum soluto, per se ad emptorem spectant.

At venditori, si propter dilatam solutionem damnum habet, compensatio debetur: hodie solet conveniri de solvendo consueto fenore.

VII. Perfecto igitur contractu, 1) emptor debet statuto tempore solvere pretium; debet communiter solvere expensas contractus, nisi aliter conventum sit; communiter tenetur sine speciali conventionem solvere fenus pretii statuti a die, quo rem possidet, saltem si ex natura sua est frugifera. 2) Venditor debet rem secundum contractum cum omnibus accessoriis emptori tradere: secus saltem «interesse» solvere debet, immo ex iure Gallico emptor rescissionem contractus et

indemnitatem petere potest (art. 1610 et 1611 cf. *Allegre*, Code civ. commenté<sup>5</sup> II 194); interim vero venditor rem saltem ordinaria diligentia debet custodire<sup>1</sup>.

Punctum II.

*De re emptioni et venditioni subiecta.*

Circa rem quatuor praecipue notanda sunt: 1) ne sit vitiosa, 2) ne sit adulterata, 3) ne sit aliena, 4) ut sit pretio aestimabilis.

I. Circa vitia et defectus rei haec notanda sunt<sup>2</sup>:

1. Venditor tenetur semper manifestare defectus substantialia, seu qui nocivi sunt aut notabiliter inutilem reddant rem vendendam sive ex sese sive relate ad finem emptoris notum: secus tenetur de pretio.

2. Venditor interrogatus debet quoslibet defectus manifestare, aliter dolum committeret; quapropter si occultaverit, videndum est, utrum dolus ille dederit causam contractus, necne; in priore casu contractus rescindibilis est saltem in foro conscientiae, in posteriore casu sufficit pretium pro rata imminuere. Non interrogatus venditor defectus accidentales, qui rem notabiliter inutilem non reddunt, non tenetur prorsus manifestare, modo pretium diminuat; at neque dolose occultare potest.

3. Aliquando etiam defectus apparentes et manifestos plenius manifestare debet, si nimirum aut ex rudi ingenio emptoris aut ex speciali interrogatione apparet, emptorem defectus de se manifestos non animadvertere. — Ceterum pro foro externo consule leges loci.

4. Si quod igitur damnum emptori oritur ex vitio rei emptae propter defectus, qui manifestari debuerunt, non manifestatos, venditor damna aliquo modo praevisa reparare tenetur.

II. I. Circa rei adulterationem, ex *S. Alph.* III 820, *S. Antonin.* 1322 p. 2, tit. I, c. 17, § 4 et aliis, grave crimen committitur, si in rebus ad victum pertinentibus mixtiones fiunt, quae sanitati vere damnum periculumve inferunt.

2. Gravis iniustitia committitur, si propter mixtionem res periculo corruptionis exponitur, ut si vinum, quod ad servandum emitur, propter mixtionem facile acescit.

3. Si vero tale periculum non subest, atque res deterior, quae admiscetur, est plane innoxia, peccatum, nisi mendacium accedat, repetendum est ex solo pretio forte iniusto. Quare, ut ait *S. Antonin.*, «cum aliqui sophisticant ea, quae vendunt, ut se servent indemnes, et cum aliquo lucro congruo, quia, si venderent puras res, emptores non vellent dare pretium iustum, quia alii vendunt alia sic mixta minore pretio; videntur posse excusari, dummodo ne fiant mixturae quae noceant corporibus in his, quae venduntur in cibum

<sup>1</sup> Iura Americ. Sept. nihil certum statuunt. Consule igitur, quid ferat loci consuetudo, et praecipue quid conventio contrahentium statuerit: 1. circa rei periculum, 2. circa fructus rei venditae, 3. circa expensas contractus eiusque instrumenti.

<sup>2</sup> In venditione, quae dicitur *in folle*, si venditor expresse protestatur, se nolle de ullo defectu rationem dare: obligatio iustitiae eo solo continetur, ut non liceat venditori pretium illud iustum summum excedere, quod res, spectatis earum defectibus, habeant.

et potum.» — Haec tamen intellige, nisi emptor ad specialem finem indiget aut prorsus potiri vult re pura non permixta<sup>1</sup>.

Quod de adulteratione rerum dictum est, similiter applicari potest ad casum, quando aliquis vendit, ut dicitur, «quid pro quo».

1323 III. I. Rei alienae venditio et emptio secundum ius Gallicum quidem *irritum* dicitur facere contractum; secundum ius Romanum autem non plane irritum facit contractum, sed rescindibilem, idque iure statuitur secundum conceptum venditionis Rom. et Germ., quod contractus venditionis formaliter et immediate consistit in obligatione solvendi pretium ex parte emptoris, et ex parte venditoris in obligatione efficiendi, ut emptor dominium rei acquirat: quod venditori non est impossibile, etsi res vendita ipsius nondum est; potest enim emendo eam acquirere.

2. Quodsi vero res aliena, dum mansit aliena, tradita est, emptor dominium utique non acquirit; quare venditor, si mala fide cum emptore bonae fidei egit, omnia damna reparare debet, non solum pretium fortasse acceptum reddere; si bona fide egit, solum pretium restituere, quando contractus rescinditur. Iura recentiora nihilominus concedunt, ut emptor bonae fidei per traditionem dominium acquirat, nisi forte agatur de rebus furtivis aliisve exceptis. Quibus stari potest.

3. Si quis rem mobilem duobus emptoribus successive vendidit: quando tradita nondum est, debet tradi primo emptori, immo idem dicendum est, etsi tradita iam sit secundo emptori, qui fuerit *malae fidei*; secus si secundo emptori bonae fidei iam est tradita. Ita ex omni iure, ut dicit *Gury* I 883: idque ex conceptu venditionis et emptionis secundum iura illa plane sequitur, secundum quae sola traditione dominium transferatur. Verum prior emptor per venditorem indemnus fieri debet. Attamen rectius videtur dicendum, considerari debere, utrum prima venditione dominium iam sit translatum necne. Si translatum est, secundus emptor dominium acquirere non potest, etsi bona fide est; si translatum nondum erat dominium, secundus emptor bonae fidei per traditionem sibi factam dominium potest acquirere.

Quare ius Rom., sibi omnino constans, secundo emptori bonae fidei rem iam acceptam relinquit; malae fidei emptori autem propterea non relinquit, quia iniustitiae contra priorem emptorem cooperatus est et cooperari pergit.

1324 IV. I. Ut res dicatur pretio aestimabilis, id ex parte venditoris et ex onere seu privatione ipsi imposita repetendum est, quando non agitur de rebus communi aestimationi subiectis: nihilominus pretii *determinatio* interdum ex *aestimatione emptoris* sumi potest, quando scilicet pretium mere conventionale sumere (de quo vide infra), per se tamen non ex *utilitate*, quam emptor ex re est habiturus.

<sup>1</sup> Ista quaestio de adulteratione specialem attentionem meretur, quando agitur de vendendo et emendo vino, propterea quod hoc saepe postulatur pro materia consecrationis in Missa. Quando ergo in eum finem sive formaliter sive aequivalenter postulatur, grave crimen est sacrilegum, vinum non purum tradere, maxime si tanta est adulteratio, ut materia consecrationis certo valida non sit. Sola autem circumstantia, quod sacerdos est qui vinum petit, illud sacrilegium per se non infert; sacerdotis enim est, in emendis vinis cautiorem se gerere.



2. Emi et vendi igitur possunt etiam iura incorporea, immo etiam litigiosa, modo ex spe vincendi et periculo succumbendi pretium aestimetur.

3. Num vero vendi possit etiam id, quod ex caritate aliave virtute iam *debeatur* alteri, recentius quidem quaestionem moverunt, et si de venditione proprie dicta non quaeris, simile quid quaeri potest de exactione venditioni analoga, v. g. quando medicus, advocatus exigit pretium a paupere, cui gratis opitulari ex caritate debet.

Quod, si vere ita res se habet, *non licere*, extra dubium est: immo quod ius non habeat, qui pecuniam exigit, *iustitiam* aliquibus laedere videtur, utut solam caritatem laessisset, si opem non tulisset. Fateor tamen, *iniustitiam* exerceri non esse perspectum.

Corollarium. Adulteratione aut rei inutilis vel vitiosae venditione<sup>1325</sup> ab opificibus et mercatoribus varias iniustitias facile committi, quae plerumque pretii iniustitiam continent, a confessario sedulo notari debet. Ita agunt:

1. Pharmacopolae, si vetusta et corrupta vendunt; immo gravissime in vitam alienam peccare possunt, si negligentes sunt in medici mandatis exactissime implendis; neque minus peccant, si absque sufficienti cautione venena vendunt, aut obsecundant petentibus remedia, quae ad abortum faciendum postulari iuste suspicantur.

2. Pistores, laniones aliique rerum ad victum pertinentium venditores, si res corruptas vendunt sive cum sanitatis periculo, sive cum pretii iniustitia; si fraudulenter pondus imminuunt; si res suas cum deterioribus miscent, praecipue pretio non diminuto.

3. Molitores, qui res meliores cum vilioribus permutant; ultra conventionem vel timoratorum praxim nimiam partem frumenti seu farinae pro salario retinent.

4. Pannifices etc., qui in emptione rerum decepti suos emptores pro indemnitate propria iterum decipiunt; qui initium et finem, ut melioris texturae sit, curant atque ita emptores decipiunt.

5. Sartores et sutores, qui sine consensu domini aut legitima praxi partem panni vel corii retinent atque ita iniustum pretium laboris sui percipiunt; qui quando sumptibus alienis pannos et coria emerunt, negligenter vel ex industria male secantes cum iactura domini plus impendunt, quam facerent, si suis sumptibus res comparassent, occultantes tali fraude lucrum, quod in re propriis sumptibus conficienda facere possunt; si res conficiendas male conficiunt, ut citius dissolvantur.

6. Aurifabri, qui pretioso metallo vilius in maiore quantitate affundunt, et nihilominus pro puro et solido vendunt; qui res pretiosas certo pretio constantes ab ignavis vili pretio emunt, illorum ignorantia abutentes; qui res furto ablatas scienter aut cum fundata suspitione emunt, aut post cognitum furtum fundunt.

7. Typographi, qui praeter conventionem plura exemplaria imprimunt cum damno auctoris libri; qui adulterinas editiones faciunt, vel furtivas cum damno editoris privilegiati et auctoris; qui circa charactam, characteres adhibendos contractum initum non servant.

## Punctum III.

## De pretio in emptione et venditione.

1326 Iustitiam iniustitiamve in emptione et venditione scrutantes, potissimum in pretium animum intendere debemus, quia omnis fere iniustitia in hoc contractu aut in iniusto pretio consistit aut cum eo coniungitur. Iniustitia igitur ex parte venditoris est, si nimium pretium accipit, ex parte emptoris, si pretium iusto minus solvit.

I. Pretium rei potest esse *legale, vulgare, conventionale*, cui addere possumus ut speciem singularem conventionalis pretii *pretium concursu effectum*. Pretium legale est, quod taxa legis statuitur; vulgare, quod communi aestimatione innititur; conventionale, quod libera conventionione contrahentium habetur; concursu effectum, quod ex consensu plurimum offerentis vel minimum exigentis producitur.

II. Pretium legale, si existit, et pro rebus, pro quibus existit, *per se* ex iustitia retineri debet.

1. Nihilominus venditori illud *excedere* licet: 1) si est certo iniustum; 2) si, tacente legislatore, consuetudo est illud excedere; 3) si res vendenda notabiliter melior est, quam pro legali taxa supponitur.

2. Rem minore pretio oblatam emptor generatim emere potest, nisi venditor sit suspectus. Venditor autem diminuere pretium potest, si taxa legalis solum statuitur, ne carius res vendatur.

Si vero taxa statuitur simul in favorem vendentium, ne unus alterum deprimat, pretium legale, nisi res communi sit deterior, deprimere non licet; id enim saltem est laesio caritatis erga alios venditores, immo iniustitia evadere potest.

Nimirum qui ita agit, potest, quoniam cum detrimento aliorum venditorum emptores ad se trahit, a iudice condemnari, ut aliis venditoribus indemnitatem praestet. Num vero iam ex sese ante condemnationem teneatur ut ex laesa iustitia, non ita patet (vide *Elbel* VI, n. 102); immo consuetudo illas leges saepe ut poenales interpretata est.

Verum si fraudulenter minus pretium fingat, quam quod alii exigere solent, e. g. pondus et mensuram pro rata diminuendo: etiam contra ipsos alios venditores *iniustitiam* committit atque eos indemnes facere per se tenetur, idque sive de legalis sive de vulgaris pretii diminutione fraudulenta agitur. Nimirum iniusto medio, i. e. mendacio contra alios venditores utitur, quasi illi *carius* vendant, quod re ipsa falsum est. Videndum tamen, num mendacium et fraus efficax fuerit.

1327 Ceterum hodie ad alias fraudes magis attendi debet. Non raro occurrit certus emptionis et venditionis contractus, quo aliquis alteri se obligat ad procurandas seu tradendas certarum mercium copias statutae quantitatis et qualitatis pro determinato pretio (Lieferungsvertrag). Quodsi venditor post initum contractum, quem sibi parum favorabilem esse deprehendit, aut quantitatem aut qualitatem diminuit, iniustitiam committit; immo si cum utriusque contrahentis periculo pretium constitutum est, ne haec quidem ratio admitti potest, ut tali artificio ad pretium saltem infimum perveniat, quando advertit venditor, se suo errore consensisse in pretium infimo inferius: alias autem ad pretium infimum quidem ius habet.

In tali autem fraude in illis contractibus commissa gravissimum peccatum aliud latere potest: fac enim, agi de procurandis rebus ad victum necessariis pro exercitu; si venditor ille, qui sponderat, se huius et huius qualitatis res procuraturum esse, non stat promissis, ingens iniuria toti exercitui inferri potest, sicut non desunt lugenda exempla.

3. Si quis, pretium legale mox mutatum iri, scit scientia iuste acquisita,<sup>1328</sup> potest sine iniustitia res suas pretio adhuc vigente vendere: aliquando caritas obstare potest, quominus hoc omni studio fiat, e. g. si tali agendi ratione homo pauperior grave damnum patietur.

Speciatim de ipso magistratu quaerunt, qui communiter antea scit, pretium mutatum iri, utrum, si augendum est, liceat res coemere, si diminuatur, res quam primum vendere. Ad quod respondendum est:

1) Si amicum moneret, *iniuste* secretum violaret.

2) Etiam non licet ob lucrum sive proprium sive amici promulgationem taxae iam auctoritative statutae differre.

3) Lex positiva iustissime potest illi ipsiusve familiae omnem mercaturam earum rerum prorsus interdicere, quae eiusmodi pretium sive lege sive alio modo ita mutabile habent, ut persona publica in huius mutationis notitiam prius venire consueverit.

4) Ad proprium autem usum res emere, aut suas, quas per accidens habet, vendere vel servare, damnari facile non potest.

III. Pretium vulgare *communi aestimatione* constituitur; quare iam<sup>1329</sup> non est omnino fixum, sed distinguitur *summum*, *medium*, *infimum*: scil. summum, quod per se excedi non potest a venditore sine iniustitia; infimum quod ab emptore deprimi nequit sine iniustitia. — Attamen cum emptor ex se non teneatur ad pretium summum, neque venditor ad pretium infimum; iniustitia etiam committitur, si aut emptor fraude aliisve iniustis mediis inducatur ad solvendum pretium summum, aut venditor ad vendendum pretio infimo: quare secundum spem emendi minoris aut vendendi pluris restitutio fieri debet — practice plerumque in *tali* casu ad pretium medium res reducenda est.

Latitudo pretii iusti inter summum et infimum non eadem est pro omnibus rebus; minor in iis, quae ad cotidianum usum vitae humanae, praesertim necessarium, pertinent, maior in rebus, quae ad voluptates et luxum vitae referuntur, aut quae periculis, corruptioni etc. facile subiciuntur. — Pro rebus communibus *S. Alph.* cum aliis istam fere normam statuit, si pretium medium v. g. sit 5, infimum et summum inter limites 4—6 contineri; si medium 10, extremos limites 8—12; at si magis crescat pretium, proportionem inter infimum et summum non tantam manere posse, seu si medium pretium sit 100, limites esse 95—105 (*S. Alph.* III 804). Verum iniustitiae reum non auderem incusare eum, qui assignaret limites 90—110, et pro 50 tamquam medio 45—55, pro 40 limites 36—44.

Ut autem pretii vulgaris aestimatio melius intelligatur, notandum<sup>1330</sup> est: 1) eam pendere a *communi* aestimatione, non a singulari alicuius aestimatione vel notitia: hinc si apud barbaras gentes res quaedam pluris aestimantur, ibi non est iniustum, eas tanti vendere;

- 2) adeoque a communi aestimatione *illius loci*, ubi venditur;
- 3) atque *pro tempore*, quo venditur;
- 4) demum *a variis conditionibus*, quae communem aestimationem mutant, siquidem pretium rei decrescit a) ultronea oblatione, b) eo, quod alterius usui iam servierit, c) non raro anticipata solutione; crescit autem facile in venditione ad creditum.

Insuper aliquando commune pretium *excedi* sine iniustitia potest: 1) si venditor patitur speciale damnum eo, quod se re illa privat;

2) non solum si speciale utilitatem ex re percipit, sed etiam si speciali affectu in rem fertur, v. g. quia eam ut memoriam amici possidet: nam talis privatio est aliquo modo pretio aestimabilis; cf. *S. Alph.* III 807;

3) approbare autem nequeo, quod moderni scriptores saepius commemorant (cf. *Scavini*<sup>10</sup> II, n. 433 not.), posse etiam pluris vendi propter speciale utilitatem, quam emptor ex re habiturus est, nam hanc utilitatem venditor non cedit; sed pro solo illo, quod ipse cedit, pretium postulare potest: cf. n. 1246. Quod autem dicunt, iustum esse, venditorem, qui emptori commodum hoc procuret, lucri partem habere: id omnem emptionis et venditionis conceptum pervertit. Si enim illud commodum singulare est omnino emptori, venditor, si nolit rem suam pretio iusto vendere, aut retineat simpliciter, aut videat, num emptor in illo negotio, ex quo commodum magnum sperat, ipsum *pro socio* habere velit: tunc enim ex contractu societatis, in qua unus tradat rem, alter impendat industriam, spem maioris lucri concipere potest. Si vero ad illud commodum, quod emptor ex re se percepturum esse sperat, iam *multis* via patet, res eo ipso in communi aestimatione crescet; quare etiamtum *ultra vulgare pretium summum* postulari potest nihil. — Ceterum, ut iam supra dixi, in eiusmodi adiunctis emptor sponte pro dono atque ex gratitudine venditori plus dare potest; neque inficiari volo pro contraria opinione, quae tenet licere ob utilitatem emptoris pretium augere, adesse externam quandam probabilitatem, de qua confer *Casus consc.*<sup>8</sup> I, n. 794.

Similiter *infra pretium* etiam infimum haerere aliquando non est illicitum: scil. si emptor vere in gratiam venditoris rem emit, quae sibi nullatenus tanti valet, quanti communi aestimatione habetur. Attamen hic cavendum est ab oppressione pauperum; quare si res emptori vere utilis est, eam *infra pretium*, quod censetur commune pro re ultro oblata, sine iniustitia emere non licet: immo caritas potius postulare potest, ne ad extremos limites iusti pretii deprimatur. *S. Alph.* n. 802.

1831 Sicut autem secundum datam explicationem iniustum est, *infra pretium infimum* rem emere, et *ultra pretium summum* vendere; ita etiam iniustum est, pretium vulgare iniustis mediis deprimere vel augere.

De *depressione* *infra pretium* iustum iam aliquid dictum est antea occasione pretii legalis. Verum idem accidere potest, etiamsi legale pretium non existit, sed communi seu *vulgari* pretio res venduntur et emuntur. Venditores *infra pretium* iustum res venales deprimere aliquando solent *fraudulenter*. Iniqua scilicet aemulatione alter alterum vincere conatur, ut ad se emptores trahat. Hinc viliori pretio res vendit, sive res deteriores vel occulto vitio laborantes offerens, sive etiam ad tempus cum suo



damno vendens, cum ea plerumque intentione, ut post eversos aemulos ipse pro arbitrio suo pretium aucturus atque damnum incursum abunde compensaturus sit.

Quae non solum contra caritatem sunt, ut patet, sed etiam contra iustitiam, idque tum quoad aemulos suos, ut supra notavi n. 1326, tum quoad emptores non solum quando postea pretium rerum auget ultra iustum, sed etiam quando illud auget ultra id, quo alias emptores ab aliis venditoribus empturi essent.

Seclusa autem etiam iniusta illa aemulorum eversione, aliis quoque<sup>1332</sup> viis *augeri* pretium iniusto modo potest, praecipue sane in *monopolio*: quamquam nostris temporibus propter commercii facilitatem monopolium arte producere longe difficilius est quam priore aetate<sup>1</sup>, nisi per unionem cum aliis.

Nimirum res certi generis omnes coemere, et postea in aliorum penuria eas vendere supra pretium summum illud, quod, nisi talis facta esset coemptio, existeret, iniustitia est: pretio autem summo praecise vendere tum contra caritatem est, quando pauperibus creatur notabile detrimentum, eo quod nunc summo pretio emere debent, quod alias pretio medio vel infimo empturi erant. Vide *Lugo* disp. 26, n. 175. — Si autem de rebus voluptuariis sermo est, non iisdem limitibus arctis rem circumscribere debemus: nihilominus etiam tum excessu pretii peccari potest contra iustitiam.

Idem dic, si creatur quasi-monopolium, per unionem cum aliis, ita ut nonnisi summo pretio res vendantur. Nimirum contra caritatem delinquitur, neque ad id requiritur quidem, ut conventio fiat de *summo* pretio. Dico, si fit conventio; nam si fieret quaedam coactio, haec ab *iniustitia* non esset immunis.

Gravior res est, quando agitur non de iis, quae natura passim producit<sup>1333</sup> ad communes hominum necessitates, sed de iis, quae certis tantum locis reperiuntur atque coemptione agrorum seu fundorum in dominium paucorum transierunt, sume petroleum atque varii generis metalla.

Quando hoc modo res communi usui necessariae pretio augmentur, raro accidere potest, ut id fiat valde immodice, cum soleant alia media adesse quibus necessitati provideatur. Attamen si re ipsa immodica fit pretii elevatio ad solos augendos redditus ceteroquin iam iustos, atque hoc modo etiam pauperes premuntur, saltem laeditur caritas; et quamquam de laesa iustitia longe difficilius constet, cum res illae ut a natura certis tantum locis productae ex se pretium valde incertum habeant, iustitia tamen etiam in iis rebus laedi *potest* ob nimium pretii augmentum.

<sup>1</sup> Imprimis ante oculos versatur monopolium privatum, seu privatim productum. Paulo aliter loquendum est de monopolio legali. Ex iusta causa enim certis hominibus ius exclusivum ab auctoritate publica conferri potest circa confectionem et venditionem certarum rerum, imprimis novae artis inventoribus. Si quis igitur alius contra tale privilegium istas res imitaretur atque in commercium traderet, contra privilegiatum iniustitiam committeret. Privilegiatus autem pretio excessivo iniustitiam committere potest; at in novis inventionibus difficile est, id statuere, difficilius limites determinare.

Sed etiam sub alio respectu iudicandum est in genere de foederibus, quae iniri solent a mercatoribus et dominis fabricarum, quibus conveniunt de certis conditionibus servandis in certorum generum mercium fabricatione, venditione, operariorum tractatione, similibus. Quae foedera si fiunt contra immodicam aemulationem ad impediendam nimiam pretii rerum depressionem atque depressionem salarii operariorum, ad coercendam immodicam abundantiam in producendis mercibus, non est, cur reprobanda sint. Si autem tendunt in aemulos omnes vi suppressivos vel atterendos, in deprimendos operarios, in accumulandas iniquo pretio rerum divitias, iniustitiae damnari debent. Inde colligi debet, quid dicendum sit de singulis illis sodalitiis, quae «*Kartell, Pool, Trust*» vocantur. — Imprimis insignes iniustitiae notari merentur, quas illae societates, quae nomine «*Trust*» vocantur, aliquando exercent. Coemptis enim in certa regione omnibus certi generis fabricis omnibusque institutis ad illud rerum genus fabricandum et transvehendum auxiliariis, cum plene dominantur pretio illarum rerum, fictitiis titulis augent capitale (seu «*actiones*») quod repraesentat valorem institutorum coemptorum, idque aliquando triplo vel quintuplo et ultra: quo modo fingant, *modicos* tantum redditus annuos ex sorte hauriri, cum re ipsa hauriantur ingentes, modici sane ex valore «*actionum*» nominali ita «*dilutarum*» seu multiplicatarum. Cf. *Vermeersch*, Quaestiones de iustitia n. 354.

1834 Quod de monopolio vel de conventionione venditorum dicitur, applicari etiam potest ad operarios, qui conveniunt, ne quis operam suam locet infra certam mercedem: nam vendunt suos labores. — Quare id per se licet, 1) si agitur de mercede iusta sic obtinenda, 2) si excluditur iniusta coactio; immo si volunt solum obtinere pretium iustum infimum, non omnis moralis coactio sociorum illicita est, scil. intelligo eam, qua aliter agentes a bonis *indebitis* excluderentur; nam haec tunc considerari debet ut defensio contra damnificationem, quam patiuntur, eo quod alii infra pretium iustum labores suos impendunt. At illicitae evadunt eiusmodi conventiones, si vis aut iniuria infertur, graves minae intentantur, aut alia iniusta damna aliis inferuntur. Cf. infra n. 1349 sq de operistitio.

1835 IV. Pretium *conventionale*, si ex sola conventionione iustitia ducitur, non potest in omnibus rebus admitti, ut iam ex iis, quae dicta sunt, manifeste sequitur. Admitti tamen potest:

1) in rebus, quarum valor communis utrimque ignoratur, tum ab emente, tum a vendente, ita ut uterque sive lucri sive damni periculo exponatur;

2) in rebus pretiosis, quae valorem certum non habent, ne apud peritos quidem, sed quarum valor a sola affectione pendet: at cuiquam patet, si ingens excessus pretii fieret, qui omnem rationabilem aestimationem longe superaret, de iusta venditione vel emptione sermonem iam esse non posse;

3) in rebus, quae apud veteramentarios existunt, modo ne dolose et fraudulenter procedatur: quare si inter res viles detegitur res pretiosa, videndum est, utrum singularis sit notitia emptoris, an com-

munitur, qui viderint illam rem, eam pro pretiosa habeant, adeoque potius singularis sit venditoris aut paucorum imperitorum inscitia. Si posterius obtinet, vilissimum pretium non censetur iustum; si prius, non iniustum censetur. Quare iam facile admittitur, ut vetustos libros, etsi detegam, eos esse magni valoris, si modo dolose non agam, viliori pretio mihi comparare possim: quod maxime valet 1) si venditor eos exponit pro re nullius momenti ad quoslibet usus, ut meram chartam papyraceam, vel saltem 2) si emo in licitatione; nam extra *eam* si permagna est differentia inter pretium solum et verum valorem, facile de dolo commisso suspicari debemus.

Cf. hac in re *Tamb.*, In decal. l. 8, tract. 3, c. 7, § 11, n. 34—38.

V. Pretium *concurso effectum*: quando certae res vendendae exponuntur, ut plurimum offerenti cedant. Fere, non tamen plane idem dic, si e contrario res emenda petitur, ut a minimum postulante sumatur. Verum posterius potius in operae locatione vel in suscipienda procuratione variorum negotiorum aediumve exstruendarum usu venit: in quo casu quid sit statuendum, vide infra, ubi de *locatione* dicam. Hic notabo pauca de licitatione, in qua res per concursum *venduntur*.

1. Communis regula est, ut res tandem plurimum offerenti cedi debeat, etsi pretium oblatum maneat infra infimum; sed etiam ut pretium, si offertur ultra summum, tuto sine iniustitiae periculo accipi possit, immo solvi debeat.

2. Iniustitia committitur a domino rerum venalium:

1) Si res exposita et ab emptoribus lustrata postea iis nesciis mutatur;

2) si rem, postquam empta est, dominus nolit pro pretio oblato tradere;

3) si fraudulenter pretium augendum curat, v. g. per fictos licitatores, qui se gerunt, ac si plures res valeat, aut a pluribus desideretur.

3. Iniustitia a praecone committitur, idque maxime contra dominum:

1) si studiose eligit tēpus, quo pauci emptores confluerint, ut suis amicis et fautoribus res minore pretio possit addicere;

2) si non fideliter gerit munus suum, citius addicendo rem amicis, neque praebet tempus opportunum et occasionem aliis plus offerendi.

4. Iniustitia ab emptoribus committitur:

1) si quis fraudulenter vel violenter vel morali quadam coactione alios a licitatione avertit, ut sibi viliori pretio emat: quare *domino* pro rata spei restituere debet; erga alios, i. e. concurrentes etiam teneri potest, sed rarius;

2) si, qui ultimus obtulit, noluerit pretium oblatum solvere.

5. Sed alia artificia, quae in eiusmodi licitationibus adhibentur, num in iusta sint, non ita planum est. Noto sequentia:

1) Contra caritatem esse potest erga dominum, quando, ipso invito, ab eius creditoribus venditio sub hasta urgetur, si concurrentes conveniunt inter se, aut alios rogant, ut in hac illave re a licitatione absterneant, quo

viliore pretio singuli res emere possint; videlicet esset fere simile, ac necessitate alterius abuti ad pretium deprimendum.

2) Alias autem neque rogare alios, neque libere cum aliis convenire vel pacisci, ut abstineant, damnari potest. Nimirum alios solum rogare, a nemine iniustitiae arguitur; pacisci autem, complures pro iniusto habent, nisi forte agatur inter cognatos vel amicos. Vide *S. Alph.* III, n. 808; *Gury* I 910. At si inter illos licet, non video, quo modo inter alienos id iniustum sit, siquidem iustitia non pendet a cognatione et familiaritate, ac tandem possum quemlibet mihi amicum ad hunc effectum facere. Iniustum esse, idque maxime etiam contra dominum, si ullo modo coactio quaedam, etsi indirecta, adhibeatur, ultro fateor. Cf. etiam *Scavini* II 443.

3) Si res venales non fuerunt determinatae, sed indeterminate tantum res diversi generis proponuntur: in arbitrio tandem domini manet, plus minusve exponere, adeoque etiam, si videt, se minore tantum pretio vendere posse, ulteriorem venditionem licebit sistere. Alias id facere, seu res quasdam retrahere, multi iniustitiae incusant, quod sit laesio pactionis cum concurrentibus initae, ut omnes illae res pluris ementium sint. Verum si emptoribus convenire inter se licet ad deprimendum pretium, consuetudo — *ubi viget* — retrahendi aliquas res meo iudicio iniustitiam ex parte domini non continet. *Scavini* I. c.

4) Fictos licitatores subornari, non idem est, ac dominum ipsum per se vel potius per alios mandatarios sese inter ementes collocare. Postremum illud in *coacta* licitatione licitum esse, est evidens, cum non tam dominus rerum quam eius creditores vendentes sint. In libera autem venditione sub hasta res sane periculosior est et facile in ficte licitantium subornationem transit. Verum aliquando ita agunt, ut reapse intendant potius redimere pretio oblato eam rem, quam secus viliore pretio tradendam esse vident. Quod quidem etiam, si solam notionem licitationis eiusque pacti stricto sensu spectamus, ab iniustitiae labe immune non fuerit; attamen *consuetudo* hanc iniustitiae labem abstergere potest, maxime si emptoribus etiam sibi per conventiones cavendi facultas detur. Ficta igitur licitatio, quae iniustitiam erga emptores certe continet, adest, si, potius quam verus animus rem redimendi, intentio est alios excitandi ad magis magisque pretium augendum. Cf. etiam *Scavini* I. c.

Appendix de venditione per proxenetas seu personas intermedias.

Quid illis liceat, petendum est ex peculiari pacto cum dominis, pro quibus sive vendunt sive emunt, et ex communibus principiis circa contractum mandati. Praecipue haec advertite:

1398 1. Proxenetæ debet communem diligentiam adhibere, ne vilius vendat, neve carius emat.

2. Si pluris vendidit, quam a domino praestitutum erat, aut minoris emit: per se lucrum facit non sibi, sed domino.

3. Excipitur tamen, 1) si excessus adscribendus est *singulari* diligentiae et industriae, ad quam vi officii suscepti non tenebatur; 2) si dominus sive expresse sive aequivalenter ea intentione pretium praefixit, ut excessus sit pro proxeneta; 3) si post adhibitam diligentiam rem sibi emit, cum invenire non possit, qui pluris emat, dein vero occasionem nanciscitur rem pluris vendendi: at re ipsa debuit sincere



procedere, atque cum emptione etiam rei periculum in se sumere; alias ab iniustitia immunis non est. 4) Similiter dic de emptione infra pretium consuetum, si hoc actum est ex *singulari* diligentia, aut si venditor intuitu proxenetæ pretium diminit: quod accidere quidem potest, si quis in emendo multorum mandatarium gerit; at non est facilius credendum neque proxenetis, neque venditoribus; hi enim dicunt quidem: «tibi, non aliis hoc pretio vendo», at cuilibet fere sic loquuntur. Cf. *S. Alph.* III 825; *Gury* I, n. 915 et 916.

Ceterum praecipue attendi debet hodie ad leges regionis, quid de hoc genere venditionis et venditorum statuerint, maxime si agitur de *commissionariis negotiariis*, qui in bursa alibique pro aliis negotia tractant.

NB. De retrovenditione et mohatra<sup>1</sup> vix aliquid dicendum occurrit, cum hodie illi contractus longe rariores sint. Antea saepe palliatæ usurae iniustitia committebatur. Nunc vero consueti quidem fenoris ratio haberi potest: nihilominus opportunitatem iniuste aliquid extorquendi talis contractus facile praebet:

1. si a venditore ius reservatur redimendi, neque pretium diminitur propter hoc onus emptori impositum;

2. si *obligatio* redimendi imponitur, idque fortasse pro pretio etiam aucto.

## § 2.

### *De contractu aestimatorio.*

Contractus ille multum similis est venditioni per proxenetas. Con-<sup>1339</sup> sistit igitur in eo, quod dominus res suas venales alteri venditori intermedio tradat, qui eas vendendas curat (praecipue cursitando per singulas domos): quae elapso tempore non sunt venditæ, cedunt iterum domino. — Pro rebus venditis venditor intermedius *statutum* pretium solvere debet; retinebit, quod amplius ab emptoribus receperit, nisi aliter conventum sit: immo ut pro labore iustam mercedem habeat, non raro ulterior remuneratio quaedam statuatur.

Res ipsae manent sub dominio prioris domini, i. e. non transeunt in dominium venditoris intermedii: quare quod ante venditionem casu perit, perit domino.

Venditor intermedius autem, si quae vendidit homini solvendo impari vel «ad creditum», pretium statutum domino solvere debet: at non tenetur de culpa levi aut de casu fortuito, nisi alia conventio accesserit. Cf. *Pruner*, *Lehre vom Recht* I, § 143.

## § 3.

### *De locatione et conductione.*

#### *A. De locatione et conductione in genere.*

Cf. *S. Alph.* III 657—664; *Elbel* V, n. 651—683; *Pruner* n. 735 sqq; *Schwane*, *Die Verträge* § 23.

I. Locatio est contractus, quo aut opera hominis, aut usus vel<sup>1340</sup> fructus rei pro certo pretio ad tempus alteri conceditur. Qui tale ius concedit, locator vocatur, qui autem recipit, locatarius sive conductor.

<sup>1</sup> i. e. emptione rerum maiore pretio credito cum obligatione pacti, quo venditori eadem res retrovendatur pro minore pretio pecuniae numeratae.

## II. Regulae praecipuae sunt hae:

1. Locatio fieri potest verbo aut scripto: si vero scriptura in certis casibus requiritur, id e lege civili regionis repetendum est.

2. Per se quidem locatarius sublocare potest: attamen considerandae sunt leges regionis, quoniam alicubi sublocatio permittitur, nisi in contractu locator eam exceperit; alicubi autem permittitur tantum, si in ipso contractu id stipulatum fuerit. Semper tamen locator recursum ad suum locatarium habet.

3. Locatio elapso termino eo ipso finitur: si autem terminus statutus non est, arbitrio utriusque contrahentis finiri potest contractus, dummodo opportuno tempore monitio facta fuerit: tempus autem, quod praecedere debet, aut ex ipso contractu repetitur, aut, eo in hac re deficiente, a lege civili pro diversis locationis generibus.

4. Quid mors sive locatoris, sive conductoris, et rei locatae venditio efficiat, ex diversis iuribus regionis desumi debet. Quamquam enim illi casus contractum non extinguunt, tamen secundum diversa iura diversis modificationibus eum subiciunt.

5. Locator debet 1) vitia rei aperire atque efficere, ut locatarius tranquille re locata fruatur; 2) debet expensas rei reparandae necessarias, saltem maiores, sustinere; 3) non potest formam rei sine consensu locatarii mutare, tamen ea facere potest, quae ad rem conservandam necessaria sunt, neque detrimentum locatario forte oriundum propterea resarcire debet, nisi res locata promissis deterior fuerit.

6. Locatarius debet 1) rem diligenter custodire ac proin damna, quae ex eius culpa res subit, resarcire; 2) communiter modicas reparationes suis expensis facere tenetur.

1341 III. Circa damna, quae res locata patitur, locatarius in conscientia ad reparationem tenetur 1) eorum damnorum, quae ex eius culpa theologica orta sunt; 2) post iudicis sententiam, etsi solam culpam iuridicam commisit: attamen in conscientia tenetur cavere a culpa iuridice levi, si leges positivae ob levem culpam damnant; 3) si ex contractu certa quaedam actio prohibetur propter periculum, quod rei locatae inferri possit, *voluntaria* seu *deliberata* illius actionis admissio secum trahit obligationem in conscientia reparandi damnum, si quod secutum est. Nam etsi forte in illa actione exercenda vel admittenda culpa theologica commissa non fuerit: haec eatenus tantum aberat, quatenus locatarius periculum rei in se assumpsit.

Circa casum fortuitum ius Gallicum art. 1732 sqq obligat locatarium ad reparationem, nisi probet, damnum evenisse sine ipsius culpa; Romanum autem, Germ.<sup>1</sup> etc., Americanum in *plerisque* Statibus Foed. e contra tum tantum, quando eius culpa iuridica probata fuerit: quod videtur omnino aequius esse. Immo quod addit ius Gall. art. 1734, si plures in eadem domo locatarii sint, omnes in casu incendii in solidum obligari ex-

<sup>1</sup> Quod excipit casus fortuitos in conductione «praedii cum inventario». Nam ea, quae in tali casu pereunt vel deteriora fiunt, reparari debent a conductore, cum ceteroquin de singulis rebus etiam suo modo possit disponere (§ 588).

ceptis iis, *qui probent*, in suo loco aut non excitatum esse incendium, aut non potuisse excitari, omnem aequitatem naturalem violare videtur.

IV. De damnis ex casu fortuito, quae locatarius subit in fructibus<sup>1342</sup> rei conductae, iura positiva interpretantur et sequuntur naturalem aequitatem potius quam rigorem iustitiae — idem ex sola consuetudine pro lege haberi potest —: nimirum ut propter magnum infortunium, grandines etc. pretium locationis annuum ex parte diminuatur, nisi abundantia aliorum annorum penuriam unius anni compenset.

Leges recentiores praecipue pro conductione villae cum praediis suis id statuunt, ut si fructus non tanti fuerint, quanti sufficiant pro usibus totius oeconomiae et pro seminibus sequentis anni, id a pensione annua subtrahatur, quod illis usibus desit. Ius Germ. de hoc silet.

V. Circa tributa et onera dicendum est: ex se, quae personalia sunt, locatarius, quae realia, locator ut rei dominus solvere debet; sed generatim in contractu negotium componitur, ut etiam realia onera a locatario saltem ex parte ferenda sint.

#### B. Contractus de praestando opere.

Cum locatione vel conductione cohaeret contractus, quo sive architectus sive opifex sive commissarius contrahit cum domino circa praestandam constructionem aedium aliusve operis, statuta forma et qualitate operis, et constituto pretio (*Pruner* n. 743).

Quod non raro ita fit, ut, publica denuntiatione facta, res illi committatur, qui pro minore pretio sponderit, rem conficiendam se curaturum esse. — Verum accidere potest, ut opifex postea conqueratur, se pro pretio, de quo conventum est, non posse sine damno rem perficere: quod sane dominus non tenetur leviter credere, cum opificis contrahentis fuerit antea rem considerare. Attamen si revera ita est, neque ullus alius pro isto pretio sine artificio fraudulento praestare rem potest vel potius *suscipere poterat*<sup>1</sup>, opifex videtur *ius* habere ad reclamandum maius pretium usque ad iustum *infimum*, saltem si pro domino res constructa eum valorem habet. Ita etiam *S. Antonin.* p. 3, tit. 8, c. 4, § 8 «pacto non obstante debet supplere ad competentem mercedem, et praecipue quando in tali opere supervenit casus, qui bene non potuit praevideri etc.»

Artificio autem postea uti, v. g. materiam viliorem adhibere (de quo confer quae supra dicta sunt n. 1327), negligentius et minore labore opus perficere, quam conventum est, ex eo praecipue iniustitia evadere potest, 1) quod fiat invito domino, qui potissimum intenderat hanc vel illam operis qualitatem, potius quam vilitatem pretii, 2) quod

<sup>1</sup> Hanc distinctionem addidi, ut indicarem, dominum non teneri ex iustitia rationem habere mutabilis pretii emptionis vel conductionis re ipsa mutati; quod lucri sive damni ex tali mutatione oritur, saltem si praevideri vel conici potest, id contrahentes suo periculo sentire debent: quamquam aequitas, aliud suadere potest.

opus periculo et ruinae citius oriturae exponitur, ita ut domino ve aliis damnum longe gravius inde impendat.

Verum etiam ab alio malo caveri debet, ab oppressione operariorum. Nam ille, qui contraxit cum domino circa certum opus praestandum, generatim ad perficiendum opus alios compluresque operarios conducere debet. Non autem licebit illi, qui ita operarios conduxit, eo quod suo forte damno vel minore lucro contraxerit, propterea mercedem suorum operariorum ita deprimere, ut quasi cogantur — nisi velint dimitti ac proin victu carere — ad admittendam mercedem iusto inferiorem. Quare iustitiam laedi (non sufficit *aequitatem* dicere, ut *Schwane* § 23 C) plane sentio, si merces diurna ita diminuitur, ut operarii ne ea quidem sibi comparare possint, quae ad sustentationem pro conditione necessariam sufficiant, dum operariorum conductor seu dominus alias consuevit sibi tantum lucri retinere, ut abundare possit et divitiis diffuere.

C. De contractu operariorum.

Cf. *Vermeersch*, Quaestiones de iustitia<sup>2</sup> n. 386 sqq.

1844 Ea, quae mox dicta sunt, sponte sua suscitant quaestionem generalem, unde iusta merces eiusque limites desumantur relate ad operarios, qui conducuntur, ita ut eorum labor una cum machinis in certas res mutandas atque conficiendas impendatur, et lucrum totale tum industriae domini, tum machinis eorumque usui atque pretio, tum humano labori debeat adscribi; aliis verbis, quaenam pertineant ad iustitiam contractus operariorum. Ad quam quaestionem respondeo haec:

1. Necessae non est, ut operariorum merces sit quota quaedam lucri totalis, maior vel minor, prout totale lucrum crescat vel decrescat. Potest enim dominus in alienos labores fixo quodam pretio ius sibi emere, suo lucro vel damno, operarius fixo illo pretio sese ad labores praestandos obligare.

2. Proxima igitur norma iustitiae ex libera inter dominum et operarios conventionem petenda est, si modo vere libera est.

3. Verum proxime quidem libera conventio iustam mercedem determinat, remote tamen a multis aliis causis pendet, atque illae crimen iniustitiae sive in alios, sive in operarios commissae inducere possunt. Pretium enim rerum proxime quidem a communi aestimatione, remote tamen a compluribus aliis elementis pendet, inter quae est etiam merces quae operariis solvitur, atque re ipsa rerum pretium et merces operariorum *mutuam* habent dependentiam.

1845 Pretium videlicet iustum rerum confectarum *pendet*: 1) a communi pretio materiae rudis seu rei immutandae; 2) ab impensis quae exiguntur pro constructione, conservatione, usu machinarum aliarumque rerum necessariarum; 3) a lucro, quod dominus pro sua industria damnive periculo moderata aestimatione sibi vindicare potest; 4) a mercede operariorum in fabricis, quae *per se* talis esse debeat, ut, si



lucrum totale id patitur, operarius viribus pollens commode se suosque secundum statum suum sustentare vel etiam moderatam mercedis partem seponere possit. Haec quidem omnia quandam latitudinem seu mutabilitatem inter plus et minus habent — maxime quae n. 3 notavi — seu aestimationem infimam, summam, mediam; immo per accidens non raro a norma per se iusta sine iniustitia possunt deficere. Rerum autem confectarum pretium *iustum* determinari debet et per se *determinatur* ex omnibus illis elementis secundum eorum pretii *aestimationem* communem, non ex eo, quod aliquis singulari quodam casu plus impendere debuerit, vel minori pretio ea sibi comparare vel praestare potuerit.

4. Qui autem in rebus, machinis etc. sibi comparandis forte plus impendere debuit, non potest, ut se immunem servet, i. e. ut consuetum lucrum magnum faciat, mercedem operariorum propterea deprimere, saltem non infra taxam alias iustam infimam. — Qui vero singulari fortuna minoribus impensis res producere potest, iustitiam quidem non laedit, si aliis vilius res vendat; attamen contra caritatem peccare sane potest, idque non solum erga alios officinarum dominos, sed maxime atque etiam graviter contra operarios alienorum dominorum, siquidem hi quasi coguntur, ut mercedem diminuunt, quo concurrentiam illius praepotentis aemuli utcumque possint sustinere.

Haec quidem de mercede, quatenus ex diversis causis est muta-<sup>1346</sup> bilis, crescere et decrescere sine iniustitia potest. Verum hanc mutationem inter certos quosdam limites naturali iure contineri, egregie *Leo XIII* Encyclica «Rerum novarum» docuit, scilicet: ex fine laboris homini ab eius auctore impositi sequi, ut alendo opifici, frugi quidem et bene morato, imparem mercedem esse haud liceat, hosque infimos iustitiae limites liberae paciscentium voluntati esse subtractos.

Controversia quidem post publicatas illas literas encyclicas exarsit, utrum illud «alendo opifici» intelligendum sit de opifice solitario, an de opifice cum sua familia indigente; aliis verbis, num debeatur operario ex iustitia merces quam vocarunt *familialem*. Quam posteriorem, si modo rite explicetur, *per se* deberi, per accidens tamen deficere posse, et ipsa ratio et verba S. Pontificis persuadent.

Nam sicut se ipsum alendi medium unicum opifici labor manuum suarum est, ita etiam medium unicum alendae familiae ad se ipsam alendam incapacis; condendae familiae autem ius homini inest naturaliter. Et revera *Leo XIII* l. c. «Ius coniugii naturale ac primigenium», inquit, «homini adimere . . . lex hominum nulla potest», et alibi in iisdem literis: «Sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu pater familias tueatur, quos procreavit.» Ergo natura ipsa dictat, operarium labore suo tantum lucrari posse *debere*, quantum sufficiat, ut se suosque modeste alat.

Recte tamen illa merces familiaris intelligenda est. Certe non ita<sup>1347</sup> est concipienda, ac si pro numero filiorum crescere vel decrescere debeat; neque ita, ut ex solius patris labore unumquodque ex familiae

membris, donec novam familiam condere incipiat, id quo vitam sustentare possit recipiat. Nam 1) naturae lex id, quod communiter contingit, respicit: quare illa mercede naturali iustitiae satisfit, quae sufficiat, ut in ordinariis circumstantiis familia non extraordinarie numerosa possit sustentari, idque cum ordinario auxilio tum uxoris tum filiorum qui adulescere incipiunt. Quo etiam fit, ut parum intersit inter sustentationem magis et minus numerosae familiae; nam quo plus requiritur ad numerosiorem familiam sustentandam, eo maius etiam auxilium in praebenda opera et lucro praestando numerosior familia fert quam rarior. Ceterum viro caelibus eadem merces pro eadem opera debetur atque uxorato, cum non familia *re existens*, sed labor praestitus eiusque valor immediata mensura sit mercedis rependendae.

2) Per accidens fieri potest, ut merces etiam inferior non sit iniusta. Videlicet si iniquitas temporum ea fuerit, ut domini non possint illius mercedis solutionem ferre, eo quod mercis confectae pretium viluerit aut quod emptor defuerit aut similis causa exstiterit: sane licebit operariis proponere, utrum velint viliore mercede contenti esse, an labore et mercede carere<sup>1</sup>. Attamen si iniqua eiusmodi tempora saepius recurrant vel longius perdurent atque latius pateant, id ipsum signum est, in anormali conditione humanam existere societatem, aemulationem in confectione rerum esse immoderatam, distributionem bonorum fortunae perturbatam, ingentes divitias in manibus paucorum congestas, maximam hominum partem ad paupertatem et egestatem redactam, ipsarum rerum necessariorum emendarum facultate nimis restricta. Quod si ita est, publicae auctoritatis est sapientibus legibus meliorem conditionem humanae societatis praeparare, divitiis augendis frenum imponere, meliorem bonorum distributionem indirecte efficere atque imprimis pauperiorum et debiliorum iura extendere et tueri. Cf. *Reuter*, Neoconf. n. 156a.

1348 Hucusque de mercede operariorum dictum est. Verum contractus operariorum non sola mercedis iustae constitutione absolvitur. Sunt alia quae, sive stipulantur a contrahentibus sive non, tamquam ex con-

<sup>1</sup> *Vermeersch*, Quaestiones de iustitia n. 409, hoc ita exprimit: «Negotii tamen magistro fas est cum operariis pacisci praemium iusto minus, ut sibi caveat de moderato capitalis et propriae industriae fructu, non autem ut quaerat sibi merum lucrum.» Putat igitur dominum posse sine iustitiae laesione primo moderatum fructum pecuniae seu capitalis quod impendit et fructum operae seu laboris mentalis praestiti sibi sumere; quod reliquum sit ex ratione acceptorum et datorum in operarios distribuere, etsi hoc modo merces iusto minor efficiatur; iniustitiam vero a domino committi, si praeter fructum capitali et proprio labori industriali competentem aliud sibi lucrum quaerat, priusquam satisfactum sit mercedi operariorum ex sese iusto. Equidem tamen puto, si ratio acceptorum et datorum non permittat mercedem operariorum ex se iustam, ita ut infra limites ex se iustos deprimi debeat: proportionatam diminutionem fieri *debere* etiam quoad fructus capitalis et laboris industrialis a domino praestiti, dummodo ipse et ipsum negotium industriale possit subsistere, ne videlicet depressio retributionis iustae eaque eo maior solos operarios premat; immo aequitatem omnino suadere, ut dominus pro se omni retributioni renuntiet, antequam egentiorum operariorum mercedem diminuat.

tractu naturaliter debita statuenda sunt aut lege regionis imponuntur: 1) Imprimis cavere debent domini, ne in fabricis et officinis operarii patiuntur gravia pericula contra bonos mores; 2) ut tempus concedatur pro requie et sanctificatione dierum dominicorum et festivorum, nisi aliquando necessitas ab illa lege cultus divini excuset; 3) ut pericula contra vitam et corporis salutem gravia evitentur: quodsi lege positiva certae cautiones praescriptae sunt, has, si aliter vera pericula existant, fideliter domini debent praestare.

Ex parte operariorum obligatio contractus est, ut fideliter laborem suum impendant, damnum a domino pro posse avertentes, intenti eius utilitati et iusto lucro; ut ante tempus a labore non desistant servato termino et modo in valedicendo ulteriori labori, prout in contractu provisum est. Vide plura *Reuter*, Neoconf. n. 156 b.

Verum aliquando etiam non servato contractus tempore ad operistitium procedere iis licebit.

**De operistitio.** I. Operistitium est cessatio operariorum a labore <sup>1849</sup> communi consilio peracta. Quod ut *sine iniustitia* fiat, debet generatim a) abesse coactio eorum operariorum, qui nolunt sponte labores deponere; b) exspectari tempus contractus elapsum idque postquam observatus fuerit modus domino annuntiandi cessationem laboris futuram.

Attamen ante hoc tempus operistitium facere iniustum non fuerit, si ex parte domini aperta committitur contractus laesio neque ille monitus velit ab inferenda iniustitia desistere. — Immo in tali casu, quando de tuendo iure magni momenti agitur, fieri potest, ut non violentiam quidem, at moralem quandam coactionem contra alios operarios exercere secundum ea, quae n. 1334 dicta sunt, liceat excludendo eos a bonis *indebitis*, ne ipsi iniuriae repulsam inefficacem reddant, modo tamen hi sine proprio damno incurrendo communem cum aliis causam agere possint. Eiusmodi iniusta contractus laesio ex parte domini est depressio mercedis aperte iniusta, iniusta denegatio requiei festivae, continuatio periculi gravis contra bonos mores <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Accidit aliquando alia quaedam violentia ad vindicanda iura sive vera sive putativa, ut scilicet qui obstat vel ad adversariam nationem pertineant, communi commercio ex condicto interdicanter (boycott). Iam videndum est, num et quibus limitibus id liceat.

Imitatur talis agendi ratio aliquo modo excommunicationem quoad effectus civiles erga eos, qui pristinis temporibus erant «vitandi», aut etiam poenam longe graviorem contra «proscriptos» apud antiquos populos usitatam, qua illis aqua et igni interdicebatur: eo discrimine, quod hae poenae infligebantur publica auctoritate, illa recens interdictio fit ex condicto privato. Ex quo iam sequitur: 1) Cum poenae illae publicae habendae essent pro iustis, nisi certo constitisset de iniustitia et nullitate; e contrario privata ista poena iusta esse nequit, nisi constet omnino de iniustitia illata, quae nisi vi vim repellente nequeat averti. Sequitur 2) istam privatam iuris vindicationem vel iniuriae repulsam debere esse necessariam, ita ut non sit alia via, qua ius certum possit obtineri. Nam in ordinata hominum societate fas non est privata iuris vindicatio cum vi contra alterum exercita, quando recursus ad publicam potestatem fieri potest. Sequitur 3) servandum esse, sicut in aliis causis, quando vim vi repellere licet, in inferenda vi vel damno moderamen inculpatae tutelae. Quare nemo a communibus bonis ita excludi potest, ut mortis periculo obiciatur. A familiari autem consuetudine, a communi con-

1850 Nihilominus si non agitur de sollicitatione domini ad illicita repellenda, sed de solo iure operariorum defendendo seu tegendo, de augendo salario similive causa: operistitium generatim est dissuadendum, tum quia medium valde dubiae efficaciae est, tum quia multa mala secum trahit atque desides operarii vix umquam a gravibus excessibus, violentiis, potationibus cohiberi possunt. (Cf. auctoris libell. germ. «Arbeitsvertrag und Streik», Frib. 1904; *Reuter*, Neoconf. l. c.)

Ex quibus omnibus patet, auctoritatis publicae esse institutis et aptis legibus dissidia inter patronos seu dominos et operarios oritura praecavere, lites pacifice et arbitrato prudentum componendas curare, ad mercedem iustam et sufficientem solvendam patronos inducere atque immoderatam aemulationem in conficiendis vendendisque rebus moderari, — non ita tamen directe et immediate in ea se ingerat, ut privata studia et industriam ultra necessitatem coerceat et liget.

### Articulus II.

#### De contractibus onerosis subsidiariis.

Tres contractus hic nominandi sunt: fideiussio, pignus, hypotheca, de quibus pauca tantum. (Cf. *S. Alph.* III 912 sqq; *Elbel* V, n. 694 716 sqq; *Lugo*, De iust. disp. 32; *Pruner* n. 703 750 sqq; *Schwane* §§ 18, 28 etc.)

#### § 1.

##### De fideiussione.

1851 1. Fideiussio contractus est, quo quis alienam obligationem in se suscipit, sub hypothesi, quod principalis debitor solvere nequeat.

2. Ut aliquis fideiubere possit, debet liberam bonorum suorum dispositionem et administrationem habere: quare uxores etc. sensu restrictiore tantum capaces sunt.

3. Fideiussor generatim solvere non tenetur, antequam iuridice constet, principalem debitorem solvendo imparem esse. Aliquando tamen, si fideiussor se obligavit «in solidum», potestas datur creditori pro arbitrio agendi contra eum, quem maluerit. *S. Alph.* l. c. ex *Busenb.*; C. C. a. 2021.

4. Fideiussor, si solverit, intrat in iura creditoris, ita ut contra debitorem principalem recursum habeat postulandae immunitatis, si quae ab illo praestari potest. — Immo fideiussio fieri potest conventionem facta *de pretio*, etsi nullum periculum imminet: ita saltem ex iure naturali cum *S. Alph.* et *Busenb.* l. c. prorsus dicendum est, cum ipsum hoc onus cavendi pro altero atque incommoda fortasse non levia subeundi pretio sit aestimabile.

5. Obligatio fideiussoris post eius mortem ad haeredes transit; communiter enim fideiussor non tam suam personam quam bona obligavit: at si personale tantum ius concessit, videndum est, num leges regionis vel statim vel post certum tempus contractum fideiussionis pro extincto habeant; quibus standum est.

victu et commercio, a celebrandis contractibus (nisi agatur de vitae periculo removendo) pro rei gravitate excludi potest ille, qui ipse iniuste alios vexat. Si qui tamen praeter reum damna patiuntur innocentes, horum damna longe magis sunt praecavenda, atque leviora tantum praetermitti possunt. — Aliter sane, quando in casu belli eiusmodi interdictio occurreret: in quo casu agere licebit secundum iura bellica.



## § 2.

*De pignore.*

I. Pignus contractus est, quo res *mobilis* traditur creditori in assecurationem sui iuris: res tradita etiam pignus vocatur.

Contractus ille *realis* est, quia traditione rei perficitur: ad quam accipiendam ius oriri potest sive ex contractu sive ex ultima voluntate sive ex lege vel sententia iudicis.

II. Debitor igitur, si pignus dandum est, debet 1) rem idoneam dare; 2) expensas necessarias, quas in conservanda re possessor (creditor) impendere debuit, refundere; 3) non repetere ante debiti solutionem, nisi forte ex abusu pignoris ex parte creditoris ipsi ius repetendi oriatur.

III. Creditor debet 1) rem diligenter custodire, secus de damno tenetur; 2) non potest re sibi tradita uti sine consensu domini; 3) fructus, quos ex re in pignus data percipit, in diminutionem crediti computare debet; 4) etsi in casu, quo debitor non solvat, ex re in pignus accepta solutionem sibi procurare potest, tamen non pro arbitrio rem vendere sibi licet, sed solum, si debitor monitus fuerit et in mora culpabili existat; de cetero videndum est, quid circa modum vendendi iura positiva permittant, quae si creditor laeserit, debitor actionem contra eum habet.

## § 3.

*De hypotheca.*

1. Hypotheca contractus est, quo res *immobilis* creditori obligatur in securitatem sui iuris; distinguitur ergo a pignore 1) eo quod res non mobilis, sed immobilis obligetur; 2) eo quod res illa creditori non tradatur, sed solum assignetur, ut, si debitor non solvat, ex ipsa illa re solutionem sibi faciendam postulare possit<sup>1</sup>. Distinguitur autem hypotheca legalis, iudicialis, conventionalis: *Legalis*, quae ex ipsa lege certis creditoribus privilegiatis conceditur, ut uxori quoad dotem recuperandam in omnia bona mariti. — *Iudicialis* eo ipso habetur, quod iudex aliquem ad damnum aliquod resarciendum vel restitutionem faciendam obligat: modo sententia iudicis apud conservatorem hypothecarum inscribatur; nam a die *inscriptionis* hypotheca oritur. — *Conventionalis*, quae contrahentium voluntate fit; at etiam haec per inscriptionem in libro hypothecarum perficitur: quare formalitates legales servari debent.

2. Porro eadem res immobilis pluribus successive oppignorari potest: quod si fit, ius habetur secundum ordinem inscriptionis et vocatur prima hypotheca, secunda, tertia etc. Nimirum si tandem solutionem creditores postulant ex re hypothecata atque res venditur, primus integram solutionem percepturus est, antequam secundus iure quidquam possit postulare, et sic porro: at si res omnibus debitis exstinguendis inferior est, ultimus hypothecarius ius habet sibi postulandi rem cum onere antecessoribus suis hypothecariis integre satisfaciendi. — Si creditor postulavit, ut sibi res adiudicaretur, debitori communiter per certum tempus ius redimendae rei a lege reservatur.

*Articulus III.***De contractibus aleatoriis et lusoriis.**

Contractus aleatorii omnes ii vocantur, quorum exitus ab incerto casu pendet, adeoque periculo damni et spei lucri contrahentes exponit.

<sup>1</sup> Nota tamen non ubique eadem esse iura hypothecae. Communi enim iure proprietatis rei per hypothecam oppignoratae apud debitorem est et manet; iure Anglico potius ad creditorem transit, quamquam multis limitibus circumscripta (mort-gage).

Enumerantur praecipue: assecuratio, loteria, sponsio, ludus: quamquam ludus tum industrialis tum aleatorius esse potest. Addere possumus relationem mercatoriam, quae etsi venditionis iurium incorporum speciem habet, tamen aleatorii contractus multum participat.

### § 1.

#### *De assecuratione.*

Cf. *Lugo* disp. 31, sect. 7; *Schwane* § 29; *Pruner* n. 762 sqq; *Huppert*, Der Lebensversicherungsvertrag, Mainz 1896.

Assecurationem inter contractus aleatorios collocavi, quia hanc sui conditionem plene exuere nequit. Nihilominus sciendum est, eo quod hodie per statisticam periculi damnive verisimilitudo multum determinata est, assecurationem, quae fit erga multos, non amplius pure aleatoriam sumi posse. Unde habes, quae infra n. 1357 et 1360 notantur.

I. Assecuratio contractus est, quo unus assecurator se obligat ad praestandam hypothetice alteri indemnitate, scil. si ipsius res in hoc et illo periculo pereat vel damnum patiatur; assecuratus vero ad certam taxam absolute solvendam sive unica vice pro certo periculo, sive quotannis pro periculis et infortuniis semper impendentibus.

Diversae igitur assecurationes existunt contra naufragium, contra incendium, grandinem; immo assecuratio vitae, quae sic intelligitur, ut, accidente morte alicuius, eius haeres (vel designata persona) certam summam recipiat. Assecurator autem communiter non est unus pro se, sed persona moralis, societas, quae ex multis componitur seu ad quam multi accedere possunt pro certa tantum summa spondentes.

II. Ad essentiam contractus pertinet: res assecurata, periculum, securitas seu cautio habendae indemnitate pro casu, quod infortunium acciderit, pretium iustum pro suscepta obligatione praestandae indemnitate. Ex omnibus illis causis iniustitia committi potest, immo contractus fieri irritus. — Insuper diversae conditiones aut in ipso contractu apponi solent aut lege positiva declarari; quae nisi observentur, maxime assecuratoribus datur facultas resiliendi seu denegandi indemnitate, si infortunium acciderit. Et quamquam frequenter non ita exacte summo iure procedunt, tamen assecurati cauti esse debent in implendis omnibus conditionibus, ne *arbitrio* assecurantium relinquantur.

1355 III. Relictis igitur positivis legibus et conditionibus per contractum ipsum expressis, noto illa, quae legis naturalis sint, et quorum neglectus *ex natura sua* peccatum iniustitiae inducat.

1. Committitur iniustitia, si res, quae non existit, ut assecuranda declaratur et postea pretium petitur, ac si perierit.

Similiter si assecuranda traditur res, quam assecuratus scit iam certo periisse; aut quam assecurans scit certo iam periculo ereptam et in tuto collocatam esse. Aliud est, si utrimque ignoratur, utrum res perierit, an in periculo existat, an in tuto iam sit posita: quodsi dubium hoc declaratur, contractus transit in meram sponsionem, et quidquid tandem postea

cognoscitur iam accidisse, cum contractus fieret, ex hac parte contractus non est invalidus.

2. Ratione periculi praeterea delinqui potest: si periculum non integrum declaratur; aut si, re assecurata, eius periculum augetur. Hac in re maxime sibi cavent assecuratores clausulis additis, ut quaelibet rei, personae, periculi mutatio indicari debeat; secus ipsi a praestanda indemnitate liberentur.

Attamen, secluso dolo vel culpa praeterea assecurati, videntur illae clausulae assecuratoribus solum praebere *facultatem* denegandi solutionem pro casu infortunii, non ipso facto in conscientia reddere contractum irritum, modo aliter *aequitas* servetur, i. e. modo pro aucto *revera* periculo plus solvatur, aut minus acceptetur in casu infortunii.

3. Ex parte assecuratoris iniustitia committitur, si non habet neque recipere possit, unde indemnitate praestet; nam tunc *revera* securitatem indemnitate non praestitit; quare si damnum nullum occurrit, ipse tamen acceptam taxam retinere non potest.

Nimirum assecuratus sane rescindere potest contractum, si impotentiam assecuratoris cognoverit, neque videtur *quidquam* solvere debere: at quoniam tandem sufficit, ut assecurator aut habuerit aut potuerit mutuando accipere, unde exorto damno indemnitate praestet, assecurato raro constabit ita de impotentia assecuratoris, ut omnem solutionem possit negare. Aliter de assecuratore ipso.

Ille enim etsi non erat totaliter impotens, ex taxa accepta saltem restituere debet pro rata, i. e. secundum computationem eius partis, quam in casu infortunii non potuisset refundere. Si v. g. assecuratio erat pro valore 1000 librarum, assecurator autem solum 500 poterat re ipsa refundere, ipse etiam, si *quidquam*, ad summum dimidiam taxam acceptam retinere potest: quod est certissimum; immo equidem ne hanc quidem eum retinere posse puto dicendum esse, siquidem in securitatem solius medii valoris rerum dominus non consensit. (Cf. tamen n. 1357.) At si infortunium acciderit, manet obligatus ad reparandum totum damnum, si postea potens fuerit, non tam ex contractu valido, quam ex iniusta fraude, qua impedivit dominum, quominus rem suam assecuraverit apud alterum solvendo parem.

4. Accidere potest, ut ex utensilibus domus, quae etiam assecurata sint, <sup>1356</sup> quaedam iam fuerint vendita, cum domus cum utensilibus incendio periret. Quod si fraudulenter factum non sit, contractui quidem stari potest; attamen quoniam *revera* valor assignatus evasit excessivus, etiam res, quae restant, eodem valore excessivo secundum proportionem aestimari debent, ne iniustitia committatur erga assecuratorem. Exemplo rem declarabo: Totalis aestimatio est 4000 aureorum, ex quibus 1000 pro utensilibus, 3000 pro domo computes; dominus vendit dimidiam partem utensilium, sed pergit solvere assecuratoribus idem ac antea; tandem brevi post incendium oritur; quod residuum est domus et utensilium, 1400 aureorum aestimatur, ita ut 2600 aureos dominus recipiat. Sed nemo non videt dominum iusto plus recipere. Aestimatio rerum restantium ita facta est, ac si ante incendium res assecratae 4000 aureis valuissent, cum re ipsa solum 3500 valerent, seu  $\frac{1}{7}$  ultra verum valorem aestimatae sunt. Quare ut iusta proportio maneat, etiam residua pars  $\frac{1}{7}$  ultra suum valorem aestimari debet, i. e. non 1400, sed 1600 aureis, igitur dominus non 2600, sed 2400 aureos tantum potest recipere. — Attamen si res mobiles, quae assecurantur, ex natura sua aut conditione domini, sciente assecuratore, mutationem consueverunt subire, ita ut modo plus, modo minus valeant quam summa assecurationis, dominus,

etsi in casu infortunii nihil reliquum haberet, quod cum re immobili (aedibus) simul periret, tamen summam indemnitas sic accipere potest, ac si tantum revera habuisset, quantum assecuravit; sed etsi plus domi habuisset, recipere plus non posset. Talis assecuratio fieri potest a mercatoribus pro mercibus suis, ab agricolis pro domibus et granariis cum frumento collecto: eiusmodi enim contractus duplici ratione aleae subicitur.

- 1357 5. Aliqua etiam dicenda sunt de iustitia annuae taxae. Difficile quidem est limites iustitiae assignare, si singuli casus seorsum spectantur, cum res aleae tantopere subiaceat. Attamen etsi singulae assecurationes pro se solae spectatae iustae dici possint secundum liberam utriusque conventionem rationabilem, nostris temporibus, ubi non singulares fiunt assecurationes, sed sexcentae idque a societate perenni, atque ex serie multorum annorum computus probabilium infortuniorum secundum statisticam fieri potest, aliter videtur iudicandum esse. Si enim ii, qui partem habent in societate assecurationis, post detractas omnes expensas administrationis *consueverunt* quotannis excessivum lucrum habere, v. g. ut aliquando accidere dicitur 20% et ultra, pro summa, quam cautionis causa tradiderunt: id iustitiae limites mihi excedere videtur, ita ut, mea opinione, tunc ipsa taxa (seu praemium assecurationis quod vocant) quotannis ab assècuratis solvenda diminui debeat. Idque eo magis, quod in casu *generalis* infortunii ne ipsa quidem societas totam summam solvere consueverit, sed ad solutionem ratae partis sese restringat.

Haec quidem spectato solo iure naturali. Eaque respiciunt omnes illas diversas assecurationes, quae cavent contra pericula diversa, quibus certa bona exponuntur, v. g. assecurationes contra incendium, contra grandines, inundationes, naufragia. Legibus autem positivis et clausulis contractus generatim id efficitur, ut nequaquam res ultra valorem assecurare liceat, sed solius damni veri compensatio iure recipi possit.

#### A. Specialia de assecuratione contra incendium.

- 1358 Alia sunt pericula quae libero influxui humano subtracta sunt solisque causis naturalibus oriri solent; alia quae modo a solis naturalibus causis, modo a causis liberis hominumque culpa vel malitia pendent. Posterioribus adnumerari debet *incendium*. De quo, quod frequentius accidat, atque si ex malitia creatum fuerit, obiectum sit confessionis, pro directione confessarii haec notanda esse duxi:

1. Leges civiles et ipsius contractus clausulae sic statuere consueverunt, ut assecurator spondere debeat pro quolibet damno, quod oritur sine culpa ipsius assecurati aliorumque proxime cognatorum, qui in *instrumento* nominantur (v. g. eius coniugis, liberorum, nepotum): quare si horum *culpa theologica gravi* damnum causatur, assecuratus nihil potest compensationis postulare, ne in foro conscientiae quidem, si quidem tale damnum materia contractus non fuit. Si vero a tertio extraneo damnum infertur — puta incendium creatur — nisi in contractu aliud notetur, dominus immediate recurrere potest ad societatem assecurationis: quae ex sua parte recursum servat in damnificatorem.

- 1359 2. Incendiarius igitur, sive suam sive alienam rem destruxit, restituere debet. Sed si quaeritur, *cui* restitutio fieri debeat, practica quaedam difficultas esse potest, si quando difficulter ad veros dominos res



perveniat. In quo casu videndum est, quid liceat, quo facilius permovere possis damnificatorem poenitentem ad reparationem faciendam. Quare dico:

1) Si institutum assecurationis *publicum* est, i. e. ad ipsam rempublicam vel provinciam ita pertinet, ut lucrum factum publicis serviat utilitatibus, restitutio fieri potest pauperibus vel *causis publicis*. Si vero ita negotium geritur, ut lucrum oriundum dividendum sit in ipsos assecuratos, restitutio fieri debet *ipsi instituto*. 2) Similiter ipsi instituto restitutio fieri debet, si assecuratio inter privatos ita instituitur, ut mutuo sibi auxilium praebeant, atque infortuniorum exortorum reparatio fiat repartitione damni in singulos proportionate. 3) Si institutum assecurationis privatum est ita, ut lucrum damnumve fiat periculo ipsius assecuratoris vel societatis assecuratricis, proxime quidem et per se etiamtum huic instituto seu societati restitutio debetur. Nihilominus complures rationes sunt, cur plerumque etiam loco instituti privati pauperes vel causae pie eligi possint, quibus fiat restitutio. Nimirum: a) Saepe in societatibus assecurationis *tot* sunt, qui «actiones» possideant, ut summa restitutionis, quamvis tota gravis, tamen in singulos distributa pro nullo domino singulari sit gravis materia. b) Reassecuratio fieri *solet*, idque pro maxima parte rei assecuratae, apud aliud vel alia instituta, ita ut his institutis per se magna pars restitutionis addicenda esset; sed haec reassecuratio fieri solet apud plura et diversa instituta, neque sciri potest, apud quod vel quae ista res damnificata, quae causam dedit restitutionis debitae, reassecurata fuerit, nisi haec ipsa res instituto principalis assecurationis indicetur: quod sane periculis plenum esse potest. c) Demum non tam sunt assecuratores quam potius assecurati seu totus horum numerus, qui re ipsa ex voluntariis incendiis damnum patiuntur. Nam assecuratores in determinando pretio quotannis solvendo certe rationem habent omnium incendiorum, quae re vera accidere solent, etiam voluntariorum; alioquin deberet annum pretium diminui, ne sit iusto maius; ergo coguntur assecurati ad solvendum annum pretium maius propter ipsa incendia voluntaria, ita ut ab incendiariis iniustum patiantur damnum. Verum horum, qui sic damnificantur, tantus est numerus, ut generatim nemo singularis sit, qui *grave* damnum patiat, et ut propter illorum multitudinem restitutio censi possit devolvi ex iusta ratione ad pauperes causasve pias.

Quodsi res assecurata locata fuerit alteri, ne dominus amittat ius habendi indemnitate in casu infortunii, haec locatio, immo locatarii quoque mutatio societati assecurationis indicanda est, ut contractus assecurationis ratificetur: idem saepe statuitur, quando res transit ad haeredes. Nam qui cavit pro periculo quod oritur, si A rem possidet eaque utitur, non cavet eo ipso pro periculo, quod eidem rei impendet, si B in eius usum transierit: quare dominus nisi sibi caveat, in casu infortunii exorti gratiae et liberalitati assecuratoris relinquatur.

#### B. *Specialia de assecuratione vitae.*

I. Notio. Haec, quam vocant assecurationem vitae, in eo sita est, ut 1860 in favorem alicuius superstitis alterius vita diuturnior seu potius auxilium, quod in eius vita nitebatur, diuturnius et securius reddatur, eo quod in casu mortis eius qui auxilium ferebat, alter recipiat certam aliquam pecuniae summam. Quod ius ad certam illam pecuniae summam emunt ab assecuratore seu assecurationis societate certa taxa quotannis usque ad mortem assecurati solvenda, quae dicitur praemium assecurationis.

Alea in eo consistit, quod si homo assecuratus brevi post initum contractum moriatur, societas assecurationis nihilominus determinatam

summam superstitionibus defuncti solvere debeat atque ita damnum incurrat; si vero e contrario assecuratus diu vivat, ille per annuam taxam solutam longe plus solvere debuerit seu debeat, quam eius haeredes postea recepturi sint. Haec alea adest relate ad contractum *cum singulis assecuratis*. Nam si res consideratur relate ad omnes assecuratos simul sumptos, alea valde diminuitur. Per statisticam enim constat, quot circiter homines in quibus conditionibus, qua aetate soleant mori: quorum numerus non invariabilis quidem sed satis constans est, atque hoc modo computatur praemium annuum ab assecuratis solvendum ita, ut societas assecurationis pro labore et periculo lucrum conveniens etiam habeat.

Quamquam igitur, re universim spectata, assecurati seu eorum haeredes certe non tantum recipiant, quantum solverint: nihilominus ad hunc assecurationis contractum certa illa spe alliciuntur relinquendi suis certam et determinatam summam, qua fortasse orbi exstituri sint, si accidat, ut assecuratus praeter expectationem citius moriatur.

1361 II. Iustitiae laesio ex parte societatis assecurationis. Quodsi contractum cum singulis spectamus, res aleae et discrimini adeo lato subicitur, ut iustitia praemii annui solvendi maximam habeat latitudinem. Verum si omnes assecuratos simul sumimus, cum pericula multum diminuuntur, taxatio praemii iusti longe arctioribus limitibus circumscribitur: quare si societas assecurationis non uno alterove anno, sed generatim excessivum lucrum ex assecuratione referat, hoc signum est praemii iusto maioris quod sibi solvendum societas constituerit. — Quapropter si ita fuerit, censeo annua praemia diminuenda esse, ne iustitia laedatur. Restitutionem autem pro praeteritis lucris puto imponi non posse nisi ab eo tempore, quo *constiterit* de lucro excessivo; alias enim res mansit aleae subiecta, quae lucrum etiam magnum non reddat iniustum.

Aliter ex parte societatis assecurationis eiusve commissariorum iniustitia committi potest, 1) si contractum clausulis obscuris et observatu difficilioribus circumdant, quibus nixi in casibus occurrentibus solutionem summae promissae negent; aut 2) si tantum pecuniae neque habeant neque comparare possint, quo obligationibus suis, si mortes acciderint, satisfaciant.

1362 III. Iustitiae laesio ex parte eorum, qui assecurandos se curant. Iniustitia ex parte eorum, quorum vitae assecurantur, vix alia committi potest quam falsa enarratio conditionis propriae seu eorum quae circa suam personam ante contractum interrogantur, atque consequenter receptio summae indebitae ex parte haeredum seu superstitum

Videlicet cum periculum moriendi citius adsit, prout aliquis dispositiones morbidas habet, antea iam morbis affectus erat, vel prout labores officiaque periculosa exercet: societas assecurationis interrogatorium exhibet, secundum quod qui vult assecurari debet respondere, ita ut qui non omnia satis explicavit aut falsa (sive sciens sive

nesciens) expressit, ius ad summam assecurationis recipiendam seu in haeredes transmittendam aut nullum aut infirmum habeat.

Et re vera ex notitiis falso datis iniustitia contra societatem oriri potest, cum cogatur maius periculum subire, quod aut subire omnino noluit aut pro ipso illo praemio annuo quod solvitur noluit subire.

Est autem magna differentia in iis conditionibus, quas diversae societates assecurationis hac in parte statuunt in contractu cum singulis in eundo. Aliquando enim propter quaelibet falsa ab assecurato indicata ei omne ius quidquam recipiendi denegatur simulque amissio imponitur omnium praemiorum annuorum quae solverit. Quae ipso facto pleni iuris esse, videtur naturali aequitati adversari. Ideoque primum est concludere eiusmodi stipulationes pleni iuris fieri, quando a parte societatis assecurationis invocantur vel per iudicis sententiam applicantur; antea sufficere, ut observetur quid naturalis iustitia postulet. Haec autem postulat saltem, ut aut a) annum praemium pro aucto periculo augeatur, aut b) si periculum illud maius non indicatum efficax causa damni fuerit pro societate assecurationis, hoc damnum eidem resarciatur. Ut amplior restitutio fieri debeat, licebit exspectare actionem, qua societas assecurationis contractum impugnaverit.

Multas condiciones diversas a diversis societatibus statutas enume-<sup>1363</sup> ravi in Casib. conscientiae I, n. 920, ex quibus praecipua hic depromam:

Aliquae societates, ut societates Americanae, clare distinguunt inter falsitates vel errores, qui reddant contractum nullum, et alios errores: in posterioribus societas solum ex fraude, quam passa sit, vel ex errore notabili, in quem sit inducta, indemnitate petere potest pro damno quod incurrerit.

Aliae statuunt, ut propter *falsas* declarationes (*sive a scientibus sive a nescientibus factas*) *notabiles* contractus sit nullus.

Aliae statuunt nullitatem propter *falsas declarationes notabiles scienter factas*; quae si factae sint inscio contrahente, non nullitatem, sed solam *reductionem* summae stipulatae inducant.

Aliae statuunt, ut propter *solos errores ex gravi negligentia vel scienter commissos* contractus possit impugnari.

Aliae statuunt, ut propter *errores quomodocumque commissos*, qui ex iudicio prudentum in contractum influere potuerint, societas ad nihil teneatur.

Hanc nullitatem contractus vel obligationis societatis aliquae societates expresse ita intelligendam esse statuunt, ut nihilominus praemia annua soluta societati maneant addicta: nisi assecuratus probet errorem factum esse sine sua culpa; in quo casu praemia soluta, subtracta tamen certa parte, reddentur.

Non paucae societates declarant contractum propter falsas declarationes invalidum vel rescindibilem, postquam per *quinque* annos duraverit, *haberi pro sanato et valido*.

Cf. his de rebus *Huppert*, Der Lebensversicherungsvertrag 23 sqq.

Potissima igitur quaestio est, quousque obligationes in conscientia<sup>1364</sup> extendantur. Ad quod breviter haec dicenda esse censeo:

I. Quamquam fraudulenter aliquid reticere vel falsum affirmare numquam non sit peccatum: nihilominus, quando lapsu temporis con-

tractus sanatur, post tempus elapsum si eo usque damnum nullum fuerit exortum, fraus non amplius secum fert obligationem restitutionis. Quod certe magis valet de errore inculpabiliter admissio vel causato.

2. Quamdiu contractus manet in foro externo impugnabilis, si vera impugnetur, standum est clausulis contractus et iudicis sententiae etiam in conscientia, nisi societas assecurationis iusto duriores clausulas statuerit vel per suos procuratores eum, qui contraxit, fraudulenter circumvenerit.

3. In aliis casibus, atque imprimis tempore illo intermedio labilitatis contractuum, probabile puto esse, contractum non pro plene nullo in conscientia haberi debere, sed tum demum quando nullitas eius a societate invocetur. Quod nisi fiat, obligationem ex declaratione falsa vel erronea oriundam hanc esse, ut *damnum efficaciter illatum* societati resarciatur.

Rationes, quae me movent ad ita sentiendum, sunt hae: Si in conscientia contractus eo ipso plene nullus esset, non liceret assecurato demum summam a societate oblatam accipere. Id autem universim statuere durissimum est. Porro: a) aliquae societates ius quod sibi reservare volunt ita explicant, ut dicant: in casu erroneae declarationis se *non esse obligatas*; quod recte intelligitur, etiamsi ille, qui assecratus est, non sit obligatus solutionem a societate oblatam respuere. b) Etiamsi aliquae societates dicant contractum *nullum*: iam usu receptum est atque ex iurisprutorum sententia fit, ut *leges*, quae certos quosdam contractus statuunt nullos, intelligantur ita, ut contractus illi tum demum *plene* nulli sint, quando eorum nullitas ab alterutro contrahente *invocetur* (cf. *Van Gestel*, De iustitia et lege civili<sup>2</sup> n. LXXXIII). c) Si nullitatem plenam ilico in conscientia statuas, eiusdem iuris haberi debet amissio omnium praemiorum annuorum iam solutorum: sed eam *poenam* deberi sive ulla sententia vix cuipiam suadebis, immo id semper iustitiae consonare merito dubitabis. d) Complures societates nullitatem aequae statuunt propter errorem inculpabilem (si quando immunitas a culpa non potest probari) atque propter errorem culpabilem; sed in priore casu ante sententiam iudicis aliquem ad tantum damnum tantamque poenam teneri, est contra omnem analogiam, immo contra iustitiam: ergo ratio est, cur illam *nullitatem* summus pro nullitate non plena seu pro rescindibilitate.

In omni autem casu, ut supra monui, *damnum efficaciter* societati causatum resarciri debet 1) ex titulo actionis culpabilis, 2) etiam damnum ex inculpabili errore ortum, quatenus error ille causa fuit, ut propter annum praemium iusto minus acceptum societas verum damnum incurreret. Quae obligatio, cum realis sit, transit etiam ad haeredes saltem secundum vires haereditatis.

Aliquando contractus assecurationis ita initur, ut determinata summa a societate solvenda stipuletur ipsi assecurato, postquam certum annuum aetatis v. g. sexagesimum vel septuagesimum attigerit; is vero interea quotannis solvere debeat annum praemium. Qui contractus a priore essentialiter non differt, atque iisdem fere modis iustitia laedi potest, ut in illo.



C. *Specialia de assicuratione operariorum contra infortunia, de assicuratione invalidorum et senum.*

Quae circa propositas res dicenda sunt, propter solam cognatam<sup>1365</sup> materiam hoc loco tractantur, non quod in iis idem contractus aleatorius locum habeat, qui in assicuratione vitae. Nam assicurationes illae operariorum, ubi inductae sunt, vix non ubique *lege publica* reunguntur, non privato contractu, vel saltem non eo solo.

Lege enim certa hominum genera, quae nomine operariorum comprehenduntur iisve assimilantur, assicurantur tum contra infortunia quae corporalem causent laesionem, tum contra quoslibet casus quibus vires ad laborandum evanescant seu invalidae reddantur: ita ut, quando haec acciderint, qui laesi fuerint eorumve familiae superstites certum subsidium vel periodicos redditus recipiant.

Et quod ad infortunia modo dicta et damna ex iis orta attinet, subsidio operariorum etc. ita provisum est, ut id praestari debeat a patronis operariorum in certas associationes adunatos, partitione impensarum annuatim facta in singulos pro casibus et damnis occurrentibus. Neque ab hoc subsidio recipiendo excluduntur, nisi qui ex malitia seu volentes ipsi infortunium seu damnum sibi adduxerunt.

Aliae autem assicurationes ita institutae sunt, ut subsidium invalidis, ex quacumque causa invalidi evaserint, atque senibus praestandum colligatur partim ex contributione aerarii publici, partim ex hebdomadariis summulis quas tum operarii ipsi tum operariorum patroni solvere debent: cura, ut haec solutio fiat, pertinet ad patronos. Et quamquam a solutione facta et comprobata pendet ius recipiendi subsidium ex arca assicurationis, nihilominus ipsi operarii invalidi determinato subsidio non carebunt, eo quod patroni neglexerint curare, ut hebdomadariae solutiones fierent: hi enim, si neglexerint, operario cavere debent de damno quod tali modo pateretur.

Peccata eaque contra iustitiam accidere possunt 1) falsa indicatione<sup>1366</sup> et testificatione casuum infortunii. Cavetur enim pro iis tantum infortuniis, quae in exercitio opificii seu laboris ex officio praestandi acciderint — quamquam haec lato sensu in favorem operariorum sumi solent. Si quis igitur infortunium passus v. g. in ambulatione asseruit et falsis testibus probaverit id accidisse in opificii exercitio, iniuste accipit subsidia. Attamen postquam subsidium annuum ei addictum est, saepe non poterit sine graviore periculo rem revocare. In quo casu puto, eum porro quidem posse illud recipere, at ilico tradere viro fido (confessario) ad distribuendum in pauperes communesve utilitates; quodsi autem ipse pauper sit qui indiget, ipsi maxima pars pro sustentatione potest relinqui, atque aequum est, eum qui utcumque laborandi incapax evaserit sustentari ab iis, in quorum favorem vires suas, dum valuit, consumpsit.

## § 2.

*De chirographorum aliarumque rerum, quae quoad valorem mutationi subiacent, mercatura apud bursam.*

Cf. *Schwane* § 21, 4.

1367 Iura incorporea, sive actiones quas vocant (Aktien) fundatae in certo aliquo negotio et industria (in viis ferreis, salinis etc.), cuius lucrum annuatim dividatur, sive chartae quae repraesentant ius tantae summae pecuniae postulandae ab illo et illo regno cum iure accipiendi usuras, quoad valorem mutationi fere perpetuo subiacent: quo fit, ut sint materia mercaturae aleatoriae.

Nihil hic dico de mutatione fraudulentè producta — id enim ab iniustitia plane non est immune —, sed solum de ipsa emptione et venditione pro futuro tempore cum spe lucrandi propter mutatum valorem. Quare si emuntur non pro nunc, sed pro tunc, non iam valor actu existens attenditur, sed simul adiungitur probabilis exspectatio valoris aut aucti aut diminuti; atque secundum hanc contrahentes conveniunt de illis iuribus emendis et vendendis. Immo saepe ne intendunt quidem re ipsa hanc emptionem, sed statuto die, ad quem emptio refertur, differentia inter pretium constitutum et pretium eo die re ipsa vigens solvitur, idque ab emptore, si pretium constitutum maius est, a venditore, si pretium actu vigens maius est.

Unde patet totum contractum re ipsa sponsioni vel ludo aleatorio similem esse, atque illum lucraturum, qui futurum illorum iurium valorem mutabilem melius potuerit coniectare. Quare, nisi fraus et dolus adhibeatur, neve certa mox futurae mutationis cognitio pro infirma coniectura proclametur, *per se* eiusmodi contractus damnari nequit: verum *aliunde* facile evadere potest illicitus. Multam enim pecuniam ita exponere cum periculo gravis damni et rerum familiarium gravis ruinae a peccato levitatis et dissipationis, eoque pro circumstantiis mortali, immune non erit.

1368 Dein aliud periculum ingentis iniustitiae cum tali aleatoria emptione certorum chirographorum coniectitur: nam qui illis emptionibus aleatoris inhiant, cum saepe ingentibus abundant divitiis atque maximam copiam certorum chirographorum coëmere possint, facile artibus suis eorum pretium currens ultra realem valorem immodice augere aut deprimere norunt: quo tandem fit, ut postea eorum possessores gravissimum damnum et fortunae suae ruinam incurrant. Legumlatorum est hoc ulcus vitae socialis et oeconomicae amputare.

Similiter etiam fit haec mercatoria relatio in emendis et vendendis mercibus diversi generis, ita ut solum paciscantur de solvenda differentia pretii pro certis temporum terminis currentis. De qua idem iudicandum est; severius tamen, *si* hoc modo per artificia vel quasi monopolia rerum etiam pauperibus necessariorum *pretium indebite augetur*. Quamquam non quaelibet actiones bursae condemnandae sunt,

ne eae quidem, quae in coniectanda mutatione valorum nituntur, cum ad efficiendam aequalitatem pretii rerum in diversis mundi partibus dirigantur.

## § 3.

*De loteria.*

Loteria contractus est, quo soluto certo pretio participatio con-<sup>1369</sup>ceditur in sortitione certarum rerum aut certae pecuniae summae: quo fit, ut aliqui plus quam solverint recepturi sint, alii minus, alii nihil.

1. Haec *in se* illicita non est, cum sit emptio rei incertae.

2. Attamen, ut iustitia servetur, 1) omnis fraus in educendis schedulis exsulare debet; 2) dominus loteriae non potest in lucro excedere: quare quod ex schedulis distributis collegit, valorem rerum sortibus subiectarum debet fere non plus excedere, quam quod aliter in honesto negotio, si pecunia impenderetur, lucriferi posset.

3. Verum si ad utilitatem pii operis loteria instituitur, talis proportio non est necessario servanda, modo, qui sortes emunt, sciant, quae quantique valoris sint res, quae exponantur; immo si ne hanc quidem notitiam ementes curant, rigorese necesse non est, ut expresse moneantur, siquidem potius eleemosynam conferre quam lucri spem emere volunt.

## § 4.

*De sponsione.*

Cf. *Lugo* disp. 31, sect. 6; *S. Alph.* III 869 sqq.

1. Sponsio conventio seu contractus est, quo aliqui de veritate ali-<sup>1370</sup>cuius rei aut de aliquo eventu contententes aliquid spondent, ut illius sit, qui verum attigerit. *Ex se* eiusmodi conventio non est illicita: attamen facile limites honestatis excedere potest, eo quod sine causa et irrationabiliter fiat quaedam bonorum dissipatio. At si recreationis causa fit, re modica exposita, aut ut disceptatio iam iusto acrior componatur, nihil est cur vituperetur.

2. Ut autem *ex se* sponsio sit licita et valida (nec iniusta), requiritur:

1) ut *res*, de qua quaeritur, utrimque *eodem sensu* intelligatur; 2) ut *res* utrimque sit dubia (immo si multo maior probabilitas pro una quam pro altera parte sit; id, quod exponitur, debet proportionate maius esse ab una parte quam ab altera: attamen ex rationibus sub n. 3 notandis id practice plerumque non ita severe sumi potest); 3) ut utrimque *eodem modo sponsio* intelligatur, ideoque ex utraque parte existat animus solvendi ei, qui victor evaserit; 4) ut sit de causa licita.

3. Si igitur unus spondentium *certus* est de re, sponsonem cum altero inire nequit: immo communiter ne sufficit quidem, ut dicat, se certum esse. At si aperte dicit se plane certum esse, et nihilominus alter in sponsione perseverat, *S. Alph.* III 879 admittit, licere sponsonem inire in sequentibus casibus: 1) si, qui putavit se certum

esse, alterius pertinaci contradictione incipit dubitare; 2) si certitudine ipsius non obstante alter, *quamquam dubitat* de sua assertione, nihilominus vult in sponsione persistere: cui adiungi potest 3) si utcumque constet de spontaneo animo donandi.

4. Illicita autem ex adiunctis fit sponsio ex prodiga summa quae exponitur, ut aliquando fit in certis certaminibus equorum et similibus. Et quamquam prodigalitas ex se veniale peccatum est, augeri tamen peccaminositas potest, immo mortalis evadere ex neglectis laesisque officiis aliis, quae ex prodigalitate violantur.

1371 5. Illicita autem ex se est sponsio circa peccatum committendum; scil. sive alter optet alienum peccatum, sive alicui incitamentum sit ad peccatum committendum: nihilominus, peccato facto et lucro accepto, onus restitutionis imponi non potest. Prorsus aliud dicendum est, ita ut plane licita sit sponsio circa peccatum, si incitamentum est cavendi a peccato atque etiam ab altero ex hoc fine offertur, ut alter a peccato retrahatur: tunc enim nihil aliud est quam praemium proponere non peccanti et de poena voluntaria convenire, quae a peccante sit solvenda.

6. Etiam propter periculum et indecentiam, quam certae sponsiones secum ferunt ex subiecta materia, illae aut per se iam illicitae esse aut positiva lege prorsus prohiberi possunt. Sic lex ecclesiastica sponsiones circa electionem futuri Papae declaravit *irritas*.

### § 5.

#### *De ludo.*

*S. Alph.* III 880—894; *Lugo* l. c.; *Schwane* § 30.

1372 1. Ludus hic pro contractu sumitur, quo ludentes inter se conveniunt, ut certa res exposita victori tribuatur.

Non omnis ludus aleatorius est, sed distinguitur industrialis, aleatorius, mixtus: prout ab arte, dexteritate, sollertia, industria pendet; aut vix non prorsus a sorte regitur; aut tum ab industria tum a sorte destinatur.

2. Quamquam per se nulla species ludorum est illicita, tamen ludi aleatorii abusui et scandalo longe facilius patent, et generatim lucri causa, i. e. ad quaerendum magnum lucrum, ludere a peccato saltem veniali vix immune esse potest, quoniam sola honesta ludendi ratio est recreare animos et ad labores iterum reddere aptos.

3. In genere, ut ludus honestus sit, debet 1) ex obiecto suo non esse contra legem sive naturalem sive positivam; 2) debet fraus et dolus ab eo exulare: attamen quaedam astutiae ex consuetudine et diversi ludi regulis permittuntur; si quae aliae adhibentur, iustitia laeditur cum onere restitutionis secundum spem lucri, quam victus habebat; 3) utrimque moraliter idem esse debet periculum: at si quis sciens et volens cum multo peritior ludit, non est cur de iniuria conqueri possit, neque si uterque excessum notabilem in peritia ignorat; 4) abesse omnis coactio ad ludendum: quare coactio, si sit veri nominis, contractum facit rescindibilem ex parte eius, qui metum passus est ita ut etiam post ludum, si victus sit, solvere non teneatur et pecuniam solutam iuste possit repetere; immo victor, qui metum incutit, etiam non rogatus iam per se saltem partem lucri restituere debet, in quantum ipse ex maiore peritia maiorem spem lucri habuit: sed si, qui metum passus



est, victor evasit, ipse nihil tenetur restituere neque ex se neque ex alterius petitione: *S. Alph.* n. 880; 5) ludentes debent liberam dispositionem pecuniae habere, quam exponunt; neque nimiam summam exponere, sed animi recreandi causa, quamquam huius moderationis defectus ex se virtutem quidem, sed non iustitiam laedit.

4. Si qui ludi a lege vigente prohibentur, generatim illicitum est iis indulgere: etsi parvitas materiae existere possit. Quodsi eiusmodi ludi clare et certo declarantur irriti, victor lucrum ne retinere quidem potest, nisi post ludum victus sponte omnino dono dederit. At si irritum declarari ludum non constat, victor quidem acceptum lucrum restituere non tenetur, sed neque victus tenetur solvere; cum enim lege *repetere* possit, inutile est urgere obligationem solvendi: immo etsi ius repetendi non conceditur, tamen probabile est, legem *ipsa prohibitione* obligationem solvendi sustulisse<sup>1</sup>. Cf. *S. Alph.* III 887; *Lugo* disp. 31, n. 60 etc.

5. Lege canonica ludi aleatorii, qui sola fortuna aut fere sola fortuna<sup>1373</sup> reguntur, ita ut ars et industria minimam habeant partem, olim *omnibus*, tum clericis, tum laicis prohibiti erant; pro clericis tamen graviores longe poenae erant constitutae.

Verum pro laicis lex, ut positiva, desuetudine pro abrogata habetur; atque etiam pro clericis rigor legis multum temperatus est, ita ut etiam pro illis lex positiva tum solum vim suam retinere videatur, si iam ipsa lex naturalis, spectatis persona et circumstantiis, ratione excessus, scandali, neglecti officii etc. ludum interdicat (cf. vol. II *de obligationibus clericorum*).

Nihilominus maior est inclinatio naturae humanae contra virtutem eutrapeliae excessu quam defectu delinquere. Dein cum excessu in ludendo aliorum peccatorum periculum non raro coniunctum est, ut rixarum, blasphemiarum, neglectae curae rerum familiarium vel alius officii, ebrietatis, fraudis etc. Quare tum parochus tum confessarius vigilare debet, ut ludos periculosos et scandalosos impediatur atque etiam prorsus interdicat sub poena denegandae absolutionis iis, quibus aut occasio proxima graviter peccandi est aut ratio scandali activi. Ratio scandali activi autem iis est, qui seducunt ad ludos, in quibus alter peccare consuevit; qui praebent locum iis, qui ludendo graviter peccant, ut caupones filiis familias, qui pecuniam furto sublatam exponunt; magis etiam qui instituunt ludos illos publicos, in quibus communiter magnus numerus ludentium res familiares in ruinam inducunt ac tandem sibi ipsi necem inferre conantur.

6. Quare non possum non damnare illas speluncas lusorias, speluncas dico, etiamsi magnificentissimae aedes sunt, in quibus diabolicum illud negotium agitur in ruinam et temporalem et aeternam multorum. Gravior difficultas est, si quaeritur, quanta sit obligatio reipublicae eiusmodi instituta et prohibendi et penitus abolendi. Sane si tanta mala et scandala non sunt, etsi interdum oriantur, non nego, posse publicam auctoritatem propter gravissimas rationes aliquantum indulgentiorem esse, ita ut non tam facile ei reputetur peccato quam institutorum dominis. Nimirum si propter populi corruptelam impossibile sit omnem eiusmodi ludendi abusum abolere, videtur

<sup>1</sup> Iure Germ. §§ 762—764 breviter haec sola statuuntur:

1. Ex nullo ludo oritur solvendi obligatio; sed solutio praestita repeti nequit tamquam ex indebito facta: quod idem valet de aleatoria negotiatione differentiali in bursa.  
2. Loteriae contractus, tantum cum habuerit approbationem auctoritatis publicae, parit obligationem.

simile quid dicendum esse, ac communi sententia statuitur in tolerandis meretricibus, ut videlicet auctoritatis publicae sit *diminuere* malum, quod penitus auferre non possit.

## PARTITIO II.

### DE SUCCESSIONE HAEREDITARIA.

Confer de iuris naturalis principiis circa hanc rem eosdem fere auctores, quos circa «contractus» attuli.

1374 Absolutis praecipuis quaestionibus, quae circa contractus moveri possunt, restat, ut de altero modo transferendi bona atque iura breviter dicamus, de successione in locum defuncti.

Quae successio fit aut sine voluntate defuncti declarata aut per eam; aliis verbis: aut ab intestato aut per testamentum. Nam sive defunctus mortis suae causa aliquid disposuerit de bonis suis sive non, semper sunt, quibus aut ex lege naturae aut ex lege positiva eo ipso ius ad bona illa morte dimissa oriatur<sup>1</sup>.

#### Caput I.

#### De notione et origine successionis.

I. *De successione generatim.* Iure naturae ii, qui defunctum repraesentant, i. e. eius filii vel descendentes, in iuribus et bonis illius succedere debent; idque ita, ut antecessor etiam positiva sua voluntate eos plane excludere generatim nequeat, etsi non omnia bona iis relinquere teneatur. Quod etiam ita apud omnes invaluit, ut S. Scriptura nomen filii et haeredis plane converterit. Cf. Gal 4, 7: «Quodsi filius, et haeres.»

Ceterum quoniam non ita dici potest, ad alios cognatos bona morte dimissa ex naturali iure pertinere, necessarium quodammodo est per leges positivas ambitum successionis accuratius definire: quae leges generatim etiam in conscientia servari debent.

1375 **Explicatio.** 1. Sunt quidem, qui putaverint, ius succedendi ex sola lege positiva repetendum esse, ac si, homine defuncto, eius bona fierent bona nullius, quae a quolibet rite possent occupari et propria reddi, nisi positiva lex contrarium statuisset. Cf. *Carrière*, De iustitia et iure n. 502; qui ipse mediam viam sequitur.

Verum haec opinio recentiore aetate a pluribus excepta tum contra antiquorum doctrinam communioem, tum contra rationis principia peccat. Successio enim quaedam, saltem filiorum vel descendentium, non minore iure postulatur a natura ipsa humana quam bonorum divisio seu privata possessio. Quis enim labores, industriam impenderet, nisi sciret, se non sibi tantum, sed etiam suis posse prodesse ac providere: omnis igitur vis et energia in rebus externis procurandis langueret sine iure successionis.

<sup>1</sup> *Marres* n. 281 tamen contendit ex iure Neerlandico factum tandem post iudicis sententiam ius in bona sine haerede relicta acquirere: ideo eum, qui antea illa occupaverit, non strictam iustitiam, sed oboedientiam legi debitam laedere.

Immo quae paterfamilias acquirit et possidet, ipsa natura duce, non tantopere ut homo plane privatus possidet, sed magis etiam tamquam caput familiae; pro familia enim eiusque conservatione bonorum stabilis possessio etiam magis necessaria est quam pro singulari homine eiusque vita.

Adde, communiter familiae membra per labores suos in conservanda augendave bona impensos eo ipso quoddam sibi ius acquisivisse ut, defuncto capite, bona nihilominus in familia conserventur.

2. Naturalis autem familiae nexus ad collaterales consanguineos, qui sub eodem familiae capite non remanserunt, sed pro se, matrimonio inito, novae familiae fundandae initium fecerunt aut eam iam procrearunt, non ita extenditur: quapropter sicut obligatio *gravis* eorum curam habendi raro existit, ita neque ab ipsa natura *postulatur*, ut, deficientibus propriis filiis, consanguinei existant successores.

3. Nihilominus, si consanguinei egestate premuntur, locupletioris cognati, qui prole careat, obligatio pro circumstantiis gravior aut levior est iis prae ceteris providendi. Cf. *S. Alph.* III 946 et *Marres* n. 343.

Immo, nisi quis bona sua velit finibus altioribus et piis consecrari, aequitati valde consentaneum est, ut, ceteris paribus, cognati in locum defuncti succedant. Hinc etiam factum est, ut, nisi expressa voluntas antecessoris obstet, omnium fere regnorum leges id praecipiant, quod natura suadet, ut nimirum, deficientibus filiis, proximi consanguinei in bona defuncti succederent: divisio tamen non eadem est apud omnes.

II. *De successione per testamentum.* 1. Certus modus adeundi bona<sup>1376</sup> et iura defuncti est per ultimae illius voluntatis dispositiones, quarum praecipua testamentum est. Hoc definiri solet: «ultimae voluntatis dispositio de eo, quod quis post mortem fieri velit (cum directa haeredis institutione)».

2. Etsi vis et valor ultimae voluntatis iure merito ad ius naturale reducitur, neque a sola lege positiva pendet: nihilominus legem positivam ex iusta causa aliquid circa eiusmodi dispositiones earumque valorem etiam pro foro conscientiae constituere posse, prorsus fatendum est.

3. Dispositiones autem legis positivae vix non ubique generatim hae sunt, ut 1) circa certam bonorum residuorum partem certis personis ius contulerint, quod per testatoris voluntatem laedi nequeat; 2) ut quosdam a participatione bonorum defuncti excluserint; 3) ut totius testamentariae dispositionis valorem certis quibusdam formis atque conditionibus subiecerint, sine quibus non valeat aut non plene valeat testamentum.

4. Quarum legum vis atque sensus pro foro conscientiae aliquando pleni iuris est, aliquando solum post iudicis sententiam pleni iuris evadit.

**Explicatio.** 1. Testamentum esse re ipsa legitimum modum bona transmittendi, non est dubium: id enim omnes gentes agnoscunt. Quod iuri Romano omnino sollemne erat, cum pro axioma statuisset: «Nihil est tam conveniens naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam habere.» Instit. de «*rer. divis.*» 2, 1, § (40) «*Per traditionem*».

Dicitur, ultimae voluntatis dispositionem praecipuam esse testamentum: quia alia diversa est *donatio mortis causa*, quae non sola voluntate morituri efficitur, sed a donatario acceptatur, at perfecta non est, nisi morte donantis secuta.

Dicuntur *ultimae voluntatis* dispositiones, quae usque ad mortem sunt *revocabiles*, ac proin valent tantum, si testator (scil. donator) non revocando ostendit, se usque ad ultimum vitae momentum in ea voluntate *permansisse*, seu se nihil, quod ulterius sit, declarasse.

2. Verum, si iam de successione ab intestato, quando originem quaeris, non omnis controversia sublata est, multo minus id obtinet, quando quaeris, unde facultas testandi originem ducat, aliis eam ex ipso iure naturali, ex lege positiva aliis repetentibus.

At equidem puto dicendum esse, facultatem per ultimae voluntatis dispositionem statuendi, quinam post mortem domini in eius bona succedant, modo servetur. lex providendi propriae familiae, ex iure naturali esse repetendam. Aliis verbis: sicut homo naturaliter, i. e. per ipsum ius naturae concessam, non a sola humana lege acceptam habet facultatem contractus varios circa iura et bona sua cum aliis hominibus faciendi, ita etiam habet naturaliter facultatem aliquam — etsi non illimitatam — disponendi de rebus suis post mortem, cui cedant. Nam:

1378 1) si ex auctoritate res conficienda est: veteres scriptores id quasi uno ore aut fatentur aut pro indubitato sumunt.

Ita *S. Antonin.* p. 3, tit. 10, c. 3, § 14; *Molina*, De iust. et iure disp. 81, n. 16; *Lessius* l. 2, c. 19, n. 12 etc. putantes, ipsis testamentis informibus plane etiam inesse *naturalem* obligationem; — *Soto*, De iure l. 4, q. 5, art. 3; *Billuart* diss. 2, a. 3, § 3; *Sanchez*, Cons. moral. l. 4, c. 1, dub. 14; *Suarez*, De leg. l. 5, c. 32, n. 7 etc. docentes, leges civiles circa testamenta (sive «certo» sive «fortasse») non ipso facto testamenta informia irritare, sed usque ad sententiam iudicis illis *relinquere suum naturalem valorem*; — *Vasquez*, De testam. c. 3, dub. 1, n. 4; *Bonac.*, De contract. disp. 3, q. 1, p. 3 cum innumeris aliis, qui tenent informia testamenta ipso facto etiam in conscientiae foro esse irrita, id tamen repetunt ex eo, quod lex positiva ea irrita *fecerit*, alias ea plane valida evasura esse, indubitanter sumentes (cf. etiam *Lugo*, De iust. disp. 22, n. 249 sqq); immo *Lugo* disp. 23, n. 76 loquens de valore donationis, sitne sustinendus mortuo donatore ante acceptance[m] ex parte donatorii, idque ex ipsa intentione et voluntate donantis pendere docens, huius rei probationem petit ex *naturali facultate testandi*: adeo certum etiam ipsi erat, hanc facultatem homini ab ipsa natura, non per solam legem positivam inesse.

1379 2) Interna autem ratio, quae hanc naturalem facultatem probet atque evincat, ita fere enuntiari potest: Fines illi, propter quos natura ipsa postulet «rerum divisionem et privatum dominium», parum efficaciter attinguntur, nisi certo aliquo modo homo disponere possit, quid velit post mortem suam de suis rebus fieri. Verum ad fines ex naturali ordine necessarios naturalis ordo ipse confert ius adhibendi efficacia media; seu naturalis ordo recti postulat, ut necessarii fines efficaciter attingantur; ergo postulat etiam, ut homo disponere possit, quid de rebus suis velit fieri post mortem.

Nimirum fines illi, qui postulant privatum dominium, sunt, ut servetur pax, atque iurgia perpetua praecidantur, ut securus reddatur usus rerum temporalium, ut sufficiens habeatur instigatio hominis ad exserendas vires suas atque prosperitatem promovendam. Haec autem omnia languerent, in



summum periculum vocarentur, si homo timere deberet, ne post mortem suam quilibet ipsius bona relicta occupare posset, exclusis etiam iis, qui maxime sibi cari essent, et quos nosset continuaturos ipsius opera atque speciales fines, propter quos bona externa collegerat.

3) Alia ratio, quae quodammodo complet priorem, est haec: Effectum illum, qui testamento obtinetur, debere obtineri posse, omnes, etiam ii, qui ex lege positiva testamenti condendi potestatem repetunt, facile fatentur. Unde est ut putent, auctoritatem publicam *debuisset* hanc possibilitatem aliquo modo inducere. Ut vero re ipsa illa possibilitas adsit, atque per testamentum condendum adsit, putant legem positivam propterea requiri, quod impossibile sit naturaliter transire iura ab uno in alterum, nisi uniantur utriusque voluntates; quod ante mortem testatoris non fieri, fieri non posse post eius mortem. Ad quam difficultatem respondeo:

a) Si haec ratio vera sit, relinquitur pro transmittendis bonis modus ille, <sup>1380</sup> qui dicitur «donatio mortis causa»: hanc enim saltem includi in notione perfecti domini, in dubium nequit vocari. Verum ille modus saepe parum congruit, cum saepe minime conveniat, ante mortem donatoris ipsis donariis omnia plene esse cognita.

b) Difficultas illa, debere uniri voluntates utriusque, non est insolubilis. Aliquam unionem debere adesse, ut translatio iurium plena atque perfecta sit, fateor atque plane contendo; verum talis unio adest: videlicet voluntas acceptantis actu exercetur, voluntas testantis moraliter perseverat, cum neque retractata fuerit neque retractari amplius possit. Neque ostendi potest, plus requiri. Voluntas transferentis ius generatim propterea requiritur, ut sese abdicet iure atque etiam, ut alteri praebeat facultatem acceptandi, seu ut iuribus atque bonis suis imprimat eam determinationem, qua prae aliis a certis quibusdam occupari possint. Hanc determinationem bona etiam post mortem prioris domini retinent; acceptance eius, qui vocatur ad possessionem, postea efficax fit.

Quare iure merito posthaberi potest sententia eorum, qui, ut *Zallinger*, *Instit. iur. nat. l. 1, § 120*; *Wiestner* in l. 3 decret. tit. 26, n. 3, 8 et 9; *Schmalzgrueber* ib. n. 3—9 cum aliis ex sola lege positiva potestatem testandi ortum habere censent.

3. Lex autem positiva sine dubio ex gravi ratione hanc facultatem <sup>1381</sup> naturaliter concessam restringere, certis limitibus circumscribere, certisque conditionibus subicere potest, atque ita quidem, ut aliter actus testandi invalidus fiat.

*Posse* id aliquando fieri, ex iis, quae supra de contractibus diximus, pari ratione colligitur<sup>1</sup>: verum ut iuste et valide fiat, requiritur

<sup>1</sup> Immo ne iisdem quidem rationibus nec tam facile naturalis obligatio *testamenti*, quod lege positiva invalidum est, sustineri potest, sicut naturalis obligatio *contractuum*, quos positiva lex statuit inefficaces: contractus enim, qui mutuum obligationem imponit, valet ex mutua voluntate favoris legalis renuntiatione; testamentum autem valet ex unius voluntate, neque ille, cuius interest testamentum irritum esse, mutuo se consuevit obligare. — Attamen si haec obligatio aliquando accessit, v. g. promissio erga testatorem: sane haec potius firmiorem reddit testatoris dispositionem, et promittentem etiam generatim impedit, quominus per iudicem testamentarias dispositiones irritas declarandas curare possit. Nimirum ad obligationem contractus promissionis, eiusque saepe onerosae, accedit obligatio pietatis erga defunctum.

iusta et gravis ratio, neque ita difficilem reddere potest positiva lex hanc ultimae voluntatis declarationem, ut homini moraliter possibile non sit iustos suos fines assequi.

Legem positivam hic intelligo primo legem civilem; at in dispositionibus, quae respiciunt pias causas, legem ecclesiasticam.

4. Palmaris quaestio igitur ea est, num leges positivae revera sic statuerint atque iuste statuerint, ut, certis conditionibus non servatis, ultimae dispositio voluntatis ipso facto in foro etiam conscientiae nulla sit.

Et revera antiqui scriptores, utut dissenserint in affirmando sive negando valore testamentorum legibus non conformium, vix non omnes conati sunt, suam sententiam ex ipsa lege positiva confirmare. Etenim ii, qui dicunt, etiam post sententiam iudicis naturalem obligationem manere, toti in eo sunt, ut probent, legem positivam nihil aliud intendisse neque intendere, nisi ut civilis actio iuridica ex tali testamento cuilibet denegetur; et similiter ii, qui aliter sentiunt.

1382 Unde iam patet, quaestionem hanc, quid liceat haeredi testamenti informis, apte non posse decidi ex sola auctoritate veterum, siquidem leges veteres fere ubique novis cesserunt. Sed videndum est plane, quatenam sit sive certa sive probabilis *vigentium* legum sententia atque interpretatio. Cf. etiam *Ball.-Palm.* III, n. 565 sqq 572 not. 990 sqq.

Porro hanc quaestionem prae aliis *Marres* l. c. n. 370 pro multis saltem regionibus nitide pertractat: cui non possum non assentiri.

Dicit igitur: 1) dispositiones testamentarias, quibus laedatur legitima pars haeredum necessariorum, in quantum haec laedatur, in foro conscientiae invalidas esse, nisi forte peculiare circumstantiae exceptionem faciant;

2) alias dispositiones, praecipue requisita sollemnitate carentes, non ipso facto pro invalidis haberi, sed post iudicis declarationem; id ex clara lege Neerlandica patere, atque etiam pro lege Gallica et recentioribus — aliarum regionum legibus hanc interpretationem iurisperitorum esse ostendit<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Consuli meretur *Van Gestel*, De iustitia et lege civili. Iurisperitorum dicta sunt haec: *Carrière*, De contr. n. 120: «Nullitatem pleni iuris apud nos non vigere agnoscunt iurisperiti: hodie sicut olim explorati iuris est, recurrendum esse ad auctoritatem iudicis.»

*Larombière*, Théorie et pratique des obligations II, art. 1304, n. 10: «Le plus souvent, la loi en prononçant la nullité de certains actes, se borne à les déclarer *nuls*. Quelquefois elle les déclare *nuls de droit* ou *de plein droit*. L'addition de ces mots ne veut pas dire qu'ils sont si parfaitement nuls qu'il ne soit pas nécessaire d'en faire prononcer la nullité par jugement. Toute déclaration de nullité ne donne lieu, en effet, qu'à une action en nullité, et l'addition de ces mots 'de droit' ou 'de plein droit' n'a d'autre but que de signaler en termes plus énergiques la volonté du législateur. Ils ne sont qu'une superfluité de rédaction, par réminiscence des principes du droit romain, qui opposait les nullités de droit (iure, ipso iure) aux exceptions et restitutions prétoriennees, et de notre ancien droit français, qui opposait aux actions pour cause de rescissions les actions pour cause de nullité de droit ou de plein droit, prononcée par l'ordonnance ou par les coutumes. Ils prouvent seulement que le législateur moderne, en continuant l'usage d'expressions qui ne sont aujourd'hui qu'une rédonance sans valeur, n'a pas approprié son langage aux innovations qu'il a introduites dans les principes de notre nouveau droit.»

*Zachariae*, Handbuch des franz. Zivilrechts I, § 37: «Die Nichtigkeiten sind entweder kraft des Gesetzes (ipso iure) oder kraft einer richterlichen Entscheidung (ex sen-

Addo: 3) Pro Anglia *Crolli*, De iust. et iure II, n. 389 statuit, communem esse persuasionem, testamentum, quod prima fronte appareat in forme, ne in conscientia quidem valere — siquidem facillimum sit sic conditiones a lege Anglica praescriptas impleri, neque leges illae ad quidquam aliud ordinentur, nisi ut de testatoris voluntate sufficienti et certa norma constet; — quod occultiore defectu laboret, irritum fieri pro foro conscientiae post iudicis sententiam.

Sitne simile quid pro aliis regionibus dicendum, et quibus limitibus, secundum diversarum regionum leges atque iurisperitorum interpretationes videri debet. Id unum moneo, ex ipsis nostrorum temporum conditionibus fortasse praesumptionem hanc adesse circa mentem legislatoris, eum, etsi dicat, «dispositio *nulla* sit», non intelligere per se nullitatem omnimodam, sed *nullitatem civilem*, et tandem *post iudicis sententiam nullitatem plenam*. Quare nullitatem plenam ante iudicis sententiam si quis contendat adesse, illius fuerit, hanc omnino certo demonstrare.

5. Practica igitur conclusio circa testamentarias dispositiones *in-1883 formes* haec est:

1) Ubi cumque non probatur perfecta nullitas eiusmodi dispositionis, si modo constat certo de voluntate testatoris: haeres seu legatarius ex tali informi testamento bona sibi assumere potest; haeres ab intestato autem etiam sibi bona illa tradenda potest petere.

2) In causis piis sola lex canonica respici debet, nisi forte lex civilis plus faveat: quare si constat *certo* de testatoris voluntate, haec pia legata tum ab haerede testamentario, tum ab haerede, qui ex intestato res accipiat, solvi debent<sup>1</sup>; qualis certitudo requiratur, vide n. 1403.

tentia iudicis) Nichtigkeiten. Diese Entscheidung hat jedoch nicht den Sinn, als ob gewisse Rechtshandlungen nichtig wären, ohne daß es eines richterlichen Urtheiles bedürfte, welches die Nichtigkeit ausspreche. Vielmehr gehören, die Einteilung in diesem Sinne genommen, *alle Nichtigkeiten des Zivilrechtes in die letztere Klasse etc.*»

Et re quidem vera, si leges nullius actionis obligationem aut valorem agnoscunt, nisi de qua leges aliquid statuerint, et quae legum statutis conformis sit: plane absonum videtur, valorem resp. nullitatem aliter intelligi, nisi de valore aut nullitate civili, scil. quae pariat actionem iuridicam: de reliquo saltem expectanda est ipsa iudicialis actio et iudicis sententia; quae si secuta sit, generatim etiam in foro conscientiae pro norma haberi debeat, cum alias confusionem potius quam ordinem in sociali vita creatura sit.

<sup>1</sup> Dispositiones in favorem Ecclesiae vel piarum causarum factas etiam *indigere* sanctione legis civilis aut ex ea regi debere, ne umbram quidem veritatis habet: ac sententia longe communior tenet, eas dispositiones etiam civiliter informes impleri *debere*, et S. Poenitentiarum in certis casibus propositis idem saepius respondit (cf. 23 Iunii 1844: «Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii [defuncti] certo cognitam.» *Gury*, Casus I, n. 861). Cf. *Baller.-Palm*. III, n. 983 sqq. Nihilominus confessarii est videre, utrum haec monitio in singulari casu iussione an suasionem urgeri debeat, immo an silentio premi; scil. sine spe fructus non debet et poenitentem in malam fidem concitare et causis piis nihil prodesse: maxime cum pauci quidam, licet im merito, dubitent, num constet de *universali* lege pontificia hac in re civiles leges corrigente. Ita quidem *D'Annibale*<sup>5</sup> II, n. 339; at non satis perpendit verba Alexandri III c. II X 3, 26 «quia huiusmodi causa [scil. legata Ecclesiae relicta] de iudiciis Ecclesiae non secundum leges, sed secundum canones debet tractari» — id quod certe non de quibuslibet causis profanis, at de omnibus causis piis dici *debet*.

3) Haeres sive legatarius, qui ex testamento informi bona accepit, fraude uti nequit contra haereditem ab intestato neque eum impedire, quominus iudicem adeat ad rescindendum testamentum, in causis profanis; immo generatim serio postulanti ante iudicis interventum cedere debet neque occulta compensatione uti potest, nisi praeter testamentum informe alium titulum *iustum* circa bona testatoris habeat.

4) Quod de testamento informi dictum est, fere etiam dicitur de translatione bonorum in homines civiliter incapaces: accuratiora sequenti capite suo loco notantur.

5) Haeres etiam legaliter agnitus aliquando dispositiones etiam non piarum causarum, licet informes, plane in conscientia implere debet, si v. g. testator sive antecessor fide haereditis nixus aliqua iniunxit, at maiorem cautionem omisit; nimirum aut ex mera fidelitate aut ex onerosa promissione tunc obligatur.

## Caput II.

### De haeredibus eorumque portione.

#### § 1.

#### *De notione haeredum bonorumque inter eos divisione.*

1384 Haeres ex iure antiquo plane distinguitur a legatario: *haeres* est, qui representando defunctum in eius bona succedit sive ex toto sive secundum quotam partem bonorum (*haeres ex asse* — *haeres ex parte*; uterque tamen dicitur succedere *ex titulo universalis*); *legatarius* est, qui ex defuncti voluntate certa aliqua bona recepturus est tradenda per haereditem (dicitur succedere *ex titulo particulari*). — Ius Gallicum hanc distinctionem haereditis et legatarii omisit, retento nomine haereditis ex titulo *universalis* aut ex titulo *particulari*; atque pleraque iura recentiora, quando aliquos faciunt haeredes necessarios, qui quoad certam bonorum partem omitti a defuncto nequeant, institutionem *ut haeredum* non ita urgent, sed permittunt etiam, ut praescriptae portiones transmissio fiat tamquam legatariis. Quare haec iuridici haeredum et legatariorum distinctio etiam in sequentibus plerumque non attenditur.

I. Haeredes distinguuntur praecipue *ab intestato* et *testamentarii*. Ab intestato haeredes ii sunt, qui, ultima voluntate defuncti valida non existente, per ipsas leges in bonorum defuncti successionem vocantur, ut proximi consanguinei: accuratior eorum determinatio diversa fit a diversis legibus. Dicuntur etiam haeredes *legitimi*, i. e. per legem positivam constituti.

II. Haeredes testamentarii, qui testamento pro haeredibus assignantur, alii sunt *necessarii*, alii *arbitrarii*.

Necessarii, seu qui omitti in testamento nequeunt, plerumque sunt soli consanguinei in linea recta, i. e. descendentes, aut in eorum defectu ascendentes: arbitrarii, seu qui ex libera testatoris voluntate



vocari possunt, sunt, haeredibus necessariis deficientibus aut praescripta sua portione donatis, tum reliqui consanguinei, tum extranei quilibet, nisi qui speciali lege positiva excludantur.

III. Excluduntur autem a successione, ita ut haeredes vel legatarii aut nullatenus aut non ultra certam bonorum portionem esse possint, alii titulo *incapacitatis*, alii titulo *indignitatis*.

Uberior diversorum iurium explicatio. In hoc uno omnia iura in 1885 suis dispositionibus conveniunt, ut si superstites sunt *descendentes*, hi soli, quibuslibet aliis exclusis, defuncto succedant: nisi forte etiam cum descendentes simul uxorem vocent in successione alicuius bonorum partis; alioqui *huic* aliter providebitur.

Quoad divisionem bonorum distingui debet successio in *capita*, successio in *stirpes*, successio in *lineas*: in capita, si singuli, qui vocantur ad successione, aequales partes recipiunt; in stirpes, si, qui succedunt, non ratione suae personae, sed ratione stirpis, ex qua orti sunt, bonorum partem recipiunt (ut, si cum 2 filiis defuncti 3 nepotes, scil. liberi tertii filii, qui iam antea mortuus est, haeredes fiunt, hi tres nepotes solum suum patrem representant atque ratione illius succedunt; quare tres simul sumpti non amplius recipiunt quam uterque filius defuncti). In lineas succedunt per se remotiores *ascendentes*, si vocantur ad haereditatem, eo quod haereditas dividatur primo inter lineam paternam et maternam: quare etiam consanguinei collaterales per lineas succedere dicuntur, si prima bonorum divisio fit secundum lineam paternam et maternam, vel ita porro per lineas paternam et maternam avorum etc., atque mediante hac divisione horum progenitorum descendentes succedunt.

#### I. Haeredes ab intestato seu legitimi.

Pro summaria enumeratione haeredum ab intestato haec accipe:

A. Ius Romanum seu commune pro haeredibus statuit hunc ordinem: 1386

1. Descendentes, ita tamen ut, si primo gradu remotiores sunt iique a diversis parentibus procreati, in *stirpes* succedant.

2. Ascendentes gradus propinquioris simul cum defuncti fratribus et sororibus ex eodem patre atque eadem matre progenitis vel eorum liberis.

3. Fratres et sorores ex eodem patre aut eadem matre, vel eorum liberi. Cf. *Walter*, Röm. Rechtsgesch. I. 3, c. 19.

4. Consanguinei reliqui, sive ex parte utriusque parentis sive ex alterutra parte tantum cognati, in gradu propinquiore usque ad quintum gradum iur. can. (al. decimum).

5. Deficientibus consanguineis coniux superstes: alias fiscus succedit.

B. Ius Gallicum:

1. Descendentes defuncti.

2. Parentes superstites simul cum fratribus et sororibus eorumque descendentes.

3. Parentibus non superstitibus, soli fratres et sorores eorumque descendentes.

4. Remotiores ascendentes, si superstites sunt.

5. Consanguinei collaterales propinquioris gradus (usque ad 12. computi civilis, i. e. 6. ecclesiastici).

6. Coniux superstes.

## 7. Fiscus. V. C. C. § 731—768.

Deficientibus autem descendentes et fratribus sororibusque atque horum descendentes bona sic dividuntur, ut divisio prima et principalis fiat in lineam paternam et maternam. § 746.

## 1887 C. Ius Germanicum §§ 1924 sqq.

1. Descendentes defuncti.

2. Parentes, ita ut locum defunctorum vel alterutrius defuncti eorum descendentes teneant.

3. Avi et aviae; aut similiter eorum descendentes, quibus tamen praefertur coniux superstes.

4. Proavi et proaviae aut in eorum defectu proxime cum defuncto cognati.

5. Abavi etc. eodem modo ac in n. 4.

6. Coniux superstes, sive uxor sive maritus, semper bonam partem haereditatis habebit; post avos aviasque, sed ante eorum descendentes habebit totam haereditatem.

7. In defectu coniugis superstitis omnisque haeredis legalis haeres est fiscus (§ 1936).

D. Ius Anglicum<sup>1</sup> (cf. *Croll* l. c.).

1. Cum uxore vocantur defuncti descendentes (uxor  $\frac{1}{3}$  bonorum accipit).

2. Cum uxore vocatur defuncti pater (uxor  $\frac{1}{2}$  bonorum accipit).

3. Cum uxore vocantur alii consanguinei gradus propinquioris — sive lineae rectae sive collateralis, ita tamen, ut proles fratris sive sororis suum parentem repraesentet.

E. Ius Austriacum eo sensu faciliorem methodum statuit, ut primam et principalem divisionem faceret *in lineas*, et in *quacumque* linea, si qui adsunt, propinquiores cognatos vocaret ad successiones. Quare vocantur:

1. descendentes, ut in iure Romano;

2. parentes defuncti et eorum descendentes;

3. avi atque eorum descendentes;

4. proavi atque eorum descendentes, atque sic porro usque ad eos, qui per quintam generationem ascendendo cognati sunt.

*Uxori tamen superstiti* non sola lege Anglica, sed etiam ex aliis legibus providetur aut legitima portione, aut huius portionis usufructu, saltem ex acquisitione coniugali: et utcumque maritus naturali lege tenetur uxori, quae ex propriis bonis decenter vivere nequit, ita providere, ut possit.

1388 Successio ab intestato a lege Rom. et Gall. non admittitur pro sola aliqua parte bonorum defuncti, quo fieret, ut, si testator aliquem vocavisset haeridem pro parte bonorum, reliqua bona haeredibus alias ab intestato cederent. Nam in hoc casu haeres *legitimus* pro tota haereditate est haeres testamentarius. Hinc axioma: «Nemo potest decedere partim testatus, partim intestatus.» Cf. *Pruner* l. c. § 156.

Ius naturale huic legi non obstat, saltem quando voluntas defuncti relate ad haeredes alias ab intestato succedentes non est ullatenus declarata. Quodsi fuerit declarata, habes dispositionem *informem*, de qua supra.

<sup>1</sup> Ius Americanum in Stat. Foeder. in singulis «statibus» diversum est; at generatim ille est ordo, ut cum uxore haeredes legales sint: 1. filii eorumve descendentes; 2. parentes; 3. fratres et sorores eorumve descendentes; 4. avi; 5. fratres et sorores parentum eorumve descendentes; alioqui alius proximus consanguineus; 6. post omnes fiscus.

Verum complura alia iura, ut Anglicum (vide *Croll* II, n. 332), Austriacum § 534 554 728, ius Germaniae § 2088 plane admittunt, aliquem posse partim testatum, partim intestatum decedere: quod si leges positivae admittunt, etiam in conscientia observari debet. Immo ubi id non admittitur, aliquando in favorem proximi alicuius cognati penuria pressi, qui in testamento omissus fuerit, ex praesumpta defuncti voluntate et naturalis pietatis obligatione nihilominus aliquid concedi posse videtur. Universim etiam a iure Romano in favorem causarum piarum exceptio admittitur.

## II. Haeredes necessarii.

1. Haeredes necessarii communiter sunt: 1) descendentes; 2) iis deficientibus ascendentes ii, qui defuncto, si supervixisset, legitimam partem relinquere debuissent; 3) aliquando etiam fratres et sorores; 4) secundum aliqua iura etiam alter coniux.

2. Ius commune ita quidem constituit, ut haeredibus necessariis seu iis, quibus ex lege certa pars relinqui debeat (nisi excipias fratres et sorores), non utcumque, sed *titulo haereditatis*, non legati tantum, legitima pars relinquantur: verum recentiora iura non semper *hunc modum* requirunt.

3. Ex gravi et legitima causa haeredes necessarii omitti sive penitus excludi possunt: de quo vide infra, quid dicatur de *testatore*, n. 1400.

4. Legitima seu necessaria portio bonorum, quae haeredibus necessariis relinqui debeat<sup>1</sup>, diversa a diversis legibus assignatur. De quibus legibus id plane dicendum esse puto, eas posse sane in favorem familiae superstitis voluntatem testatoris restringere, ne temere proxime cognatos praetereat atque in extraneos bona sua prodigus diffundat; at eas iustas non amplius esse, si testatoris voluntatem ita coarctent, ut neque per testamentum neque per donationem pro prudenti arbitrio de parte bonorum suorum notabili possit disponere. Praeclare hac de re *Allègre*, *La liberté de tester*.

Qua in re ius Anglicum peccare videtur nimiam libertatem testatori concedendo, ita ut — nisi agatur de fundorum transmissione — ne descendentes quidem necessario haeredes scribere debeat, sed pro arbitratu suo liberrime erga quoslibet extraneos de omnibus bonis suis testari possit; magis etiam ius Americanum in Stat. Foeder., quod, excepta uxore, fere nullos haeredes necessarios statuit, uxori tamen tertiam partem bonorum immobilium reservat, et in quibusdam regionibus parvam quandam portionem proximis consanguineis; ius Gallicum vero libertatem adeo restringit, ut iustae et pie voluntati testatoris non semper, ut par est, satisfieri possit: alia iura plus minusve extrema illa declinant.

A. Ius Romanum pro parte legitima assignat:

1) descendentibus legitimis, si non sunt ultra 4, partem *tertiam* eorum, quae per successionem ab intestato accepturi essent: si plures sunt quam quatuor,  $\frac{1}{2}$  pars assignatur;

2) ascendentibus, si sunt haeredes necessarii,  $\frac{1}{3}$  pars reservatur: hinc saltem dimidia pars bonorum, saepe duae partes liberae dispositioni testatoris relinquuntur;

<sup>1</sup> Pro legitimae portionis parte computare testator potest ea, quae haeredi iam inter vivos donaverat, pro dote constituerat, pro auxilio in condenda seu assumenda stabili vitae conditione contulerat.

3) filiis illegitimis nihil reservatur ex parte bonorum patris, nisi ius ad alimenta; ex parte matris autem aliis filiis aequiparantur (nisi sint ex coitu damnato): cui fere alia iura, excepto Gallico, consonant.

B. Gallicum ius ita disponit:

1) Filiis legitimis, si unus tantum est,  $\frac{1}{2}$  pars bonorum reservatur; si duo sunt,  $\frac{2}{3}$ ; si tres vel plures,  $\frac{3}{4}$ ;

2) filiis illegitimis legaliter recognitis, si legitimi adsunt,  $\frac{1}{3}$  portionis legitimis filiis assignatae; si ascendentes, fratres aut sorores tantum adsunt,  $\frac{1}{2}$  portionis eius, quam haberent, si essent legitimi; si solummodo alii consanguinei adsunt,  $\frac{3}{4}$  illius portionis; deficientibus consanguineis legitimam portionem habent, ac si essent legitimi filii;

3) utrique parenti, si defuncto superstites sunt fratres vel sorores,  $\frac{1}{4}$  pars assignatur; si desunt,  $\frac{1}{2}$  pars bonorum reservatur parentibus sive unus superstes est sive uterque; quae dimidia pars transit ad alios etiam ascendentes, si adsunt ex utraque linea, tum paterna, tum materna;  $\frac{1}{4}$  pars, si ex alterutra tantum linea superstites sunt: art. 915.

1391 C. Ius Germaniae § 2303 sic disponit:

1) Descendentes, parentes, coniux superstes, cum sint haeredes legales necessarii, si scripti non sint haeredes, certam partem haereditatis postulare possunt; 2) pars illa *debita* seu *legitima* est dimidia pars eius, quam obtinissent ut haeredes legales ab intestato.

D. Ius Austriacum

1) descendentes legitimis sine distinctione assignat  $\frac{1}{2}$  eorum, quae ab intestato accepturi essent;

2) ascendentes  $\frac{1}{3}$  (§ 762 sqq).

Accuratior tamen legitimae partis determinatio in causa implicata iurisperiti consilio fieri debet.

5. Pro foro conscientiae oritur triplex quaestio: 1) teneanturne parentes etc. portionem legitimam integram necessariis haeredibus relinquere, ita ut graviter peccent, si qua arte eam diminuunt?

2) Num possint sine ulla obligationis laesione pro arbitrio suo uni prae reliquis filiis partem bonorum liberae dispositioni relictorum addicere?

3) Sitne obligatio in conscientia consanguineos, qui haeredes necessarii secundum legem non sint, in testamento extraneis praeferendi?

1392 Ad quae respondendum censeo:

1) Generatim quidem portio legitima servari debet; atque haeres, postulantis iis, quibus haec portio debetur, eam integram ex iustitia dare debet: at quando illi opibus satis abundant atque causa rationaliter gravis subest, ipsi testatori crimini non vertam, si extra testamentum in bonos et pios fines tantum contulerit, ut legitima pars haeredibus necessariis integra non maneat pro illis regionibus, in quibus leges liberam testatoris dispositionem adeo restrinxerunt.

2) Ex clara et iusta causa aliquem aliis praeferi posse, non est dubium; verum nisi causa sit manifesto iusta, cavere parentes plane debent, ne incurrant speciem partialitatis, quae causa esse potest gravium iurgiorum et odiorum inter fratres: quare pietatis et caritatis lex facile prohibere potest, idque etiam sub gravi, quominus uni prae aliis



plus faveatur. — At si causa iusta manifesta est, si qui scandalum patiuntur, id sibi adscribere debent.

3) Fratribus et sororibus, si gravi necessitate premuntur, prae aliis pauperibus vel piis causis succurrere *S<sup>to</sup> Alph.* III 946 cum compluribus videtur esse *gravis obligatio*; aliis vero consanguineis graviter indigentibus, obligatio quidem, sed non gravis ib.<sup>1</sup> — Si vero non indigent auxilio, eos praeterire *ex se* non est culpa ulla, sed si qua est, id ex pravo affectu oritur: quapropter merito eligi possunt prae consanguineis quaelibet causae piae.

### III. Qui ab haereditate adeunda excludantur.

Alii excluduntur ut *incapaces*, ut *indigni* alii. Qui excluduntur a lege<sup>1993</sup> *propter incapacitatem*, numquam dominium haereditatis sive legati accipiunt; qui vero propter indignitatem excluduntur, ab accepta haereditate expelluntur, ita quidem ut etiam in conscientia haereditatem cum fructibus reddere debeant: verum qui bona fide cum *his* pacti sunt, atque ita ex bonis istis solutionem vel recompensationem receperunt, sane acquisierunt dominium; aliter, qui contraxit cum aliquo incapace, qui ipse verus dominus non fuerit.

1. Incapaces<sup>2</sup> igitur sunt: 1) qui tempore mortis testatoris aut ipsam *mortui*, aut *nondum concepti* sunt — si igitur concepti iam erant illo tempore (i. e. si non ultra 10 menses usque ad eorum nativitatem elapsuri sunt) haereditatis sunt capaces, modo in statu vitali nascantur. (Quare incapaces sunt: a) qui nascuntur *mortui*, b) qui nascuntur ut *foetus abortivi*, i. e. vitae extrauterinae incapaces. At haeredes vere fiunt, qui in statu vitali brevissimo tantum tempore vivunt.)

2) Incapaces sunt: *civilter mortui*; damnati ad mortem, ad perpetuas *trirenes*, ad deportationem; etiam religiosi solemniter professi secundum legem canonicam et Romanam, ita tamen, ut *eorum nomine* monasterium haereditatem accipiat, modo ne sit illorum ordinum religiosorum, quorum constitutiones repugnant. Verum haec incapacitas tum quoad religiosos, tum quoad alios in recentioribus legibus civilibus non semper locum suum retinuit.

3) Incapaces sunt ii, *qui recipiunt ab illis, qui testamenti condendi incapaces* sunt; ab aere alieno gravatis, cum indemnes facere debeant creditores; qui

<sup>1</sup> Id probro cum *S. Alph.* ib., fratribus et sororibus, modo pauperes sint, etsi *gravi* necessitate non premantur, *sub veniali* prae aliis succurrendum esse ex testamento.

<sup>2</sup> In Statibus Foederatis Americae Sept. ab haereditate excluduntur:

1. in perisque locis alienigenae, etsi sunt defuncto cognati, saltem quoad immobilia: verum mobilia si quando etiam denegantur, filii in conscientia non impediuntur, quin sibi prae aliis ea occupent vel postulent; remotiores cognati ut *legales* haeredes saltem ius sibi vindicare nequeunt, nisi forte ut bona vacantia occupare quaedam possint.

2. Haeres in testamento scribi nequit, qui ut testis subscribit.

3. Similiter scribi nequit aliquis, qui tempore testamenti factionis nondum existit (saltem conceptus) neque futurus est ex numero *immediate* descendentium alicuius qui iam existit.

4. Incapaces sunt etiam «corporationes», nisi cum institutione seu agnitione civili hanc potestatem receperint.

5. In aliquibus regionibus etiam confessarius vel minister religionis, qui aegroti in ultimo morbo curam egit, haereditatis incapax declaratur. *Konings* n. 912.

accipiunt in defraudationem legitimae partis haeredum necessariorum. Aliquando etiam, qui certa crimina gravia in decessorem commiserint.

4) Incapaces sunt filii *adulterini* et *incestuosi* vel *ex coitu damnato* procreati, nisi quid alimentorum causa recipiant; ita saltem ex communi interpretatione iuris Romani: at non ita omnia iura recentiora, quorum aliqua incapacitatem plenam *per iudicis sententiam declarandam* constituunt<sup>1</sup>.

1394 5) Incapaces declarantur a iuribus recentioribus, ut Gallico etc., personae mere iuridicae, nisi consensus civilis auctoritatis accesserit pro notabiliore summa, item minister religionis aliive, qui curam aegroti ex officio medici, pharmacopoeiae egerunt (nisi sint inter certi gradus consanguineos): verum quoties illis casibus *causa pia* subest, sane illae leges in conscientia non ligant, cum causae piae non civili, sed ecclesiasticae legi subiaceant<sup>2</sup>.

2. *Ratione indignitatis* qui repellantur, vide ex iis, quae postea de testamenti revocatione et exhaeredatione n. 1400 dicentur: ceterum haec eo minus confessarium immediate tangunt, quod, accepta haereditate, indignitas iuridice probari et sententia qua indignus expellatur, ferri debeat. Cf. ex iure Gallico *Carrière*, De iust. II, n. 508.

\* \* \*

1395 Quoad forum conscientiae causa longe molestior nostra aetate non ita raro tractanda occurret, quando filii coram Deo et conscientia vere adulterini coram lege civili habentur pro legitimis. Quod accidit, si post civilia divortia inita fuerint matrimonia adulterina. Quare praetermitti nequit quaestio de horum filiorum iuribus vel successione in bona paterna, utrum videlicet possint cum filiis vere legitimis vel contra eos favore uti, quo lege civili instruuntur, si modo contra illos fraus non adhibeatur neque illi a iure in bona paterna excludantur.

1. Si pater filios istos ex adulterino matrimonio ortos in testamento fecit haeredes, censeo eos posse partem assignatam sibi accipere. Nam, utut peccaverit pater fortasse contra pietatem, contra strictam iustitiam non peccavit filiis vere legitimis eam partem subtrahens, utpote qui ex sese atque ex lege naturali ius strictum in paterna bona eorumque determinatam partem non habeant, in portione vero lege positiva sibi adscripta, ut sumo, laesi non sint. Quod si ita est, filios istos adulterinos, si patrem ad testamentum

<sup>1</sup> Cf. *Pruner*, *Moraltheologie*<sup>2</sup> p. 634 et 638, ubi sentit *iure communi* solos filios ex coitu damnato, i. e. quorum parentes cognati sint *in gradu indispensabili*, modo dicto excludi a successione bonorum. Reliqui illegitimi haberi possunt *ut extranei*; vel si recogniti fuerint, a patre  $\frac{1}{12}$  vel  $\frac{1}{6}$  bonorum recipiunt. — *Practice* pro foro conscientiae videndum est, utrum *leges regionis* hanc prohibitionem circa filios illegitimos 1) latius extendant et 2) ita intelligant, ut per se pleno iure incapaces sint, an ut in iure *Neerlandico* post iudicis sententiam. Cf. *Marres* § 323, qui duplicem interpretationem iurisperitorum esse dicit, tum eorum qui adulterinos et incestuosos plane ut extraneos, tum eorum qui eos ut inhabiles habendos esse doceant. — Ius Germ. hanc illorum incapacitatem non novit; quare accipere possunt, saltem ut extranei, immo a matre ut filii legitimi.

<sup>2</sup> Ius Germ. ratas habet leges territoriales (a. 86 87 legis introductoriae), si quae valorem dispositionum ultimae voluntatis donationumque inter vivos erga religiosas personas votorum perpetuorum nullum faciant, nisi accesserit consensus auctoritatis civilis; similiter, quae nullam faciunt omnem acquisitionem personarum iuridicarum pretio 5000 mc maiorem.

non induxerint, ne contra pietatem quidem peccati reos habeo, quod a patre iam est completum. Cf. similem quaestionem supra n. 1074; *S. Alph.* III 492, q. VIII.

2. Idem dicendum puto, si pater sine testamento ullo seu voluntatis declaratione moritur. Cum enim sciverit legalem bonorum suorum successione[m] etiam ad istos adulterinos filios pervenire, neque hanc legalem dispositionem contraria dispositione impediverit: ipsa lex pro *supplemento et interpretatione voluntatis defuncti* est.

3. Gravior est quaestio, num liceat filiis istis adulterinis testamentum <sup>1396</sup> paternum sive ob defectum sollemnitatum tamquam invalidum, sive ob legalem portionem sibi non relictam tamquam corrigendum impugnare. R. 1. Si defectus talis est, qui reddat voluntatem ultimam dubiam, impugnatio locum habere potest. — R. 2. Si voluntas patris certo est cognita, eiusmodi impugnatio non in solo casu matrimonii adulterini, sed etiam in aliis casibus saepe esse potest omnino peccaminosa *contra pietatem* defuncto debitam; magis etiam hic. — R. 3. Immo si quaeritur, sitne in nostro casu illa impugnatio *contra iustitiam strictam*, ita ut post factum restitutio non tantum suadenda sit, sed plane debita: ita sentire et pro posse secundum hanc sententiam agere sane licet iis, quorum interest, filiis scil. vere legitimis, atque propendo in eam sententiam, quod haec restitutio filiis adulterini matrimonii, si testamentum everterint, per se imponi debeat, sola *bona fide* eos subiective excusante; eo quod contra bonum commune et proin invalide actum videatur, si in favorem adulterii et adulterinae prolis lex ultimam voluntatem defuncti corrigere velit. Verum in istorum favorem nihilominus quaedam rationes videntur afferri posse, quae sintne satis probabiles, ut *re ipsa* excusentur, neque affirmare neque negare audeo, ex quibus tamen rationes a) et b) non in se solis, sed tantum cum c) coniunctae quidquam valere possunt: a) Quod filii adulterini bona paterna adire non possint, theologi veteres ex sola lege positiva repetunt eamque incapacitatem, ut odiosam, quam strictissime interpretantur (cf. *Lugo*, De iust. et iure, disp. 24, n. 92 sqq); ergo cum lex positiva in nostro casu eos capaces habeat, non videtur esse, cur non possint, *spectata stricta iustitia*, eodem modo ius prosequi, quo ceteri. — b) Quamquam potestas publica filios adulterinos bonorum paternorum accipiendorum incapaces facere *iuste potest* in poenam parentum, id tamen facere *non tenetur*; quodsi incapaces non sunt, difficile est assignare limites ultra quos sine iniustitia ius iis in paterna bona addici nequeat. — c) Etsi generatim iniquum sit potestatem civilem matrimonia coram Deo adulterina pro validis habere atque protegere: nondum efficitur peccari vel, si peccetur, peccari contra iustitiam commutativam, si effectus civiles attribuantur certis matrimoniis civiliter agnitis, *lege civili plane abstrahente vel non attendente, utrum matrimonia valeant coram Deo necne*. Et si quando ex hac lege coniuges impediuntur, quominus possint postea de bonis suis liberius et coram conscientia melius disponere, exclusis filiis adulterinis: hoc impedimentum iis quasi poena est peccati temerarie contra legem divinam commissi. Atque haec maiorem vim habent in iis regionibus, ubi cives inter multos et diversos cultus religiosos dividuntur.

## § 2.

### *De aliis haeredum iuribus et oneribus.*

Praecedentibus quaestionibus satis explicatum est, quodnam ius <sup>1397</sup> ad certam portionem bonorum certi haeredes habeant. Restat, ut

videamus, quid iuris et quid oneris universim haeres titulo haereditatis vel testamenti subeat.

**Iura haeredis.** I. Mortuo testatore atque testamento aperto, haeres, qui personalis actionis capax est, secundum plerorumque locorum iura nondum acquirat ipsam haereditatem, sed *ius ad illam accipiendam* — seu fit haereditatis *delatio*: aliqua iura statuunt, ut per ipsam delationem haeres iam *acquirat*, et solummodo ut acquisitio evadat pleni iuris, acceptationem pro necessaria habent.

II. Quo fit, ut intra certum tempus ab haerede aut repudiari aut acceptari haereditas possit.

III. Acceptatio potest fieri aut sine conditione aut sub beneficio inventarii; plerisque in locis repudiatio ita fieri nequit, ut haeres nihilominus sibi sernet portionem legitimam.

**Explicatio.** 1. *Iure communi* filius-familias, qui tempore mortis testatoris est sub paterna potestate, et proles post eius mortem nata ipso facto dominium haereditatis acquirunt; reliquos casus vide in ipsis iuribus.

Et sane non plane perinde est, utrum, haereditate *delata*, haeres statim dominium acquirat, an acceptatione facta. Sume enim haereditatem ante acceptationem mori; in priore hypothese *eius* haeredes sine ullo dubio in priorem illam haereditatem delatam succedunt; at in posteriore hypothese *per se* non, sed ut succedant, aut «*substitutionis*» modo vocati esse aut ipsi per se *alium titulum haereditatis* ostendere debent.

2. Delatio iam pro *acquisitione* habetur, vel si minus, saltem ad haeredis haeredes ius ex ea transit in iure Germaniae (vide de hac re § 1952), in iure Austriaco § 537, in iure Neerlandico (cf. *Marres* n. 356), Gallico § 781.

3. Acceptatio fieri potest expresse (aditio) aut tacite per actionem, quae soli haeredi competat (pro haerede gestio). Minores non possunt acceptare nisi auctoritate patris vel curatoris.

4. Qui repudiat haereditatem ex condito testamento, per se non facit repudiationem haereditatis ab intestato, nisi in testamento haeredi scripto alter substitutus sit; quare ab intestato succedere potest cum onere tamen implendi dispositiones testamentarias (in iure Germ. vide § 1948): at iure Austriaco § 808 eo ipso facit etiam repudiationem successionis ab intestato, non tamen repudiationem iuris ex pacto haereditario orti.

E contrario ius commune non admittit, ut qui haereditatem testamentariam repulerit, sibi petere possit portionem legitimam ut haeres necessarius: verum id permittunt ius Austriac. (§ 808) et ius Germ. (§ 2306). Cf. *Pruner*<sup>3</sup> n. 802.

1393 5. Acceptatio sub beneficio inventarii id onus secum fert, ut iuridice seu per notarium constare debeat de bonis defuncti: at inventario sic facto si forte debita superent bona relicta, haeres non tenetur ultra vires haereditatis solvere.

Qui vero hanc clausulam «sub beneficio inventarii» non fecerit, iuridice cogitur ad solvenda omnia debita. At in conscientia ad id non tenetur, ut cum communiore sententia docet *Gury-Ball*. I, n. 823; *Reuter* III 290 cum magno numero veterum scriptorum, cf. *Giribaldi* tract. 3 (De contract.), c. 15, n. 130 et *Salmantic.* tract. 14, c. 5, n. 151, qui expresse addunt haereditatem neque post iudicis sententiam in foro conscientiae ad id teneri ex expressa



doctrina *Gomez, P. Navarr., Sanchez, Sa, Trullench., Bonacina*, De contract. disp. 3, q. 17, p. 7, n. 3 etc.; cui etiam assentitur *Marres* l. c. n. 271.

Nihilominus creditor non impeditur, quominus solutionem integram petat et obtentam retineat, quia non tenetur haeredi credere aut legis favori renuntiare; ita saltem ordinarie.

Ius Germ. proficiscitur ex hoc principio, haereditatem non teneri ex haereditate ultra eius vires. Verum qui omiserit cautelas lege praescriptas, facile ex praesumptione fraudis vel incuriae erga creditores ex integro tenetur (§ 1975 sqq).

II. **Onera haeredis.** Haeres cum bonis etiam omnia debita et onera realia defuncti in se suscipit, atque imprimis defuncti voluntatem circa legata etc. aliasque testamentarias dispositiones exsequi debet, nisi specialis existat testamenti executor: immo nisi sub beneficio inventarii haereditatem acceperit, ad debita solvenda iuridice cogitur, etsi bona haereditatis superent.

Speciatim nota: 1. Legata exsequi seu solvere haeres quam primum tenetur, saltem legata pia et ea, quorum dilatio sive defuncto sive aliis gravi damno sit: quare dilatione in foro externo concessa uti non potest hoc sensu, ut voluntariam moram trahat. *S. Alph. ex Busenb.* n. 941.

Legatarii autem non statim ius in re acquirunt, sed ius erga haereditatem, a quo traditionem rei sibi assignatae petant.

2. Immo etiam haeres testamentarius habeatne in omni casu ipso facto ius in re, an petere debeat traditionem bonorum ab iis, quibus legalis portio necessaria competit, a lege regionis pendet. Posterius statuatur iure Gallico § 1004, prius iure Neerlandico (*Marres* n. 356).

### Caput III.

#### De testamento.

De haerede agentes, qui potest aut ab intestato aut ex testamento haeres esse, iam multa de testamento aut explicare aut sumere debemus: at ne plena notitia, quantum necessaria est confessario, desit, singula momenta, quae in testamento considerata sunt, exponemus.

#### § 1.

##### De testatore.

I. Testari ut aliquis possit, debet 1) plenum usum rationis habere; 2) debet sui iuris ita esse, ut de bonis, quae possidet, habeat facultatem disponendi.

II. Communiter ipso iure positivo excluduntur a potestate testandi:

1. Perpetuo amentes. Sed si quis consuevit habere lucida intervalla, testamentum est validum, si probatum fuerit testatorem per tantum tempus rationis usum habuisse, quantum requireretur ad actum continenter conficiendum: excipe, si iuridice declaratus fuerit ut *non sui iuris*.

2. Surdo-muti, qui legere et scribere nesciant neque alio *indubio* modo voluntatem suam declarare possint.

3. Interdicti, scil. tum qui iuridice ut prodigi declarati sunt, tum damnati ad mortem aut perpetuum carcerem.

4. Impuberes plerumque testari nullatenus possunt; minores vix non ubique cum certis limitibus sive quoad portionem bonorum suorum, sive quoad formam testamenti servandam.

III. Testator, qui post se relinquit haeredes necessarios, in facultate testandi restringitur iure, quod illi habent ad portionem legitimam, ut cap. praecedenti expositum est.

IV. Conceditur tamen ubique, ut ex certis quibusdam causis aliquis ab haereditate etiam legitimae portionis excludatur. Causae autem sunt certa quaedam crimina cum gravi iniuria contra testatorem commissa.

Quae exhaereditatio in solo valido testamento fieri potest, *addita causa et causae probatione*; haeres ita exclusus, si, testamento corrumpente, successio ab intestato locum habet, ab illa successione per se nondum excluditur; excluditur, si habet legalem *indignitatem* iuridice probatam et declaratam.

Hanc indignitatem in iure declaratam ius Gallicum solam admittit etiam pro causa exhaereditandi in testamento. (Cf. C. C. art. 727.)

## § 2.

### *De forma testamenti.*

1401 Formam testamenti, ut coram lege valeat, adeo diversam leges praescribunt, ut impossibile sit singulas enumerare. Notiones praecipuarum legum igitur dabo.

Testamentum distinguitur *publicum* et *privatum*; *privatum* est *ordinarium* aut *privilegiatum*.

I. Testamentum *publicum* illud est, quod personae in publica auctoritate seu iurisdictione constitutae declaratur aut offertur: ut testamentum *principi oblatum*, testamentum *apud acta* (iudicialia) *conditum* (vor Gericht zu Protokoll erklärt), testamentum *iudici oblatum* (quod propria manu scriptum aut saltem subscriptum iudici tamquam testamentum traditur. — Si quando alicubi notarii iurisdictione arbitraria potiuntur, sufficit testamentum tradidisse notario coram certis duobus testibus).

1402 II. Testamentum *privatum ordinarium* est aut *nuncupativum*, i. e. ore tenus datum, aut *scriptum*.

1. *Nuncupativum*, quod fit voce coram certo numero testium idoneorum, ita ut testes omnes simul congregati a testatore, aut hoc ipso praesente ab eius mandatario audiant clare et distincte omnes testamentarias dispositiones.

Testes ex iure comm. Rom. debent esse 7 iique masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non incapaces testimonii dicendi, non haeredes ex testamento, non domestici testatoris aut haeredis, et debent ad audiendum testamentum esse *rogati*.

2. Testamentum *scriptum* diversas secundum diversas leges sortitur formas: a) ex iure communi sive apertum sive clausum exhibetur testibus, ut supra, ita tamen, ut necessarium non sit dispositiones ipsas testibus declarari: scriptum tamquam declaratio ultimae voluntatis subscribitur a testatore, et a testibus cum sigillo subscribitur. Quodsi testator scribere nequit, octavus testis adhibendus est, qui pro testatore subscribere idque declarare debet. (Convenit, ut testator ipse etiam sigillo utens subscribat.)

b) Alia iura minore numero testium contenta sunt, praesertim si adhibetur persona publica. E. g. ius Gallicum requirit notarium cum 4 testibus qualificatis, aut 2 notarios cum 2 testibus; aut si clausum et mysticum est testamentum, declarationem seu traditionem coram notario cum 6 testibus, coram quibus ipse testator cum notario et testibus subscribere debet illud esse testamentum (idque a se saltem subscriptum).

c) Complura iura recentia admittunt pro testamento ordinario testamentum *holographum*, quod a testatore propria manu scribitur integre cum additione anni, mensis, diei, et nominis integri subscriptione. Ita ius Gallicum, Austriac., Germanicum.

d) Ius Anglicum requirit solum praesentiam duorum testium, qui tamen cum testatore simul ita praesentes esse debent, ut *potuerint* saltem videre, quid fieret. Qui numerus binarius testium etiam pro pluribus Americae Sept. regionibus sufficit; tamen status diversi diverso iure hac in re utuntur.

III. Testamenta *privilegiata* vix non ubique admittuntur, nisi forte ex-1403  
cipiis earum regionum leges, ubi pro ordinario testamento fere nihil aliud requiritur, quam quod naturaliter necessarium est ad plenam probationem. Verum etiam ius Gallicum, German., Aust., etsi *holographum* testamentum pro ordinario admittunt, tamen non excludunt *privilegiata*, ne ii, qui scribere aut non possunt aut non amplius possunt, potestate testandi priventur.

Igitur *privilegiata* testamenta consistunt communiter in eo, ut sive scripta sive nuncupativa fieri possint coram duobus testibus aut etiam coram uno teste auctoritativo. (Ita lex imperii Germ. militaris 2 Maii 1874 admittit testamentum militare saltem scriptum coram praeposito militari «Offizier», aut in nosocomio coram eius praeposito vel coram capellano seu religionis ministro militari: quae dispositiones in recentiore iure Germ. vim suam retinent, immo extenduntur ad manus navales, navi extra portus patriae vel militibus in captivitate hostium exsistentibus: leg. introd. a. 44. — Cf. *Schwane* l. c. 204; *Pruner* n. 778. — Ius Gallicum requirit praeter duos testes praesentiam altioris officialis: vide art. 981.)

Sub *privilegiata* forma admittunt plerumque:

1) Testamentum pro militibus in expeditione militari — testamentum exspirat anno post dimissas copias (aut etiam post 6 menses, ut in iure Gallico; vide art. 987);

2) testamentum *tempore epidemiae* — quo tempore aut testamentum militare extenditur ad has circumstantias, aut alibi saltem id remittitur, ne testes necessarii simul adesse debeant; — exspirat etiam seu corruiit testamentum generatim post extinctam epidemiam, ut supra;

3) testamentum *parentum, quo dividant bona sua inter liberos*; pro quo si oralis declaratio fit, sufficiunt communiter duo testes qualificati, alias scriptio quoad substantiam (i. e. nomen liberorum, eorum portionem, tempus) et subscriptio propria manu a testatore facta: immo si sola *divisio bonorum* fit, sine testamento proprie dicto iure «*communi*» sufficit, ut ultima voluntas utcumque clare cognoscatur;

4) testamentum *ruri factum* saepe (saltem ex iure Rom.) admittitur coram minore numero testium (5 testibus qualificatis);

5) testamentum *ad pias causas* ex se regitur legibus Ecclesiae, quae aliud non requirunt, nisi ut *certe probetur* ultima voluntas defuncti, ergo: scriptionem vel saltem subscriptionem aut declarationem utcumque indubie factam coram duobus testibus (aut si de legato agitur, *coram haerede ipso*, qui id cognovit

et — si de externo foro agitur — agnovit seu fatetur. Unus autem *testis*, qui non sit ipse haeres contra se dicens testimonium, etsi sumas parochum, plenam probationem facere non censetur).

Quamquam haec privilegiata forma non ab omni iure civili agnoscitur, immo saepe dispositio ad causas pias difficilior redditur quam dispositio pro causa profana: in *conscientia* sola lex canonica (civilis tum, quando canonicae concors est, aut favorem causarum piarum etiam extendit) respici debet; nisi forte — id quod n. 1383 *nota* in simili quaestione iam dictum est — praestet homines, apud quos effectus monitionis sperandus non videatur, in bona fide relinquere.

Quid iuris autem ex testamento informi oriri possit, c. I satis declaratum est.

### § 3.

#### *De ipsius testamenti dispositionibus et clausulis.*

1404 I. Ad testamenti essentiam pertinet haeredis sive haeredum institutio: quod ius commune ita intelligit, ut *veri nominis haeres* institui debeat, i. e. successor titulo universali, cui aut omnia bona aut quota bonorum pars cedant, etsi forte cum onere certa bona aliis tradendi. Recentiora iura id non ita postulant ac proin haeredem et legatarium quodam modo confundunt.

II. Praeter haeredis institutionem fieri *potest* haeredis *substitutio*, quae est iure Romano seu communi aut *substitutio vulgaris* aut *substitutio pupillaris* aut *substitutio fideicommissaria*: vulgaris, si alter ut haeres vocatur sub conditione, quod prior haeres haereditatem adire non possit aut nolit; pupillaris, si pater (sive avus, in cuius potestate paterna pupillus est) filio impuberi, qui patris (sive avi) haeres est, haeres constituitur pro casu, quod filius ille impubes decesserit; fideicommissaria, si cui haereditas defertur (*fiduciario*) sub onere, ut sive statim post certum tempus, sive tempore mortis haereditatem eiusve partem tertio cuidam designato transmittat — (hic *fideicommissarius* — testator *fideicommittens* dicitur).

III. Si praeter haeredis institutionem et substitutionem aliquis in singularum rerum successionem, quae per haeredem tradendae sunt, vocatur, is *legatarius* dicitur: haec dispositio testatoris vocatur *legatum*. — Si cui haeredi praeter quotam bonorum partem certa aliqua res addicitur, id *praelegatum* vocatur.

1405 IV. Clausula tandem testamento addi potest «*codicillaris*», vi cuius testator declaret, ut, si forte testamentum ex aliquo defectu informe sit, eius dispositiones saltem ex codicillo valeant. — Nimirum *codicillum* vocatur ultimae voluntatis declaratio sine haeredis institutione, adeoque aut omnino sine testamento aut extra testamentum iam factum ad eius valorem minor sollemnitas sufficit. Quae forma et clausula secundum ius Gallicum aliaque iura recentiora inanis est.

Clausula igitur codicillaris hunc effectum habet, ut, si testamentum quidem informe aut ex alia causa irritandum, sollemnitas codicillo necessaria tamen servata sit, haeres quidem ille evadat, qui est haeres



ab intestato, at tamquam haeres fiduciarius, qui haeredi testamentario tamquam legatario seu potius fideicommissario totam haereditatem tradere debet, *detracta sibi quarta Trebellianica seu Falcidia* (cf. Pruner, Lehre vom Recht I, § 198 et 199)<sup>1</sup>; legata autem aliaeque dispositiones testamentariae omnes vim suam retinent, nisi forte propter laesam legitimam partem necessarii haeredis reducendae sint.

Declarandi causa nota: 1. Possunt fieri et legata et haeredis institutio aut absolute aut *conditionate*. — Quodsi conditio apposita est, haec aut antequam adeatur haereditas, impleri debet, aut si propter eius naturam id fieri nequit, *cautio danda* est: et laesa conditione haereditas debet reddi.

2. Conditions tamen strictae sunt interpretationis, ita ut onus quantum fieri possit minimum imponant: hinc est etiam, quod conditiones *impossibiles* et *inhonestae iure communi* pro non apposis habeantur, atque ex lege positiva haereditas sive legatum *absolute* acquiratur. Nihilominus non omnes leges recentes eodem modo rem determinant, si statuunt, quousque extendantur hae conditiones, quae ut invalidae sperni debeant. Iure Germaniae haec statuuntur: Si onus haeredi vel legatario impositum ex aliqua ratione fit inefficax (v. g. quia impossibile evadit vel prohibitum), haereditas vel legatum non corrui, nisi sumi debeat testatorem illud onus habuisse *pro conditione sine qua non* (§ 2195). Et similiter generatim: Si ex dispositionibus testamentariis aliqua fit inefficax, ceterae inefficaces non fiunt, nisi quas sumi debet testatorem facturum non fuisse, si priorem inefficacem fore scivisset (§ 2085). — Sed legatum ipsum, quod consistit in re tempore delatae haereditatis praestatu impossibile, vel quod tum temporis est lege prohibitum, *inefficax* declaratur (§ 2171), nisi forte possibile fieri possit et intentio testatoris fuerit pro casu possibilitatis, vel nisi propter partialem possibilitatem ex parte sustineatur (§§ 307—309). — E iure Austriaco conditiones tum inhonestae, tum impossibiles quaelibet *invalidam* reddunt dispositionem, nisi sint conditiones *resolutoriae*: hae enim pro non adiectis habentur, sicut etiam conditiones *obscurae, non-intelligibiles* (§§ 697 698).

Quid iuris interim sit, dum conditio impleatur, accuratius definiri nequit, nisi inspectis legibus regionis.

3. Substitutionis vulgaris et fideicommissariae discrimen in eo cernitur, 1407 quod in priore secundus haeres scribitur *in defectu prioris*, si forte numquam haeres fiat; in posteriore secundus haeres vocatur, *mediante priore*, qui prius vere haeres fuerit haereditatemque acquisiverit: haec etiam causa est, cur leges statuunt, ut quartam bonorum partem (vel aliquotam) sibi detrudere possit, ne incassum haeres factus sit.

Substitutio pupillaris et fideicommissaria habere possunt effectum vulgaris substitutionis — si nimirum aut filius pupillus aut haeres fiduciarius haeredes facti non sint.

<sup>1</sup> Nimirum lege Falcidia statutum est, ne haeres seu haeredes legatis ita onerari possent, ut non saltem quarta pars haereditatis remaneret: quodsi in testamento ita onerati essent, legata esse reducenda. Illa legis constitutio etiam ad *haereditatem fiduciarium* — de quo Senat. Cons. Trebellianum egit — translata est, atque in illo casu *quarta Trebelliana* s. Trebellianica vocatur. Verum illa quarta pars sic intellecta est, ut sumeretur ex bonis defuncti, postquam deducta sint debita, legata pia, aliaeque onera; in quibus accurate assignandis non omnes idem sentiunt, neque concors est sententia iurisperitorum, sitne quarta Trebelliana nihil nisi Falcidia, an aliter computandae (Vangerow, Pandekten § 536).

4. Ad substitutionem fideicommissariam specialis quaedam dispositio testamentaria refertur, qua certis bonis onus illud imponitur, ut semper transmitti debeant intra eandem familiam definitis regulis: quod utique si universim seu indefinite statuitur, sanctione legis positivae indiget, ut etiam in foro interno valeat (Familien-Fideikommiß).

Non plane idem dici debet de qualibet seu communi illa fideicommissaria transmissione; hanc enim fieri posse, immo aliquando debere, id cum potestate libere testandi seu disponendi de bonis propriis naturaliter connectitur: hinc satis probabiliter illa dispositio naturalem valorem habet, etsi lex positiva resistat, non secus atque dispositiones *informes*. Quare in foro conscientiae de iis simile quid tenendum est atque de illis informibus dispositionibus. — Hinc etiam fit, ut hac in re ius Gallicum, quod substitutionibus fideicommissariis valde adversatur nec vult admittere nisi paucissimas, a compluribus pro iniusto habeatur.

#### § 4.

*De causis et modis, quibus testamentum valore vel efficacitate privatur.*

1408 Modi, quibus testamentum vi sua privatur, sunt:

1. Nullitas, 2. irritatio, 3. destitutio, 4. ruptio, 5. revocatio.

I. Nullitas testamenti adest ex defectu essentialis conditionis: quae num et quo sensu pleni iuris sit ipso facto, si conditiones naturaliter necessariae servatae sunt, ex superius dictis habes.

II. Irritatio alia est iudicialis, alia privata. *Privata* locum habet, si testator post testamentum factum sub alterius paterna potestate constituitur, scil. sive per adoptionem, sive per legitimationem illegitimi sui ortus, et hac potestate paterna finita, testamentum prius factum non denuo confirmaverit. — Quare in hoc casu nullae dispositiones, ne ad pias quidem causas, pro validis sustineri debent. Ita saltem ex iure «communi».

*Iudicialis* irritatio fit aut propter defectum sollemnitatis requisitae aut propter iustitiae laesionem erga haeredes necessarios: posterior causa non ubique dat iis, qui laesi sunt, ius postulandi totius testamenti irritationem, sed saepe solum ius postulandi supplementum legitimae portionis. Iudicis igitur sententiae standum est in conscientia: quae si secundum leges etiam totum testamentum vi sua destituit, legata pia tamen servanda sunt ab haeredibus ab intestato, siquidem non solum ius Rom., sed etiam ius *canonicum* consentiendo in illo casu omnia legata, quantum patitur portio legitima, sustinet; quoad dispositiones profanas cuiusque regionis lex et iudicis declaratio pro norma fori quoque conscientiae erit.

1409 III. Destitutio vocatur testamenti mutatio, quae fit, quando haeres institutus et substitutus aut nolit aut non possit haereditatem adire.

Quo in casu devolvitur successio ad haeredes ab intestato. De valore dispositionum testamentariorum observandum videtur idem ac n. praecedenti, etiam in iis locis, ubi secundum ius commune testamentum cum omnibus dispositionibus valore destituitur; nam circa causas pias nulla est ratio, cur a communi regula ecclesiastica recedamus, quae statuit dispositiones pro

causis piis sustineri debere, quando de testatoris voluntate, eaque iusta, certo constet: verum voluntas defuncti certo declarata est, neque propter destitutionem seu mutationem haereditis evadere potest iniusta. Ceteroqui leges quaedam particulares tum legata pia tum profana in suo valore etiam relinquunt.

IV. Rumpitur generatim testamentum, si post testamentum conditum testatori nascitur filius (aut secundum alia iura quilibet haeres necessarius): quo etiam postea mortuo testamentum non revalidatur, nisi forte — ut aliquando leges statuunt — mortuus fuerit ante testatorem.

Rupto testamento, nullae dispositiones validae manent, neque pia legata, quia ex ipsa praesumpta voluntate testatoris censetur totum testamentum irritum: ita saltem, si testator futuram haereditis sui nativitatem nescivit vel non speravit. Quodsi exspectabat filium posthumum, aliud iudicandum est. De cetero omnino etiam consulendae sunt leges regionis. — Americanae leges in Statib. Foederatis testamentum vi sua destitui dicunt, si testator post conditum testamentum uxorem ducat et prolem suscipiat, neque proli et uxori provisum fuerit: ceteroqui, si viro uxorato post testamentum factum nascatur filius, neque illi paterna dispositione provisum fuerit, is tantum ad eam haereditatis partem ius habet, quam ab intestato accepisset.

Ius Germ. non novit testamenti ruptionem, sed solam *impugnationem dispositionum* testamentariarum: quam impugnationem concedit iis, qui ius suum legale laesum esse putant. Quodsi hoc modo aliqua dispositio redditur *inefficax*, reliquae dispositiones nihilominus manent integrae, nisi sumi debeat, illarum valorem voluisse testatorem dependentem facere a valore illius dispositionis quae facta est inefficax (§§ 2078—2086).

V. Revocationem testamenti ab ipso testatore fieri posse ad testam<sup>1410</sup> menti essentiam pertinet. Est autem revocatio aut expressa aut tacita.

Revocatio tacita seu re facta habetur, si testamentum dirumpitur aut laeditur v. g. sigilli nominisve expunctione, aut si novum testamentum conficitur. Verum nisi in novo testamento prioris revocatio exprimat<sup>1410</sup>ur aut hoc destruat<sup>1410</sup>ur, etiam prioris testamenti dispositiones, in quantum posteriori testamento non repugnent, servandas esse plures leges declarant. similiter etiam fit, si ex pluribus testamentis, quod sit posterius, discerni nequit.

Revocatio expressa, nisi testamentum quod factum est destruat<sup>1410</sup>ur, certas formas legales habere debet, ut sit contra testamentum valida. Generatim tamen minor testium numerus sufficit: ius Austr. (§ 719) vero tot et tales testes requirit ad revocandum testamentum *nuncupativum*, quot et quales ad condendum, et generatim *eundem modum* revocandi sicut condendi testamenti. De variis revocandi modis iuris Germ. cf. §§ 2254 sq.

Testamento igitur legitime revocato, nullae amplius dispositiones valent, nisi quas testator nihilominus valere voluerit atque satis declaraverit; videlicet tamquam ex nova voluntate ultima declarata quasdam dispositiones potest resumere.

### § 5.

#### *De testamenti executione.*

Testamenti exsecutio *ad haeredem vel haeredes spectat*, ut supra<sup>1411</sup> dictum est, nisi quis speciatim constituatur exsecutor. — Cf. tamen

leges regionis. Sic in Anglia, nisi exsecutor a testatore nominatus aut administrator a iudice constitutus sit, haeredes maximis subsunt incommodis et detrimentis.

I. Exsecutor autem statui potest 1) ab ipso testatore, 2) libera haeredum conventione, 3) per iudicem, si haeredes convenire inter se nequeunt: verum nemo evadit re ipsa exsecutor, nisi libera acceptatione.

Exsecutori per iudicem statuto salarium constituitur; alias autem per se censetur munus gratis susceptum; quare nihil postulare potest exsecutor, nisi antea id sibi constitutum sit, expensarum tamen recompensationem ex massa haereditatis detrahendi ius habet.

Exsecutor, finito negotio, ad reddendas rationes tenetur.

II. Ut igitur iuste et sine querela fungi possit munere suo, curare debet, ut fiat inventarium atque bona defuncti secure serventur, donec exsecutio fieri possit; ut moneantur debitores et creditores etc.

In ipsa autem executione voluntas testatoris iuste declarata pro norma haberi debet: in obscuris leges atque consuetudines observandae sunt.

1412 III. Quare in divisione bonorum sciri debet, quid singuli haeredes ex bonis fortasse iam antea a testatore dono acceptis conferre et tamquam partem suae portionis considerare debeant.

Videlicet conferri debent dona immobilium, nisi testator ea expresse a collatione exemerit, at non eorum fructus neque donationes manuales minoris momenti.

Conferri debent illae expensae, quae in solam filii gratiam factae sunt neque redundant in bonum familiae commune, nisi aut condonatio facta sit, aut censeantur pro conditione parentum minoris momenti. — Ius Germaniae haec statuit:

1) Conferri debent, quae testator conferenda esse declaravit; non conferri debent, quae exclusit, sive ultra leges aliquid concessit sive infra legum statuta haesit.

2) Nisi aliter testator constituit, conferenda sunt: a) ea, quae haeres in dotem vel quasi in dotem acceperat ad fundandam propriam societatem domesticam; b) quae impensa sunt ad excolendum haerem vel parandum vitae statum, si haec testatoris condiciones superant (§ 2050).

Hinc conferri seu computari non debent: 1) quae filius in recreationes non excessivas expendit;

2) quae erogata sunt ratione studiorum, assequendi honoris etc., si haec cum conditione parentum conveniunt. At si in humili conditione parentes positi sunt, atque fortasse reliquis filiis vix id relinquere possunt, quod impenderunt in studia unius, sane has expensas computari pro haereditate eiusve parte iustissimum est (ius Germ. l. c.);

3) quae erogata sunt ad redimendum filium a militia in bonum familiae: secus, si in proprium tantum commodum redemptus sit pecunia pro parentum conditione notabili. Cf. *S. Alph.* III 955—959; *Gury-Ball.* I n. 807—809.

In Americae Sept. Statibus Foederatis *semper praesumitur* has expensas ad collationem non esse adducendas, nisi clare constet de contrario: *Konings.* n. 901.



IV. In exsequendis legatis tum circa ipsam rem, tum circa conditionem et causam dubium occurrere potest.

Si res indeterminata legatario adscribitur, quando naturalis est, ut bos, equus, res illius speciei *mediocris* dari debet; si est artificialis, electio pendet ab haerede, ita ut legatarius etiam minima contentus esse debeat (*S. Alph. ex Bus. III 938*): ius Germ. § 2155 exigit, ut in quolibet casu res debeat respondere conditionibus legatarii.

Si conditionate aliquod legatum statuitur, sufficere debet aequivalens impletio, si aut lex id admittit aut voluntas testatoris secus inhonesta fieret. Quapropter quando *certae* personae aliquod legatum statuitur, impletio conditionis per actionem meliorem, immo per quamlibet impletionem aequivalentem admitti plane debet; si autem *certae causae* et per eam indeterminatis personis aliquid legatur, propria causae forma servanda est, nisi finis proprie intentus in aequivalenti causa etiam habeatur.

Ita quod legatur Berthae, «*si utcumque nubat*», etiam dandum est, si monialis fit; legatum Petro destinatum studiorum causa sub conditione, «*nisi sacerdos vel religiosus fiat*», etsi *naturaliter invalidum*, nihilominus, ubi ex regionis lege turpes conditiones pro non adiectis habentur, Petro debetur. Legatum puellis *pauperibus*, «*ut nubant*», relictum dari *nequit* ex sententia multorum iis, quae volunt moniales fieri; siquidem causa pia sit, succurrere puellis periclitantibus, quae nupturae sunt; verum aliis videtur fieri posse etiam electio earum, quae, ut periculum effugiant, Christo sponso se tradere volunt, eo casu quo merito iudicetur hanc electionem testatoris voluntati conformem esse (vide *Gury-Ball. I n. 830 not.*, *Giribaldi l. c. n. 145 sqq* cum aliis); posse dari puellis iam sine dote nuptis, merito negatur (*S. Alph. III 930*), nisi *determinatae* puellae legatum relictum sit. — Ceterum nisi agatur de legatis piis, circa legatorum interpretationem leges regionis consulendae sunt: quid ius Germ. constituerit, habes supra n. 1406.

Legatum relictum orphanis posse etiam dari iis, qui a parentibus non aluntur, satis certum est, si vere orphani non adsunt; immo etsi adsunt, *S. Alph.* videtur «non omnino improbabile» etiam illos eligi posse. *Ib. n. 930*, *Giribaldi ib. n. 150* etc.

Legatum relictum «*pauperibus*» dari potest quibuslibet, qui secundum statum suum vivere nequeunt (etiam nobilibus), nisi de contraria intentione testatoris constet: quia necesse non est, ut eligantur pauperiores.

Legatum destinatum puellae, «*si maneat virgo*», dandum est in multis locis *ex positiva lege*, etiamsi nubat. *S. Alph. ib.*

Legata pia certae causae destinata commutari ex iusta ratione possunt a S. Pontifice; ab Episcopo tantum, si commutatio potius est voluntatis defuncti iusta interpretatio, ut si quis legat certae ecclesiae summam pecuniae pro calice, ecclesia vero pauper non indigeat calice, sed paramentis. Vide *S. Alph. n. 939*.

Appendix principaliorum peccatorum contra *septimum* decalogi <sup>1414</sup> praeceptum:

*Specifica distinctio generalis absolvitur his:*

1. Furtum committere.
2. Rapinam facere.
3. Sacrilegum furtum vel rapinam patrare.

*Modos diversos speciales facilius occurrentes habes fere hos:*

1. Aliena bona sive iura usurpare.
2. Damnum alteri inferre.
3. A consecutione boni aliquem iniuste impedire.
4. Fraude uti in pondere et mensura, in rebus adulterandis, in occultandis rerum vitiis.
5. Pretium summum in venditione excedere, in emptione infra infimum pretium deprimere.
6. Fraudibus aliisve iniustis mediis pretium *augere* vel fraude emptorem ad maius pretium, etsi ex se solo nondum iniustum, inducere.
7. Mercedem iustam operariis denegare, eamque iniuste deprimere.
8. Fraudulentis clausulis in contractu alterum circumvenire; contractui non stare; fraudulenter rescissionem postulare.
9. Instrumenta publica, testamenta corrumpere, falsa conficere; legales defectus fraudulenta fictione supplere.
10. Debita non solvere, eorumve solutionem diutius differre.
11. Mala fide praescriptionem perficere velle, eamque in iudicio praetendere.
12. Fraudulenter cessionem bonorum facere.
13. Res furtivas vel suspectas emere; fures receptare atque protegere.
14. Mandato, consilio, aliisve modis ad aliena damna cooperari.
15. Res sibi creditas non custodire, easque in damnum vel periculum inducere.

## TRACTATUS V.

### DE OFFICIIS CIRCA BONUM FAMAE ET HONORIS.

De qua re praecipue consuli possunt: *S. Thom.* 2, 2, q. 73; *Lugo*, De iust. et iure disp. 14; *S. Alph.* III 962—1003; *Tamb.*, In decal. l. 9, c. 3; *Reuter* III, n. 395—432; *Mazzotta* tract. 4, disp. 2, q. 2; *Elbel* IV, n. 343—413.

#### *Caput I.*

#### De fama et honore proprio.

1415 Discussis regulis iuris et iustitiae circa reliqua bona humana, restat, ut consideremus iura, quibus homo in famam et honorem potitur, et officia inde oriunda. Quae reducuntur ad octavum decalogi praecceptum:

«*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*» (Ex 20, 16).

Hominem habere verum dominium suae famae iam alibi (hoc volumine n. 907) dictum est. Quamquam igitur, si sola fama propria ut talis consideratur, haec iustitiae legibus non subiacet, utpote quae

sit «ad alterum», tamen honestatis legibus prorsus regitur; nam etiam de suis arbitrato irrationabili disponere homini non licet.

I. Fama est bona aestimatio, qua homo apud alios fruitur: honor huius aestimationis secundum virtutem, dignitatem, meritum significatio seu manifestatio.

II. Fama bona est igitur fundamentum honoris, ita ut, si *praecisive* spectetur, fama maius bonum sit quam honor; honor autem, si *cum suo fundamento* sumitur, aliquid plus dicat quam fama. Hinc est, cur honor apud homines *pluris* valeat quam fama, honoris laesio *gravius* etiam feratur quam laesio famae; nam cum aestimatio intus lateat, honor autem et exterius prodatur et internae aestimationis naturalis index sit: qui honorem exhibet, plus censetur dare, quam qui intus aliquem aestimat.

III. Fama bona frui summe necessarium est in sociali vita.

Nam qui ea caret, tum solatio et auxilio caret, quod ex aliorum conversatione percipitur, tum freno privatur, quo facile seipsum in officio contineat — timor enim amittendae famae quam plurimis necessitatem evitandi peccata indicit, fama autem amissa iam libere vitiis indulgent —, tum facultate destituitur in commune bonum atque aliorum utilitatem labores suos impendendi. Quo fit, ut naturali Dei lege adstringamur, prudentem curam propriae famae habere tum custodiendae, ne amittatur, tum, si forte laesa vel amissa sit, recuperandae. Quae vero et quanta sit obligatio, a diversis conditionibus et circumstantiis multum pendet, neque illa cura tanta esse debet, ut non a cura aliorum bonorum superari possit ac debeat. Generatim, nisi aliae rationes accedant, famam propriam non curare peccatum tantum veniale est.

IV. Hinc S. Script. monet Prv 22, 1: «Melius est nomen bonum, <sup>1416</sup> quam divitiae multae.» Eccl 7, 2: «Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.» Eccl 41, 15: «Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.»

Nihilominus cum fama non sit supremum bonum, fieri potest, ut ex una parte necessarium medium pro conditione hominis non sit, neque externa ratio familiae, communitatis, status, cuius ille sit membrum, ratio officii, quo fungatur, famae conservationem postulet, ex altera parte in ferenda iniuria et despectu exercitatio magnae virtutis christianae eluceat. Quod si ita est, cum laude et magno merito desisti potest a fama iniuste laesa defendenda, immo committi potest veri defectus apud alios manifestatio: quamquam ut haec fiat, longe maior cautio et prudentia necessaria est quam in sufferendis iniuriis illatis, quae occasionem praebent tum patientiae et imitationis Christi, tum insignis in divinam providentiam fiduciae et resignationis.

Attamen si cum propriae famae damno alia mala, praecipue aliorum, coniuncta sunt, a virtutis regula prorsus postulari potest, ut strenua eius defensio suscipiatur. Quod in singulis causis prudentiae est pendere et praescribere.

V. Quod de honore proprio quaerendo dicendum est, fere habes ex iis, quae n. 884 de ambitione dicta sunt. Nimirum *quaerere* pro-

prium honorem non ita cohaeret cum ordine rectitudinis, sicut quaerere bonam famam. Immo in honorum appetentia difficile est animum ita moderari, ut non venialis peccati inordinatio committatur.

Verum si honor propter munus susceptum debetur, eum *negligere*, et permittere ut ab aliis negligatur vel violetur, vitium est, non virtus. Ut enim personaliter honores fugere virtutis est, ita honorem muneri et auctoritati debitum nimis negligere virtuti est contrarium.

## Caput II.

### De honore et fama aliena.

#### Articulus I.

De obligatione circa honorem et famam alienam eiusque laesione.

#### § I.

##### De diffamatione.

1417 I. Diffamatio est *famae alienae laesio* — quod ut peccatum sit, adde: *iniusta vel illicita*.

Laeditur fama duobus modis, aut revelando defectum verum, aut imponendo falsum, a quo non distinguitur augendo exaggerare defectum verum. Haec revelatio et insinuatio potest iterum diversis modis fieri, videlicet directe aut indirecte. Directe fit, si clare aliquid narratur; indirecte, si non-narrando seu tacendo aliquid insinuat, e. gr. frigide laudando, in communi laude aliquem notanter praetereundo, in confuso et indeterminate aliquid indicando.

Ad quae nota: 1. Diversi modi, quibus de fama aliena detrahi potest, complete ita recensentur: 1) imponendo falsum crimen; 2) revelando verum, sed occultum; 3) amplificando seu augendo crimen, aut crimini noto addere circumstantiam ignotam, quae crimen augeat; 4) sinistre interpretando bona opera proximi eiusque intentionem; 5) negando recte facta aut dotes alterius cum eius fama iactura, aut illa diminuendo; 6) tacendo, quando silentium est pro vituperio; 7) simulate aut frigide laudando.

2. Haec igitur diffamationes fieri possunt sive verbis, sive scriptis, sive actione vel omissione. — Speciatim autem efferuntur duo modi fama laesivi aliis graviores: 1) *libellus famosus*, quo detractio latius diffunditur et altius mentibus inhaeret; 2) *susurratio*, qua fit detractio eo modo vel eo fine, ut pax et amicitia proximi cum altero dissolvatur: quae circumstantia, utpote novi eiusque gravissimi mali origo, in confessione exprimenda est. Cf. *Reuter* III, n. 403.

1418 II. Peccatum diffamationis est utique ex genere suo mortale, quamquam parvitas materiae admitti debet.

Scilicet diffamationem ex genere suo mortale peccatum esse ex eo patet, quod laedat bonum divitiis praestantius. Excusatio autem illa populi saepe convellenda est, quod quae dicta sint, fuerint vera, ac si, quidquid a vero alienum non sit, quilibet cum quibuscumque communicandi ius habeat. Ad rem facit, quod, ut habes supra, dicitur Prv 22, 1: «Melius est nomen bonum,



quam divitiae multae: super argentum et aurum, gratia bona», et Eccle 7, 2: «Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.» Ergo eius iniusta violatio peior est quam iniustitia circa bona fortunae.

III. Diffamatio, quae habetur ex narratione defectus veri occulti, dicitur *simplex detractio*; quae ex narratione defectus falsi, *calumnia*: utraque tamen specie morali mortali per se non distinguitur, siquidem species peccati, quam calumnia addit, mendacium dico, *ut sic* venialem malitiam continet, ita ut mortalis malitia ex sola famae laesione oriatur. Nihilominus communiter in confessione uterque modus distinguendus est, quo melius cognoscatur tum peccatum, fueritne mortale (*est enim facilius* mortalis calumnia), tum obligatio reparationis, quomodo sit urgenda. Cf. *Reuter* III, n. 403.

Neque diffamatio diversam specie malitiam habet, prout hoc aut illud crimen narratur: haec enim differentia *materialis* est, non formalis in ratione famae. Aliquando autem expedit confessarium scire, quae fuerit materia diffamationis, ut dignoscat inter peccatum grave et leve.

IV. Ut autem diffamatio peccatum grave sit, debet grave detri-<sup>1419</sup>mentum in fama (vel propter famae detrimentum damnum grave in aliis bonis) proximo inferri: quare non quaelibet peccati gravis revelatio grave peccatum est, nec quaelibet venialis peccati aut defectus non peccaminosi manifestatio veniale.

Praecipue igitur *obiectiva* gravitas ad peccatum mortale necessaria deest:

1. si res narrata, spectatis personae laesae conditionibus, non est graviter diffamans;
2. si ex conditione audientium aut narrantium diffamatio sit non gravis;
3. si ex publicitate rei narratae homo laesus ius ad famam iam amiserat.

**Explicatio.** 1. Fieri quidem potest, ut venialis peccati manifestatio<sup>1420</sup> grave peccatum sit; attamen saepius pro conditione hominis laesi contrarium obtinet, ut nimirum mortalis peccati manifestatio peccatum mortale non sit.

Exemplum dant diffamationis contra sacerdotem vel religiosum pium, quem designare pro mendaci sit diffamatio mortalis; cum e contrario de milite liberioris vitae dicere, eum res amatorias egisse, vindictam cogitare etc., non sit mortalis diffamatio. Cf. *S. Alph.* III 967 c. *Busenb.* etc. Censet tamen *Tamb.* l. 9, c. 3, § 2, etiam de homine satis pio dicere, eum una alterave vice mendacium leve dixisse, communiter non posse haberi pro gravi diffamatione, sed illud «mendacem esse» idem debere significare atque mendaciis esse *assuetum*.

2. Plerumque quidem *defectus naturales* non sunt obiectum, cuius manifestatio *gravem* iniuriam inferat, ut defectus iudicii, scientiae; immo generales defectus morales, e. g. esse iracundum, superbum etc., communiter pro naturali inclinatione, non pro crimine atque gravi diffamatione haberi docent: *Busenb.* l. c., *Mazzotta*, alii. — Nihilominus *posse* talem diffamationem gravem esse habes ex modo dictis n. 1, cf. *Elbel* n. 369; uti etiam dicere illum et illum esse inscium, virum parvi iudicii, scrupulosum, nisi res manifesta et

publica est, est grave peccatum, si haec dicuntur de viro in munere aliquo constituto, aut qui magnae auctoritatis est, quando talibus dictis eius aestimatio notabiliter minuitur; idem valet, si haec dicuntur de aliquo, qui spem habet honorifici muneris, quod alias utiliter gerere posset. — A fortiori id dicendum, si quis dicitur spurius, etsi verum, sed occultum est: *S. Alph.* III 967, 4 comprobans sententiam *Busenb. ex Less., Dicast., Salmantic.*, aliis.

3. Grave non est de aliquo iam circa aliquod crimen diffamato crimen conexum vel affine narrare, v. g. de homine, qui ut ebriosus cognitus est, dicere, eum cum uxore rixatum esse; aut de latrone, eum peierasse.

At fieri potest, ut solum dicere aliquem *secundo* idem crimen commisisse sit grave peccatum, eo quod grave detrimentum famae de novo infligatur: ut si quis eum, quem semel adulterium commisisse, scitur, dicit in idem crimen relapsum esse.

4. Quamquam communi, immo fere unanimi sententia theologi negant (*Molina, Lugo, Laymann, Tamb., S. Alph.* etc.) sine peccato gravi eum, qui in uno peccato diffamatus sit, in alio crimine omnino disparato diffamari posse; tamen etiam fatendum est aliquando posse hominem ita diffamatum esse, ut peccatum grave non sit novum peccatum de eo narrare, immo ut falsa novi criminis impositio rationem auctae diffamationis vix habeat, sed fere solius mendacii. Cf. *Molina*, De iust. et iure tract. 4, disp. 32, n. 1; *Tamb* l. c. n. 20. Similiter quis putaverit gravem diffamationem committi ab eo, qui hominem plane atheum dicat a se haberi pro capaci ad alia crimina clam perpetranda?

1421 5. De vitio gentis loqui in genere plerumque aut non est peccatum aut veniale tantum; nimirum hae res aut notae sunt aut intelliguntur de multis indeterminatis sumptis aut de naturali inclinatione et indole, non de peccatis. *Elbel* IV, n. 369.

6. De aliqua civitate dicere, esse ibi multos improbos (etiamsi peccatum certum nominetur), non censetur gravis infamia esse, siquidem neminem determinatum laedit. Quodsi in aliquos determinatos infamia redundatura sit, aliter est iudicandum. Quare etiam de aliquo monasterio id dicere pro gravi diffamatione habetur, eo quod singuli religiosi notabili suspitione prava patiuntur: immo sufficit, ut dicatur unum ex tali domo religiosa hoc vel illud crimen (i. e. peccatum diffamans) commisisse.

Si quis dicat, in tali loco, civitate omnes esse improbos, per se gravem infamiam infert singulis; quod etiam dicendum videtur, si audientes id sumunt pro *quam plurimis* ex illo loco. Si autem eiusmodi dictum ex circumstantiis apparet magnam exaggerationem esse, ita ut audientes nihil intelligant, nisi multos esse malos, id non ita certo pro *gravi* diffamatione haberi potest. Vide *Mazzotta* tract. 4, disp. 2, q. 2, c. 1.

7. Si crimen revelatur uni alterive personae prudenti, quae porro non revelatura esse praevideatur, *S. Alph.* n. 973 pro probabili habet id non esse mortale peccatum, nisi forte illi dicatur, cui prae pluribus aliis auctor voluerit esse occultus, aut nisi aliud gravis damni periculum adiungitur. Cave tamen, ne hoc transferas ad narrationem criminis non veri: calumniari enim in re gravi etiam coram uno tantum mortale peccatum semper est; eo quod ius *firmius* habeo, ne crimen falsum mihi imponatur, quam ne crimen commissum ulli communicetur.

8. Male loqui de eo, quem audientes non norunt neque cognituri sunt, etsi nominetur, diffamatio non est. Sicut neque id pro gravi diffamatione

habetur, quando aliquis cum de altero male loquitur simul voluntatem habet *statim* retractandi, modo possit; nam damnum famaе pro tantillo tempore non censetur grave esse: ceterum id practice vix aliter fieri potest, nisi quando aliquis per iocum alteri crimen obicit, quod iocose dictum esse statim palam fieri potest. Secus enim periculum manentis infamae creat; immo in revelatione veri criminis longe difficilius etiam est efficacem retractionem ilico adhibere.

9. Si a circumstantibus fidem dictis non adhiberi praevideatur, gravis<sup>1422</sup> diffamatio non infertur: ex quo capite ii, qui noti sunt pro garrulis, levitati deditis, vel in odio, invidia contra alterum implicatis, saepe in meliore conditione sunt relate ad gravitatem peccati — saltem obiectivam — quod detrahendo committant, et consequenter quoad incumbentem iis obligationem dicta sub gravi retractandi; dixi saltem quoad obiectivam gravitatem, nam subiective, si ex gravi odio etc. agunt, tamen mortaliter peccant.

10. Quando igitur aliquis alterius crimen vel defectum graviter diffamantem narrat tamquam auditum ab aliis hominibus, si eos exhibet ut fide dignos, graviter peccat, idque contra iustitiam; si ut fide non dignos, per se non peccat graviter: num leviter peccet, pendet a ratione et modo loquendi, maxime ab aliquali suspicione, utut non gravi, contra alterum suscitata. (Cf. quae infra de suspicione dicuntur.) — Immo si praevidet audientes non ex narratione quidem iustam causam sumere posse assentiendi, sed ex sua levitate aut malitia assensuros esse narratis, graviter peccat non contra iustitiam, at contra caritatem. Vide *Tamb.* l. 9, c. 3, § 2, n. 5 et 6 cum *Lessio* etc. — Attamen si de revelatione criminis veri agitur, et qui narrat, ita re ipsa factum esse scit, sed refert quasi rumor quidam existat, raro ex eo excusari potest, quod non certum assensum, sed suspensionem tantum aliis ingesserit. Cf. *S. Alph.* n. 977.

11. Si crimen alterius publicum est, sive per fas sive per nefas publicum<sup>1423</sup> evasit, id aliis narrare, qui forte nesciunt, diffamationis peccatum aut non est aut non grave. Publicum autem dicitur, si et crimen et criminis auctor notus est: quare si quis peregrinus, quem homines non cognoverunt, publice crimen commisit, nondum dici potest esse *crimen eius* publicum. Quot autem homines requirantur, ad quorum notitiam pervenerit res, ut dici debeat publica, prudenti tandem iudicio relinquitur: nimirum si tot sunt, ut, spectata natura humana, res celari amplius nequeat. Agi autem de crimine vero, non de crimine per calumniam imposito, vix est, quod moneam; calumniam enim gravem amplius divulgare, a peccato mortali excusari nequit.

Ad publicitatem actionis etiam refer id, quando homo egit ita, ut ostenderet se nihil curare facti divulgationem. — Item si poena publica est, eius causam referre censetur saltem non esse grave peccatum, cum par videatur conditio poenae et causae. *S. Alph.* n. 974 ex sententia *Busenbaum.*

12. Acrior controversia est, num, quod in uno loco publicum sit, liceat etiam in aliis locis narrare. De quo alii aliter sentiunt. Omissis aliorum opinionibus et restrictionibus, probabilis videtur sententia *Card. de Lugo*, De iust. et iure disp. 14, n. 80, id per se licere, sive sit publicitas iuris (ut condemnatio in iudicio, confessio iudicialis) sive publicitas facti: modo tamen agatur de re *absolute publica*, neve propter maiorem divulgationem aliud grave damnum sequatur quam diffamationis diffusio.

Scil.: 1) Si res non absolute publica est, sed relative tantum ad certam familiam, communitatem clausam, quae cum reliquis expeditam et frequentem

communicationem non habet, eius rei manifestatio, extraneis facta, illicita est, idque pro rei ipsius gravitate graviter.

2) Si ex anticipata divulgatione in alieno loco aliud grave damnum sequitur, caritas saltem sub gravi prohibet, quominus fiat: de *iniustitia* autem non constat.

13. Crimen aut rem diffamantem olim publicam, nunc oblitteratam et oblivioni traditam iterum publicare seu narrare, quando ex tali revelatione gravis famae diminutio sequitur: est grave peccatum. Ita communis sententia. Quare saltem graviter peccatur contra caritatem. — Immo id esse simul graviter contra iustitiam, *Molina*, *Lugo* aliique affirmant, nisi res fuerit antea publica publicitate *iuris*; negant *Lessius*, *Mazzotta* (l. c.), *Tamb.* ex parte (l. c. n. 17 et 18) etc.: quae sententia benignior post factum, si de imponenda obligatione restitutionis agitur, prae oculis haberi potest.

1424 V. *Subiectivam* autem gravitatem ex defectu plenae advertentiae seu deliberationis saepe deesse posse; vix est, quod dicam: siquidem nullae actiones magis videntur inconsiderationi subiacerere, quam quae loquacitate gignuntur. Insuper aliae causae sunt, ex quibus prorsus liceat aliorum defectus detegere.

Hinc: 1. Generatim in narrandis aliorum defectibus culpam diffamationis non committit, cui id necessarium est ad avertendum grave malum a se vel ab altero innocente, aut quando ratio maioris boni pro ipso diffamato id postulat; ut autem uni alterive viro prudenti, cuius notitiam non specialiter aversatur auctor criminis, manifestatio fiat, sufficit notabilis quaedam utilitas.

2. Speciatim nota sequentes rationes praeter manifestationem hominis periculosi:

1) Informare herum de conditione, moribus famuli, quem conducere statuit, non solum licet, sed ad caritatis *officia* pertinet.

2) Corrigendi filii causa parentibus sibi invicem defectus filii communicare licet, immo plerumque convenit.

3) Similiter ei, quem puto aptiorem ad corrigendum delinquentem, huius delictum referre possum: attamen non debet pluribus communicari, quam ad convenientem correctionis modum necessarium est.

4) Solatii causa amico narrare iniuriam ab altero, etiam a superiore acceptam, pro gravi peccato non habetur: *S. Alph.* III 975; immo *Salmant.* tract. 13, c. 4, p. 5 n. 46 id ab omni peccato excusant; at nisi aliae rationes accedant, veniale aliquod peccatum videtur raro abesse.

5) Magis etiam licet mihi alterius diffamationem spernere, si ad consilium necessarium capiendum alienum crimen communico.

1425 6) Ut reus in iudicio elidat vim testimonii contra se dati, licet, ut supra dictum est n. 977, crimen testis manifestare, etsi testis coactus det testimonium; attamen ut liceat, debet et illa manifestatio necessaria esse ad eius testimonium elidendum, et efficax putari ad reum liberandum, vide *Tambur.* l. c., *Lugo* disp. 40, n. 21—24, *S. Alph.* IV 277; debet etiam damnum testis non incomparabiliter maius esse quam damnum, quod reus condemnatione subiturus esset — id enim caritati obstaret —; de cetero autem ita agere licet non solum, si reus innocens est, sed etiam si criminis veri accusatur, quod satis probari non possit, ut *Lessius* expresse monet (nota tamen id non ita valere de revelandis iis, quae sciuntur sub secreto commisso, de quo cf. n. 1443 et 1444).



7) Acceptae iniuriae reparandae causa licet rem ad iudicem deferre, etsi auctoris infamatio sequitur. Vide *Tamb.* l. c. § 4. Verum saepe caritas postulat, ut antea tentetur mutua reconciliatio privata, et aliquando timor excitandi graviora mala vel scandala iudiciale causae prosecutionem prorsus prohibere potest. Vide *Lugo*, Resp. moral. l. 4, dub. 46.

8) Ratio detegendi hypocritam *ex se sola* non censetur causa sufficiens eius crimen seu hypocrisim manifestandi, etsi falso sibi nomen sanctitatis, doctrinae, nobilitatis etc. acquisiverit. Vide *Lugo*, De iust. et iure disp. 14, n. 121; at si adest ratio cavendi damnum alienum, iustam causam habes; quare si commune damnum iuste timetur, hypocrisim prorsus publicam facere possum; si privatum aliquorum, iis manifestanda est, quorum interest eam cognovisse.

VI. Quid liceat historiographo. Ratio conscribendi historiam ex <sup>1426</sup> se causa non est, cur liceat occulti criminis narratione etiam defunctorum famam laedere: vide *Lugo* l. c. disp. 14, n. 87—89; *Azor* III, l. 13, c. 7, neque delicta prorsus oblitterata iterum resuscitare. Quod enim quidam historiographi dicunt id sibi dandum esse ex eo, quod iudicium quoddam seu tribunal sit historia, coram quo, qui alias iniudicati manserint, pro merito iudicentur, re vera nihil est: quis enim historiographos legitimos iudices fecit? immo quis iudici umquam sine accusatore concessit facultatem res occultas et privatas propalandi? Neque defuncti carent iure ad famam inter viventes: quanti enim aestiment homines bonam famam suam etiam post mortem, vides ex ingenti cura, quam pro hac ipsa re non raro gerunt. Atque persuasio ista, quasi liceret impune post mortem alicuius famam corrodere, si homines invaderet, etsi non produceret plane eosdem, at similes tristes effectus produceret durante vita humana, sicut licentia viventium famam impetendi. Addo te sane nescire neque id sumere tibi licere, defunctum, de cuius fama agitur, esse inter reprobos — quamquam si scires, ne tum quidem ius tibi esse illum diffamandi theologi docent — at sane nescis; porro si defunctus — id quod sumi debet — in gratia Dei defunctus est, infames Dei amicum, peccata narres, reticens eius poenitentiam utpote tibi ignotam, quae tamen re ipsa adeo insignis fuerit, ut coram Deo omnibus illius peccatis praeponderet.

At aliquando iustissima ratio esse potest occulta vera ad lucem trahendi, nimirum: a) ut innocens ab aliis iniuste diffamatus famae restituatur; b) ut auctoritas et influxus hominis impii, quem etiam post mortem exercere pergit, destruat vel minuatur; c) immo si agitur de homine apud probos perditissimae famae, nihil est, quod diffamationem proprie augere possit, ita ut tunc quaelibet rationabilis causa etiam in scribendis vel detegendis aliis eius sceleribus sufficiat; d) *per accidens* etiam ex alia causa plus licere potest. Nimirum cum hac aetate ea sint ingenia eaeque opiniones, ut putent omnia, quae detegi possint, in lucem esse edenda: saepe accidere potest, ut ad praecavenda maiora mala praestet ex rebus olim publicis vel non occultis etiam ea, quae *ex se* melius aeterna oblivione sepulta manerent, per probum historiographum secundum veritatem narrari, quam per impios ea falsis miserique ad pravos fines propalari.

1427 Quod autem historiographo *per se* licet, hisce continetur:

1) Possunt conscribere publica sui temporis (aliqui addunt, ut *Bonacin.*, *Tambur.* etc.: et ea, quae non sunt omnino occulta), etsi literis consignata ad posteriorum notitiam transmittuntur et ita famam auctorum pro perpetuo laedunt.

2) Neque tenentur multum curare reticentiam eorum, quae, spectata conditione auctorum, eos non multum diffamant: quare earum rerum narratio ex communi utilitate etiam non ita gravi ab omni peccato immunis evadere potest.

3) Si quid ratione boni communis necessarium aut valde utile est conscribi, diffamatio aliquorum, quae cum eo cohaeret, negligi potest.

4) Ubi ipsa rerum narratio, si contra vivos fieret, *certo* solius caritatis, non iustitiae, laesio esset, quoad defunctos, utpote quibus tristitia nunc proprie non inferatur, facile *quaelibet* laesio peccaminosa aberit, nisi forte cognatorum superstitem ratio maior sit habenda.

In hoc autem peccari prorsus potest, praecipue ab historiographis, si alicuius viri crimina narrantur, at silentio premitur, quod de eius conversione et poenitentia constat. Nam cum poenitentia famam ex magna parte restituat, iniustum est alicuius famam pollutam relinquere atque ita posteritati illius memoriam transmittere. *S. Alph.* III 974 cum *Busenb.*

1428 VII. *Audientes diffamationem* communiter mitius diiudicandi sunt quam ipsi detractores. Nam etiam quando diffamatio est graviter peccaminosa, audiens, nisi gaudeat de damno proximi, neve efficaciter cooperetur in detractone, plerumque graviter non peccat.

Accuratius tene haec: 1. Interrogando, laudando aliquem excitare ad gravem diffamationem sine dubio grave peccatum est, idque contra iustitiam. *S. Alph.* n. 979.

2. Qui gaudet et libenter audit gravem detractionem eam approbando aut de gravi malo proximi gaudento, etiam graviter peccat; si autem gaudium solum habet de auditione rei novae et curiosae, idque intra se concludit, venialiter tantum peccat. *Ib.*

3. Qui cum superior spiritualis detrahentis sit, eum, quando commode potest, non corrigit atque ita non impedit detractionem, etiam grave peccatum committit neglecti officii sui, ut parentes laesae pietatis, attamen non committit iniustitiam erga diffamatum. *S. Alph.* n. 980.

4. Homo privatus, qui, quando commode potest, detractionem alterius non impedit ex verecundia vel negligentia, approbationem non ostendens, venialiter tantum peccat, modo ne praeter diffamationem aliud grave damnum sequatur: ita vix non semper probabiliter dici posse *S. Alph.* n. 981 cum aliis multis docet. *Cf. S. Thom.* 2, 2, q. 73, a. 4.

5. Qui autem aliquo modo displicentiam suam ostendit, plerumque ab omni peccato excusatur, quia raro constat correctionem fore efficacem, nisi quis clare redarguere possit ea, quae proferuntur, aut de certa *calumnia* agatur. Id enim in simplici detractione, quae auditur, notandum est audientem saepe nescire, num gravis reapse detractio eaque sine causa excusante committatur; quare non debet absentem ita defendere, ut praesentem dubie delinquentem accuset; dein quando animadvertitur fieri gravem detractionem,

saepe instantanea correctio nihil iuvat amplius, siquidem et ipsa narratio abrupta fortasse maiorem diffamationem causat, quam finita, et detractor correctionis impatiens facile augebit firmabitque narrata, ut sese defendat. Hinc in ipsa defensione eius, cuius fama invaditur, et in correctione diffamantis prudentia prorsus opus est.

NB. Laesio famae, quoniam iniustitiam plerumque continet, si ita est, onus restitutionis secum trahit: de quo fusius art. seq.

## § 2.

### *De iudicio temerario et suspicione.*

Cum diffamatione intime cohaeret iudicium temerarium et suspicio,<sup>1429</sup> qua quis apud seipsum sinistre de altero cogitat atque eius famam laedit: nam si suam suspicionem vel praeconceptam opinionem cum aliis communicat, detractionem formalem, de qua praecedente paragrapho sermo erat, committit, quamquam qui sinistras *suspiciones ut tales* communicat, saepe ob parvitatem materiae a peccato mortali excusatur (cf. tamen infra n. 1431).

Ceterum aperte Christus Dominus temeraria iudicia prohibet. Ita Lc 6, 37: «Nolite iudicare, et non iudicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini», et Mt 7, 1 sq: «Nolite iudicare, ut non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.» — Similiter Apostoli loquuntur. Rom 14, 4 10 sqq: «Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. . . . Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. . . . Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem iudicemus.» Et Iac 4, 11 sqq: «Nolite detrahare alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, et iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?»

I. Iudicium a suspicione temeraria sic distinguitur, ut iudicium sit firma mentis adhaesio quoad proximi defectum diffamantem sine sufficienti ratione, suspicio infirma quaedam adhaesio seu potius mentis inclinatio vacillans ad affirmandum talem defectum.

II. Iudicium temerarium in re graviter diffamante est peccatum mortale, si est iudicium perfectum, perfecte temerarium, perfecte grave. Cf. S. *Alph.* n. 962.

III. Suspicio temeraria etiam voluntarie sustenta in re ordinarie gravi ex se non censetur mortale peccatum esse, sed mortalis malitia saltem restringitur ad rem enormiter gravem pro conditione proximi, aut ad malitiam, quae suspicioni accedat, sive ex qua suspicio voluntaria oritur.

**Explicatio.** 1. Conditiones, si latius enumeratas habere vis, ad constituendum peccatum mortale in temerario iudicio hae sunt:

a) Debet esse *iudicium*, non sufficit sola apprehensio, qualis v. g. fuerit, si videas hominem domo egredientem, qui menti tuae ut fur exhibetur sive per diabolicam suggestionem sive per phantasiam mentisque instabilitatem atque sagacitatem: *Tamb.* l. 9, c. 1, n. 5.

b) Debet esse iudicium *perfectum*, i. e. assensus moraliter certus: alioqui habes suspicionem tantum. Certus assensus ab infirmo optime *reflexione* distinguitur, si homo se ipsum statim interrogat, num sibi persuasum sit, quod cogitet de altero.

c) Necessae est, ut sit iudicium *perfecte temerarium*, i. e. conceptum sive sustentum ex rationibus, quas perfecte animadverteris esse fortasse vere leves: nam si graves rationes habeas, etsi paulo ultra pondus rationum iudicio adhaereas, non graviter pecces, sed venialiter; si pro pondere rationum iudicas sive suspicaris, nihil peccas. *Tamb.* ib. n. 8 et 9. Quare omnino ad rem *S. Alph.* notat ad peccatum mortale non sufficere, ut animadvertas te contra aliquem sinistre cogitare, sed requiri etiam, ut plene advertas te id facere ex levi ratione, aut *sine examine sufficienti* rationum, quae apparent.

d) Requiritur, ut sit iudicium *perfecte grave*, i. e. 1) de re graviter diffamanti, sive sit defectus moralis sive aliud quid diffamans; 2) de homine tibi noto, aut de communitate, familia nota: nam neque de homine aliquo indeterminato male cogitare peccatum grave esse, neque de homine determinato mihi ignoto, quem v. g. casu videam, expresse docet *Lugo* disp. 14, n. 26: attamen sic temere iudicans non effugit peccatum veniale.

2. Contra mortalem malitiam iudicii temerarii sic descripti obici nequit probabiliter non esse grave peccatum uni alterive viro prudenti crimen aliquod narrare. Nam fac non esse; nemo tamen negat grave peccatum esse etiam apud unum tantum aliquem falso graviter calumniari. At iudicium temerarium potius calumniae simile est, quam simplici detractio.

3. Si iudicium temerarium aliis manifestatur, facilius etiam grave evadere potest; nimirum etsi ego certo non iudico, si in altero tamen persuasionem de re tertium graviter diffamanti produco, mortaliter pecco.

1431 4. Suspicio et positiva dubitatio, cum deficient a firmo iudicio, etiam rarius ad mortale peccatum pertingunt. Verum tum saltem cum peccato mortali coniuncta sunt, si 1) concipiuntur ex gravi odio aut 2) prorumpunt in gravem contemptum etiam internum tantum: qui ad malevolentiam reducit. Quare *Lessius* l. 2, c. 29, n. 23 dicit: «unde etiam numquam suspicio est mortale, nisi ex malevolentia procedat». Item *Tamb.* l. c. n. 16; *Laym.*, *Caietan.* etc.

*S. Alph.* quidem III 964 illis non omnino consentit, sed potius docet cum *Molina*, *Lugo* etc., «si suspicio sive dubitatio sine iudiciis fieret de peccatis gravissimis, ut esset de pio religioso suspicari, quod sit haereticus vel quod cum matre incestarit, vel de viro communiter habito ut catholico, quod sit atheus: (est peccatum mortale). Ratio, quia forte maior iniuria iis irrogatur talia suspicando, quam si certum iudicium haberetur de delictis gravibus ordinariis». Quae sententia *in praxi* cum priore fere coincidere videtur: nam deliberate talem enormem suspicionem concipere aut fovere vix quisquam facturus est, nisi ex malevolentia. Cf. *Reuter* III, n. 402 et *Baller.-Palm.* II, n, 1062 sqq.

5. Sese atque suas res custodire ex timore, ne ab aliis invadantur, non est ex se suspicio temeraria seu peccaminosa: hoc enim non nititur in iudicio aut positiva dubitatione contra certum hominem, sed nititur in illo iudicio



vel timore, quo quis putat *posse* accidere, ut aliquis, quem ipse quidem habeat pro homine probo, nihilominus re ipsa sit malus atque perversus, cum multi sint mali: quod verum est. Nimirum si agitur de actione, quae ad proximum tantum dirigitur, hic praesumendus est bonus, donec probetur malus; at si de protegendis rebus propriis agitur, reiecto iudicio malo contra proximum, tamen quod mihi securius est, recte facio, quamquam moderate. Reuter ib.

## § 3.

*De contumelia.*

I. Contumelia nova species iniustitiae est, scil. laesio alieni honoris<sup>1432</sup> iniusta: quae fit plerumque contra eum, qui aliquo modo praesens est, cum detractio fiat regulariter contra absentem: nam si detractio fit contra praesentem, praeter diffamationem *simul* contumeliam continet. Praesens autem aliquis dicitur aut personaliter, aut in aliquo suo signo, ut in imagine, literis a se scriptis etc.

Contumelia igitur est signum contemptus, sicut honor est signum aestimationis: quare ut contra absentem committatur veri nominis contumelia, debet fieri aut aliis spectantibus, aut contra signum — puta imaginem — publice expositum; alias enim vix distinguitur a contemptu, quem quis apud se contra alterum fovet.

Verum si quid contra honorem alterius fit, non ipso praesente, sed coram aliis tantum, si *internus contemptus gravis* abest, non tam facile graviter peccatur, nisi fiat coram iis, qui dicta vel facta illi, cuius honor laesus est, relaturi sunt: nam, ut docet *S. Alph.* III 334, honor non laeditur, nisi per contumeliam illatam in praesentia offensi, vel in absentia, sed eo fine, ut alter resciat. Addendum tamen est ex contextu *S. Doctoris*: «vel cum praevisione, quod offensus id comperiat». Alias *S. Alph. contumeliam* gravem adesse negat.

II. 1. Contumelia fieri potest variis modis, scil. verbis, quando con-<sup>1433</sup>vicia, probra in aliquem coniciuntur; signis, ut irrisione, contumeliosis gestibus; factis, ut conspuendo, percutiendo etc.: quae omnia in ratione *contumeliae* probabiliter eiusdem sunt speciei, ex *S. Alph.* cum *Busenb.* V, n. 82; *Reuter* III, n. 404; *Tamb.* l. 9, c. 3, § 8, n. 2: nisi forte accuratior *modi* inquisitio confessario necessaria sit, ut cognoscat, utrum mortale peccatum fuerit necne.

Contumeliam etiam omissione debiti honoris fieri posse, hic necessarium non est, ut exponatur; siquidem specialis honor superioribus debetur; de quibus actum est supra in quarto praecepto. Verum apparere debet hanc omissionem ex consulto fieri *in contemptum*; aliter non contumelia est, sed laesio observantiae.

2. At quamquam contumelia qua talis eiusdem speciei moralis esse dici potest: saepe adiunctas habet alias malitias, ut: irreligiositatis, si quem irideas propter exercitium virtutis; laesae pietatis, si contumelia est contra parentes; blasphemiae, si contra Deum vel Sanctos; alterius iniustitiae, si fit laesio corporalis; scandali, si intendis aut praevides alterum ad gravem iram vel vindictam commoveri.

1434 III. I. Contumelia secundum explicationem datam est grave peccatum, immo censetur diffamatione esse gravius: nisi parvitas materiae excusat. *S. Thom.* 2, 2, q. 73, a 3 ad 2. — Sic igitur intellige, quod Christus Dominus dicit Mt 5, 22: «Qui autem dixerit fratri suo, *Raca*: reus erit concilio. Qui autem dixerit, *Fatue*: reus erit gehennae ignis.»

2. Ut vero de gravitate aut parvitate materiae recte iudicetur, consideranda est conditio personarum: nam ea, quae apud homines cultos et nobiles pro gravibus conviciis habentur, inter homines rudes et plebeios pro gravi iniuria minime haberi possunt. Haec enim et proferuntur et audiuntur, etsi cum ira, tamen non cum tanta iniuriae aestimatione, ut mortale peccatum constituent.

3. Similiter advertendum est, si correctionis causa pater filium contemptibili nomine vocat, id non esse proprie contumeliam: modo ne, ratione aetatis habita, nimis excedat.

*Busenbaum*, cui consentit *S. Alph.* V, n. 81, ita habet: «Sic excusantur, saltem a mortali, multi parentes, dum filios vocant asinos etc. Item mulieres, pueri et infimae sortis homines conviciis se onerantes: quia cum fides iis non habeatur, non laeditur graviter honor. Denique si ioci causa per convenientem recreationem leves defectus obiciantur, urbanitas est, secundum *S. Thom.* l. c. q. 72, a. 2, dummodo alter non contristetur, nec ad iram moveatur.»

Etiam si ad facta venitur, conditio personarum attendi debet. Nam *S. Alph.* cum *Busenb.* V 83 ita de vulgo docent: «Rixae, si modum non excedant, ut et leviculae pugnae, veniales sunt; secus si progrediuntur ad seditiones, vulnera, caedes»: immo qui non incipit, sed se defendit, a peccato immunis esse potest, si id agit cum moderamine inculpatae tutelae.

## *Articulus II.*

### De restitutione ex famae et honoris laesione oriunda.

1435 I. Ex qua diffamatione restituendi onus oriatur. Restitutionis obligatio oritur ex omni et sola diffamatione, quae peccatum est contra *iustitiam*: quare ubicumque supra art. praec. dictum est delinqui probabiliter contra solam caritatem, obligatio restitutionis, utpote saltem dubia, urgeri nequit, neque simplicis retractationis, si haec — ut communiter obtinet — notabiliter incommoda vel gravis est.

Si vero contra *iustitiam* peccatum diffamationis commissum est, etiam alia damna, si quae secuta sunt et aliquo modo praevideri poterant, ut in bonis fortunae, resarciri debent: quae obligatio reparandi damna in bonis fortunae certo quodam modo transit etiam ad haeredes, cum reparatio *famae* ad personalem obligationem restringatur.

Ipsam autem damnum famae illatum, si in se reparari nequit, ut pecunia compensetur, urgeri nequit: *S. Alph.* III, n. 1000 cum per plurimis docet *probabilius* eam non esse obligationem. Nihilominus iudex, si causa ad ipsum deierit, mulctam imponere — si lex id permittit — iustissime potest; neque iniuste agit, qui pro fama laesa pecuniarum compensationem a diffamatore postulat, nisi velit in iudicium vocari. Cf. *Lessius* l. 2, c. 11, n. 96.

Immo adverte: 1. Cum a non paucis doceatur famam laesam, si quis restituere nequeat, ex obligatione pecunia compensari debere: aliqui ex hac non improbabili opinione inferunt posse diffamatum in tali casu occulta compensatione secundum prudentis iudicium et aestimationem uti: quod nihilominus a *S. Alph.* n. 1001 non probatur, et revera cum ius diffamati dubium sit et obligatio diffamatoris practice nulla, haec compensatio, nisi aliae circumstantiae accedant, non est permittenda.

2. Id magis admitti potest, ut, si mutua facta sit famae aut honoris laesio, atque unus nolit reparationem facere, etiam alter interim obligationem suam pro suspensa habere possit, ut vid. tali modo adversarium urgeat ad mutandam voluntatem: modo ne diffamatio illata etiam in alios redundet. *S. Alph.* n. 999 cum *Busenb.* et innumeris aliis, ut *Less.* l. 2, c. 11, n. 133, *Laym.*, *Syv.*, *Roncaglia*, *Holz.* etc. contra *Navarr.*, *Lugo*, *Caetan.* etc. Similiter fere debitor, qui a suo creditore diffamationem passus fuerit, dilata solutione debiti urgere potest diffamatorem, ut sibi famam restituat: modo ne agatur de tanto debito, quod comparisonem cum dispendio famae nullo modo sustineat. Cf. *Less.* l. c. n. 97.

II. Qui sint restitutioni obnoxii. Obligatio restituendi fa-<sup>1436</sup> mam laesam urget omnes eos, qui aut ipsi iniuste famam alienam laeserunt aut causa efficax iniusta fuerunt, sive principaliter sive secundarie: qui autem sine peccato gravi alienam famam laesit, tenetur quidem, si potest, damnum famae impedire aut resarcire, sed non cum incommodo relative gravi.

Quare: 1. Qui excitavit ad iniustam diffamationem, debet in defectu diffamatoris famam restituere atque alia damna reparare.

2. Qui crimen revelavit eis, quos putabat prudenter illud amplius divulgaturos non esse, non tenetur nisi apud eos reparationem facere: secus si praevidit eos facile evulgaturos esse; nam tum nisi *ipsi* apud suos auditores rem retractent et sic porro, primus diffamator tenetur apud omnes mediatos auditores reparationem facere, *quantum est possibile*. Practice in simplici detractione saepe aliud non relinquitur, nisi ut cum retractatione apud immediatos auditores iungatur seria exhortatio, ut ex sua parte hi etiam retractationem faciant.

3. Qui sine culpa aut sine culpa gravi famam laesit, debet tum, cum primum errorem animadvertat, modo non difficulter possit, reparationem famae facere: quod si deliberate negligit, iam ex gravi culpa iniusta ad sequentia damna sive maioris diffamationis sive bonorum fortunae etc. restituenda tenetur.

III. Modus reparandae famae. Modus reparandi diversus est<sup>1437</sup> in simplici detractione et in calumnia. Qui enim calumniatus est, debet, si necesse fuerit, etiam aperte retractare: qui autem simplicem detractionem fecit, aperte retractare per mendacium nequit; verum *restrictione utens* retractare per se et potest et debet. E. g. qui alterum adulterii incusavit, quod re ipsa commissum quidem est, sed nondum publice notum, verissime dicere potest aut etiam debet, se errasse seu se *falso adulterum esse* dixisse; nam adulter sine restrictione ille dicitur, cuius adulterium *notum est*, et proin *restricto sensu* vere negatur eum adulterum esse, qui ut talis *notus non est* vel *probari nequit*.

At quoniam saepe accidere potest, ut in simplici detractioe eiusmodi retractatio efficax fieri nequeat: vix aliud superest, quam ut quaeratur opportunitas illum, qui antea est diffamatus, dextre coram iisdem laudandi, etiamsi fiat in aliis rebus, et sic, quantum fieri possit, damnum *indirecte* resarciendi. *S. Alph.* III 992.

Modos retractandi detractioes, quae factae fuerint narrando crimen occultum, *S. Alph.* l. c. quosdam assignat, qui omnes nituntur in restrictione non pure mentali, scil. dicere diffamatorem posse: 1) se errasse vel se deceptum esse: quia quodlibet peccatum error est et deceptio; 2) se falsum dixisse vel mentitum esse, eo quod peccata in genere a S. Script. «falsitates et mendacia» dicuntur. Equidem puto potiore etiam iure dici posse et debere a diffamatore se *non verum* seu *falsum dixisse*, vel: quod dixerit, verum non esse, nimirum eo sensu, quem supra modo indicavi.

1438 IV. Causae excusantes. Ab obligatione retractandi diffamationem excusare potest 1) difficultas relative nimis magna et excedens ex parte diffamatoris, 2) inefficacia retractationis praevisa, 3) reparatio famae aliunde iam orta, 4) remissio ex parte eius, qui est diffamatus, legitime facta.

Ad quae nota: 1. Quoad condonationem ex parte eius, qui damnum famae passus est, attendi debet hanc condonationem valide fieri non posse, si diffamatio aliudve damnum redundat in alios; nam alieni damni condonationem nemo facere potest.

2. Circa moralem impotentiam famae reparandae haec advertite:

1) eam existere posse, si diffamator praevidet, auditores retractationi fidem non esse adhibituros: quod si ita est, *indirecta* reparatio locum habeat; 2) si nescit amplius, coram quibus crimen narraverit; 3) si crimen etiam aliunde notum factum est; 4) si ex retractatione diffamator ipse damnum longe maius, v. g. in bonis altioris ordinis, aut in fama longe maioris momenti, pati deberet: id quod aliquando in ipsa calumnia accidere potest. *S. Alph.* n. 1002.

3. Ad reparationem aliunde factam revocari potest casus, quo diffamatio ante longum tempus facta oblivioni data est.

*Mazzotta* tract. 4, disp. 2, q. 2, c. 1 fere in fine, cui videtur *S. Alph.* n. 998 consentire, dicit: «Si infamia prudenter existimatur (*S. Alph.*: «si probabiliter creditur») iam abiisse in oblivionem: tunc enim non teneris, sive falsum imposueris sive verum, nisi vero periculum sit, ut (infamia postea) reviviscat.» Videlicet in ultima hypothesi aliqua obligatio reparandi remanet. At non solum hoc periculum attendi debet, sed etiam contrarium periculum, scil. renovandi per ipsam retractationem memoriam criminis. Quod cum quoad narrationem veri criminis occulti gravius esse possit quam in calumnia, in *dubio* simplex detractio potius non revocanda, sed oblivioni relinquenda est; in *calumnia* vero positive *constare debet probabili iudicio* de oblivione infamiae. Vide *S. Alph.* ib.

1439 4. Quoniam igitur ipsa revocatio interdum potius novum damnum famae inferre quam damnum resarcire potest, atque haec revocatio diffamatori satis difficilis est, maioris confirmationis causa praestat notare, quae *S. Alph.* l. c. addit:

1) ad restitutionem famae requiritur *moralis certitudo*, quod detractor fidem obtinuerit apud auditores. Nec raro accidit, quod his detractoribus



fides non praestatur, maxime si detractor loquatur ex ira vel alia passione, nec detractio aliorum testimoniis aut aliter firmetur; 2) advertendum, quod retractatio per se affert infamiam retractanti, unde quando dubitatur de oblivione infamationis (i. e. si putatur oblivionem adesse), non videtur quis teneri damnum certum pati ad reparandum incertum damnum proximi (addit S. D. id valere, nisi disproportio sit inter illud damnum certum et damnum dubium, in quo relinquitur alter iniuste olim diffamatus); 3) crimen praesumendum esse oblitum, si *per multum tempus* (multos annos) mentio de illo facta non fuerit.

5. Excusatio a reparanda fama nondum excusat ab obligatione reparandi alia damna; immo etiam *indirecta* famae reparatio per laudes dextre collatas neque ita dura neque ita impossibilis est.

V. Honoris laesi reparatio. Honor laesus restitui debet, sicut<sup>1440</sup> laesus est, ita saltem ut reparatio iis innotescat, coram quibus contumelia sit illata.

Quare: 1. qui laesit publice, publice honorem reparare debet; privatim, qui privatim laesit.

2. Qui laesit negative, i. e. non exhibendo honorem, ut satisfaciat, honorem denegatum exhibere debet: nisi forte illa denegatio ex circumstantiis positivae contumeliae aequivaluerit.

3. Qui laesit positive, honorem alias non debitum exhibere, immo non raro veniam petere debet. Nimirum 1) si superior inferiorem dehonora- vit, sufficere potest, ut amice salutet, honorifico nomine appellet; 2) inter aequales sufficere potest: invitatio ad mensam, locum honorificum cedere; 3) si gravior fuit offensa, praecipue si inferior superiorem dehonora- vit, petitio veniae necessaria plerumque est.

4. Veniae petitio per ipsum offensorem non est semper absolute necessaria; sed adhiberi potest persona intermedia, modo honor publice reddatur; tamen pro gravitate iniuriae offensus personalem satisfactionem petere potest. Neque ipsa familiaris allocutio, qua offensus cum offensore utitur, semper pro condonatione haberi potest; etsi scil. sit signum *odii* dimissi, non tamen per se signum iuris habendae satisfactionis remissi.

5. Si cum honoris laesione coniuncta est diffamatio, etiam famae reparationem fieri debere manifestum est. Cf. de his omnibus *Mazz.* l. c. c. 2.

### Caput III.

#### De secreto generatim sumpto eiusque laesione.

Praenotanda. Secretum aliud est naturale tantum, aliud promissum,<sup>1441</sup> aliud commissum. *Naturale* dicitur, quod ex sola natura rei cognitae exsurgit, eo quod res ipsa exigat, ne cum aliis communicetur. Quodsi ad hanc obligationem, qua quilibet adstringitur, ne ius alterius, cuius interest secretum servari, laedat, alia obligatio accedit nulla, secretum *naturale tantum* dicitur.

Secretum *promissum* est, quod oritur ex promissione post rem cognitam accedente, sive res ex natura sua secretum postulavit, sive non.

Secretum *commissum* est, cuius notitia hauritur ex communicatione alterius sub onere, ne ulterius reveletur: igitur promissio tenendi se-

cretum antecedit rei cognitionem; in secreto promisso e contrario eam subsequitur. Perinde est, utrum onerosa haec promissio antecedens explicite data sit, an implicite et tacite tantum. Secretum tamen commissum diversi potest esse gradus et generis.

1442 I. Secretum *tantum naturale* obligat iam per se in re gravi sub gravi, idque ex iustitia, nisi iusta causa eximat a secreti naturalis obligatione.

Iusta eiusmodi causa est: avertendum grave damnum sive privatum (proprium vel alienum) sive commune, neque violatio ex eo iam fit illicita, quod is, de cuius causa agitur, forte maius damnum subeat, quam quod a me avertam.

Immo secreti huius manifestatio fit obligatoria, si a) legitima superioris interrogatio interveniat, aut b) lex caritatis innocentis defensionem eiusque a graviore damno liberationem mihi non ita difficilem iubeat.

At si iniuste in notitiam rei venerim, non licebit usus illius secreti cum alterius damno, nisi alter me tertiumve ita iniuste vexet, ut pro defensione invadere possim eius secretum, aut nisi de gravissimo damno avertendo agatur. Confer quae supra dicta sunt de *teste* (n. 821).

Iniusta secreti invasio inter alias est literarum alienarum interceptio vel lectio. Quod in se grave peccatum est, si literae res magni momenti continent; proin, cum nesciatur id non obtinere, aperiens legensque literas alienas generatim graviter peccat. Excipe: si quis ex levitate eas legat, putans res solum leviores contineri, et quando forte in res graviore incidit, legere desistat.

Eiusmodi lectio licita evadit pro eo, qui habuerit gravem rationem putandi res scriptas in suam iniuriam iniustumve damnum cedere. Atque ex hac causa gravis damni non temere suppositi, ex eaque sola, auctoritas publica ius habet interceptiendi literas, praecipue tempore belli.

Literas abiectas legere per se non est contra iustitiam, cum censeatur dominus cessisse iure suo. Verum quatenus res inde cognitae secretum postulant naturale, earum manifestatio nihilominus contra iustitiam est. Cf. *S. Alph.* V 70. Immo si ex circumstantiis vel ex inchoata lectione apparet literas invito domino ibi esse relictas seu amissas, iniustum esset porro legere.

1443 II. Secretum *promissum* praeter obligationem naturalis secreti aliam parit gravem vel levem pro gravitate materiae et pro suscepta iustitiae vel solius fidelitatis obligatione.

Hinc: 1. secreti manifestandi obligatio, non obstante promissione, manet a) si forte legitima superioris interrogatio, aut b) caritatis lex intervenerit, ut modo dictum est in secreto naturali tantum.

2. Si autem agitur de *proprio* damno cavendo eoque tali, quod me potius passurum esse promiserim quam violaturum secretum: a) communiter hoc damnum potius ferendum est; b) ferendum tamen non est, si promissio mea fuerit pro adiunctis illicita vel prodiga; c) neque ad mortem subeundam *vi promissionis* teneri censeor, etiam quando mortem eligere mihi licuerit. Cf. *S. Alph.* III 971.

III. Secretum *commissum* etiam gravius urget ex iustitia.

Quare 1. etiam a superiore interrogatus hoc secretum communiter manifestare nequeo: scil. generalis regula est me tam diu servare debere secretum, quamdiu committens ius habeat secreti. Quoniam igitur ipse ius habet negandi seu dissimulandi, etiam ius habet, ne ille, cui rem commiserit, eam pandat.

2. Attamen si non de malo iam exorto, sed potius de malo inferendo vel imminente agitur, puta si committens secretum ipse iniuste alterum vexet, aut si malum praeponderans avertendum sit: ille iure suo cedere debet, ac proin secretum etiam commissum, si necessarium est ad illa mala avertenda, laedi licet communiter loquendo. Pro diverso tamen commissi secreti genere eius servandi lex severius urget secundum sequentia:

Secreti commissi infimum gradum illud tenet, quod prorsus libere, nulla impellente causa, alicui ut amico committitur; supremum gradum tenet secretum sacramentale, quod nulli umquam communicare licet. Alia sunt intermedia.

1. Circa secretum commissum, quod infimi gradus dixi, valere potest,<sup>1444</sup> quod *S. Alph.* n. 971 cum aliis contra *S. Thom.* docet, licere violare secretum ad grave vel gravissimum malum etiam proprium avertendum, etsi committenti gravius malum ex revelatione secreti criminis, ut malum mortis, immineret.

Immo *Molina*, qui alias postulat, ut observatio secreti vergat in damnum manifestantis multo gravius, tamen quando secretum solummodo implicite seu virtualiter qua secretum commissum fuerit sine necessitate, sibi certum non esse dicit, quod non liceat superiori vel iudici interroganti illud manifestare: at patet per se ad id obligationem non adesse.

2. Proxime sequitur secretum, quod privato homini seu amico commissum est ad capiendum consilium: quod sine dubio violari nequit ad solam interrogationem vel iussionem superioris. At ob grave damnum sive alienum sive proprium fieri posse violationem *S. Alph.* cum aliis ut n. 1 concedit. Equidem tamen puto id eo difficilius licere, quo magis expresse postulata et promissa est utcumque secreti conservatio.

3. Dein habes secreta, quae tacite committuntur hominibus in munere aliquo constitutis, in rebus, quae ad eorum officia pertinent, quando eorum auxilio alii egent, ut medicorum, advocatorum, obstetricum etc.: quae violari posse etiam *S. Alph.* ib. docet, si necessarium sit ad avertendum grave damnum sive commune sive alienum sive proprium. At si de damno privato evitando agitur, peropportune addit *S. D.*: «nisi ex tali revelatione immineat grave damnum commune», scil. tunc non licere privati damni cavendi causa revelationem facere: immo videtur etiam addendum, privatum damnum, cuius evitandi causa secretum violari liceat, debere iniustum esse saltem obiective et in secreto, de quo agatur, aut causam suam aut ansam habere.

4. Strictius etiam urget secretum, quod consiliariis in causis publicis communicatur. Quoniam enim in iis violandis bonum publicum proxime in periculum vocatur, non licet ob privatum ullum damnum, ne ob mortem quidem evitandam, violationem committere: nisi iniqua consilia capiantur.

5 et 6. Ultima sunt secretum sacramentale et secretum conscientiae non<sup>1445</sup> sacramentale quidem, sed quod aliqui vocant quasi-sacramentale. Sacra-

mentale ne ob gravissimum quidem damnum publicum vitandum, etsi iniquissime inferatur, violari umquam licebit, idque ne in minima quidem re: de quo vide, quae in tractando sacramento poenitentiae dicentur.

*Quasi-sacramentale* vocant, quod versatur circa res cum instituenda confessione cohaerentes, quae tamen materia confessionis formaliter non evaserunt, ut est manifestatio propriae conscientiae non plane libere facta, sed ex quadam obligatione ad regulam religiosi ordinis implendam vel ad conscientiae directionem necessariam. Quod secretum, si violatur, admittit utique parvitatem materiae, cum e contrario sacramentale secretum eam non admittat: insuper eius violatio non illam sacrilegii malitiam habet, quam violatio sigilli confessionis. At regula supra data, tam diu obligare secretum, quandiu committens iuste velit rem communicatam celari, fallaciter applicatur, si putas tum licere hoc secretum violari, quando committens illud iniuste celet. Nam si id accidat, superioris seu consilarii quidem est hanc obligationem ipsi committenti declarare, ipse autem consiliarius secretum violare eo ipso nondum potest, sed omnino etiam perpendenda est et gravitas damni avertendi et illius damni communis gravitas, quod oritur ex fide in hac re etiam specie tenus tantum fracta.

Quo magis vero voluntaria est manifestatio, eo facilius pro causa manifestandi secretum admitti potest ratio damni *communis* avertendi aut ratio a gravi malo *innocentem* protegendi, qui aliter protegi nequeat, sed iniuste ab eo, cuius secretum in quaestione est, vexetur. Vide *Castropal.* tract. 16, disp. 5, p. 7, n. 11. Voluntariam tamen non voco eam manifestationem, quam aliquis facit pressus angustiis, ex quibus putat se ab eo solo eripi posse, cui familiariter has res suas confidit.

IV. Alias adesse posse rationes, cur liceat ea, quae sub secreto communicata sunt, revelare, ex licentia committentis data aut rationabiliter praesumpta colligitur, scil.:

1. In secreto sacramentali nihil licet, nisi ex licentia *formaliter* et libere prorsus data, neque ullo modo *praesumi* licentia potest.

2. In aliis secretis aliquando iure *praesumi* potest licentia, quando apparet iam nihil interesse committentis secretum servari aut non servari.

Praeterquam in secreto sacramentali, in aliis ratio secreti cessat, si res communicata alia via iam divulgata est.

1446 Appendix: Peccata praecipua in *octavum* decalogi praeceptum.

1. Occulta peccata aliave vitia inculpabilia sed diffamantia manifestare.

2. Crimen falsum alicui imponere.

3. Indirecta insinuatione, silentio et praeteritione etc. famam laedere.

4. Alteri coram ipso crimen aliquod obicere, aut contumeliosis verbis, signis eum excipere.

5. Cum contumelia alicuius effigiem tractare, aut aliter in absentem opprobria conferre cum praevisione vel intentione, ut ille haec cognoscat.

6. Sine contumelia manifestata aliquem apud semetipsum graviter pro illius conditione contemnere.

7. Hominem certum et notum sine fundamento temere et deliberate apud se alicuius criminis seu peccati reum iudicare.

8. Sine causa deliberato animo, praesertim ex malevolentia, suspicionem enormis criminis de homine aliter probare.



9. Magis etiam, eiusmodi iudicia vel suspiciones cum aliis communicare, eisque ut persuadeantur conari.

10. Alios ad diffamationem incipiendam sive continuandam excitare, ut laudando, ridendo, interrogando.

11. Alicuius secretum iniuste invadere.

12. Secretum cum aliis communicare aut etiam uni viro tantum, cui prae aliis incognitum esse debuit.

## TRACTATUS VI.

### DE PRAECEPTIS ECCLESIAE COMMUNIBUS.

Quibus officiis secundum legem naturalem supernaturaliter con-<sup>1447</sup>firmatam et extensam vita christiana concludatur, hucusque expositum est. Ecclesiastica lege officia hominis christiani complentur. Quare etiam illa tractari oportet, saltem ea quae christianos universim spectant.

#### Caput I.

#### De diebus festivis sanctificandis.

I. Praeter diem Dominicam qualibet hebdomada recurrentem Ecclesia in decursu anni complures constituit festivos dies, quos eodem modo, i. e. abstinentia ab operibus servilibus et participatione S. Missae sacrificii, celebrari a fidelibus iubet. — *Quid* igitur praeceptum sit, vide in expositione tertii praecepti decalogi.

II. Dies festivi de praecepto per se quidem erant illi dies omnes, quos *Urbanus VIII* in catalogo festorum recensuit. Verum disponentibus *Pio VI*, *Pio VII*, *Pio X* pro fidelibus reductio festorum facta est, ita ut catalogus ille *Urbani VIII* hodie propterea solum notandus sit, quia 1) norma est parochis etc., ut sciant, quibus diebus pro populo Missam applicare debeant; 2) norma est pro ordinatione, si quando ex privilegio etiam sacros ordines conferri licet diebus festivis de praecepto: videlicet etiam *suppressa* festa intelliguntur.

In singulis autem locis videndum est, quaenam festa ultra ea quae habes n. 701 et 1484 celebranda sint, quae ulterius suppressa et quo modo certa festa, quae remanserunt, celebrari debeant; nam aliquando indulgetur quibusdam diebus festivis, ut audita Missa servilia opera exerceri liceat.

III. Catalogum autem *Urbani VIII* hic recenseo.

Constitutione «*Universa*» 13 Sept. 1642 S. Pontifex ita ait: «Auctoritate Apostolica decernimus et declaramus infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse: Dominicos scil. dies totius anni — Nativitatis D. N. I. Ch., — Circumcisionis, — Epiphaniae, — Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, — Ascensionis, — Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, — SS. Trinitatis, — Sollemnitatis Corporis Ch., — Inventionis S. Crucis; — Purificationis, — Annuntiationis, — Assumptionis, — Nativitatis Deiparae Virginis (cui accedit ex const. *Clem. XI* «Commissi Nobis» 6 Dec. 1708 festum Immacul. Conceptionis B. M. V.); — Dedicationis S. Michaelis Arch., — Nativitatis S. Ioann. Bapt., — SS. Petri et Pauli, — S. Andreae, — S. Iacobi, — S. Ioannis, — S. Thomae, — SS. Philippo et

Iacobi, — S. Bartholomaei, — S. Matthaei, — SS. Simonis et Iudae, — S. Matthiae, — item S. Stephani Protom., — SS. Innocentium, — S. Laurentii Mart., — S. Sylvestri Papae et Conf., — S. Iosephi etiam Conf. — et S. Annae Deiparae Genitricis; — Sollemnitatis omnium Sanctorum — atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, — et alterius pariter principalioris Patroni in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.»

## Caput II.

### De annua Confessione et Communione.

1449 I. Decretum Lateran. Concilii IV c. 21 habetur his verbis:  
 «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura . . . Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. . . .»

Qua aetate obligatio confitendi incipiat, tum ex ipso Concilio Lateran. clare colligitur, tum ex natura rei constat. Nimirum cum primum aliquis peccatum mortale commiserit — quod post perfectum usum rationis accidere potest, antea non potest —, infra annum confiteri tenetur.

Quae inde oriatur pro paroco obligatio puerorum instruendorum, facile patet. A septimo aetatis anno, immo pro regione et indole puerorum etiam maturius, eos instruere debet circa confessionem atque ad eam instituendam adducere, ne forte, si peccatum grave commiserint, misere in eo tabescant. Maxime vero in mortis periculo, etiam si puer seu puella sit in teneriore aetate, prorsus prospicere debet, ne sine absolute sive hypothetice data, postquam pro eorum captu actus necessarios cum iis elicuerit, e vita decedant, utcumque fuerit dubium de peccato commisso, aut etiam e memoria forte elapso. — Pro ingenti igitur abusu habendum est pueros tum demum ad confessionem praeparare, quando instat tempus primae Communionis, atque id ipsum satis diu protrahere. — Circa Communionem vero, nisi mors immineat, annos discretionis paulo latius sumi vide in tract. de Eucharistia vol. II.

1450 II. Determinatio temporis confitendi. Obligatio confitendi est semel in anno sine temporis determinatione; quod communiter sic intelligitur, ut necessarium sit quotannis infra illud temporis spatium, quod decurrit a 1 Ianuarii usque ad ultimam Decembris, eum confiteri, qui sibi conscius fuerit peccati mortalis.

Si quis autem uno anno confiteri omisit, sive culpabiliter sive inculpabiliter: quando postea omnia sua peccata confitetur, utriusque anni praecepto satisfacit, saltem si etiam anno currente peccatum mortale,

quod simul confiteatur, contraxerit. Utrum vero, elapso anno, is, qui praeceptum non implevit, quam primum confiteri debeat necne, disce ex iis, quae mox notantur de praecepto Communionis (hic ad IV).

**Videlicet:** 1. Annus sensu magis naturali sumitur a Ianuario usque ad sequentem Ianuarium; propter legem autem Communionis, quaecum simul solet lex Confessionis impleri, praevaluit computatio altera a Paschate usque ad Pascha. Ceterum qui quolibet anno circa tempus paschale confitetur, certo confitetur quolibet anno civili, etsi una confessio ab altera uno alterove mense ultra annum aliquando distet.

2. Si praeceptum confitendi ad sola mortalia peccata restringitur, sequi videtur (id quod etiam multorum theologorum sententia docet), ut is, qui aliquo anno primum paschali tempore confessus sit peccata venialia, sed ante finem anni in mortale labatur, debeat ante finem anni vel ante novum Pascha iterum confiteri.

Nihilominus convenire quidem multum, immo necessarium esse fideles moneri et *excitari*, ut quam primum peccatum confessione vel saltem contritione deleant, plane censeo; sed non puto quempiam fidelium istam legis ecclesiasticae *obligationem* ante anni finem confitendi intelligere, neque de ea satis constare. Nam non desunt, qui putent legem *impleri* confessione eorum peccatorum, quae sufficiat ad validam sacramenti susceptionem, etsi *obligatio* sic implendi absit; alii putant, *S. Bonaventura* et *S. Thoma* (Suppl. q. 8, a. 5, ad 4) saltem tacite approbantibus, etiam eum, qui sola venialia commiserit, vi legis ecclesiasticae *debere* saltem semel in anno in sacramentali foro venialia peccata confiteri, aut se mortaliter non peccasse declarare. Practice igitur, qui sola peccata venialia habet, horum confessione ecclesiasticam legem implet: *Baller.-Palm.* 3 V, n. 696.

Magis etiam qui peccata certa, sed dubie gravia confessus est, legem practice *certo* implevit, quia peccata talia ex sententia probabili, quam sequi potest at non tenetur, sunt materia *necessaria*: vide *Lugo*, De poenit. disp. 15, n. 174; *Lacr.* l. 6, p. 2, n. 2041.

III. Cui confessio facienda. Confessio fieri potest cuilibet <sup>1451</sup> *approbato confessario*, utpote ad quem ex licentia *proprii* sacerdotis, i. e. sive Episcopi sive Papae, dirigantur fideles pro suo libitu et electione: quare parochus confitendi obligatio nulla amplius existit.

Antiquatam prorsus esse obligationem confitendi parochus vel eius veniam habendi, qua liceat alteri confiteri, vix est hodie, qui in dubium vocet. Vide *Ben. XIV*, De syn. dioec. l. 11, c. 14, n. 1—5.

Nimirum ex quo praxis Ecclesiae evasis constituere multos confessarios pro *diocesi* approbatos, eo ipso Episcopus, qui dioecesanorum proprius sacerdos est non minus quam parochus parochianorum (vide *S. Thom.* l. c. in corp. et ad 3), dedit omnibus licentiam confitendi apud quemlibet ex illis, quos approbavit. — Quare parochus, qui ut sibi parochiani confiterentur obligare vellet, graviter erraret et peccaret, cum indiscreto zelo vel aemulatione sacrilegarum confessionum ansam praeberet.

Iam suo tempore, quo generalis illa licentia nondum vigeat, *S. Thom.* l. c. art. 4 et 5 scripserat: «Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, ut potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant,

multis laqueum damnationis iniciunt, et per consequens sibi ipsis.» . . . «Et ideo, si superioribus praelatis expedire videatur ad salutem plebis et honorem Dei promovendum, quod aliis, quae sunt iurisdictionis, committant, in nullo fit praeiudicium inferioribus praelatis, nisi illis, qui, quaerunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi, et qui gregi praesunt, non ut eum pascant, sed ut ab eo pascantur.»

1452 IV. Paschalis Communionis praeceptum. Quamquam tempus pro confessione determinatum non est, tamen vi praecepti Communionis sumendae adest praeceptum grave paschali tempore confitendi pro eo, qui peccati mortalis sibi conscius est.

Quoad Communionem adest obligatio *annua* cum determinatione *temporis* (scil. paschalis), tum *loci* (scil. in ecclesia parochiali); quae utraque determinatio *ex se gravem* obligationem imponit.

Accuratius tene ita: 1. Circumstantia temporis sub gravi obligat, neque parvitatem materiae admittit, nisi quis bona fide ad confessionem accedens propter certas rationes a confessario pro aliquo tempore remittitur: tunc enim legitima est Communionis dilatio ex ipso decreto Lateranensi.

2. Quamquam usque ad finem paschalis temporis differre Communionem *ex se* peccatum non est: tamen ille, qui coepto iam tempore paschali praevidet se postea impeditum iri, statim satisfacere debet.

3. Tempus paschale per se est a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; verum in variis dioecesibus ex privilegio S. Sedis Episcopi illud multo latius extendunt: quare lex regionis considerari debet.

4. Circumstantiam loci seu parochiae propriae praecipui, habetur ex variis decretis SS. Pontif., vide *S. Alph.* VI, n. 300: neque satisfit per se Communionem, quae in cathedrali ecclesia ex manu Episcopi sumatur. Verum: 1) complures scriptores censent mortale peccatum non esse, una alterave vice per vitae decursum consensum parochi *praesumere* ad communicandum alibi.

2) Dispensatio ab hac circumstantia dari potest ab Episcopo, eius Vicario, a proprio parochi (cf. *S. Alph.* l. c.): immo consensus tacitus sufficit, vel ipsa licentia moraliter certo praesumpta, si est praesumpta de praesenti (*S. Alph.* ib.). Et quamquam *praesumi* ille consensus per se raro debet, tamen in magnis urbibus, nostris praecipue temporibus, videndum est, num forte Episcopi vel parochorum licentia sive expresse sive tacite data permissum sit, ut fideles pro suo arbitrio quamlibet ecclesiam adeant. Cum enim finis legis, ut pastor oves suas agnoscat, hodie pro temporum locorumque circumstantiis saepe non nisi valde imperfecte obtineri possit, facilius potest sumi, hanc de circumstantia loci legem non ubique ab Episcopo vel parochi ita urgeri.

3) Qui sacrilege Communionem in parochia sumpsit, ad S. Eucharistiam denuo sumendam tenetur, sed ut in parochia tum sumat, non tenetur: vide *Gury* I, n. 484.

4) Qui autem aegrotus domi a parochi eiusve delegato S. Communionem sumpsit, certe legi satisfecit. Vagi et peregrini ubique satisfaciunt, ut etiam sacerdotes *celebrantes*. *S. Alph.* ib.

1453 5. Communio et *vera* sententia est, obligationem Communionis non expirare cum tempore paschali, ideoque, qui illo tempore S. Communionem non sumpserit, ad eam sumendam infra annum teneri. Nam Ecclesia legem tulit non solum ut tempore paschali, sed etiam ut *singulis annis* S. Com-



munio sumatur. Qui igitur priorem legem non implevit, implere saltem debet posteriorem. Quod ita esse non solum verba Concilii Lat. supra allata indicant, sed Concilium Trid. sess. 13, can. 9 apertius enuntiavit: «Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri *singulis annis saltem in Paschate* ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae, anathema sit.» Annum vero tempus ex declaratione Eugenii IV const. «*Fide digna*» d. d. 8 Ianuar. 1440 decurrit «*a Pascha ad Pascha*».

Ex quo sequitur: 1) eum qui paschali tempore sive inculpabiliter sive culpabiliter S. Communionem non sumpsit, peccatum idque mortale committere, nisi ante novum Pascha seu paschale tempus S. Communionem sumat; 2) peccatum novum non committi, si *intra illud tempus* S. Communionem sumatur, neque urgere obligationem quam primum, nisi id alicubi speciali lege praecipiat. Nam communi legi communicandi in Paschate satisfieri non amplius potest; at praeter eam altera communis lex non existit, nisi ut sumatur S. Communionem *eo anno* qui decurrit a Paschate ad Pascha, idque per se in ecclesia parochiali. Cf. *Baller.-Palm.* IV 974 sqq.

V. Sacrilega actione praecepto annuae sive Confessionis sive Communionis nullatenus satisficit. Quod quoad Communionem expresse habes ex thesi 55<sup>a</sup> inter 65 ab Innoc. XI damnatas; ex paritate causae et ex natura rei idem sequitur quoad Confessionem.

Ante thesim ab Innocentio damnatam aliqui contrarium statuebant eo quod Ecclesia utpote humana auctoritas non possit praecipere actus internos; dispositionem dignam autem esse aliquid mere internum; proin sacrilega susceptione sacramentorum laedi quidem legem divinam, humanam seu ecclesiasticam legem non laedi. Verum non attenderunt: 1) se niti principio valde dubio, cum certum plane non sit Ecclesiam mere interna non posse praecipere; 2) hic non praecipere rem mere internam, sed mixtam, seu praecipere cum externa actione eius necessarium internum complementum: quod praecipere ab auctoritate humana posse nemo prudens negaverit.

### Caput III.

#### De lege abstinētia extra ieiunium.

I. Legem abstinendi a carnibus etiam extra ieiunii tempora aliquando vigere, ex universali praxi, omnibus catechismis et variis Pontificum constitutionibus evidens est.

II. Universaliter viget lex a carnibus abstinendi omnibus feriis VI excepto festo Nativitatis D., si in feriam VI incidit: in quo die ii soli abstinere debent, qui voto aut regulari observantia ad id tenentur; quod *Billuart* (De temper. dissert. 2, a. 4 in fine) sumit pro iis, qui ad regulam *sub peccato* obligantur.

III. *Romanus* usus, immo ut videtur, lex primis iam saeculis formaliter lata et pluries confirmata abstinētia etiam diebus Sabbati servandam constituit: at cum *universalis* obligatio amplius non exstet (vide *Ben. XIV*, De syn. l. II, c. 5), usum regionis, ubi versetur unusquisque, servari debere iam *Innocentius III* monuit. Atque in

multis locis, ubi etiamtum vigeat lex, nunc dispensatio eam obligandi vi destituit<sup>1</sup>.

Si qua abstinencia in aliis diebus extra ieiunii tempora vigeat — nam de ieiunii diebus vide infra — id ex sola *particulari* lege vim habet.

1456 IV. Obligatio illa ab omnibus *gravis* seu sub mortali obligans esse dicitur: parvitatem tamen materiae admittit. Quid autem sit materiae parvitas, tam parum convenit inter scriptores, ut apud multos videas singularem rigorem in hac praecipue re observari.

Qui moderate sentiunt, aliqui dicunt materiae parvae limitem esse dimidiam unciam (vide *Gury* I, n. 486); alii quantitatem, quae magnitudine circiter aequet nucem avellanam; alii (vide *Reuter* II 167) quod moraliter superet unciam pro materia gravi habent; alii, ut *Stoz*, Trib. poenit. l. I, p. 3, n. 528, putant non esse materiam gravem, nisi fere accedat ad *duas uncias*, aut nisi scandalum detur.

1457 V. Excusantur a lege abstinenciae:

1) Qui nondum attigerunt aetatem discretionis, aut qui habitualiter usu rationis carent.

2) Graviter aegrotantes, qui iudicio medici carnibus vere indigent, ne damnum subeant grave; aut ii, qui alios cibos vere nequeunt digerere. — Aliquatenus iis adnumeraverim mulieres praegnantem non tam propter necessitatem re ipsa existentem, sed propter carnis appetentiam morbidam, cui nisi satisfaciant, ipse timor aut imaginatio videtur nocere foetui posse: quare saltem facilius eas excusem, si quando pastidientes alios cibos buccellam carnis sumant. Medici tamen, ut *Capellmann, von Olfers*, negant solius appetentiae illius resistantiam et abnegationem nocumentum afferre.

3) Pauperes mendicantes comedere possunt, quod accipiunt.

4) Ii, qui aut in itinere aut non sui iuris existentes cibos licitos, quibus sese sustentent — scil. ieiunare non tenentur — non possunt habere. Quare qui apud acatholicos famulantur, aut etiam apud malos catholicos aliquando, cum cibi liciti non praebeantur in sufficienti quantitate, carnes sumere possunt: modo ne fiat in odium religionis, neve cum scandalo (quod scandalum generatim protestatione et declaratione avertere possunt). Attamen, nisi dispensatio accesserit, debent mox alium dominum quaerere.

Dein 5) propter causas similes non ita graves, praesertim si medici consilium accedit, Superiores, etiam parochi, in singulis casibus valent dispensationem concedere.

6) Non raro in quibusdam regionibus vi privilegii a S. Sede habitis Episcopi *generalem* dispensationem multo latius extendunt.

NB. Praelatos regulares in cibis vetitis *communitati* suae dispensationem dare non posse vide supra n. 262.

1458 Carnes igitur, quibus vesci non licet, ex *S. Thom.* 2, 2, q. 147, a. 8 et *S. Alph.* III 1011 sunt carnes animalium, quae in terra respirare

<sup>1</sup> Inclinare autem Ecclesiam in servandam potius quam relaxandam hanc abstinenciae legem, habes inter alia ex rescripto *Pii IX* anno 1868, quo noluit pro America generalem et perpetuam dispensationem concedere, sed iussit singulos Episcopos expositis rationibus temporaneum indultum rogare.

debent vel quae calidum sanguinem habent: quae autem in aquis vivunt et frigido sanguine utuntur, piscibus adnumerantur, quibus vesci possumus.

Hinc non potest pro norma sumi, quod *Elbel et Holzmann* (vide *S. Alph.* l. c.) permittunt, scil. luras et castores seu fibros ex genere animalium esse, quae sint piscibus similia et quorum carnes permittantur: nam plane pertinent ad animalia terrestria, quae praedam capiendi causa vel aliter in aquis quidem saepe morantur, at in aquis neque nascuntur neque respirare possunt neque piscibus simili sanguine frigido utuntur, sed rubro et calido. Verum indicium quo discernatur, debeant necne animalia quoad abstinentiae legem instar piscium considerari, alterutrum esse debet, aut ex *S. Alph.* l. c. est, quod sanguinem frigidum habeant, aut ex *S. Thom.* 2, 2, q. 147, a. 8, quod non sint ex genere «animalium in terra quiescentium (al. nascentium) et respirantium». Cf. *von Olfers*, Pastoralmed. 46 sqq.

Nihilominus ex resp. S. C. discipl. reg. 22 Febr. 1804 fulicas, certum avium genus, quod, ut reliquae aves, sanguinem quidem calidum habet, tamen plerumque in aquis vivit atque solis piscibus nutritur, instar piscium permisit *Pius VII* Ordini Minorum S. Francisci a Paula, quibus ceteroqui carnes omnino prohibentur. Verum, *nisi consuetudo regionis accedat*, hoc indultum pro lege universali sumi posse non videtur, maxime cum recentiore tempore Carthusianis apud *S. Poenitentiarium* interrogantibus responsum sit harum avium esum non licere. Cf. *Del Vecchio* I, n. 227 in fine.

Ex se etiam prohibentur pinguedo animalium atque cibi iurulenti vel cum carne cocti<sup>1</sup>: quamquam facilius materiae parvitas aderit. — Immo pro Germania circa horum ciborum usum non raro universalis dispensatio quotannis datur; atque etiam sine dispensatione pauperes operarii, qui condimenti causa aliquid laridi sumant in materia parva, saepe ob inopiam ab omni peccato excusari debent (vide *Laymann* l. 4, tract. 8, c. 1, n. 5): melius tamen faciunt, si petunt dispensationem ad hoc, quae certe concedenda est. — *Margarina* iisdem diebus uti licet, quibus butyro: ita *S. Offic.* d. 6 Sept. 1899 (Anal. eccl. VII 399.)

#### Caput IV.

### De ieiunio ecclesiastico.

Lex ieiunii eatenus naturalis est, quatenus homo ita moderari debet<sup>1459</sup> appetitui inferiori, speciatim ciborum, ut corpus contra spiritum non insolescat, neque inferioris concupiscentiae vi et impetu homo ad illicita pertrahatur.

Lex autem supernaturalis et christiana ex aliis etiam altioribus causis ieiunium commendat. Recenset igitur ieiunium inter praecipua opera bona, quae ternario illo numero comprehenduntur: *oratione*,

<sup>1</sup> Similiter vel etiam magis pro cibis vetitis haberi debent ea genera *peptonum*, quae, ut fieri solet, quando usibus humanis adaptantur ad vescendum, praeparantur ex carnibus. Non enim sunt nisi carnes artificiali decoctione aliquatenus iam digestae, maxime nutritoriae et facile digestibiles. Verum qui propter stomachi debilitatem iis indigent, facile vel dispensationem vel excusationem ad eorum esum sicut ad esum carniū in genere habebunt. — Ita etiam *Antonelli*, Medicina pastoralis II, n. 488 contra *Génicot* I, n. 442.

*ieiunio, eleemosyna*, ita ut ieiunium repraesentet quaelibet opera appetituum inferiorum refrenantia atque corporis afflictiva, et latiore translatoque aliquo sensu fas sit loqui etiam de ieiunio oculorum, aurium, linguae. Imprimis autem vis expiatoria ieiunio adscribitur, qua Deus peccatis offensus placetur, peccatori conversionis gratiam concedat poenasque pro peccatis debitas remittat. Cui natura sua adhaeret vis impetratoria, qua orationis efficacia augeatur atque securior reddatur.

Sic in V. et N. Testamento locis innumeris commendatur. V. g. Tob 12, 8: «Bona est *oratio* cum *ieiunio*, et *eleemosyna* magis quam thesauros auri recondere.» — Ioel 2, 12: «Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu.» — Ion 3, 5 sqq: «Et crediderunt viri Ninivitae in Deum: et praedicaverunt ieiunium . . . et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.» — Dn 10, 12: «Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.» — Et Christus ipse Mt 17, 20 monet discipulos suos: «Hoc genus (daemoniorum) non eicitur, nisi per orationem et ieiunium.» Succincte ieiunii effectus salutes Ecclesia comprehendit verbis Praefationis quadragesimalis: «Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia.»

Ieiunium autem non solum exercitium virtutis temperantiae est, sed ab Ecclesia ut exercitium religionis seu cultus divini assumitur; immo ad coniunctionem et assimilationem cum Christo eiusque doloribus evehitur atque ex hoc longe maiorem excellentiam induit; quodammodo sacrificii caractere insignitum cum Christi sacrificio vero et proprio Deo offertur ad altissimos illos fines lateuticos, eucharisticos, propitiatorios, impetratorios, quos sacrificium N. Legis intendit.

Stricta lege ecclesiastica certus ieiunandi modus certumque tempus indictum est. De quo iam enucleatius est agendum, ut quid qua obligatione statutum sit, clare intelligatur.

### § 1.

#### *Ad quid lex ieiunii obliget.*

1460 I. Essentia ieiunii ecclesiastici consistit in eo, quod unica tantum per diem, sumatur plena refectio, ita tamen, ut praeterea parva collatio permittatur et mane parvum frustulum.

II. Per legem ieiunii non prohibemur pluries in die ea sumere, quae solius potus rationem habent.

III. Laesio ieiunii per comestionem extra licitas admittit parvitatem materiae, quamquam ex se gravis est.

IV. Seclusa dispensatione, cum ieiunio semper coniungitur lex abstinendi a carnibus, immo tempore Quadragesimae etiam lex abstinendi ab ovis et lacticiniis, quae extra Quadragesimam particulari lege alicubi, non universali, etiam prohibentur.



V. Hora refectiois plenae non est notabiliter ante meridiem collocanda: verum num huius temporis observatio ad ieiunium *sub gravi* etiam nunc pertineat, minime constat.

VI. Ieiunium, ut quaelibet ecclesiastica lex, consuetudine mitigari potest: verum id consuetudine non fit legitimum, quo servato ieiunii substantia pessumdaretur. Quare cum primitus ieiunium quamlibet refectioem praeter unicam excluserit, id certe limites legitimae moderationis excedit, quod, si praeter principalem comestioem sive simul sive divisim per diem sumitur, notabilem refectioem, ut circiter mediam partem pleni prandii, efficiat. Consentit *Billuart* l. c. art. 5, § 3 fere in fine dicens: «Ceterum id unum *omnibus et semper* est observandum, ut sic attemperetur coenula, quod non vertatur in coenam.»

Quae ut accuratius explicentur, dicenda complura occurrunt 1) de quantitate ciborum, quae permittatur; 2) de ciborum qualitate; 3) de liora, qua refectioem sumere liceat.

Circa *primum* quaestiones occurrunt I<sup>a</sup> de frustulo matutino, II<sup>a</sup> de collatione vespertina, III<sup>a</sup> de unica refectioe plena, IV<sup>a</sup> de potu permissio, V<sup>a</sup> de parvitate materiae; circa *secundum* occurrit VI<sup>a</sup> quaestio de delectu ciborum; circa *tertium* VII<sup>a</sup> quaestio de anticipatione prandii vel coenulae.

I<sup>a</sup> quaestio de frustulo matutino. *S. Alph.* cum aliis approbanti-<sup>1461</sup> bus nemini iam interdicti potest *mane sumptio parvi frustuli*, modo alias, maxime in collatione vespertina, iustos limites non excedat. *S. Alph.*, H. A. tract. 12, n. 11.

Frustum autem illud tum potione earum rerum, quae aliquid nutrimenti habeant, ut chocolati, cafeti etc. cum mixtione sacchari, tum parva panis quantitate consistere potest: ita tamen, ut quantitas rerum nutrientium durarum unciarum pondus non excedat. (Uncia aequat circiter 30 grammata.)

Quoniam vero lex ieiunii a solido cibo magis abhorret quam a potu, regulam sane laxiorem ille statuerit, qui duas uncias panis permiserit, etsi pro potu vix aliquid nutritivi sumat. Quapropter iure *S. Alph.* praeter potum chocolati solummodo «parum cibi v. g. unciam ad depellendam debilitatem» permittit (ib. l. c.). Nihilominus ei, qui aliter ieiunii laborem non ferat, eam quantitatem, immo paulo ampliorem permittendam esse potius quam ieiunii violationem ex iis, quae de parvitate materiae dicturi sumus, patebit.

II<sup>a</sup> quaestio de collatione vespertina. Praecipuum moderamen a severa ieiunandi lege habetur ex *collatione vespertina permissa*: de cuius tum quantitate tum qualitate pauca notari debent.

a) *Quantitatem* alii aliter assignant. Antiquiores statuunt  $\frac{1}{5}$  vel  $\frac{1}{4}$ <sup>1462</sup> ipsius coenae: quod sane de coena diei ieiunii, i. e. de plena illius diei refectioe, quam voce ecclesiastica «coenam» nominamus, intelligunt, ut per se evidens est, non de moderata refectioe, quam quis forte vespere extra ieiunii tempus sumere solet. *S. Alph.* III 1025 cum aliis, ut absolutam normam statuatur, 8 uncias seu mediam libram (240—250 gramm.)<sup>1</sup> cibi solidi neque

<sup>1</sup> Recentiores scriptores aliqui hanc determinationem secundum uncias tamquam *iudaicantem, rabulisticam, apothecariam* ludibrio tradere conantur, quae finem et spiritum legis ieiunii in calculo isto materiali plane exstinguat; singulorum enim hominum indigentiam cibi adeo esse diversam, ut eiusmodi mensuram statuere ridiculum sit. — Verum timeo

tamen valde nutritivi, sed levioris, permittit, ita ut etiam ille, qui ea quantitate saturetur — quod sane infirmi stomachi indicium est — eam sumere possit; qui vero abundantiore cibo indigeat, ut qui in moderato prandio notabiliter ultra duas libras comedere consueverit, unam alteramve unciam amplius licite sumere possit.

Ad tertiam usque partem plenae refectionis neminem vidi licitam quantitatem extendere; verum puto non raro octo uncias hanc partem aequare.

Quando vero ex cibis cum aqua, oleo etc. mixtis puls coquitur: vix ullus est, qui concedat, ut, praeciso liquore, 8 unciae solidi cibi sumantur. Et re quidem vera non ad solam vim nutritivam ciborum attendi debet, sed etiam ad saturitatem, quae actu inducitur. Quamvis enim Ecclesia praecipue subtractionem alimenti nutritivi intendat: tamen non sola haec intentio respici debet, sed etiam num quantitas, quae sumitur, cum conceptu ieiunii ex hominum communi iudicio possit coniungi. Quare recte eiusmodi pultis non plus permittitur, nisi quod ex 4—5 unciis farinae, fabarum, aridi panis, orizae etc. coquatur, non computato parvo illo condimento olei et aceti. *S. Alph.* III 1029<sup>1</sup>.

1463 b) Quoad *qualitatem ciborum*, qui in collatione liciti sunt, multum a consuetudine pendet: per se excluduntur ova et lacticinia etiam extra Quadragesimam; immo etsi pisces maiores non excluduntur, tamen totam quantitatem permissam ex iis sumere, utpote multum nutritivis, non permittitur.

Ceterum nunc in multis locis aliquid casei, butyri (etiam margarinae: vide supra n. 1458), lactis sumere licet: quod aut ex consuetudine aut ex dispensatione (mandato quadragesimali) disci debet. — Idem dic de larido

---

ne qui ita censent censura sua efficiant, ut aut legem ieiunii eiusque finem aut normam illam quam vituperant non satis intellexisse videantur. Nam 1<sup>o</sup> norma illa absoluta secundum uncias determinata non est regula primaria, sed subsidiaria in favorem eorum quibus primaria illa regula *quintae vel quartae* partis plenae refectionis propter debilitatem virium severior est; primaria autem regula certe diversa est pro diversa ciborum ad sustentationem necessitate. 2<sup>o</sup> Etiam si hanc diversam necessitatem seu indigentiam negligimus, absonum omnino non est absolutam aliquam normam pro coenula statuere. Nam censores isti plane non advertunt necessariam corporis sustentationem ex intentione Ecclesiae sumendam esse ex unica illa refectione, sane diversa pro diversis, quae singulis ieiunii diebus permittitur, atque primitivam et propriam ieiunii legem omnem aliam refectionem excludere, ex sola autem indulgentia paulatim inductum esse, ut praeter illam unicum refectionem parum aliquid sumatur: quod quominus sit determinata aliqua quantitas, sane nullatenus repugnat. Ex qua si alii minus, alii maius levamentum percipiunt, id non magis repugnat, quam omnibus indiscriminatim praescribere, ut Missae sacrificio assistant, etsi alii itineris fere leucae, alii paucorum tantum passuum laborem ferre debeant.

<sup>1</sup> Finis Ecclesiae in indicendo ieiunio et abstinencia proximus sane est ille, qui ieiunio natura sua insitus est, ut fideles sese exercent in appetitu inferiore refranendo atque carnis insolentia compescenda: quod imprimis fit subtractione ciborum, qua et abundantiores corporis vires debilitentur et animali appetentiae per tolerantiam famis resistatur. Verum quidem est, intentionem finis non cadere sub praeepto, atque in tali lege necessariam esse quandam obiectivam normam figere, qua contineatur, quid lex sub peccato exigat: sed ut haec norma obiectiva statuatur, necesse est finem legis respicere; eo magis igitur obiectiva legis norma laeditur, quo *magis* assecutio finis legis ex rei natura impeditur. Magis autem impeditur seu minus obtinetur finis legis in eo, qui ad saturitatem usque comederit, quam in eo, qui nutritionem quidem eandem habeat, sed famem non exstinxerit. Quare rectissime scriptores in determinanda quantitate licita utrumque momentum perpenderunt.

loco olei pro condimento adhibendo; quod non iam de solo sagimine *sui*, sed de adipe ex quocumque animali intelligitur: S. Off. 1 Maii 1895. (Anal. eccl. III 483.)

In Germania circa qualitatem cibi, si carnes excipias, non est multum distinguendum; consuetudo enim permittit quoslibet cibos esuriales lacticiuiis inclusis, immo et ovis: id tamen moneam, neque cibi *totam* permissam quantitatem ex solidioribus cibis sumi posse; atque forte satis laxum fuerit duo ova permittere, quae si mediocris magnitudinis sunt, pondus quatuor unciarum adaequant. Quodsi ea tandem sumuntur, eo magis id, quod reliquum est, ex levioribus tantum cibis addi potest. Usus igitur regionis quisque potest sequi. Cf. *Billuart* l. c. a. 5, § 4, n. III referentem plures alios scriptores. — Ex *Kenrick* tract. 4, p. 2, n. 46 et *Sabetti* n. 336 Q. 9<sup>o</sup> ova etiam in multis regionibus Amer. Sept. permittuntur, at non ubique.

III<sup>a</sup> quaestio de unica refectione plena. Haec refectio, quae ad-<sup>1464</sup>mittitur, certe determinatam quantitatem non habet; immo ex *S. Thom.* 2, 2, q. 147, a. 6 ad 2 concludere licet etiam eum, qui in illa temperantiam laedat, peccare quidem contra temperantiae naturalis legem atque finem legis ecclesiasticae, sed contra ecclesiasticam legem ipsam non peccare. *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1288.

*Producere* illam refectionem principalem ad duas circiter horas *S. Alph.* III 1020 permittit. Unde tamen perperam infers, aliquem posse, cum infra dimidiam horam plenam refectionem sumpserit, post alteram horam denuo mensae accumbere et secundo sese reficere.

*Interruptio* autem unius horae quadrantis vel mediae horae levior est, quam ut culpa sit, post tale tempus ad refectionem redire, etsi iam pro finita sit habita. *S. Alph.* ib. — Si quis autem finito prandio post horam denuo vellet comedere, id sine gravi culpa facere posse non videtur; immo qui sine causa interrumpat refectionem nondum perfectam notabiliter longius quam per semihoram, a veniali culpa non excusetur: quodsi notabiliter horae spatium excedit, ut per duas fere horas, culpa gravis fuerit. *Gury-Baller.* I, n. 506. — Qui autem necessitate vel graviore quadam ratione coactus refectionem interrumpere debuit, etiam longo intervallo elapso, non impeditur, quin redeat atque refectionem perficiat. *S. Alph.* ib.

IV<sup>a</sup> quaestio de potu, qui non frangat ieiunium. Rationem<sup>1465</sup> hanc potus habent, quae communiter pro vehiculo ciborum sumuntur, non autem omnia ea, quae in statu liquido, licet bibendo, sumuntur. Quare iusculum, lac, chokolatum etc. ab iis excluduntur, quae per modum potus pro libitu sumi possint. Permittitur autem vinum, cerevisia, aqua levi quantitate sacchari permixta, cafetum sine notabili sacchari quantitate etc.

V<sup>a</sup> quaestio de parvitate materiae. Ut materiae parvitas in lege ieiunii rite intelligatur:

1. ante omnia adverti debet, ea, quae extra legitimam refectionem sumuntur, si pluries fit, *coalescere*, ita ut ex pluribus materiis prorsus levibus intra eundem diem sumptis tandem gravis materia fiat.

2. In *gravi materia* assignanda multum differunt scriptores. Materiam certo levem habes duarum unciarum: *S. Alph.* n. 1025; immo ex hoc capite multi permittunt mane frustulum, sed hodie illud secundum normam supra datam ne venialem quidem culpam involvit. — Permulti pro gravi materia assignant 4 uncias. Vide *Gury-Baller.* I, n. 494. — In prioribus editionibus *Gury* materiam gravem dixerat quantitatem coenulae aequivalentem sive 8 unc.; cuius opinionis fautorem ex antiquioribus neminem vidi, nisi *Billuart*

(qui tamen pro illa coenula seu collatione dixerat sumi posse *ientaculum semiplenum vel mediocre*, quod 8 unciarum pondus vix adaequet).

Verum opinor duas illas regulas in sensu auctorum non adeo discrepare. Qui enim 8 uncias (c. 240 gr.) pro gravi materia statuunt, videntur prorsus frustulum matutinum tamquam partem harum 8 unciarum facere; qui vero 4 uncias pro gravi materia habent, ita debent intelligi, ut graviter deliquisse eum dicant, qui praeter legitimum frustulum et collationem quantitatem 4 unciarum addiderit sive in ipsa collatione sive repetitis parvis comestionibus: quod a vero non videtur alienum.

Nihilominus inveni in Germania in piorum praesulum mandato quadragesimali ieiunium eiusque gravem obligationem sic definitum, ut praeter unicam refectionem non liceret sumere nisi collationem, quae nullatenus mediam partem eorum, quae ad refectionem in coena sumi consuevissent, excedere deberet. Quam regulam *practice* non puto multum discrepare ab iis, quae modo dicta sunt. Nam si attendas matutinum frustulum ibi non concedi simpliciter, neque duarum unciarum excessum haberi pro gravi materia: iam habebis 12 uncias, quae illi, qui alias difficultatem ieiunandi habet, modo omittat mane frustulum, summo iure concedi possint; neque puto extra ieiunium communiter pro vespertina coena ultra 24 uncias seu 1½ libras sumi consuevisse in his regionibus.

3. Quod ut magis intelligatur, fac attendas materiam levem substantialiter intactum relinquere ieiunium, ita ut accedente graviore causa, quae a ieiunio simpliciter non excuset, tamen excusatio a culpa adsit pro eo, qui ultra legitimam cibi quantitatem levem materiam addat.

Quare *breviorem regulam* etiam sic statuere possumus: a) Qui in collatione cum consueto frustulo matutino simul non sumit plus quam ⅓ plenae refectionis, simpliciter non peccat. b) Qui certe non sumit ½ plenae refectionis, non peccat saltem mortaliter. c) Cuilibet licet in coenula sumere 8 uncias (circiter 240 gramm.) cibi levioris et mane parvum frustulum.

1466 VI<sup>a</sup> quaestio de delectu ciborum. 1. Iure communi pro quadragesimali tempore adest obligatio, eaque gravis, non solum a carnibus, sed etiam ab ovis et lacticiniis abstinendi: ut colligitur contra antiquiores scriptores ex *thesi 32 ab Alex. VII* damnata.

Quae obligatio ipsas etiam Dominicas Quadragesimae comprehendit, quamquam *ieiunium* Dominicis diebus non celebratur.

Materiae parvitas sine dubio etiam hic admittitur: atque in illis cibis prorsus puto materiam gravem eam tantum esse, quae duas uncias attingat, ita ut duas uncias (unum ovum gallinaceum) pro limite materiae mortalis habeam, pro parva, quodcumque infra illam manet.

2. Ceterum nunc in plerisque locis pro sat magna parte Quadragesimae dispensatio ad lacticinia datur; immo in Germania fere inauditum est ieiunium, in quo non liceat saltem ova et lacticinia comedere. Atque etiam quoad esum carnum et pinguedinis ex carne sumpti vix non ubique pro certis hebdomadae diebus in *mandato quadragesimali* quotannis solet dari dispensatio: quare hac in re suae quisque regionis, ubi existit, normam sequi potest vel tenetur. — Indultum autem seu mandatum quadragesimale sic intelligitur, ut, si esus carnum *simpliciter* permittatur, iis, qui in ieiunii lege non comprehenduntur, saepius carnes edere liceat, qui ad ieiunium obligati sunt, in sola refectione principali seu plena. Verum dispensator esum carnum omnibus ita restringere potest, ut omnibus etiam non ieiunantibus semel tantum seu in principali refectione permittat: quod si ex tenore indulti apparet, stricte observandum est<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Videlicet ad Quaesitum: «Utrum fideles exempti a lege ieiunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimae, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam



3. Extra Quadragesimam universali lege non excludi ova et lacticinia<sup>1487</sup> saltem ab unica refectione plena vide *S. Alph.* III 1009, *Scavini* I, n. 307; excluduntur in compluribus locis lege particulari quoad certos dies

4. Id etiam circa abstinentiam addi debet, tempore ieiunii (i. e. diebus quibus ieiunandum est atque in Quadragesima etiam Dominicis inclus.) etiam eos, qui dispensationem habent vescendi carnibus, non posse carnibus et piscibus simul i. e. in eadem refectione uti: id plane prohibetur a *Ben. XII*: «Non ambigimus» et «In suprema»; posse eos tamen simul pisces edere, si dispensatione eatenus tantum utantur, ut vescantur iusculo aliisque cibis cum carne coctis, edixit *S. Poenit.* 8 Febr. 1828. Vide *Scavini* IV, n. 48. Haec autem prohibitio non miscendi carnes cum piscibus in eadem refectione obligat etiam eos, qui ratione aetatis aut laboris ieiunare non tenentur vel dispensationem a ieiunio acceperunt et *vi indulti* carnibus vesci possunt. Sed qui a ieiunio exempti propter male affectam valetudinem *ex necessitate morbi* etiam carnibus vescuntur, non tenentur illa lege promiscuitatem ciborum prohibente<sup>1</sup>.

VII<sup>a</sup> quaestio de anticipatione prandii vel coenulae. 1. Anti<sup>1488</sup> cipatio prandii per spatium hora minus ante meridiem ex causa rationabili a culpa vacat, immo *S. Alph.* n. 1016 ne causam quidem specialem requirit; si autem notabilior quaedam causa est, v. g. quia aliquis ex familia proficisci debet, etiam multo maior anticipatio culpa vacat.

2. *S. Alph.* quidem in recentioribus editionibus putat, sine causa multo ante meridiem prandere grave peccatum esse; at quoniam permulti alii scriptores contrarium sentiunt, et ipse *S. D.* antea id probabilius dixerat, cuique licitum est, id quod benignius est opinari. Vide *S. Alph.* n. 1016. Auctores pro benigniore sententia habes ex ipso *S. Alph.*: *Salmantic.*, *Elbel*, *Holzmann*, *Sporer*, *Lessium*, *Laymann*, *Toletum*, *Bonacina* etc.

refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in Dominicis eiusdem Quadragesimae, in quibus non urget obligatio ieiunii».

*S. Poenit.* (16 Ian. 1834) respondit: «Fideles, qui *ratione aetatis vel laboris* ieiunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum concessis, quoties per diem edunt.» Excipitur, si ex indulto patet restrictionem ex mente dispensationis etiam ad eos extendi, qui ieiunare non tenentur (*S. Poenit.* 27 Maii 1863).

<sup>1</sup> Scilicet *S. Officium* 23 Iunii 1875 ad dubium, «utrum obligatio de non miscendis piscibus et carnibus diebus Quadragesimae attingat omnes, qui *vi indulti* carnibus vesci possunt, an solummodo eos, qui ieiunant», rescribi mandavit: «Affirmative ad I<sup>m</sup> partem, negative quoad II<sup>m</sup>, et detur decretum 24 Maii 1841, nempe ad dubium: «An lex de permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, ut iuvenes, antequam tertium compleverint septennium, aliique rationabiliter ab eodem excusati ob impotentiam vel laborem.» Em. decreverunt, «Non licere.» Ita igitur quoad eos, qui, ad ieiunium non obligati, carnibus *vi indulti* utuntur.

Sed eis qui non *vi indulti* sed *ex necessitate morbi* carnibus vescuntur, a compluribus auctoribus (*Ballerini-Palmieri*, *D'Annibale*, *Bucceroni*) permittitur illa ciborum permiscuitas. *Quam sententiam aegrotum tuta conscientia sequi posse* *S. Poenitentiarum* d. 9 Ian. 1899 respondit. Cf. *Anal. eccles.* VII 501.

Maioris momenti etiam est haec decisio d. d. 28 Aug. 1910 ex mandato *Pii X* per *S. Poenitentiarum* facta de commixtione ciborum: «Num liceat, qui gaudent indulto carnis diebus ieiunii, in eadem comestione a) vesci pulmento carnis iure cocto et de cetero piscibus vesci; b) *vesci carnibus simul cum iusculo piscium*» rescr.: «Enunciatam commixtionem permitti, contrariis quibuscumque non obstantibus.» *Acta Apost. Sedis* II 952.

3. Communis quidem praxis est, ut prandium (seu coena) sumatur circa meridiem, coenula vespere. At qui velit mutato ordine collationem circiter duabus horis ante meridiem sumere, et prandium differre usque ad tempus vespertinum (quamquam sumatur hora quarta vel quinta pomeridiana), ita ex rationabili causa aut ex regionis consuetudine licite agere potest. — Inde tamen non fit, ut liceat summo mane ientaculum consuetum sumere pro coenula, meridie plenam refectionem, vespere loco coenulae potum cum frustulo; sic enim finis ieiunii magna ex parte eluditur. Grave autem peccatum hac inversione non committi ex supra dictis concludes; et levior omnino causa sufficit, ut ex dispensatione hic agendi modus permittatur, quam ut a ieiunio simpliciter dispensetur.

1469 Scholion. Ex omnibus hucusque circa ieiunium dictis haec concluduntur:  
 1. Si quis eo tantum modo velit ieiunium servare, ut praeter plenam refectionem etiam alias consuetas refectiones admittat, sed in iis aliquantum sibi subtrahat, e. g. dimidium ientaculi, refectionis pomeridiana, coenae vespertinae: istum modum pro substantiali laesione legis ecclesiasticae habeo, nisi homo ille tam moderati victus sit, ut haec omnia, quae sumit, legitimam collationis et frustuli mensuram non multum excedant. Alias enim haec neque ex consuetudine licita evadant, quia consuetudo legitima numquam erit ea, quae relaxationem per privilegium nunquam cuiquam sperandam induxerit.

2. Qui sive culpabiliter sive inculpabiliter per notabilem quantitatem ultra plenam refectionem sumptam substantialiter ieiunium laesit, novum peccatum non committit, si tertio se reficiat cibis esurialibus. *S. Alph.* III 1030.

3. Aliud autem dicendum est, si lex ieiunandi seu abstinendi laesa est per esum ciborum vetitae qualitatis; peccatum enim repetitur, quoties denuo illi cibi eduntur; immo post completam materiam gravem quaelibet vetiti cibi comestio grave peccatum continere plerumque videtur, quoniam si minus nova materia gravis, tamen materiae gravis iterata complacentia et approbatio est.

4. Pro ieiunio Nativitatis D. N. vigiliae *S. Alph.* cum aliis (n. 1025) concedit in collatione vespertina (modo *vespere* sumatur) — idque etiam in vigilia, quae cum Sabbato quatuor temporum coincidit — quantitatem duplo maiorem: pro aliis autem summarum festivitatum vigiliis ibi tantum, ubi probata sit legitima consuetudo. Nimirum pro illo festo die ieiunium ex consuetudine fere *finiri* cum vespera diei vigiliae. Sed etiam in hac re consule patrium morem.

## § 2.

*Qui teneantur, qui non teneantur ad servandum ieiunium.*

1470 Circa excusationem a ieiunio satius duxi breviter ea contrahere, quae *S. Alph.* hac de re fusius tractat. Nimirum:

I. Ratione *damni vel gravis incommodi*, quod aliter non vident, excusantur:

1. Qui ex morbo viribus attriti sunt, sive decumbunt, sive sunt in statu reconvalescentiae.

2. Qui ita debiles sunt, ut una refectione tantum cibum capere non possint, quo vires sustentent.

3. Qui ex ieiunio *notabilem* capitis vel stomachi dolorem patiuntur.

4. Mulieres praegnantes vel lactantes, qui ieiunio suo proli noceant: quare ieiunando potius peccet mater, nisi robusta sit atque una alterave die ieiunium ecclesiasticum servare velit.

5. Pauperes, qui non habent iustum prandium —: quare non solum excusantur, si mendicare debent, sed etiam, si alias per plures dies nihil pro victu habent praeter panem et legumina.

6. Milites, si aut magnos labores sustinere debent aut non habent congruum cibum aut statis horis non possunt comedere, quantum sustentatio virium requirit.

7. Adolescentes usque ad annum 21 completum excusantur a ieiunio; et probabiliter etiam senes sexagenarii (incepto anno sexagesimo), non attenta virium firmitate aut debilitate, quae tum temporis saepe dubia et fallax est.

II. Ratione *laboris*, qui aut non potest intermitti aut ad utilem finem assumitur, excusantur:

1. Opifices et artifices, qui graves labores praestare solent (non vero qui una alterave hora gravem laborem assumat; neque licet ei, qui communiter non laboret graviter, dies ieiunii ad hos labores eligere ex industria, sed potius alios eligere per se debet). Eiusmodi labores defatigantes exercent: fabri ferrarii, lignarii, murarii, fossores, fullones, lapicidae, sutores (si calceos conficiunt), agricolae, etiam multi pistores, baiuli, aurigae ii, qui multum occupati sunt, famuli, qui huc illuc multum currere debent, typographi *prelum versantes*; brevi, qui cum satis magna agitatione et defatigatione laborare debent. — Quare qui huiusmodi labores vi muneris seu artis quotidie toto die exercere solent, non tenentur, ut ieiunare possint, labores omittere, etsi in penuria non versentur: immo si quis dies festus, in quo quiescat, inciderit, ne illo quidem die ieiunare stricte tenentur, nisi forte manifestum sit eos sine notabili incommodo tum ieiunare posse; alioqui pro reficiendis et conservandis viribus aliquid illis indulgendum est. *S. Alph.* n. 1042—1044.

2. Iter pedestre agentes 4—5 leucarum; tale enim iter gravis laboris defatigationi aequiparatur. Quod tamen sic intelligitur, ut iis ante iter suscipiendum, quod commode differri non possit, liceat vires reficere, neque postea teneantur sine refectione manere. Qui autem post meridiem iter instituturus est aut servato ieiunio iter confecerit, non idem ius habet ieiunium laedendi, nisi alia ratio accedat.

3. Contionatores, qui fere quotidie (quinq̄ies in hebdomada vel saepius) cum magna corporis agitatione per horam circiter contionantur. Est enim opus satis laboriosum et tantae pietatis, ut ieiunii meritum vincat.

Simili ratione propter opera pietatis, quae satis laboriosa sint, excusari possunt, qui aegrotis inserviunt cum magno labore; neque refert, utrum iussi, an sua sponte illa opera susceperint.

Alia autem opera et labores cum ieiunio non compatibilia, etsi sunt opera religionis et pietatis, modo ne ad communem utilitatem dirigantur neve cum magno excessu ieiunii laborem superent, potius omittenda vel differenda sunt, quam diebus ieiunii cum ieiunii laesione suscipienda.

Si quae autem peregrinatio alicui sit magno solatio neque commode differri possit, non adeo repugno licere cum ieiunii dispendio eam peragere; immo pauperi operario, qui alioquin a ieiunio non sit excusatus, sed cui extraordinaria opportunitas recreationis offeratur, cum alias vix per totum

annum relaxationem animi habeat, durum videtur non idem pro aliqua vice per dispensationem indulgere. Quae dispensatio sive a ieiunio sive a lege abstinence, *si necessarium sit*, per parochum dari potest.

1472 III. Ratione *laboris vel incommodi cum aliis causis accidentalibus coniuncti* excusari possunt etiam ii, qui non tantum laborem, ut supra dictum est, exercere debent: nimirum si aut maior debilitas aut externae rationes laborem aggravantes accedunt. — Id autem discriminis *S. Alph.* docet esse observandum inter hos et priores, ut qui laborem vel incommodum *per se* excusans sustineant, ad dubium suae ad ieiunium aptitudinis attendere non teneantur, alii autem in *dubio* sufficientis causae accessoriae ad dispensationem petendam debeant confugere: sufficit tamen etiam hic prudens et grave iudicium sufficientis causae, non requiritur evidentia. Inter quos non raro numerari possunt:

1. Iter agentes brevius, si viatores sunt debiles, aut iter est asperum.
2. Iter agentes equo vel curru, si vere magna defatigatio accedit: nam alias eos excipi a ieiunii lege damnatum est ab *Alex. VII* thesi 31.
3. Lectores superiorum disciplinarum, qui multo labore lectiones praeparare debent atque ita toto die studio defatigante occupantur, etsi lectionem unam tantum quotidie habent.
4. Magistri inferioris scientiae vel artis, qui quotidie per plures horas docere debent, si multo studio vel locutione nimis fatigantur.
5. Confessarii, qui per maiorem diei partem confessiones audire debent, si servantes ieiunium id nequeunt. — Simile quid dic de medicis aliisque, quando alias iis, qui ipsos consulunt, nequeunt satisfacere.
6. Cantores, qui cantu sibi victum parant, sed cum ieiunio vocem non satis servant.
7. Studiis seriis incumbentes in scholis saltem facile habebunt, si qua causa accedat, rationem, cur dispensationem accipiant.
8. Uxores vel mariti, si qui ieiunio impotentes redduntur ad reddendum debitum coniugale, quod alter petat. Uxores autem etiam aliunde excusari possunt, si ieiunando gravem indignationem — quamquam non rationabilem — mariti v. g. haeretici incurrant, modo ne fiat in odium religionis; quae ratio facilius pro una alterave vice a ieiunio excusat, quam pro semper. Vide *S. Alph.* III 1034 et *Salm.* tract. 23, c. 2, n. 127.

1473 IV. Si igitur causa quaedam adest eiusdem ordinis cum ea, quae excuset, sed per se ad excusandum non sufficiens, episcopus, parochus similisve superior *dispensare* potest: quod valet, etsi dubium maneat, num causa sufficiat ad dispensandum; sine omni causa autem valide solus S. Pontifex dispensare potest.

Quaedam autem, quae de dispensatione a ieiunio et abstinence et de causa per se excusante *positiva lege* statuta necdum in superioribus notata sunt, iuvat hic addere:

I. Ad Quaesitum: «Utrum paterfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinence a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiae personas indiscriminatim extendere possit»,

S. Poenit. respondendum censuit: «Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam,



avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praeccepto abstinentiae in diebus esurialibus.»

2. Ad Quaesitum: «Utrum cum paterfamilias a lege abstinentiae a carnibus tempore Quadragesimae dispensatus non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scil. et carnes parari, eius filii aut familiares carnes edere possint»,

S. Poenit. 16 Ian. 1834 respondendum censuit: «Posse personis, quae sunt in potestate patrifamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die pro iis, qui ieiunare tenentur.» — Ratio autem huius permissionis — ut S. Poenit. 27 Maii 1863 declaravit — non est indultum patrifamilias concessum, sed impotentia, in qua versantur filiifamilias, observandi praecceptum, si aliter non habent unde sustententur. Famuli tum tantum filiifamilias aequiparandi sunt, quando alium famulatum difficulter inveniunt. Cf. etiam resp. S. Poen. anni 1860 ex Act. S. Sedis XXII 627.

3. Ad Quaesitum: «Utrum iis, qui ratione aetatis et laboris<sup>1474</sup> ieiunare non tenentur ac propterea toties quoties carne vesci diebus indulti possint, aequiparandi sint qui ratione *infirmas valetudinis* a ieiunio excusantur, adeo ut illis quoque pluries in die vesci carnes liceat», S. Poenit. 29 Iunii 1863 resp. «Negative»; postea vero d. 16 Martii 1882 «Affirmative».

4. Ad Quaesita: 1. Num *sine indulto* diebus, quibus carnes vetitae sunt, nihilominus iusculum carnis una cum piscibus adhiberi liceat. 2. Liceatne cibos esuriales et in principali refectione et in serotina collatione condire cum adipe vel larido, responsum habetur S. Congr. Conc. d. 6 Aug. 1910:

Ad 1<sup>m</sup>. «Negative; sed iusculum carnis diebus ieiunii in unica comestione una cum piscibus ab iis tantum adhiberi posse, qui indultum obtinuerunt pro esu carnis.»

Ad 2<sup>m</sup>. «Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico indulto ea condimenta permissa sint in diebus ieiunii.»

5. Ad Quaesitum: «Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae die-<sup>1475</sup> bus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio ieiunii, vesci possint piscibus simul et carnibus»,

S. Poenit. (13 Febr. 1834) proposito dubio . . . et facta relatione SS. D. Greg. XVI, de ipsius Sanctitatis Suae mandato resp.: «*Permitti.*»

NB. Omitto aliqua quaesita de certis generibus piscium aliorumque animalium, quae piscibus aequiparantur, ut sunt ostreae, cancri etc.: horum enim esus simul cum carnibus non magis licet, quam licet esus piscium stricte sumptorum.

6. Cum ad S. C. C. referretur quaestio, quomodo servandum sit ieiunium vigiliae SS. App. Petri et Pauli in Gallia, ubi sollemnitatis festi, quod ieiunium pervigilii habet, transfertur ad Dominicam subsequentem, quando ipse dies festivus proprius cadit in Sabbatum: nimirum utrum Galli in hoc casu ieiunare debeant eo die, quo in universali Ecclesia *festum* ipsum celebratur, annon,

S. C. C. 22 Sept. 1858 iussit in eo casu non die Sabbati, sed feria VI etiam in Gallia ieiunandum esse. Vide *Gury-Ball*. I, n. 516.

Fere similis ratio occurrit pro Germania quoad *festum Assumptionis B. M. V.* quare puto plane alienum esse a mente Ecclesiae, si festum Assumptionis seu dies 15 Augusti est dies Sabbati, ipso illo die ieiunari ab iis, qui sequenti Dominica die 16 Aug. Assumptionis festum celebrant, sed decere, ut feria VI d. 14 mensis pro die, quo tunc ieiunandum sit, a S. Sede petatur.

1476 Appendix. Contra praecepta Ecclesiae communia igitur haec praecipua peccata sunt:

1. Omittere Confessionem annuam, saltem si conscientia mortali peccato gravatur.

2. Paschalem Communionem omittere aut eam sine legitima licentia (aliquoties) non in ipsa parochiali ecclesia sumere.

3. Festa ab Ecclesia statuta omissa Missae assistentia aut servili labore profanare.

4. Ieiunium ecclesiasticum sine legitima causa vel dispensatione laedere.

5. Diebus ieiunii (non dispensatis) aut solius abstinentiae diebus carnes comedere.

6. Diebus temporibusque ieiunii carnes et pisces simul in eadem refectioe sumere.

7. In collatione vespertina diebus ieiunii sive in quantitate notabiliter excedere, sive in qualitate praeter dispensationem vel legitimam consuetudinem ova vel etiam non permissa lacticinia admittere.

8. Sine iusta causa aliis, qui ieiunare tenentur, largiores cibos apponere atque laedendi ieiunii occasionem esse.

## Pro certis regionibus amplissimae dispensationes concessae sunt a S. Sede:

1477 A. Pro America latina

1. habetur ex Const. «Trans Oceanum» d. d. 18 Aug. 1897 ad 30 annos dispensatio:

a) ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis VI Quadragesimae, Sabbato Sancto, pervigilio Nat. D. N.;

b) ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere seu solutione elemosynae uti possint indulto, quod quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis exceptis quoad carnes diebus supra (ad a) notatis.

2. Decreto S. Congr. EE. Negot. d. 6 Iulii 1899 ad *decennium* omnibus Ordinarii facultas datur parochis, confessariis etc. delegabilis dispensandi singulis annis (facta mentione Apostolicae delegationis) fideles qui petierint, etiam religiosos utriusque sexus, hos tamen de consensu *suorum* Superiorum, a lege ieiunii et abstinentiae, dummodo:

a) lex ieiunii sine abstinentia a carnibus servetur feriis VI Adventus et feriis IV Quadragesimae;

b) lex ieiunii et abstinentiae a carnibus servetur feria IV Cinerum, feriis VI Quadragesimae, et feria V maioris hebdomadae;

— c) sed diebus ieiunii semper licebit omnibus, etiam regularibus, quamvis speciale dispensationem non petierint, in collatione serotina uti ovis ac lacticiis; —

d) abstinentia a carnibus sine ieiunio servetur in quatuor pervigiliis Nat. D. N., Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Quae concessiones sub n. 2 indicatae a Pio X 1 Ian. 1910 ad decennium renovatae sunt pro *America latina* et *insulis Philippinis*, idque ita, ut 1) non iam singuli fideles indultum petere debeant, sed Ordinarii quotannis facta mentione delegationis Apostolicae dispensationem publicent; 2) ut imponi amplius non possit ulla taxa pecuniaria seu eleemosyna, quamquam S. Pontifex hortatur ad ultroneam eleemosynam. Hortatur etiam, ut religiosi saltem in ipsis claustris ab usu indulti abstineant. (Cf. Acta Ap. Sed. II 215 sqq.)

**B. Pro India orientali** (ex Calendario archidioec. Bombay): 1478

Dies *ieiunii* sunt *novem* tantum, scil. feriae sextae in Quadragesima, et vigilia Nativitatis D<sup>ni</sup>, et vig. Paschatis seu Sabbati Sancti.

Dies abstinentiae a carnibus: 1) omnes dies ieiunii supra dictae; 2) omnes feriae sextae per annum; 3) feriae quartae in Quadragesima.

In aliis provinciis occurrit observantia paulo diversa.

\* \* \*

Indulta, quibus moderari solet lex ieiunii *stricti iuris*, maxime pro tempore quadragesimali, pro variis regionibus sunt varia. Quae enumerare longius est nec necessarium, quia quotannis in singulis dioecibus soleant publicari. Noto tamen legem ieiunii et abstinentiae moderatam pro Italia per Pium X:

### Ieiunii et abstinentiae lex pro Italia cum dioec. Melitensi et Gaudisiensi haec est ex decr. 5 Sept. 1906:

**I. Ieiunium** seu lex unice per diem refectionis servandum est: 1479

1) toto tempore Quadragesimae exceptis Dominicis;

2) feriis VI et Sabb. Adventus;

3) feriis IV, VI et Sabb. Quatuor Temporum;

4) Vigiliis: Pentecostes, SS. Apost. Petri et Pauli, B. M. V. in coelum assumptae, OO. Sanctorum, Nativitatis D. N. I. Ch.

Quibus diebus, in Quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, vetatur insimul semper et absolute carniū pisciumque in eadem comestione permixtio.

**II. Praeter ieiunium etiam stricta abstinentia** servanda est a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne originem trahunt, scil. lacte, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

1) feria VI Quatuor Temp. in Quadragesima;

2) feria VI in Parasceve;

3) et 4) Vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis D. N. I. Ch.

**III. Ieiunium cum sola abstinentia** a carne et a iure a carnibus quomodocumque expresso:

1) vigilia S. Ios. Sponsi B. M. V., ubi festum sub praecepto recolitur:

- 2) vigilia Annunciationis si est in Quadrag. et festum de praec.;
- 3) vigilia Pentecostes;
- 4) vigilia SS. Apost. Petri et Pauli;
- 5) vigilia OO. Sanctorum;

ita ut in principali refectioe liceat uti ovis et lacticiniis, in eadem et in refectiuncula condimentis ex quovis adipe, butyro, margarina et similibus condimentis.

IV. Sola abstinencia, ut in III, singulis feriis VI per annum, ita tamen ut in quavis refectioe ovis et lacticiniis etc. uti liceat.

## Pro Americae Sept. Statibus Foederatis haec noto etiam alibi ob similes condiciones scitu utilia:

1480 I. De Festis sub praecepto servandis (cf. n. 1447 sq) nunc est una eademque regula in U. St. Americae. Pius IX quidem nondum consenserat voto PP. Concilii plen. Baltim. II, ut uniformitatis causa reductionem, quae in quibusdam locis observaretur, faceret generalem (Coll. Lac. III, col. 384). Sed iteratis precibus Concilii plen. Balt. III SS. D. Leo PP. XIII demum annuit, ut habetur ex lit. Card. Praef. S. C. de Prop. F. d. d. 31 Dec. 1885. Hinc pro omnibus dioecibus U. St. Americae Septentr. festa a populo servanda sunt haec:

Immaculata conceptio B. V. M. Nativitas D. N. I. Ch. Circumcisio D. N. I. Ch.		Ascensio D. N. I. Ch. Assumptio B. V. M. Omnium Sanctorum.
---	--	--

Modus quidem festa celebrandi per se idem est, qui ubique servatur in diebus Dominicis sanctificandis, scil. per requiem a laboribus servilibus et per assistentiam Ss. Missae sacrificio praestandam. Nihilominus quod PP. in Conc. Westmonaster. I pro Anglia observarunt et statuta synod. dioeces. Baltim. ex anno 1791 iam monuerant, ex parte etiamnunc valere potest, videlicet multos fideles propter gravia incommoda excusari posse, si iis diebus, qui ab heterodoxis pro festivis non haberentur, necessitate quasi pressi a laboribus non abstinerent, audito tamen, quantum fieri posset, Missae sacrificio: idque PP. plen. Conc. Balt. II et III etiam innuunt. — Immo addiderim, si tandem necessitas et consuetudo id effecerit, ut plerique catholici illis diebus festis a labore vix abstineant, longe etiam facilius accidere posse, ut obligationem audiendae Missae non ita gravem concipiant, ut, si forte etiam sine ratione vere excusante eam neglexerint, re subiective spectata, mortalis peccati rei ilico haberi possint. Prudentis igitur confessarii et parochi est videre, quousque putaverit eos esse urgendos et instruendos aut e contrario in bona fide relinquendos: quamquam quo pauciores dies festi nunc praecepti sunt, eo magis elaborandum est, ut hi saltem, quantum fieri possit, religiose serventur.

Concilii Baltim. dioec. verba haec sunt (Collect. Lac. III, col. 6): «Catholici, mercatores praesertim, ac omnis generis opifices, qui in oppidis degunt, non sine gravi incommodo a mercibus vendendis aut operibus abstinere possunt festis illis diebus, quae ab heterodoxis similiter non servantur. Unde merito timendum, si hoc rigore exigitur, aliquos futuros, qui, ne tantam rerum temporalium iacturam faciant, aeternae salutis periculum incurrant. Ut igitur huic incommodo obviam eatur: statuimus unumquemque debere pastorem suum convenire, eiusque hac in re iudicium expectare. Monemusque venerabiles confratres nostros, ut, ubi exigit gravis causa, cum ipsis *dispensent* in festorum



observatione, relicta tamen obligatione Missam audiendi, si plures quam una celebrentur in loco ubi dispensetur, vel si illi uni sine gravi detrimento assistere valeant.»

In Conc. Baltim. plen. III haec habentur n. 109: «Non expedit porro, ut multiplicentur inpraesentiarum festa de praecepto. Tristi enim pastorum experientia constat inter dies festos quos habemus paucos rite observari, cum in iis multi Missam non audiant et adhuc plures a laboribus non abstineant; et re quidem vera maxima pars nostrorum fidelium eos debite servare non possunt, quin unicum fere sustentationis medium in discrimen adducant.» — At iidem P. P. n. 113 circa sanctificationem diei Dominicæ monent ita: «In ea ab operibus servilibus non necessariis omnino abstineant, Missam praeceptam audire nisi gravi de causa non omittant, aliisque praeterea devotionis et pietatis operibus diem Dominicam vere sanctificent.»

II. Circa ecclesiasticum Ieiunium et Abstemiam (cf. n. 1459 sqq.) 1481 idem valet, quod antea dictum est de festis, scil. in unaquaque dioecesi et consuetudinem et dispensationem Apostolica auctoritate per Episcopum datam attendi debere. Nam non unus idemque ubique mos observatur, neque voluit *Pius IX* maiore relaxatione praxim communem et uniformem reddere (v. Coll. Lac. III, col. 384). Et quamquam in editione Concilii Balt. plen. III notatur hac super re Congregationis responsum expectari, PP<sup>um</sup> iudicium tamen his verbis n. 112 concipitur: «Quod vero ad ieiunia attinet, difficilium adhuc esset in eis uniformitatem obtinere. Aliis enim in locis obstat climatis asperitas, in aliis escae esurialis caritas, in aliis demum diversi incolarum mores et consuetudines. Satius ideo videtur, ut relinquatur iudicio Episcoporum ea statuere in synodis provincialibus quae suis provinciis magis in Domino iudicaverint expedire.» Aliqua sunt communia:

1. Usum laridi liquefacti pro condimento etiam in collatiuncula *Kenrick* et *Konings* pro America Sept. ex consuetudine licitum esse testantur; ova in collatione vespertina permitti non in universa quidem Septentrionali America, tamen in multis locis ex consuetudine.

2. Circa milites et nautas habetur, teste *Kenrick*, expressa dispensatio his verbis: «Concessit *Pius IX*, ad preces Episcopi Buffalensis, ut milites et nautae Americani ab abstinentiae lege eximerentur universim, sex diebus exceptis, nempe: feria IV Cinerum, tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae, et in vigilia Assumptionis B. Mar. V. et Natalis Domini. Id intelligendum est de iis, qui actu inserviunt in castris, navibus, praesidiis, non autem qui ex venia absunt, Familiae cum iis communi victu utentes eo gaudent privilegio, non item quae procul degunt.» (Coll. Lac. III, app. ad C. pl. Balt. II, col. 573.)

3. De ieiunio in Adventu servando praeter dies Quatuor Temp. et vigiliae Nat. D. anno 1837 pro Statibus Foederatis facta est haec dispensatio per *Gregor. XVI*, ne amplius tenerentur fideles «feriis quartis Adventus ieiunare et a carnibus abstinere»; at circa ferias sextas eodem die (2. Sept. 1837) declaratum est «vehementer optari, ut ieiunii iis diebus obtinentis observatio perseveret», adiecta nihilominus clausula: «quodsi post maturam negotii considerationem talia esse rerum adiuncta cognoscatis, ut ad vitandum peccati periculum necesse esse censeatis catholicos ab ea obligatione solvi, tum SS. Dominus N. facultatem Amplitudini Tuae tribuit dispensationis super eo ieiunio, nomine suo, concedendae» (cf. Coll. Lac. I. c. col. 61).

III. De lege impedimentorum matrimonialium servanda, quam catechismi 1482 Americani recte inter praecepta Ecclesiae communia recensere solent, nihil est, quod hic addam; siquidem vol. II hac de re late dicitur.

## IV. Tandem additur praeceptum ad sustentandos animarum pastores conferendi.

Qua in re patet Ecclesiam ius habere, nisi aliter necessariis provisum est, singulis fidelibus id imponendi, quod conferre debeant; id enim ex conceptu Ecclesiae tamquam societatis perfectae, cui omnes se adiungere te neantur, plane consequitur. Quodsi Ecclesia hoc rigore non utitur, nihilominus fidelibus *obligatio in conscientia* incumbit, ut suis pastoribus necessaria provideant. Ne tamen in eo casu facilius mortale peccatum statuas, attende, quae bene *Kenrick* l. c. n. 64 notat:

«Quamdiu nulla certa lege onus iniungitur et definitur, non audemus peccati mortalis damnare eum, qui omittit aequam portionem conferre, quoties non est periculum, ne sacerdotes ea de causa indigeant vel alii fideles nimis graventur. Illi autem, qui prae avaritia recusant quid dare in iis, quae indicavimus adiunctis, videntur graviter rei et indigni venia sacramentali.»

Nota tamen quaedam *de illicito quaestu*: 1) Conc. pl. Balt. II n. 119 iam statuerat sacerdotes nullatenus posse extra limites suae parochiae eleemosynas colligere, nisi a suo Episcopo in scriptis obtinuerint licentiam, religiosos autem moneri, ut secum ferant licentiam sui superioris. Deinde Conc. pl. Balt. III n. 295 addidit circa collectionem eleemosynarum in alienis dioecesibus: «Nullis huiusmodi quaestoribus colligendi concedatur licentia, nisi *eorum Ordinarius* vel *Ordinis Praefectus* ipsi per litteras praevias eam pro iisdem obtinuerint ab Episcopis, in quorum dioecesibus eleemosynas rogare desiderant.» — Nunc autem omnino servanda sunt praescripta Decreti universalis *S. Congr. de Religiosis* d. d. 21 Nov. 1908 «De eleemosynis», de quo *Acta Apost. Sed.* I 153 sqq.

2) A Conc. pl. Balt. II n. 446 plane damnatur ut Ecclesiae sacrisque ritibus liturgicis iniuriosum, si quis sacerdos intra Missarum sollemnia ab altari recedat atque ipse ecclesiam circumeat ad oblationes fidelium colligendas: quod denuo inculcat Balt. III n. 293. — Similiter ib. n. 288 denuo damnatur praxis pecuniam exigendi ad fores. — Quae ceteroqui de iuribus stolae eorumque exactione statuta sunt, habes hoc volum. supra n. 535.

## Pro Gallia etc.

1483 In Gallia aliisque regionibus, quae concessione Card. *Caprara* 9 Aprilis 1802 utuntur, festa extra Dominicos dies celebranda a populo restant haec quatuor tantum:

Nativitas D. N. I. Ch.

Ascensio D. N. I. Ch.

Assumptio B. Mariae V.

Festum Omnium Sanctorum.

Aliorum principalium festorum *sollemnitatis externa* transfertur in Dominicam subsequentem.

Pro aliis regionibus quisque suas leges consulere debet, quibus aut restringantur aut augeantur dies festi sub praecepto a populis colendi praeter eos, quos *Pius X* Const. «Supremi disciplinae» die 2 Iulii 1911 statuit.

1484 Const. «Supremi disciplinae» habet haec:

«I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies Dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

II. [Dies festi Sancti Ioseph, sponsi B. Mariae V., et Nativitatis S<sup>i</sup> Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur tamquam in sede propria, prior Dominica insequente diem 19 Martii, immoto permanente festo, si dies 19 in Dominicam inciderit; alter Dominica quae festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedit. Festum vero Sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, Dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria celebrabitur, statuta pro festo Sacratissimi Cordis Iesu feria VI infra octavam.]

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

V. Quod si in aliquod ex festis, quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus; eandemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen sollemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.»

NB. Decreto quidem d. 24 Iulii 1911 atque Const. «Abhinc duos annos» d. d. 23 Oct. 1913 cum subseq. decreto gen. d. 28 Oct. 1913 ea, quae supra ad n. II statuta erant, sunt mutata, vid. Festum Ss<sup>i</sup> Corporis Ch<sup>i</sup> in Feriam V post Ss. Trinitatem restitutum, item festum S. Ioseph sine octava in 19 Mart., S. Ioannis B. in 24 Iun., atque Patrocinium S. Ioseph in Fer. IV ante Dominicam III post Pascha translatum: obligatio tamen feriandi et Sacri audiendi non amplius existit lege universali nisi pro diebus Dominicis, in quibus exterior sollemnitas illorum festorum fiat. — *Particulari lege* ut festa de praecepto servantur in pluribus Germaniae locis Sollemnitas Corporis Christi, Purificatio et Annuntiatio B. Mariae V.

## CORONIDIS INSTAR DE DIVERSA DIVERSORUM PECCATORUM GRAVITATE PRINCIPIA QUAEDAM STATUUNTUR.

1485 Postquam singula officia eorumque laesiones tractata sunt, operae pretium est videre, quae norma esse debeat iudicandi de gravitate diversorum peccatorum. Convenit enim omnino confessarium etiam de relativa gravitate peccatorum non sibi fingere ex quadam apprehensione et quasi instinctivo horrore, sed ex rationis et fidei principiis sibi efficere veras regulas, quibus obiectivam malitiam aliquatenus recte aestimare possit. Verum quidem est accuratam quasi librationem, quae divino iudicio respondeat, ab homine fieri non posse. Nam ut id fieret, peccatoris iudicium et rationis dictamen eiusque voluntatis inclinationem, intensitatem, tentationis pugnam homo inspicere deberet: haec omnia enim peccati, uti in rerum natura existit, malitiam constituunt, minuunt, augent. At imperfectissime tantum haec a confessario cognoscuntur. Quod cognosci potest et debet, est peccati *species* atque specifica malitia diversa. Hanc solam a nobis strictim exponi posse evidens est: atque hoc loco solum *relativae* gravitatis quandam rationem et regulam dare intendo.

Ducem sequimur S. Thom., qui 1, 2, q. 73, a. 2 in corp. dicit:

»Multum interest ad gravitatem peccati, utrum plus vel minus recedatur a rectitudine rationis.« Dein a. 3 id magis explicans ait: «Oportet, quod peccatum sit tanto gravius, quanto deordinatio contingit circa aliquod principium, quod est prius in ordine rationis. Ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine: et ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiore fine, tanto peccatum est gravius.» Ex quo S. Doctor illico deducit obiecta esse attendenda: «Obiecta autem actuum sunt fines eorum, et ideo *secundum diversitatem obiectorum* attenditur diversitas gravitatis in peccatis: . . . unum peccatum est gravius altero, secundum quod est circa aliquid principalius vel minus principale» (v. g. aut circa bonum divinum aut bonum humanum, circa ipsius hominis substantiam aut eius externa bona etc.). — Pergit idem S. Doctor art. 4: «Virtuti opponitur peccatum dupliciter: uno quidem modo principaliter et directe, quod scil. est circa idem obiectum; nam contraria circa idem sunt, et hoc modo oportet, quod *maiori virtuti opponatur gravius peccatum*. . . Unde oportet, quod maximae virtuti contrarietur maximum peccatum.»

Porro si ab oppositione ad virtutes ordimur, planum est oppositionem ac proin peccatum eo gravius esse, quo magis immediate ob-



iectum virtutis violetur, seu quo magis directa oppositio sit contra obiectum virtutis formale, et quo nobilius hoc obiectum formale existat.

Nobilitas autem virtutis eiusque formalis obiecti atque ideo etiam e contrario gravitas peccati pendet tum a persona, circa quam sive virtus sive peccatum exercetur, tum ab ipsius boni specie, quod aut promovetur atque prosecutione intenditur aut laedendo impugnatur.

Hinc est, quod triplicem regulam statuere debeamus.

1486

Regula 1: Peccatum eo gravius est, quo nobilius et altius est *obiectum formale virtutis*, cui opponitur. (Nota tamen intra ambitum eiusdem virtutis, quae laedatur, graviora esse ceteris paribus peccata contra legem prohibentem quam contra legem praecipientem.)

Regula 2: Eo gravius est peccatum, quo nobilior est *persona*, contra quam dirigitur.

Regula 3: Eo gravius est peccatum, quo maioris momenti *bonum illud* est, quod peccato laeditur.

Ratio, quae primam regulam constituit, maxime principalis est et universalis. — Tertia regula practice primaria est, quae attendatur in peccatis contra proximum. — Secunda regula imprimis indicat graviora esse peccata, quae directe contra Deum diriguntur, quam quae contra hominem: in ipsis posterioribus peccatis ista regula auxiliatrix est, quae cum tertia coniungi debeat, ut de peccatorum gravitate et gradu iudicium feratur.

Sine ulla igitur contestatione peccata circa Deum divinaque bona graviora sunt peccatis illis, quae humana bona laedunt: quod non ita intelligi debet, quasi omnia peccata contra Deum quibusvis peccatis contra proximum sint graviora; nam quaedam sunt, quae, etsi contra divina bona committantur, materiae parvitatem admittant. Ceterum ex peccatis contra Deum vix aliae species, quam quae materiae parvitatem admittunt, malitiae gravitate peccatis proximum laedentibus possunt cedere.

Conemur igitur *primo ipsa peccata contra Deum divinaque bona* in certum ordinem redigere.

A. Omnium gravissima peccata sunt ea, quae directe sunt contra Divinitatem, ac primo quidem contra Eius *interna* attributa seu bona; dein contra Eius bona *externa*, i. e. debitum honorem.

B. Sequuntur peccata, quae committuntur contra Deum, non ut est in divina natura, sed ut in humana natura existit, i. e. contra Divinum Salvatorem: quamquam si directe contra ipsum, qui pro Deo agnoscitur, fiunt, vix possibile est, ut non gravissima illa *priora* peccata coniungantur.

C. Tertium genus peccatorum contra Deum ea sunt, quae contra Deum indirecte tantum fiunt, directe contra res Deo dicatas seu ad Deum speciali modo pertinentes.

Conferri potest hac de re *S. Thom.* 2, 2, q. 20, a. 3, atque ib. q. 10, a. 3; q. 34, a. 2; dein q. 13, a. 3; q. 94, a. 3; q. 97, a. 4; q. 99, a. 3; 3, q. 80, a. 5.

Ut ab ultimo loco *S. Thomae*, qui de sacrilega Communione agit, incipiam, *S. Doctor* brevissime ordinem diversorum peccatorum, quae contra Deum fiunt, explicat:

«Per se, (i. e.) secundum rationem suae speciei, quae attenditur ex parte obiecti . . . *gravissima* sunt peccata, quae committuntur in ipsam Divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiae. *Secundario* autem sunt gravia peccata, quae committuntur contra humanitatem Christi. *Tertio autem loco* sunt peccata, quae committuntur contra sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi; et *post haec* sunt alia peccata contra puras creaturas.»

Ut autem peccatorum eorum, quae directe sunt contra Divinitatem atque divina attributa, aestimetur relativa malitia, iuvat audire, quae idem *S. Thom.* 2, 2, q. 20, a. 3 de desperatione disputat:

«Peccata, quae opponuntur virtutibus theologicis, sunt secundum suum genus graviora peccata aliis. Cum enim virtutes theologicae habeant *Deum* pro obiecto, peccata eis opposita important *directe et principaliter* aversionem a Deo: si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale. Et ideo illud, quod primo et per se habet aversionem a Deo, est gravissimum peccatum inter peccata mortalia. — Virtutibus autem theologicis opponuntur infidelitas, desperatio et odium Dei: inter quae odium et infidelitas, si desperationi comparentur, inveniuntur secundum se quidem, i. e. secundum rationem propriae speciei, graviora. Infidelitas enim provenit ex hoc, quod homo ipsam Dei veritatem non credit; odium vero Dei provenit ex hoc, quod voluntas hominis ipsi divinae bonitati contrariatur, desperatio autem ex hoc, quod homo non sperat se bonitatem Dei participare. Ex quo patet, quod infidelitas et odium Dei sunt contra Deum, secundum quod est in se, desperatio autem, secundum quod eius bonum participatur a nobis. Unde maius peccatum est, secundum se loquendo, non credere Dei veritatem vel odisse Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso. — Sed si comparatur desperatio ad alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est *periculosior.*»

1488 Transmissis igitur peccatis contra praecepta *affirmativa*, peccata contra praecepta *negativa* fere sic ordinanda sunt:

1. Odium inimicitiae contra Deum, utpote quod aversetur Deum Deique bona universim, idque sub hoc respectu, quo summe amabilia sunt et quo summopere debent complacere.

2. Odium, quod vocari potest abominationis contra Deum, quo homo perversissima voluntate divina attributa detestetur tamquam sibi mala: quod odium utique concipi potest a scelesto peccatore, qui Deum vindicem timet, immo degenerare potest in ipsum odium inimicitiae.

3. Infidelitas cum apostasia et haeresi: quae divinae veritati directe opponitur.

4. Desperatio, quae divinae bonitati nobis communicandae atque Dei virtuti auxiliatrici nobis promissae opponitur.

Verum plena desperatio, cum promissis divinis non fidat, secum habet, immo *supponit haeresim*: quare, si eius gravitatem post haeresim

(sive infidelitatem) collocamus, id intelligitur de ipsa hac malitia superaddita, quae in aversione a propria beatitudine in Deo consequenda consistit. *Dein* accidere potest, ut haec aversio in aversionem contra Deum, adeoque in odium Dei tum abominationis tum inimicitiae transeat. Quo patet has solas rationes, etsi alias seponimus, iustissimas esse, cur dicatur a *S. Thoma* desperatio *periculosior*. — Peccata hucusque recensita contra *ipsa attributa divina* committuntur.

Dein recensenda sunt peccata contra *bona Dei extrinseca*:

1489

5. Blasphemia — quae utpote iniuriosa Dei tractatio maxime directe impetit divinum honorem. — Adverte tamen hanc ipsam *internam* malitiam superari posse non raro ab iis peccatis, quae blasphemiae radices sunt, nimirum odium Dei et infidelitas. Hoc ordine, i. e. *post* peccata contra theologicas virtutes eam collocamus tantum, quatenus *probrum contra Deum* continet.

6. Idololatria cum superstitione: est videlicet in se *magna blasphemia*. Immo quatenus simulata idololatria non est, est infidelitatis confessio, atque propterea si *coniuncta peccata* simul sumimus, post formale odium Dei primum locum occupabit, siquidem continet tum intensitate gravissima, tum extensione plura peccata, scil.: infidelitatem internam, blasphemiam externam infidelitatis professionem, *publici* cultus Dei perversionem.

Nihilominus id, quod *idololatriae qua tali* omnino essenziale est, non est infidelitas, siquidem idololatria esse potest ex metu simulata, neque directus blasphemandi animus, qui tum in simulata idololatria tum in idololatria vera et perfecta abest. Hinc est, quod *essentialem* idololatriae malitiam infra blasphemiae et infidelitatis malitiam posuerimus, atque indubitanter fateri debeamus haeresis peccatum multo gravius esse in se quam idololatriam metu commissam.

7. et 8. Accedunt alia peccata, quae etiam rationem blasphemiae, i. e. probri et iniuriae contra Deum, contineant, nimirum:

Periurium et tentatio Dei. Quodsi quaeris, quodnam horum peccatorum sit gravius, respondeo: si tentationem Dei sumis *directam*, iam simul habes peccatum infidelitatis et haeresis ac proin peccatum concomitans *maius*. Alioqui periurium, quod Deum facit testem falsitatis, videtur malitia esse gravius; impingit enim contra veracitatem Dei, quae sane inter primaria Dei attributa collocari debet, cum tentatio Dei probrose tractet (experimentum sumens) vix umquam alia quam attributa Dei *relativa*, v. g. eius benignitatem, misericordiam, liberalitatem.

Sequuntur peccata et iniuriae 9. quae contra Christum homi-1490 nem et 10. quae contra Christum in SS. Eucharistia latentem committuntur. Quod tamen intellige *ceteris paribus*: nam si atrox est iniuria, non solum inde colligitur subesse in animo hominis peccantis gravissimum peccatum odii contra Deum summamque blasphemiam, sed subiectiva actus malitia etiam intensitate et duratione augetur: hinc est, quod subiectiva malitia Christicidii gravior censi

debeat quam ipse solus affectus voluntarii odii, quod contra Divinitatem concipiatur. Nihilominus verum manet ipsa haec peccata summam malitiam sumere ex eo, quod contineant atque *re exercent* odium contra Deum; aliae rationes malitiae hanc non attingunt.

Simile quid dici debet de SS. Eucharistiae conculcatione atque contumeliosa tractatione: quae sane multo maius peccatum constituit quam indigna susceptio.

1491 Proxime sequuntur varia sacrilegia:

11. Simonia saltem ea, quae est iuris divini.

12. Profanatio rerum sacrarum. — Quodsi quaeris, cur simoniam rerum sacrarum externae profanationi praeposuerim, ratio est, quia maiorem iniuriam specificam continere videtur ea, quae ipsa mentis aestimatione adeo iniuriosa committitur, quam quae externo tantum abusu. Verum si sumis profanationem *ex malitia* ortam, facile concedo eam etiam graviolem evadere posse, quatenus oriatur ex *graviolem peccato interno*, scil. odio Dei, infidelitate, blasphemia: at de his iam non est quaestio.

13. Indigna sacramentorum susceptio.

14. Indigna sacramentorum administratio (in statu peccati).

15. Iniuria contra *personas* Deo sacras (ecclesiasticas) commissa.

16. Iniuria contra *res* Deo vel Ecclesiae sacratas commissa.

NB. Quae n. 15 et 16 notantur, sane pro rei seu obiecti magnitudine peccatis sub n. 12 etc. enumeratis graviora evadere possunt: quod iam inde patet, quia sacrilegia ex natura sua non excludunt materiae parvitatem, ita ut peccatum, quod specie sua sacrilegium sit, evadere possit veniale.

1492 17. Violatio voti Deo facti. Quam, etsi hoc loco posui, non puto sub omni respectu malitiae specificae inferioris esse quam sacrilegii — simile quid dic de sequenti iuramenti laesione. Nam consideranda sunt diversa sive voti violati sive sacrilegii obiecta. Sic personalis actio Deo promissa nec praestita maiorem malitiam continere potest quam levioris generis sacrilegium. Dein contingit, ut certis votis ipse homo Deo consecratur: quo in casu voti violatio est veri nominis sacrilegium merique voti violatione peccatum gravius. — Ceteris igitur paribus, si votum nude qua tale seu ipsa res promissa consideratur, violatio voti inferioris malitiae est quam sacrilegium. Nisi enim versemur in iis votis, quibus non solum Deo aliquid promittitur, sed, interveniente publica auctoritate Ecclesiae, etiam ipse vovens circa certas res et actiones Deo consecratur, votum in se solo spectatum ad id tendit, ut aliquid Deo speciali modo proprium *fiat*, ac proin violatio voti impedit, quominus res Deo speciali modo propria evadat; sacrilegium vero rem violat, quae Deo ita propria iam facta est. Sicut autem homo gravius laeditur per violationem rei sibi iam propriae quam per violationem rei sibi solummodo promissae; ita igitur Deus



gravius laedi videtur *sub hac ratione* per sacrilegium quam per voti violationem.

18. Violatio iuramenti promissorii: haec secundum speciem suam minus gravis est quam voti laesio, siquidem gravius ligat promissio, quae *Deo*, quam quae *coram Deo* facta est.

Hae sunt principaliores species peccatorum magis obviorum, quae contra Deum possunt committi. Quae autem in singulis speciebus quoad infimam speciem aliis alia graviora sint, ex tota theologiae moralis tractatione desumi debet; neque hic potest repeti.

Circa *peccata contra hominem humanaque bona* sufficit <sup>1493</sup> breviter aliquem ordinem pro diversorum bonorum laesione statuere.

I. Ceteris paribus graviora sunt peccata, si ordinem *personarum*, quae laeduntur, respicimus:

1. quae homo contra seipsum committit; dein sequuntur,
2. quae contra parentes et cognatos, superiores committuntur;
3. quae committuntur contra extraneos.

NB. Verum a 1. ordine ea excipere debemus, quae committuntur non in ipsam personam, sed in bona humana externa, nimirum in illa, quorum ius atque dispositionem homo habet: in iis enim seipsum homo non proprie laedit, cum iniuriam — utpote non invitus — a se non patiatur; magis coniuncti vero laeduntur minus inviti.

II. Si ordinem *bonorum* respicimus, peccata graviora sunt hoc <sup>1494</sup> ordine:

1. ea, quibus vita atque interna bona laeduntur;
2. ea, quibus ius coniugale laeditur (utpote contra primum bonum hominis nascituri);
3. quibus honor et fama laeditur;
4. quibus laeduntur bona fortunae atque similia iura.

Ergo hic ordo fere statuendus est in *reali* laesione (unde ordo in mentali laesione facile desumitur):

1. Homicidium (suicidium -- parricidium — simplex homicid.) atque similis personae laesio.
2. Adulterium.
3. Luxuria alia consummata.
4. Laesio honoris — laesio famae.
5. Furtum et damnificatio.
6. Luxuriosa delectatio incompleta.
7. Gulae delectationes: quas tamen, si graves evadunt, v. g. plena ebrietas, prae incompleta luxuria graviores esse censeo; immo si aggravantes circumstantiae accedunt, etiam aliis quibusdam peccatis sive luxuriae sive iniustitiae graviores, et saepe *causant* alia gravissima.

Nota ad 2 et 3. Quoniam in peccatis luxuriae innaturalia a <sup>1495</sup> naturalibus distingui debent, ratio autem adulterii aliarumque malitiarum in utrisque peccatis adesse potest: secundum duos respectus, tum internae et primariae malitiae, tum malitiae accedentis, ordinem gra-

dumque peccatorum statuamus oportet. Incipiendo a minus gravibus, gradus malitiae *contra naturam* hunc ordinem sequitur:

1. Pollutio, 2. sodomia imperfecta, 3. sodomia perfecta, 4. bestialitas. Ordo vero secundum malitiam luxuriae adiunctam est hic:

1. Fornicatio simplex, 2. sacrilegium, 3. adulterium, 4. incestus cum proxime cognatis: vide *S. Thom.* 2, 2, q. 154, a. 12. — Id tamen intellige, si solus finis rerum venerearum attenditur: sub hoc enim respectu revera hoc gradu et *hac serie* ordo a natura statutus gravius aut minus graviter laeditur. Rationem huius diversi gradus *S. Thomas* reddit, quod incestus istè laedat ordinem *ab ipsa natura inviolabiliter et perpetuo statutum*, seu assumat carnalem coniunctionem, quae perpetuo ab ipsa natura interdicta sit; adulterium contineat coniunctionem a natura quidem, *sed non ita perpetuo interdictam*, siquidem mors coniugis illud interdictum solvat; sacrilegium sit coniunctio non ab ipsa natura, *sed extrinsecus interdicta*.

Verum inde plane sequitur incestum in gradibus inferioribus, qui positiva lege tantum impedimentum matrimonii constituent, esse inferioris malitiae quam sacrilegium: immo sacrilegium *quatenus contineat peccatum speciali modo contra Deum*, facile malitia superare tum incestum tum adulterium.

Simile quid observa in comparatione adulterii et incestus. Nisi enim sumis incestum illum, quem ipsa iam natura hoc caractere notavit, adulterium, quippe quod ius alienum gravissimum idque sacramentali vinculo firmatum laedat, incestu gravius esse plane iudico.

---

Habet hic benignus lector paucas quasdam regulas, quibus peccatorum malitiam dignoscat, et quibus tum recolat tum suppleat ea, quae fusius de singulis peccatis in toto hoc volumine sunt tractata.

Verum gravior etiam cura, quam cognoscendorum peccatorum, ea esse debet, qua illa vitemus atque alios ad ea vitanda dirigamus. Quod cum solis humanis et naturalibus viribus praestari impossibile sit, ad divina adiumenta considerationem nostram transferre debemus, quorum explicandorum sequens volumen II provinciam potissimum sibi assumet.

Explicit theologiae moralis volumen I.

A. M. D. G.

---

INDEX RERUM

**Index rerum.**





# Index rerum

## voluminis I.

(Numeri indicantur *marginales.*)

### A.

- Abbreviare vitam** 731.  
**Abiectio sui vitiosa** 884.  
—— prolis quale peccatum 935.  
**Abominatio** quando et quale peccatum 774 775; — erga Deum 456 1488.  
**Abortus.** Definitio 1004; — a matre caute cavendus 934; — directum homicidium vel ei aequiparandus 1003; — illicitus etiam ad salvandam matrem 1006 sqq; — ad tegendum honorem puellae lapsae gravissimum crimen 1012; — in foetu extrauterino 1010 sq; — indirectus quando licitus 1005.  
**Abrogatio legis** 271; — quibus modis fiat *ib.*; — per subditos possitne fieri 272 sqq.  
**Absens.** Contra eum ut perficiatur praescriptio, tempus duplicatur 1099 sq; — possitne fieri contumelia 1432.  
**Absolutionem** alicui denegare ob pecuniam acceptam simonia est 530.  
**Abstinencia** ut virtus 871.  
—— a qualitate ciborum extra ieiunium 1455 sqq; — excludit esum carniū quo ambitu 1458; — diebus Sabbati servanda est lex loci 1455; — diebus ieiunii per se strictior 1460 1463 1466 sqq; — parvitatis materiae quae sit 1456 1466; — quosnam lex obliget 1457; — num dispensare possit parochus 263; — a communitate dispensatio recipi nequit per episcopum nisi ex speciali facultate S. Sedis 262; — num excludat pro dispensatis promiscuitatem carniū et piscium 1467 1474 sq.  
**Aatholicī.** Eorum templum adire num liceat 406 809; — cum ritu communicare *ib.* et *not.*; — contionibus interesse pro tempore et loco graviter prohibitum aut non *ib.*; — num legibus ecclesiasticis subiaceant 228. Cf. **Haereticus.**  
**Acceptatio legis** per subditos num requiratur 218; — in contractu quae necessaria 1256 1258; — speciatim in promissione 1285 1287; — in donatione 1288 1290; — in hereditate 1397 sq; — ex parte Ecclesiae in statu religioso diversi gradūs esse potest 642 sqq; requiritur ut status religiosus veri nominis existat 644, ut votorum irritatio per superiorem fieri possit 643 *not.*; — non semper cum approbatione coniungitur 644; — ex parte instituti religiosi 642; — quae in votis sollemnibus 651.  
**Accessio**, modus acquirendi dominii 1093.  
**Accessoria** praesumuntur si constat de re principali 200; — in contractu 1243 1278 sqq.  
**Accusatio (Accusator).** — in re iudiciali 970; quando fieri possit et debeat 971; — falsa 982.  
**Acedia** generice sumpta quale peccatum 890; — ut peccatum *speciale ib.*  
**Acquirere.** Acquirendi modi originarii 1079 sqq; — derivati 1079; — per praescriptionem 1094 sqq.  
**Actor** in iudicio qui vocetur 970.  
**Actualiter voluntarium** 60.  
**Actus humani et hominis** 51; — interni num et quo sensu lege humana exigi possint 221 sqq; num vi voti a religioso 693; — heroici 220 692.  
**Adeps** cf. **Pinguedo.**  
**Adiuratio** 572; — quomodo sit actus religionis *ib.*; — hominis fieri potest tum deprecando tum iubendo 573; — diaboli licita non est per deprecationem 574; publica indiget auctoritate episcopi *ib.*; cum cautione facienda *ib.*; — creaturarum irrationalium quo sensu intelligatur 573.  
**Adolescentes** usque ad annum 21 completum a ieiunio exemuntur 1470. Cf. **Filii.**  
**Adoratio** presse sumpta est actus latriae 471; — lato sensu 485; — crucis, quo sensu fiat *ib.*; — relativa *ib.*  
**Adulatio.** Notio vitii 920.

- Adulter** quomodo teneatur ad restitutionem erga maritum 1189; — si fuerint plures 1190.
- Adulteratio** rerum venalium illicita vel permessa 1322 *not.*; — apud opifices quae maxime cavenda 1325; — chirographi vel documentum 985.
- Adulterina** editio libri laedatne ius auctoris 1076 sq 1325.
- Adulterium**. Eius malitia 1049; — quem gradum in malitia peccatorum diversa occupet 1494 sq; — duplex quando 1049; — etiam adest in peccatis imperfectis *ib.*; — ut causa restitutionis 1189 sqq.
- Adventitia** bona filiorum familias 1058; — quae iura 1059.
- Advertentia** quae sufficiat ad contrahendam malitiam 77; — in homine laxo quando adesse censeatur 138. Cf. **Attentio**.
- Advocatus**, eiusque obligationes et iura 983 sq; — num post causam relictam possit contrariam partem iuvare *ib.*; — iniustam causam prosequens quomodo teneatur ad damnum resarciendum 984; — in causa criminali reum quomodo possit defendere 983.
- Aedificatio** in alieno fundo quid iuris efficiat 1093; — in proprio fundo ex aliena materia 1093; — templorum haereticorum, similibus 816.
- Aegroti** excusati ab audiendo Sacro 722; — excusati a lege abstinentiae 1457, et ieiunii 1470; — monendi de vitae periculo 1185.
- Aequiprobabilismus** 149; — defensores 153; — moderatus a probabilismo vix distinguitur 151; a S. Alphonso explicatus 164 170 sqq; — extremus reprobat 181 sqq.
- Aequivocatio** v. **Restrictio**.
- Aes alienum** impediens ab ingressu religionis 667 sq. Cf. **Debita**.
- Aestimativus** contractus 1339.
- Aetas** discretionis, qua incipiat obligatio faciliorem legum Ecclesiae 230; — pro confessione sacram. facienda *ib.* 1449; — pro prima Communione 1449; — pro Viatico *ib.*; pro obligatione ieiunii 1470; — ad votum faciendum 577; — ad statum religios. 654, quoad Fratres laicos 656.
- Aeterna** lex 278 sqq; — sitne lex sensu completo 280; — est fundamentum omnium legum 281.
- Affabilitas**. Notio 920.
- Affectata** ignorantia 75; — non aufert culpam 75 sq 78; — num minuatur voluntarium 77.
- Aggressor** iniustus contra quem homini licet se defendere 993 sqq; — innocens num haberi possit foetus in discrimine vitae maternae 1001.
- Agnoscere** nolle parentes, quale peccatum filii 949.
- Alapa** inficta ius non dat fugientem occidendi 996.
- Aleatorius** contractus 1354 sqq; ludus 1372 sq; — aleatoria mercatura in bursa 1367 sq.
- Aliena** res possit esse obiectum contractus 1244; — eam rapere, destruere 1109.
- Alloqui** inimicum quae possit esse obligatio 781 783 cum *not.*
- Alluvio** ut titulus acquirendi domini 1093.
- S. Alphonsus** aperte defendens probabilismum 164 166 sqq; — contra probabilismum scribens 169; — sano probabilismo numquam adversarius 170 sqq.
- Ambitio**. Notio 863 884; — non est in Deo eo quod velit omnia ad se referri 10.
- Amentes** num subiaceant legibus 226 sq 229; — licite iubentur laborare die festo 702; male provocantur ad blasphemiam 226; — capaces sunt domini 903.
- Amicitia** erga Deum geritur a Beatis 23 36; — ab hominibus iustis 329 440 726; — solvitur peccato mortali *ib.*; non veniali 335.
- Amissae** res quomodo tractari debent ab inventore 1089 sqq; quando fiant inventoris 1090 1091.
- Amor**. Beatorum erga Deum necessarius 23 25, tum am. concupiscentiae 35, tum caritatis 36; — essentialiter idem atque caritas in hac vita 36; — sitne visioe perfectior 27 29.  
— hominis in Deum: benevolentiae 440; — beneficentiae sitne erga Deum possibilis 442; — concupiscentiae 425 440; — gratitudinis 445.  
— parentum erga filios debitus 932 sq.  
— filiorum erga parentes similiter debitus 950.
- Amputare** membrum licet ad salvandam vitam 734; — uterum matris gravidum num liceat 1011.
- Animae** in purgatorio detentae num orari possint 482.
- Animalia**. Distinguuntur in fera, mansueta, efferata, mansueta 1082; — fera occupatione transeunt in dominium privatum 1083; mansueta et mansueta non fiunt primi occupantis *ib.*; — turpiter tangere quale peccatum 1036 1047; — turpiter agentia aspicere 1031.
- Annexa**. Res spirituali — quae vendi sine simonia nequeat 532.
- Antecedens** ignorantia 75; eius influxus in voluntarium 76; — concupiscentia 80; eius influxus in voluntarium 81 82; — quando transeat in *consequentem* 80; — concupiscentia simpliciter et secundum quid 81; — conscientia 112; — lex quae vocetur 186 191.
- Antecedenter** annexum rei spirituali 532.
- Antemorsaica** lex divina 292.
- Apes** alienas attrahere vel occupare, quomodo illicitum 1086.
- Apostasia** a fide 413.  
— ab ordine religioso 690.

**Apostolorum** symbolum quomodo sciri et credi debeat a christianis 393 sqq.  
**Apparitor** 986; — num possit a singulis integrum salarium recipere *ib.*  
**Approbatio** rei malae quale peccatum 355 356.  
 — status religiosi ex parte Ecclesiae 641.  
**Arbiter** 963.  
**Architectus** quoad operarios 1343; — errans in computo quomodo petere possit compensationem 1327 1343; — aedificans aedes quae pravum finem habent 816.  
**Ascendentes** quando heredes necessarii 1390 sq; — quamnam portionem legitimam sibi vindicent 1386 sqq.  
**Aspectus** turpis 1031 1035 1041, graviter obscenus *ib.*; — quando graviter peccaminosus 1032 1035.  
**Asseratio** diversarum rerum Natura contractus 1354; — conditiones obiecti assecurati ex natura necessariae 1355; — iniusta ex parte assecuratoris 1355 1357; — ex parte assecurati seu rei assecurateae 1356.  
 — contra incendium 1358 sq.  
 — vitae 1360 sqq; — iniusta ex parte assecurati 1361; — ex parte assecurati 1362 1364; — contractus nullitas vel sanatio 1363 1364; — restitutio inde oritura 1364.  
 — operariorum 1365; — modus committendae iniustitiae 1366.  
**Astutia.** Notio 855.  
**Attentio** quae requiratur ad peccatum 338; — quae sufficiat ad peccatum veniale *ib.*; — quae requiratur ad peccatum mortale 337 339 sqq; — ad specificam malitiam non oportet esse nisi confusa 338; — num requiratur ad poenas aeternas, ut peccatum sit mortale 343; — perfecta diu abesse potest in tentationibus 346; — perfecta unde dignoscatur ab imperfecta 344 346.  
**Auctor.** Eius iura 1076 sqq. Leges ea iura determinantes in conscientia ligant 1077.  
**Auctoritatis** divinae contemptus est essentia peccati 322.  
**Audacia** vitium fortitudini contrarium 860. Ex—subire periculum vitae 738.  
**Audiens** sermones turpes, quomodo peccet 1034; — detractionem famae 1428.  
**Aureola** sanctorum Doctorum, Martyrum, Virginum 48 sq.  
**Aurifaber** a quibus fraudibus specialiter cavere debeat 1325.  
**Auriga** quid possit diebus festis facere 706; — vehens ad domos suspectas 830.  
**Austeritas** vitiosa 878. — Corporales—exercere cum vitae abbreviatione num liceat 731 cum *not.*  
**Autochiria** quale peccatum 732; — num mandari possit reo capitis 733.

**Avaritia.** Notio et peccaminositas 889; — fons est multorum peccatorum *ib.*

## B.

**Barbitonsor.** Possitne diebus festivis artem suam exercere 707.  
**Beatitudo.** Quid sit 11; est hominis finis 11 sqq; — est finis creationis secundarius 10; — debet ad Dei gloriam referri 15; — supernaturalis sita est in Dei visione et fruitione 12 sqq 18 20 sqq 25 sqq, eaque perenni 17; — cum summo Dei amore coniungitur 23; — infert summum gaudium 24 37; — accidentalis quae sit 43 sqq.  
**Bellum** potest esse iustum et necessarium 1018; — ex quibus causis sit iustum 1019; — possitne suscipi cum incertitudine iustitiae 1020; — cessare debet si offeratur competens satisfactio *ib.* — Bellandi modus 1021 sqq.  
**Benedictae** res quae vendi nequeant salvis indulgentiis eis annexis 549.  
**Benefactor** fraude circumventus 1161.  
**Beneficentia** in Deum num sit possibilis 442; — in homines cf. **Caritas. Eleemosyna.**  
**Beneficium** ab altero avertens quando sit obnoxius restitutioni 1158 sqq.  
 — ecclesiasticum minus digno collatum 1159, aut indigno *ib.*; — vacans per literas interceptas obtentum 1168.  
**Benevolentia** in Deum 442; — in proximum v. **Caritas.**  
**Bestialitas** 1047; — num accusari debeat species et sexus bestiae *ib.*  
**Biblia** acatholica liceatne adhiberi in praestando iuramento 552 *not.*  
**Bibliopola** possitne libros prohibitos exponere et venales habere 821 cum *not.* Cf. **Typographus.**  
**Bilateralis** contractus. 1240.  
**Blasphemia** eiusq. malitia 506 sqq; — malitia relativa ad alia peccata 1489; — excusatio ex inadvertentia 516, vel corruptione verborum 515, — haereticalis 507; — imprecatoriæ 507, quae est aliis malitia gravior *ib.*; — variis modis committi potest 508; — iocando quando committatur 510; — non requirit Dei contumeliam directam 509 510; — unde dignoscenda 511; — in Sanctos num sit alterius speciei 509.  
**Bona fides** necessaria ad praescriptionem in conscientia 1097 1108; — quae in extinguis servitutibus 1103, vel debitis *ib.*; — superveniens 1097; — heredis num valeat in mala fide praedecessoris 1106 sqq.  
 — bonae fidei possessor non tenetur de damno 1133; — tenetur restituere rem exstantem in se vel in aequivalenti *ib.*; — debeatne pretium rei venditae domino

reddere 1137 sq; — rem emptam quando furi reddere possit 1132 1137 sq; — quas obligationes habeat circa rem alienam 1132; — quas expensas possit deducere in re reddenda 1138. In bona fide relinquere 1135 1212 1226.

**Bona fortunae** quaerere quae sit obligatio 743 746 936 958 sq; — num recuperari possint occisione furis 995 sq; — hominum privatorum num laedi possint in bello 1021 1022.

— ecclesiastica violare est sacrilegium 523. Cf. Clericus. Filius familias. Uxor.

**Boni actus morales** 53.

**Bonitas v. Moralitas.**

**Bonum melius** quid intelligatur in voto 583. «Boycott» 1349.

**Bursa.** Negotia aleatoria in ea 1367 sq.

### C.

**Caesarea sectio licita** 1009 1010; — quando debita 1009; — caute matri suadenda 1009.

**Calumnia** 1418; — quomodo differat moraliter a simplici detractioe 1418 1421; — quoad reparationem famae et restitutionem damni 1437 1438; — num sic vocare liceat denuntiationem veri criminis quod non possit probari 977.

**Campanas** pulsare simul cum acatholicis sitne cooperatio illicita 812, — ex conventione *ib.*; — in templo acatholico *ib.*

**Cantus sacer** in templo haeretico 813; — obscenus quale peccatum 1034.

**Capitis damnatio** num privet usu domini 1255; — possitne fieri contra innocentem iuridice reum probatum 964 sq. — diminutio 1255.

**Carcer.** Liceatne eum infringere, et cui 979; — eius custodem decipere 979.

**Caritas** est virtus omnibus aliis superior 449 452 461; — ut virtus theologica 440; — num excludat amorem propriae beatitudinis 441; — potest hunc amorem imperare ab eoque imperari *ib.*; — est essentialiter amicitia cum Deo 440; — nititur in Dei perfectione in se spectata 444; — num niti possit in Dei attributis relativis 445; — ex cogitata Dominica passione oriunda 446; — diversos gradus habet essentielles 448; — semper excludere saltem debet quodvis peccatum mortale 442 448; — quovis peccato mortali superveniente exstinguitur 329 456 740; — est saepius elicienda 450 sqq; — quo sensu medium salutis necessarium 449 451 453; — quam sit efficax 449 451 sqq 455; — quam facilis in N. Test. 453; — num sola mereatur 369 452; — aliis motivis quoad meritum longe praestat 374 452; — potest alia motiva imperare 374. — extenditur ad homines 726 747; — erga proximum quomodo eadem virtus sit atque caritas erga Deum 748 sq; exer-

cenda est erga quoslibet, etiam infideles 762; — quem ordinem postulet in opitulatione 759 760, in complacentia et appetitione 760; — extenditur ad nosmetipsos 727 728; — quam postulet curam corporis 729 sqq; — qua talis urget ad colligenda merita 741; — obligat ad procuranda media temporalia 743 sq, quomodo ad electionem status 745; — laeditur quovis peccato gravi 740, specialiter peccato impenitentiae *ib.*; — num laedatur omissione boni operis proximorum causa 742.

**Carnes** quarum esus diebus abstinentiae prohibetur 1458; — parvitas materiae 1456; — num pluries edi possint a non-obligatis ad ieiunium, quando fit dispensatio in mandato quadragesimali 1466 1474; — simul cum piscibus edere non licet tempore ieiunii 1467, neque licet dispensatis a ieiunio *ib.*, licet excusatis ob morbum *ib.*, licet etiam dispensatis ad esum carnum in diebus solius abstinentiae 1475; — num liceat edere ne quis dignoscatur ut catholicus 406. — Dispensationes a S. Sede datae 1477 sqq; — sitne esus obligatorius, ut mors avertatur 731. — Carne humana liceatne vesci umquam 891.

**Castitas** ut virtus 871; — quomodo laedatur v. Luxuria.

— ut votum quando sit reservatum 627; — in coniugato non est pleno sensu reservatum 628; — dispensatio saepe datur sensu non pleno *ib.*; — post dimissionem ex Congregatione religiosa quomodo tractandum 629; — caute permittendum puellis ut emittant 631; — non solet dispensari nisi adiuncta gravi commutatione 631; — laesio quando sit sacrilegium 528. — C. religiosa voto promissa extenditur ad actus internos 687; — obligat quomodo ad clausuram *ib.*; — quae sit impedimentum matrimonii dirimens *ib.*

**Castratio** puerorum num licita 735.

**Castrensia** bona filiorum fam. 1058; — quae iura 1059.

**Casualia** bona clericorum quae vocentur 1070; — quid iuris clericis competat *ib.* 1074.

**Cathedralis** ecclesia sitne locus aptus ad legem paschalis Communionis implendam 1452.

**Caupo** quoad ephemerides pravas 822; — quoad dandum potum ebriosis 832; — quoad carnes dandas diebus esurialibus 837; — quoad choreas 802.

**Causa.** Divisio in physicam et moralem, immediatam et mediatam etc. 71; — negativa aut positiva *ib.* 72; — effectus mali in genere 72 sqq; — motuum inhonestorum quando peccaminosa 74; — in luxuriam



- influens: gravis 1031, levis 1031, media 1031; — quomodo vitanda 1029; — quando peccaminosa 1030.
- Causa contractus** quae dicatur et quem habeat influxum in contractum 1245.
- criminalis. In dubia—quid iudicium agendum 964.
- civilis. In dubia—quid agendum 966; — pia quando potioris iuris 967; — adversarii non positive iuvanda ab advocato alterius partis 983.
- dispensationis motiva et impulsiva 265.
- Cautio ut virtus.** Notio 853.
- Census** 1299; — realis et personalis *ib.*; — personalis num sit illicitus *ib.*
- Cenula** diebus ieiunii permissa 1461 sqq; — quantitas ciborum permissa 1462; — excessus qui sit gravis 1465; — qualitas ciborum 1463; — possitne augeri in vigiliis summorum festorum 1469.
- Cerebri** mala affectio multum influit in liberam hominis determinationem 90.
- Certitudo** honestatis actionis quae requiratur ad licite agendum 121 148 sqq; — ultimi dictaminis conscientiae *ib.* 122 180 181 sq; — subiectiva quae necessaria ad iuramentum 558.
- Cessatio legis** 271 sqq 276; — dispensationis 267 sqq.
- Cessio** bonorum num liberet ab obligatione solvendi debita residua 1230; — quem ordinem postulet in solvendis debitis 1219 sqq; — num permittat quorundam bonorum occultationem 1230.
- Chirographorum** mercatura aleatoria 1367. Pericula peccandi in ea 1368.
- Chirurgica** operatio possitne esse obligatoria 730; — pro matre ad salvandum foetum 1009; — sitne licita quando inferat mortis periculum 737.
- Chorae.** Eas instituire, quando sit peccatum 802; — eas sustinere contra aliorum pium conatum *ib.*; — iis interesse *ib.*
- Christiana** lex divina 295 sqq; — quando incepterit esse obligatoria 297; — perfectior longe est legibus prioribus 296.
- Cibos** praeparare, quomodo liceat diebus festivis 707; — esuriales v. **Abstinentia**; — respuere liceant reo 731.
- Circumstantiae** sunt frequenter fons moralitatis 96; — externae et internae 103.
- Clamata** res ad dominum 1130.
- Clausura** religiosa 687.
- Clementia,** virtus praecipue superiorum 875.
- Clericus** quoad exemptionem a iurisdictione civili eiusque legibus 232.
- quoad bona temp. 1070; — restricta utitur libertate quoad bona ecclesiastica 1072; — male de iis disponens 1073; — cognatos ditans 1074; — testari num libere possit 1072 *not.*; — ab intestato decedens cui bona relinquat 1074 1072 *not.*; — quid aedificationis causa cavere debeat 1075.
- Codicillum.** Codicillaris clausula in testamento 1405.
- Coelum** Beatorum in certo loco constituitur 44.
- Coenula** vide **Cenula**.
- Cogitatio** de re mala speculativa aut practica 355; — curiosa de re venerea quale peccatum 356; — morosa quae dicatur 1033; — quam habeat malitiam specificam 363 sq.
- Cognitio** in Beatis quae adsit 30 sqq; — quae necessaria sit circa legem ut obliget 176 179.
- Collatio** donorum quae fieri debeat in divisione hereditatis 1290 1412.
- vespertina diebus ieiunii v. **Cenula**.
- Colloquium** cum persona inordinate dilecta quale peccatum 1031 cum *not.*
- Columbae** habentur pro animalibus mansuefactis 1083 1086; — eas attrahere ad proprium columbarium 1086.
- Comitas.** Notio virtutis 920.
- Comitatus** publica. Electio deputatorum quae obligatio 955 sq. In com. malum suffragium dare quando sit causa restitutionis 957 1201.
- Commendatio** candidati quae inferat crimen simoniae 531 533 538.
- Commixtio** rerum quid efficiat quoad dominium 1093.
- Commodatum.** Notio contractus 1291; — obligationes utriusque contrahentis *ib.*
- Commodum** naturae quaerere, sitne moraliter indifferens 107 108 sq.
- Communia** bona inter coniuges 1063 sqq.
- Communicabilitas** summa in Deo ratio creandi 4.
- S. Communio** annua lege eccles. praescribitur etiam elapso tempore paschali 1453; — sacrilega non implet eccl. legem 246 1454.
- paschalis 1452 sqq.
- Communitas,** quando laesa fuerit, cui sit restituendum 1128 1215.
- Commutatio** votorum 625; — a quo fieri possit *ib.*; — possitne fieri propria auctoritate qua restrictione *ib.*; — votorum quorumlibet privatorum fit in susceptionem status religiosi 616. — Exempla commutationis 632; — iuramenti 630.
- Compensatio** in rebus temporal. licita vel non iniusta 1124 sq; occulta *ib.*; — possitne fieri a famulis ob mercedis exiguitatem 1126; — quae competat causae damni secundariae 1213; — possitne fieri in probabilitate iuris 1125; — quibus conditionibus subiecta 1124 sq.
- Complacentia** ut primus voluntatis actus 66; — in Deum 442 448.
- Complex** num prodi possit vel debeat a reo 976.

- Compositionis Bulla** 1218.
- Computationes filii minoris num solvi debeat** 1253.
- S. Concilii Congregatio** 303.
- Concilium oecumenicum legiferam. potestatem habet in totam Eccles.** 211; — provinciale in totam provinciam 212; est singulari episcopis superior *ib.*; — dioecesanum non habet potestatem 213.
- Concionator num et quando a ieiunio eccles. excusetur** 1471.
- Concomitans error vel ignorantia quoad voluntarium** 76 79; concomitanter annexum rei spirituali aut intrinsecus aut extrinsecus 532.
- Concordata partim sunt pacta rigorosa partim privilegia** 319; — non intelliguntur revocata revocatis privilegiis *ib.*
- Concubinatus. Eius malitia** 1037.
- Concupiscentia** 80; — antecedens et consequens *ib.*; — influens in voluntarium 81 sqq. — Eam non reprimere, quando peccatum 82.
- Condemnatoria sententia** 313
- Conditio in contractu** 1242 1281 sq; — suspensiva vel resolutoria 1278; — impossibilis et turpis per se nullum reddit contractum 1282; — quando habeatur pro non-adiecta *ib.*, — quando sufficit aequivalenter impleta 1281. — in testamento 1406; — impossibilis et inhonesta modo pro non-adiecta habetur, modo nullam reddit dispositionem *ib.*; — quomodo implenda sit 1413. — in voto quomodo sumatur 581 601.
- Conditionata desideria quoad peccaminositatem** 362; — paupertati religiosae opposita 686.
- Condonatio quando liberet a restitutione** 1213 1229; — praesumpta num sufficit 1229; — a S. Pontifice facta 1218 1234; — quae re ipsa circa bona eccles. facta fuerit 1237 sq.
- Confessarius quoad usum opinionum probabilem** 206 sqq; — possitne erga poenitentem uti opinione quam habeat falsam 209; — num possit dispensare in legibus eccles. 263; — in causa restitutionis possitne haberi pro negotiorum gestore creditoris 1225; — pravos motus patiens ad quid teneatur 1041; — praepropere mandans restituere pauperibus 1226.
- Confessio impediatur assistentiam Missae praecipiam** 717; — annua 1449 sqq; — quos obliget 1449 sq; cui fieri debeat vel possit 1451; — quomodo computanda 1450; — omissa quomodo supplenda 1450; peccatorum venialium num lege eccles. comprehendatur 1450; — sacrilega non implet legem eccles. 246 1454.
- Confidentialis simonia** 545 *not.*; — eius poenae 547.
- Conformitas cum lege aeterna: quae tendentia sit necessaria** 191.
- Confraternitas. Receptio in eam simoniaca est invalida** 549.
- Congregationes Romanae earumque officia** 300 sqq; — num habeant potestatem dominativam in religiosos 697. — religiosas possintne vota suorum irritare 611 643 *not.*; — quoad votum castitatis post dimissionem 629.
- Congrua, quae dicitur, clericorum quoad ut bona ecclesiastica tractanda** 1075.
- Coniugalis societas** 928; — regitur a viro *ib.*
- Coniux v. Femina. Maritus. Uxor.**
- Conscientia. Quid sit** 111; falsi conceptus 111 *not.*; — sedemne habeat in ratione an in animi sensu *ib.*; — possitne in homine plane deesse 113; — medium est cognoscendi Dei 113; — distinguitur in veram et rectam, erroneam et falsam 114 116 sqq; — certa et dubia 115 119 sqq; — perplexa 124; — tenera, scrupulosa, laxa 115 125 sqq.
- Consensualis contractus qui sit** 1240.
- Consensus in concupiscentiam quid efficiat quoad voluntarium** 80 81; — distinguitur a non-repulsis 82; — in cogitationem practicam turpem 355 356; — imperfectus quomodo dignoscendus 136 345 346; — in damnum inferendum quam inducat obligationem restituendi 1199; — qui in contractu sit essentialis 1256 sq; — interius sitne ad contr. necessarius 1256; — quid faciat externus *ib.*; — mutuus 1258; — separatim datus ab utroque sponсорum num sufficit ad contrahendum matrimonium 1260; — legalis num suppleat defectum consensus interni 1256; legalis superioris quid efficiat in consuetudine legis abrogatione 272; — in suffragatione iniqua 1199 sqq.
- Consequens concupiscentia** 80; — influxus in voluntarium 81 82; — conscientia quae dicatur 112; — lex 186 191. — quenter annexum rei spirituali 532.
- Consilium num possit fieri praecipivum** 109 110 *not.*; — in lege christiana 295; — alteri datum 1194; — nudum aut vestitum quid sit *ib.*; — damnosum *ib.*; — quando censeatur damni efficax et restitutioni obnoxium 1195; — mali minoris deturne licite 799 1196; num etiam in causa iniustitiae 799.
- Consistorialis Congregatio** 301.
- Constantia ut virtus** 868.
- Consuetudo, influxus in determinationem liberi arbitrii** 89; — legem abrogans 272; — quae vim abrogandi non habeat 273; — rationabilis et irrationabilis 273; — num ad abrog. legem requiratur bonam fidem 274; — quando legem inducat 272 *not.*
- Contemptus divinae auctoritatis momentum essentiale in peccato** 322; — parentum

- quale peccatum 949; — superiorum 954.  
Cf. **Contumelia**.
- Contentio** quale peccatum 838.
- Continentia** 873.
- Contingentia** futura. Cogitationes captiosae de iis quomodo vincendae 137.
- Contractus**. Notio et divisio 1240 sqq; — requirit consensum et internum et externum 1256 sq; — num perficitur consensu mere legali 1256; — expressus et tacitus 1242; — turpis 1248 sqq; — in fieri et in facto esse 1243 sqq; — stricti iuris et bonae fidei 1241; — quoad essentiam naturam, accidentia 1243; — quoad obligationem 1271; — infirmus 1272; — quomodo corrumpat 1271; — informis quid valeat 1275 sqq; — iuramento firmatus 1283. — **Obstacula**: Error quis faciat c. nullum, quis rescindibilem 1262 sq. — Metus faciatne iure naturae c. nullum an lege positiva 1265 sqq; — quo metu fiat rescindibilis 1265; — irritus lege positiva quomodo intelligatur 1274 1276 sq.
- Contradictionis** libertas 61.
- Contrahentes** liberi aut impediti 1252; — qui esse possint *ib.*
- Contrarietatis** libertas quid sit 61.
- Contumelia** quid sit 949 954 1432; — peccatum ex se grave 1434; in diiudicanda gravitate considerandae sunt personae *ib.*; — proprie fit in praesentem sive in se sive in repraesentatione 1432; — in absentem qui nihil auditurus est, non est *ex se* peccatum grave *ib.*, nisi fiat ex contemptu *ib.*  
— contra Deum 506; quomodo contineatur in peccatis 326; — in Sanctos et res sacras 509 522.
- Conventio** patronorum 1332 sq; — operariorum 1334 1344 sqq; — eumentium in licitatione 1337.
- Convivium** instituere in loco sacro quale peccatum 527.
- Cooperatio** ad alienum peccatum quot modis fiat 786; — formalis aut materialis 804; — formalis nunquam licita 805; — materialis tantum pro causis et circumstantiis licita aut illicita 805—807; — remota quando licita 808.  
— ad damnum: positiva 1192 sqq; — negativa 1206 sqq; — quando ad restitutionem obliget 1206; — quem inferat ordinem in restitutione 1209 sq; — negativa num possit obligare *ante* positivam 1210.
- Coquus**. Quos labores facere possit diebus festivis 707.
- Corpus proprium** quomodo caritate supernaturali diligendum 729. — Quae cura ei adhibenda 730 sqq 743.
- Correctio** fraterna 766; — distincta a iudiciali et paterna *ib.*; — cuius sit obligationis 767 sqq, sub quibus conditionibus 769; — raro obligat non-superiores 769 772, multo minus scrupulosum 137.  
— Ordo in ea servandus 770; — in defectibus levioribus num obliget 772; — erga peccantem materialiter tantum 773; — quando omittenda eique substituenda delatio ad superiorem 771. — Correctionis causa aliena peccata cum altero communicare quando liceat 1424.
- Corruptio** verborum num excuset a blasphemia 515; — medici in causa militiae quale peccatum 1177; — custodum in causa tributorum 979.
- Craniotomia** foetus vivi illicita 1001 sq; — num silentio premi possit 1002.
- Crapula** ut causa praevisae pollutionis quale sit peccatum 1041; — ut causa praevisae Missae non audiendae 229 252. Cf. **Gula**.
- Crassa** ignorantia quae 75; — non excusat violentem leges a peccato *ib.*; — num minuatur peccatum 77.
- Creatoris** et creationis finis 3 sq.
- Crederet** non est utrumque veritatibus revelatis assentire 379 412; — quid credi debeat necessitate medii 390 sqq; — quid necessitate solius praecepti 393 sqq.
- Creditor**. Qui praeferendus in solutione debitorum 1219 sqq; — creditoris num possit substitui in causa restitutionis 1231.
- Crimen occultum** narrare est detractio famae 1417; — occultum uni alterive homini prudenti narrare 1421; — hominis ignoti 1421; — in genere narrare de oppido seu regione vel de communitate 1421; — occultum narrare *ut auditum* sitne gravis detractio 1422; — narrari ab iis quibus fides non solet adhiberi 1422; — publicum narrare ignaris non est detractiois peccatum 1419 1423; — olim publicum, nunc oblitteratum liceatne resuscitare 1423; — testis in iudicio num possit a reo publicari 1425.
- Crudelitas**. Notio 875.
- Cruenta** defensio 993 sqq; — vitae propriae 993; — quando illicita 994; — membrorum 994; — pudicitiae *ib.*; — bonorum temporal. 995; — honoris nequit fieri 996; — aliorum licita, an debita 997; — possitne fieri cum intentione necis aggressoris 993; — illicita est contra eum qui non sit actualis aggressor 995 996; — puniatio quibus licita 998 sq.
- Culpa** theologica et iuridica 1149 sqq; — iuridica lata, levis, levissima 1150; — theologice venialis num obliget ad restitutionem 1153.
- Cultura** animi quae sit fovenda ex obligatione 743; — num negligatur ab Ecclesia 746.
- Cultus** Dei obiectum proprium religionis 468; est latria 471; — exerceri potest quolibet actu bono 469; — natura duce exercetur speciatim sacrificio 472; — publicus

quomodo lege divina praescriptus 701;  
 — exhiberine possit laboribus servi-  
 libus ad eum spectantibus diebus festi-  
 vis 705 711; — vitiosus superstitiosus 488;  
 — falsus aut superfluus *ib.*; — super-  
 fluus admittit parvitatem materiae 491.  
**Cultus sanctae crucis** qui exhibeatur 485.  
 — sanctorum, per invocationem 481;  
 — per honorem reliquiarum et imaginum  
 485; — publicus quibus reservetur 486 sq;  
 — privatus erga quos permittitur 487.  
**Cura a parentibus filiis impendenda:** cor-  
 poralis 934 sqq; — spiritualis 937 sqq;  
 — proximis necessitate pressis debita 754 sqq  
 950; — quam sibi quisque debet 728 sqq  
 740 sqq.  
**Curiositas.** Quale vitium 879.  
**Custos agrorum** debeatne ex silentio re-  
 parare damnum 1208; — in poena capienda  
 quomodo agere debeat 987; — possitne  
 ansa esse ad delinquendum 798.  
 — carceris possitne reum capiendum  
 occidere 998; detentum iuvare in fuga  
 979; — publicae securitatis debet  
 cum proprio periculo alios defendere 997.  
 — tributis praepositus 1174.

## D.

**Damnificatio** quae obliget ad restitutionem  
 1148 sqq; — inculpabilis 1156; — venia-  
 liter culpabilis 1153 sqq; — erga dominos  
 incertos ad quid obliget 1216.  
**Damnum** incurrendum quod a lege ex-  
 cuset 249 250; — excusans ab audienda  
 Missa 722 723, a requie festiva 709 sqq;  
 — emergens titulus recipiendi fenoris in  
 mutuo 1308; — quod res patitur a quo  
 ferendum in locatione 1341 1342, in de-  
 posito 1292, in commodato 1291.  
**Debita** contracta quae impediunt ingressum  
 in religionem 667 sq; — solvenda quo  
 ordine 1219 sqq; — incerta 1216; —  
 num praescriptione in foro conscientiae  
 extinguantur 1103 1108; — num ex-  
 stinguantur cessione bonorum 1230.  
**Decalogus** quomodo sciri debeat a fidelibus  
 393.  
**Decipere** custodem carceris ad elabendum  
 979; — custodem in causa vectigalium  
 1174; — medicum in causa militiae 1176.  
**Declaratio** legis comprehensiva et exten-  
 siva 307 *not.*; — propriae posses-  
 sionis vel reddituum annuorum in causa  
 tributis quomodo obliget 1173.  
**Declaratoria** sententia 313.  
**Defectus** morales alterius publicos facere  
 v. **Detractio.**  
 — naturales publicare quale peccatum  
 1420.  
 — rei vendendae quomodo manifestari  
 debeant 1321.  
**Defensio** cruenta v. **Cruenta defensio.**

**Deformare** seipsum liceatne ex fine spiri-  
 tuali 735.  
**Defuncti.** Eorum famam laedere quale  
 peccatum 1426.  
**Deicidium** quo sensu contineatur in peccato  
 mortali 331.  
**Deiectio** animi a desperatione distinguenda  
 435.  
**Delatio** v. **Denuntiatio.**  
**Delectatio** ut actus voluntatis 69; — quae  
 adsit in **Beatis** 24 37; — eaque etiam  
 corporalis 43.  
 — morosa 353 355; — quam habeat  
 in re mala malitiam specificam 363, in  
 confessione declarandam 364; — de re  
 mala cogitata distingui debet a del. de  
 cogitatione rei malae 355; — de modo  
 lepido vel ingenioso 357; — morosa in  
 re venerea 363 sq 1026 1033; — sensi-  
 tiva a venerea distincta 1027, eam quae-  
 rere quale peccatum *ib.*  
**Delegata** potestas possitne subdelegari 266.  
**Deliberatio** quae in peccato sufficiat 321;  
 — in votis quae necessaria 577.  
**Dementia** aut exstinguit, aut minuit liber-  
 tatem 91.  
**Denominative** voluntarium 56.  
**Denuntiatio** fraterna et iudicialis 766; —  
 quando in genere licita, necessaria, illicita  
 971 976; — criminis in communitate com-  
 missi 971 sq; — ab Ecclesia praescripta  
 972 sqq.  
**Deportatio** ut poena civilis privetne usu  
 domini 1255.  
**Depositum** quid sit et quae iura 1292; —  
 quomodo caveri debet de rei periculo *ib. not.*  
**Deputatus** qui eligi possit 956; — quae  
 habeat officia 957.  
**Derivatus** modus acquirendi domini 1079.  
**Derogatio** legis 271. Cf. **Abrogatio.**  
**Descendentes** heredes legitimi et necessarij  
 1386 sqq 1393 sqq.  
**Desiderium** Beatorum omne impletur 42;  
 — perpetuo vivendi in hoc mundo sitne  
 contra spem 439; — mortis modo bonum  
 modo vitiosum 739, idem concomitans in  
 subeundis periculis 736; — peccaminosum  
 efficax vel inefficax 353 362; — quoad  
 specificam malitiam 362; — conditiona-  
 tum quando sit a malitia immune 362,  
 paupertati religiosae oppositum 686; —  
 mali alieni quando et quale peccatum 778.  
**Desperatio** 434; — non unius speciei 435;  
 — *in se* quoad malitiam infidelitate minus  
 gravis 1487; — at periculosior et cum  
 gravioribus peccatis non raro coniungitur  
 1488; — quomodo vincenda 136 435.  
**Desuetudo** legem abrogans 272 sqq.  
**Deteriorare** merces 1322 1325 1343.  
**Determinismus** 88.  
**Detractio** simplex quando sit peccatum  
 grave aut leve 1419 1424. Cf. **Diffama-  
 tio.**



- Diabolus** intervenit in superstitione 489 490, idque explicite aut implicite seu interpretative 495. — Num in dubio liceat agere cum protestatione 496 504; — in peccatis luxuriae si interveniat in forma visibili vel vera vel imaginaria 1047.
- Diabolus me (te) auferat**• sitne blasphemia 513; — num iuramentum execratorum 555.
- Diffamatio** quibus modis fieri possit 1417; — est peccatum grave, at cum materiae parvitate 1418; — unde desumenda gravitas 1419 sqq; — quando evadat licita 1424 1425; — num licita sit erga testem in iudicio 977 1425; — si auditur, nec impletur 1428; — ut causa restitutionis 1435 sq; — reparanda quo modo 1437; — num pecunia compensanda 1435; — num mutua diffamatione compensetur *ib.* Cf. **Calumnia**.
- Diffidentia** ut distincta a desperatione 435.
- Dignitas** in beneficiis eccles. unde diiudicanda 1159 *not.*
- Dilapidatio** bonorum ut peccatum in filios 936.
- Dilatio** actus fidei aliarumve virtutum quando grave peccatum 398 399; — speciatim caritatis 451.
- restitutionis 1227; — quando licita 911 1228, vel etiam debita 1228.
- voti exsolvendi quae sit gravis 600.
- Dilectio** erga Deum v. **Caritas**.
- erga proximum: actus internus praeceptus 750 sq; — plerumque sufficit generalis 752; — erga quosnam specialis necessaria 752; — num debeat esse plane aequalis ei, quo nos ipsos diligamus 753; — diversa erga diversos 753; — per externam opitulationem compleri debet 754 sqq.
- Dioecessana synodus**. In ea tota potestas est apud episcopum 213.
- Discipulus**. Obligatio erga magistrum 991. — Peccata specifica *ib.*
- Discordia** quid sit 838.
- Discretionis aetas** v. **Aetas discretionis**.
- Dispensatio** a lege quid sit 254; — praesumpta num locum habeat 266; — sine causa num fieri possit 255 sqq; — ex causa falso allegata facta 264 sq; — quando cesset 267 sqq; — cessante cessante causa 268 sqq; — quae a quibus dari possit 258 sq; — num fieri possit in lege naturali 285; — quando stricte, quando large interpretanda 266. — Dispensandi facultas quo sensu intelligatur 266.
- a voto quid sit 617; — quibus competat 618 sqq; — ex qua causa fieri possit 623 sq; — possitne fieri a voto non petendae dispensationis 589; — fit generatim subrogando alia pia opera 624 sq 631.
- pro pecunia data sitne simonia 539.
- Disputatio** cum haereticis quomodo interdicta 410 *not.*
- Distantia** quae excuset a praecepto Missae 723 724.
- Distillatio** 1026 1039; — quae spernenda, quae cavenda 1026.
- Distributiva iustitia** v. **Iustitia distributiva**.
- Dives** num possit praetermitti, quando agitur de restitutione 1128.
- Divina lex** fons aliarum legum 144.
- Divinatio** quid sit 490; — est grave peccatum 495; — ex ioco agere vel cooperari 495.
- Divisio bonorum** primitiva 1079 sqq.
- Divitias** quaerere et congerere sitne obligatio 746 936 958 sq.
- Docilitas**. Notio 853.
- Dolus**. Notio 855; — in contractu quid efficiat 1262.
- Dominativa potestas** a iurisdictione distincta 696 698; — prae iurisdictione exerceri sumitur a superiore religioso 696; — e contrario a S. Pontifice 697; — num insit quoad religiosos Congregationibus Cardinalium 697.
- Dominica dies**.—sitne sanctificanda ex lege divina an eccles. 701 sq; — requies 702 sqq; — num in ea parochus possit dispensare *ib.* 263.
- Dominium perfectum** quid sit 900; — radicale seu directum tantum, et indirectum seu utile *ib.* 1052; — alium non est dominium proprie dictum 900; — solis entibus rationalibus competit 903, at etiam infantibus et amentibus *ib.*; — competit etiam personis moralibus 904; — perfectum competit homini in suam famam 907, non in pfoptiam personam 905, neque in alios hominis 908.
- Dei summum agnoscitur per virtutem religionis 468; — per peccatum quomodo laedatur 326.
- Dona Spiritus Sancti** 847; — collata cum virtutibus theolog. et moralibus 848.
- Donatio** 1288; — ante traditionem rei quid valeat 1288 1290; — a qua qui excludantur 1288; — quando possit revocari 1289; — plenum effectum non habens 1290; — mortis causa quomodo differat 1377 1380; — quando reputanda est inter partem hereditatis dividendae 1290 1412; — simulata an sufficiat loco restitutionis debitae 1223, qua cautela *ib.*
- Dotalia bona** quae sint 1063 1067.
- Dotes** Beatorum quid sibi velint 50.
- Dubitatio**. **Dubium** presse sumptum et latum 119 182; — positivum et negativum 119; — facti et iuris 120; — speculativum et practicum 120; — quod sufficiat ad peccatum mortale constituendum 347; — dictamen conscientiae quod non possit esse regula actionum 121; —

quomodo deponendum 122; — quodnam causet, nisi deponatur, peccatum 123.  
**Dubitatio** in damno illato 1165; — de influxu efficaci in damnum 1165 sq 1212; — de paternitate in casu fornicationis 1188; — in casu adulterii 1190; — de facta solutione quam relinquat obligationem 1147; — de possessione iusta, seu dubiae fidei possessor qui sit 1143; ad quid teneatur 1143 sqq, in dubio insolubili *ib.*, in dubio superveniente 1143, in dubio ab initio existente 1145 sq. — **Dubitatio** de alterius fama possitne evadere peccatum mortale 1431.  
**Duellum** 1014; — publicum quod vocetur et quando licitum 1015; — privatum nunquam licitum 1016 sq; — lege eccles. severe prohibitum 1016; num non-periculosum 1017; — inducatne obligationem restitutionis erga heredes occisi 1182.  
**Dulia** seu cultus sanctorum 482 486 sq.  
**Durities** erga pauperes 889.

## E.

**Ebrietas. Ebrius.** Notio 872 892; — perfecta et imperfecta 895; — quando peccatum grave 892 895; — comparativa gravitas malitiae 1494; — peccaminositas ex sequelis praevisis 895; — quam secum ferat imputabilitatem malarum sequelularum 74 894, neglectae legis eccl. 229 252; — ut causa praevisae pollutionis sitne gravis contra castitatem 1041; — indirecta quando non peccaminosa 893; — causata in aliis licita esse potest materialis tantum 894, quando formalis *ib.*  
**Ecclesia** naturaliter capax domini rerum temporalium 904; — est societas perfecta, etiam in suis temporalibus rebus civili auctoritati non subiecta 231 sq 1403; — verae culturae non adversatur 736.  
**Ecclesiastica bona v. Bona. Clericus.** — lex 298 sqq; — quaelibet pendet a Rom. Pontifice 258 290. Cf. **Lex.**  
**Educatio** multum influit in liberas hominis determinationes 89; — filiorum quantopere parentibus incumbat 937 sqq 941 943; — in scholis 937 sqq et *not.*  
**Efficax** causa 71; — damni alieni 1167 sq 1195 sqq.  
**Egressus** e monasterio quale peccatum religiosorum 687.  
**Electio** ut actus voluntatis 67; — versatur circa media *ib.*; — status vitae quanti sit momenti 743 662 sq; — deputationum ad comitia quando sit obligatoria 955, quid in ea liceat, quid non 955 sq; — ad beneficia ecclesiastica debet fieri dignior 1159; — indigni vel minus digni pecunia avertere sitne simonia 541.  
**Eleemosyna.** Eius obligatio 761 sqq; — in necessitatibus ordinariis qualis obligatio

763 sq; — in necessitate extrema 762 764; — in necessitate gravi 762 765; — non in sola pecuniae collatione consistit 765.  
**Eliciti** actus qui quo sensu dicantur 52.  
**Emancipatio** filiorum 1057.  
**Emphyteusis.** Notio et iura 1053.  
**Emptio v. Venditio.**  
**Ephemerides** pravas exponere liceatne cautionibus 823; — scriptione bona iuvare *ib.*, — annuntianda eis committere *ib.*  
**Epikia.** Notio 243; — num inveniatur in probabilismo 195; — ut virtus 921.  
**Episcopus** quoad exemptionem a iurisdictione civili eiusque legibus 232; — legiferam habet potestatem 213; — quando legif. potestatem exerceat 212 213; — a quibus legibus eccles. possit dispensare 259 sq; num cum religiosis 261; — possitne dispensare in votis 619, idque cum peregrinis 620; — religiosus num solvatur ab obligatione regulae 673.  
**Erronea thesis** quae dicatur 416. — Quale peccatum sit, eam tenere 417; — th. errori proxima 416.  
**Erronea conscientia.** Num possit esse regula actionum 116; — invincibiliter quae sit et cuius usus 116; — unde dignoscatur 118; — vincibiliter non potest esse regula actionum 117; — quam inferat obligationem 117.  
**Error.** Influxus in voluntarium 79; — in valorem contractus 1261 sqq; — substantialis et accidentalis 1262; — dans causam contractui *ib.*; — in persona quacum contractus 1263; — circa motivum *ib.*; — in rei determinatione 1279; — dolo causatus 1262. — in valorem voti: qui faciat votum nullum 578; — accidentalis *ib.* — in damno causato excusetne a restitutione 1157 1164; — in furto 1154. — pertinax in fide est haeresis 415.  
**Erubescere** fidem 403; — parentes 949.  
**Esculenta** quae sine culpa a iudice accipi possint 969.  
**Ss. Eucharistia.** Quae de ea doctrina homini christiano sit necessaria 396; — eius iniuriosa tractatio 522, facile est peccatum sacrilega Communionem gravius 1490. Cf. **Communio.**  
**Eudaemonismus,** systema morale 94 *not.*  
**Eunuchum** reddere sitne licitum 735; — a Ss. Pontif. reprobatur *ib.* Eun. possitne peccatum pollutionis committere 1039.  
**Eutrapelia.** Notio virtutis 878.  
**Evictio** rei ex manu possessoris alieni 1137.  
**Examinatores** synodales severissime ventantur pretium accipere 541 548.  
**Excellentia** divina quomodo informet virtutem religionis 462 468.  
**Excidium** urbis liceatne avertere per traditionem innocentis 1000.

**Excusatio** a lege 249 sqq; — quibus causis a requie festiva 709 sqq; — a Missa Dominicali 722 sq; — a ieiunio eccles. 1470 sqq.  
**Exercitii libertas** quae vocetur 61; — in Deo est 4.  
**Exhereditatio** quomodo et qua ex causa fieri possit 1400.  
**Exorcismus** fieri debet imperatively 574; — publicus fieri nequit sine speciali episcopi facultate *ib.* — Cautio necessaria *ib.*  
**Expensae** in re aliena factae a quo ferendae 1139.  
 — in commodato 1291; — in deposito 1292.  
 — pro filio factae quatenus computandae sunt in divisione hereditatis 1412.  
 — apud aegrotum si augeantur a medico 1183 sq.  
**Experimenti** causa aegrotum remedium praebere liceatne 1183.  
**Explicite** seu **expresse** voluntarium 59 sq.  
**Expressa** licentia 59 680.  
**Executor** testamenti eiusque officia 1411 sq; — num ius ad mercedem habeat 1411.  
**Exspiratio** legis cum tempore quando locum habeat, quando non 248.  
**Externus** actus 52; — num augeat moralitatem 104.  
 — finis 2; — ultimus ex parte Dei 3 5; — hominis 15.

## F.

**Fabricare** res falso cultui destinatas 814; — res turpes 803 827 831.  
**Falcidia** pars in testamento 1405 *not.*  
**Falsarii** crimen eiusque gravitas 985.  
**Fama** bonum homini necessarium 1415; eius curandae obligatio quae et qualis 1416; — propria quando ex virtute possit negligi *ib.*; — aliena laesa 1417 sqq; — laesa reparanda quando 1435, a quibus 1436, apud quos 1436, quibus modis 1437; — secum trahit obligationem reparandi damna in rebus fortunae 1435; — quando obligatio reparandi exstinguatur 1438.  
**Familialis** merces operariorum quomodo intelligatur 1347; — sitne debita 1346.  
**Famuli** eorumque obligationes 989; — quando debeant in confessione conditionem suam declarare 989; — cooperantes cum peccato heri 809 821 825 827 828 sqq 834; — excusantur a requie festiva 705 sqq, ab audienda Missa 722 sq; — excusantur quando a ieiunio eccles. 1471, a lege abstinentiae 1457; — num et quando uti possint occulta compensatione 1126; — quando ex negativa cooperatione tenentur reparare damnum hero illatum 1207; — quoad furtula domestica 1119.  
 — quanam satisfaciunt Missae praeecepto in oratorio privato 721.

**Favores** late interpretandi 201; — quando non v. **Privilegium**; — statui religioso annexi 700.  
**Femina** conditione inferior viro 928 sq; — coniugata quale habeat officium naturale 929 931; — quibus officiis et laboribus se addicere possit 931; — innupta maiore frui libertate 929; — non omnibus officiis apta 930 sq. Cf. **Mulier. Mater. Uxor.**  
**Fenus** in mutuo 1295 sqq; — ab Ecclesia permissum 1311 sq; — permissum generaliter 1315; — qua mensura iustum 1316.  
**Fera** per se fit primi occupantis 1083; — occisa vel capta in cuius sit dominio 1083 1085.  
**Ferocitas.** Notio 875.  
**Festa.** Eorum observatio 701 1447 sq 1480 1483 sq; — translata 1447 1489; — translata secumne ferant translationem ieiunii vigiliae 1475; — in quibus celebratio Missae in oratoriis privatis interdicitur 721.  
**Feudum.** Notio et iura 1053.  
**Fictio** in contractibus 1300.  
**Fideicommissum** 1407.  
**Fideiussio.** **Fideiussor.** Onera et iura 1351.  
**Fidelitas** distincta a iustitiae obligatione 1285; — erga Deum ad virtutem religionis pertinet 466; — erga principes 953; — erga herum 989.  
**Fidentia** ut pars fortitudinis 859.  
**Fides divina.** Notio ut virtutis theologicae 379; — falsus conceptus modernistarum 379 *not.* 2; — nititur Dei auctoritate 379 385; — supponit Dei eiusque revelantis certam cognitionem 381; — quomodo nascatur 382; — est actus intellectus 383; — super omnia firma 380; — habet rationem libertatis et meriti a voluntate 383; — est necessaria ad salutem 387, idque necessitate medii 389 sqq; — necessaria circa quae obiecta 390 sqq; — necessaria ad iustificationem omnem 386, non semper formalis et explicita 384; — sitne necessaria ad omnem actum meritorium 368 sqq 388, num intrinseca necessitate 368 sq; — praeepta 393 sqq; — ad obiectum ab Eccl. definitum cognita definitione omnes obligat 217; — profitenda ex praescripta formula Eccl. 408 409; — elicienda propter se saepius in vita 398 400 402, ut medium propter alia 399 401; — negari numquam licet 403; — occultari quando possit 404, quot modis 404—407; — externe profitenda 403. — Tentatio contra f. quomodo vincenda 136, actu fidei an contemptu 400; — quibus peccatis laedatur 410 sqq.  
 — in Beatis non manet 33.  
**Filiae** peregre abiturae quomodo monendae sint 944.

- Filii** familias qui vocentur 1056; — quas habeant obligationes erga parentes 945 sqq; — circa bona fortunae 1058 sq; — defraudantes parentibus partem lucri 1061; — in furto levius peccant quam extranei 1118; — quid licite agant circa bona paterna 1060 1062; — quando impediatur a statu religioso ob necessitatem parentum 669; — num e religione egredi debeant 670; — in electione status parentibus non subiciuntur 948; — quando a lege abstinentiae excusentur 1473. Cf. **Minores**.
- Finis** est res potissima in theologia morali 1; — multifarie dividitur 2; — ut fons moralitatis 97; — bonus cum obiecto malo reddit actionem malam 99; — graviter malus quamlibet actionem facit malam 99 101; — leviter malus potest relinquere aliquam bonitatem ex obiecto 102; — leviter malus saepe non tam finis movens est quam causa impulsiva 102; — ultimus in peccato gravi abicitur 328 sq; — cessans facitne cessare legem 276 sq, dispensationem 268 sqq.
- Fiscus**. Quando capiat dominium bonorum 1092, thesauri 1088 et *not.*; — quando fit heres 1386 sq; — si quando defraudatus fuerit, cui fieri debeat restitutio 1170 1215.
- Foedifragus** quo sensus quilibet peccans 332
- Foetus** in utero exstingui nequit 1001 sq, praematurus extrahi quando possit vel debeat 1005; — immaturus eici nequit directe 1003 sq; — indirecte aliquando 1005; — extraterinus immaturus num possit extrahi 1010 sq, numquam exstingui vi electrica aliisve modis 1011; — suo modo maturus num emissio sanguine diminui possit 1009.
- Forensia** opera diebus festivis prohibita 704.
- Formaliter** voluntarium 56.
- Fornicatio** graviter laedit legem naturae 1037; — ut causa restitutionis 1186 sqq.
- Fortitudo** ut affectio generalis virtutum 857; — ut virtus specialis cardinalis *ib.*; — naturalis maxime elucet in rebus bellicis 858; — supernaturalis maxime elucet in martyrio *ib.* — Eius functiones 859.
- Fortunae** bona praecipuum obiectum iustitiae commutativae 1052. — Eorum laesio quantum habeat malitiam 1494. Cf. **Furtum**. **Damnificatio**.
- Francomurarii**. Eorum emblemata conficere 815; — aedes construere liceatne ex quibus causis 817.
- Fraterna** correctio 766 sqq 137.
- Fratres** debeantne in testamento iuvare 1392.
- Fraus**. Notio 855; — num specificè diversa a furto 1109 1110; — commissa erga benefactorem vel beneficiarium ad quid obliget 1160 sq 1163; — quam adhiberi in bello liceat 1021; — adhibita in capiendis animalibus 1086; — in contractibus 1262; — in assecurationibus 1363 sq 1366; — in ludo 1372; — adhibita in impedienda conditione voti ad quid obliget 601; — in evadenda militia 1176; — in dando consilio nocivo 1194 1197.
- Fructus** rei naturaliter pertinent ad rei dominum 1130; — naturales, industriales, mixti qui sint 1131; — civiles qui vocentur 1131; — naturales quoad possessorem bonae fidei 1134 1135; — ad quem pertineant in venditione 1320; — industriales a possessore tum bonae tum malae fidei retineri possunt 1134 1139.
- Frugifera** res diverso sensu 1296.
- Fruitio** ut actus voluntatis 69; — quae pertineat ad beatitudinem 24.
- Frustulum** matutinum in ieiunio 1461; — liceatne cum cenula mutuo commutare 1468.
- Fuga** quae quando reo liceat 979.
- Funambuli** quandonam graviter peccant periculis subeundis 738.
- Functiones** ecclesiasticas propter stipendia facere sitne simonia 534. — Earum occasione peccatum exigere 535.
- Funus**. A catholico funeri liceatne interesse 406.
- Fur** possitne in re restituenda expensas deducere 1139; — rei cuius valor factus est varius 1142; — rei certo periturae 1140; — quoad rem venditam ad quid teneatur 1210 *not.*
- Furtiva** bona num et quando praescriptione acquirantur 1100.
- Furtum** 1109; — quando peccatum mortale 1112 sqq; — filii familias exigit maiorem quantitatem 1115 1118; — uxoris 1118; — famulorum 1119; — in materia parva quando evadat peccatum grave 1116 1117; — ex conspiratione cum aliis 1117; — furtula quando coalescant 1116, quando obligent ad restitutionem 1129. — Quae ablatio rei alienae non sit f. 1120 sq. — Ad f. sollicitare liceatne ut fur deprehendatur 798.
- Futura** contingentia v. **Contingentia** futura.

## G.

- Garruli** diffamando solent levius peccare 1422.
- Gaudium** ut actus voluntatis 69; — quomodo pertineat ad beatitudinem 24 37. — peccaminosum eiusque distinctio specifica 354 359 sqq; — de peccatis praeteritis 360—362; quis de eo examinandus 361; — de effectu peccati num licitum 358; — de modo ingenioso vel lepido actus mali commissi 357; — de malo alieno 776.
- Gladium** reddere occisuro, num liceat unquam 832.
- Gloria** corporum resuscitatorum 43.



**Gloria Dei:** intrinseca finis ultimus Creatoris 3 sq; in quo consistat 4; — extrinseca 5 sqq; — extr. formaliter non habetur nisi per creaturas rationales 5; materialiter per quamlibet creaturam *ib.*; — quomodo habeatur per Beatos 4 sqq; — quomodo habeatur per reprobos 4 10.

**Gnome.** Notio 853.

**Gratia** efficax ut obiectum meriti 371; — prima num possit esse ex merito *ib.* — Status gratiae num requiratur ad implendas leges 246; — quantopere praestet, ut semper conservetur 373.

**Gratitudo** 914; — erga Deum ad virtutem religionis pertinet 466. — Ex grat. dare temporale pro spirituali vel vice versa num sit simonia 542 543.

**Gratuitus** contractus 1240.

**Gravis** obligatio legis naturalis 240; — legis humanae unde dignoscatur 240 241; in eadem re facilius inducitur lege eccles. quam civili 240

— res possitne praecipi sub levi 240.

— poena arguit ordinarie gravem obligationem in conscientia 312; aliquando indicat legem tantummodo poenalem *ib.*

**Gubernatio.** Populi participatio in ea 955sq; — praecipuum officium principis 952.

**Gula.** Notio 872 891; — varios habet peccandi modos 891; — ex se peccatum veniale *ib.*; — quandonam mortale *ib.*

## H.

**Habituale.** — peccatum 320; — voluntarium 60.

**Haeres v. Heres.**

**Haeresis. Haeretici.** Notio 412 413; — consummatur in intellectu 415; — quando committatur ab heterodoxo *ib.*; — materialis tantum *ib.*

— Haeretici ligantur legibus Eccl. 228; — quibus legibus censeantur non ligari *ib.* — Cum iis communicatio 410 *not.* —

Eorum adire templa, nuptias, funera 406; — cultum ministrando res iuvare 811; — ministrum ad exercendum cultum vocare 810; — templum aedificare 816; quod gregariis operariis facilius licet *ib.* et *not.*; — templa, instituta, scholas pecuniis iuvare 818.

— denuntiandi ubi et quando 972. —

De h. suspecti qui habeantur 417. 972; — leviter suspecti 973; — qui praesumantur 417. — Haeresi proxima doctrina quae dicatur 416.

**Haustus** aequales. Ad—provocare grave peccatum 894.

**Hereditaria** dispositio ad vitia 89.

**Hereditas.** Notio 1397; — delatio et acquisitio *ib.*; — acceptatio *ib.*, sub beneficio inventarii 1398; — repudiatio 1397; — divisio 1412.

*Lehmkühel*, Theol. mor. I. Edit. 12.

**Heres** quis sit 1384; — testamentarius aut ab intestato *ib.*; — legitimus 1386, qui sit *ib.* 1387; — necessarius 1389 sqq; — eius iura et onera 1397 sqq; — num obligetur ad solvendum ultra hereditatem acceptam 1398; — num impediatur a praescriptione ob malam fidem praecessoris 1106 1107; — clerici ad quid obligetur quoad bona eccles. 1072 *not.* 1074; — quando teneatur voto testatoris 605.

**Heroici** actus generatim lege humana non praecipuntur 220; — possunt praescribi per exceptionem *ib.* 692.

**Heres.** Eius obligationes erga subditos 988; — quando seductione duplicem malitiam contrahat *ib.*; — quoad vota famulorum 614.

**Historiographus.** Quid possit circa crimina revelanda 1426 sq.

**Homicida. Homicidium** 1000, — malitia relativa 1494. Homicida quam habeat obligationem restitutionis erga occisum 1178; — erga heredes defuncti 1179 1181; — erga eius creditores 1180 sq.

**Honestas** ut pars specialis virtutis temperantiae 871.

**Honor.** In fama nititur ut fundamento 1415.

— Eum quaerere aut negligere sitne vitium an vitium 1416; — quomodo laedatur 1432 sqq; eum denegando 949 954; — quomodo sit reparandus 1440.

**Hora** canonica. Quae obligatio hominis scrupulosi 137.

— prandii tempore ieiunii sitne observanda sub praeepto 1468; — quamdiu possit produci 1464; — num et quamdiu interrumpi *ib.*

**Hospites** qui satisfaciant praeepto Missae in oratorio privato 721.

**Humanus** actus 51 sqq.

**Humilitas.** Definitio 880; — eminet inter virtutes 883; — varii eius actus 881; — collata cum magnanimitate 882.

**Hyperdulia** seu cultus B. Mar. V. 482.

**Hypnosis. Hypnotismus.** Eius influxus in liberam voluntatem 91; — diversi gradus 501; — possitne licite adhiberi 502. — Cautelae necessariae 502.

**Hypocrisis.** Vitium contra modestiam 877; — num licite manifestetur 1425.

**Hypotheca.** Quid iuris efficiat 1353.

**Hysteria.** Eius influxus in libertatem et imputabilitatem 91.

## I.

**Iactantia** circa peccata 360.

**Idololatria** simulata aut vera, imperfecta aut perfecta 489; — eius malitia in se 492 494; — cum aliis peccatis etiam gravioribus solet coniungi 1492 *not.* 1489.

**Ieiunium** eccles. Eius praestantia et meritum 1459; — ad quid obliget 1460 sqq; — materiae parvas 1465 1469; — quos-

- nam non obliget 1470. — Dispensare in eo et dispensari qui possint 1472 1473. — Dispensationes generales a S. Sede datae 1477 sqq. — Párochus num possit dispensare 263.
- Ignavia** ut vitium fortitudini oppositum 860.
- Ignorantia**: iuris aut facti 75; — vincibilis aut invincibilis *ib.*; — culpabilis aut inculpabilis *ib.*; — subsequens est vincibilis *ib.*; — num etiam culpabilis *ib.*; — antecedens est invincibilis et inculpabilis *ib.*; — quando auferat voluntarium et culpam 75 sqq; — crassa et affectata 75 77; — invincibilis in quibus praeceptis legis naturalis possit existere 282 284. — Cum ea possint satisfieri legis praecepto 245; — in mysteriis fidei quanam impediatur baptismum 392, vel absolutionem *ib.*; — quanam cum beatitudine consistere possit 34.
- Dei qualis non sit possibilis 343.
- legis naturalis 283.
- peccata ignorantiae quae vocentur 321.
- Imago** Sanctorum colenda, quomodo 485 sq; — principis si contumelia afficitur quale committatur peccatum 954.
- Immobilia**. Quomodo per praescriptionem acquirantur 1099.
- Immunitas eccles.** Eius laesio sacrilegium locale 526; — sacrilegium personale 528. — Romani Pontificis iuris divini est 231.
- Impatientia**. Notio et peccaminositas 867 869.
- Impeccabilitas** Beatorum 38 sqq; — sitne extrinseca tantum, an intrinseca necessaria 40.
- Impediens** alterum a consecutione boni alicuius sitne restitutioni obnoxius 1160 sqq; — a consecutione boni illiciti 1162 sq; — ab iniqua testamenti dispositione 1163.
- Impedimentum** legis implendae ponere quando liceat 251 253.
- Imperati** actus 52.
- Imperfectio** moralis num excludatur a statu Beatorum 41.
- Imperium** voluntatis quid sit 68; — quam late pateat *ib.*
- Impetratoria** vis orationis ad quae extendatur 480; — bonorum operum generatim quo sensu transferri possit in alios 376.
- Impletio** legis 244; — num fiat etsi finis legis non obtineatur 245; — possint fieri actione peccaminosa 246; — ab invito *ib.*; — ab ignaro praecepti 245; — quoad diversa praecepta uno eodemque tempore 247; — una eademque actione *ib.*
- Implicite** voluntarium 60. Cf. **Virtualiter** voluntarium.
- Impossibilia** iuberi nequeunt 145; — ut conditio contractus 1282, aut testamenti 1406.
- Impulsiva** causa in dispensationibus quid sit 265.
- Inadvertentia** excusat a peccato quo sensu 77; — num admitti possit circa malitias obvias alicuius actionis *ib.*
- Inanis** gloria. Notio 863 884.
- Incapaces** hereditatis 1384 1393; — num nihilominus aliquid accipere possint *ib.*
- Incarceratio** perpetua num privet usu domini 1255.
- Incarnationis** mysterium num explicite credi debeat necessitate medii 392.
- Incendarius** cui debeat restituere 1359.
- Incendium** effugere per aliud vitae periculum 737; — incendio ereptas res consumere, sibi retinere 1140; — res hostiles destruere cum propriae vitae periculo 737. Assecratio contra incend. 1358 sqq.
- Incerta** debita quae vocentur 1216; — possintne quoad restitutionem condonari a S. Pontifice 1218.
- Incestus** 1050; — eius extensio *ib.*; — cum cognatis in primo gradu lineae rectae specie differt a reliquo 1050; — num inter spiritualiter cognatos *ib.*
- Incommodum** quod excuset a lege 249; — quando non excuset 250.
- Inconsideratio** prudentiae contraria 854.
- Inconstantia** item prudentiae contraria 854.
- Incontinentia** 873.
- Inculpabilis** damnificatio non imponit ex se obligationem restitutionis 1156; — obligat ad impediendum damnum quod etiam tum impediri potest 1156; alioquin obligatio reparandi oritur *ib.*
- Indeliberatus** actus 51 344 346.
- S. Indicis** Congregatio 306.
- Indifferentes** actus quoad moralitatem 53; — num in concreto dentur 105 sqq; — num dentur per accidens 106; — quoad meritum 54; — num vel quomodo praescribi possint per legem 219.
- Indifferentiae** libertas. Notio 61.
- Indignatio**. Notio 888; — parentum vel herorum quae excuset a Missa praecepta 723; — mariti num uxorem excuset a ieiunio 1472.
- Indignitas** ad beneficia eccles. 1159 *not.* 2; — quid secum trahat *ib.* cum *notis*; — habendae hereditatis 1394; — quid iuris efficiat *ib.* 1400.
- Indirecte** voluntarium 58; — quando imputetur, quando non 72 sqq; — quoad abortum 1005; — quoad homicidium 1000.
- Inebriare** alterum 893 894; — custodem carceris num liceat 894 979. Cf. **Ebrietas**. **Ebrius**.
- Inefficax** causa quae vocetur 71.
- Infantes** subiaceantne legibus 226 sq. — Eos provocare ad mala quale peccatum *ib.*
- Infideles**. **Infidelitas**. — negativa 384; — privativa 411 414; — positiva 412, 413,

- ab haeresi non distinguitur nisi accidentaliter 413; — malitia relativa 1487 1488; — est qua talis superstitione peior 1489.
- **Infideles** num teneantur legibus Ecclesiae 228; — quomodo possint ad salutem pervenire 387.
- Infirmitas** quae excuset a Missa praecepta 722; — a ieiunio ecclesiastico 1470; — ab abstinentia 1457.
- **Infirmittatis peccata** quae vocentur 321;
- num generatim venialia tantum *ib.* 339.
- **Infirmorum scandalum** 787 794.
- Informis contractus** 1274 1275; informis testamentum 1383 1382.
- Infructuosa res** quae sit 1296.
- Ingratitudo.** Quibus modis committatur 915; — formalis *ib.*; — raro est mortale peccatum *speciale ib.*; — erga Deum inest in quolibet peccato 327.
- Inhabilitas ad ecclesiastica beneficia** ex simonia inducta 546—549.
- Inhonesti** nequeunt lege praescribi 145.
- Inimicitia.** Inimicus. Peccaminositas 774 775. — Inimicus caritate diligendus 779; — quibus actibus ex praecepto 780 sq; — non sufficit eum non odisse 781. — Specialis oratio pro inim. non est praecepta 784; — ab oratione communi licite non excluditur 781, neque ab opitulatioe communi *ib.*; — num salutandus et alloquendus 783; — num declinari possit *ib.*; — num ad poenam trahi 782. — Inimicitia contra Deum quae contineatur in peccato mortali 329.
- Inirascentia vitiosa** 874.
- Iniusta lege praescribi** nequeunt 145.
- Iniustitia** 1109. cf. **Iustitia.**
- contra Deum quomodo peccato inest 326.
- Innocens.** Ei damnum inferre liceatne 74; — eum occidere 1000.
- Innocentii XI decretum** in causa probabilismi genuinum 154; — num probabilismo adversetur *ib.*
- Innominatus contractus** 1241.
- Inoboedientia** 925; — quando gravis in filiis 947; — formalis est ex se peccatum grave 690 925; — quando non sit 690.
- **religiosi** quando gravis 690 sq; — particularis complures continet malitias 691 sqq; — sitne specificè distincta prout obiecta sunt diversa 695 sqq.
- Inquisitio circa dominum** quando in possessione dubia negligitur, quam secum ferat obligationem 1144.
- Insensibilitas vitiosa** 867 872.
- Insignia pontificalia** cui in casu mortis cedant 1072 *not.*
- Instrumentum publicum.** Eo falso uti 985.
- Imperantia.** Notio 872.
- Intentio ut actus voluntatis** 66; — bona cuius sit obligationis 373; — alia aliâ praestantior 374; — explicita praestat longe prae implicita et habituali 373 375. — Methodus optimae intentionis a Christo sumpta 375.
- Intercessio** quae crimen simoniae possit constituere 531 533 538.
- Interdictus** testamentum condere nequit 1400; — quoad contractus 1255.
- Intermedius** in causa restitutionis 1224; — si re ipsa non restituat 1224 sq.
- Internus actus** 52; — num lege humana praescribi possit 221; — num per potestatem ecclesiasticam 222 223; — quando certo possit exigi 222 sq.
- **finis** 2. — Dei 3; — hominis 11.
- Interpretatio legis privata** 241; — authentica 242; — comprehensiva aut extensiva 242.
- **privilegiorum** 318; — privil. revocationis 319.
- Interpretative voluntarium** 60.
- Intimatio consensus offerentis et acceptantis** quae requiratur in contractu 1257 1258 1259.
- Inventarium.** Sub inv<sup>ti</sup> beneficio acceptare hereditatem 1398.
- Inventor rerum amissarum** ad quid teneatur 1089; — possitne rem suam facere 1090 sq; — pauperibus si rem distribuerit 1090 1091.
- **thesauri** qui sit 1088; — quae habeat iura *ib.*
- Invidia** 776. — Affectus cognati 777.
- Invincibilis ignorantia** 75 sq 283 343; — error 118; — aufert voluntarium 76; — non potest esse causa actionis nisi negativa *ib.*
- **Dei** num existere possit 343.
- Invitus** num implet legis praeceptum 246.
- Invocatio Sanctorum** 481; — animarum sanctorum purgatorii 482.
- Iocari obsceno modo** quale peccatum 1034.
- Ira.** **Iracundia.** Notio 874 888. — Eius peccaminositas 888; — quae peccata generet *ib.* — In ira nomina sacra proferre ex se nondum blasphemia 512.
- Irregularis contractus** qui vocetur 1241.
- Irreligiositas.** Propria notio 505.
- Irreverentia erga parentes** quae sit gravis 949; — contra res sacras prout distinguitur a blasphemia admittit parvitatem materiae 510.
- Irritans lex** 314 sqq; — simul prohibens 316; — reddit actum aut ab initio invalidum aut rescindibilem 315; — quando etiam ignorantem afficiat 316; — poenalis non afficit ignorantes legem *ib.*
- Irritatio iuramenti,** directa et indirecta 570; — **voti** directa quibus competat 607 sqq; — indirecta quae sit 613; — a quibus fiat 614; — num fiat ex iure naturali 608; — sine causa num valeat 615; — quae

- fiat per professionem religiosam 616. Cf. **Iuramentum. Votum.**
- Iter** facere liceatne die festivo 706; — quale excuset a ieiunio eccles. 1471 1472, num ab audienda Missa 252.
- Iubens. Iussio.** Quam secum trahat obligationem restituendi 1192 sq.
- Iudex.** Eius scientia et peritia 960; — quomodo teneatur ad servandas leges 961 sq; — quoad opiniones diversas 966 sq; — quoad leges iniustas 962; — quoad munera accipienda 968 sq; — possitne condemnare innocentem qui iuridice criminis convictus est 964; — teneaturne innocentem pro posse liberare *ib.*; — in re criminali dubia reo favere debet 964; — in re civili dubia quid facere possit 966 sq; — iuratus numquam potest condemnare quem scit privatim innocentem 965; — neque vere reum iuridice non convictum *ib.*
- Iudicia** fensensia quae prohibentur diebus festivis 704.
- Iudicium.** Iudicii defectus in iuramento ex se peccatum veniale est 557; — ex periculo peierandi evadere potest grave *ib.*; — in adiuratione 573. — temerarium quid sit 120; — quale peccatum 1429 sq.
- Iuramentum.** Notio 552; — natura sua est actus religionis 551 *not.*; — quid requiratur ut fiat 557 sqq; — assertorium et promissorium 552; — execratorium quid addat 552; — liceatne fieri «per creaturas» 553; — requirit et verba apta et animus 552 553; — quid si sunt verba dubia 555; — fictum quale sit peccatum 556; — si ex consuetudine fiat, quomodo peccetur 559; — iurandi consuetudo quomodo exstirpanda 561; — adhibere ad confirmandam rem malam 560; — promissorium: circa res leves et inutiles 569; — circa res malas 561 563 566; — contra consilia evangelica 561; — sine animo implendi 558. — De cetero cf. **Promissorium iuramentum. Peririum.** — contractui additum quid efficiat 1283 sqq; — quomodo irritari possit 1284; — a potestate civili non directe, sed indirecte tantum irritatur 1284. — custodis publici quomodo intelligatur 987. — quod dicitur fidelitatis 568; — in Constitutionem regni 559; — servandi statuta 567. — contra modernismum a Pio X iniunctum quibus 408.
- Iuridica** culpa quae vocetur 1150; — quando obliget ad restitutionem damni illati 1151. — persona 904. — bona fides in praescriptione 1098.
- Iurisdictio.** Distinguenda a potestate dominativa 696; — in Papa est potestas primaria, in Praelato religioso secundaria 696 697; — latius extenditur in Papa quam potestas dominativa 698.
- Iurisdictio Dei** suprema quomodo peccatis laedatur 325.
- Ius.** Notio 899; — in re et ad rem 900; — in re perfectum aut imperfectum *ib.*; — ut subiecto competit cuilibet homini, etiam amentis vel infanti 903; — etiam personis moralibus 904; — pro obiecto haberi nequit ullus homo 908, at eius labores *ib.*; — bona externa 906, fama propria 907. — gentium 287 sqq; quomodo conveniat cum lege 288; — eius falsa mutabilitas a modernis propugnata 290.
- Iusiorandum v. Iuramentum.**
- Iussio** comparata cum mandato 1192; — quam causat obligationem reparandi damni illati a iusso *ib.* 1193; — ab illo incursi 1192.
- Iustitia.** Notio 897; — collata cum caritate *ib.*; — sensu stricto aut latiore 898; — stricta seu commutativa spectat aequalitatem rerum, non personarum diversas conditiones 899; — obligat graviter ex genere non toto 909; — laesa secum fert restitutionem 910 sqq. — legalis aliter est in superiore, aliter in subdito 901; — non obligat ad restitutionem *ex se* 910; — distributiva quae sit *ib.*; — qua laesa laeditur non raro simul iust. commutativa 902; — vindictiva num sit virtus ab aliis iustitiae speciebus distincta 901; — quando ea laesa laedatur etiam iust. commutativa 902. — iustitiae defectus in iuramento assertorio 560, in iur. promissorio 562, in adiuratione 573.

## K.

- Kantianismus** in re morali 94 *not.*
- «**Kartell**» quod dicitur, quando licitum, quando illicitum 1333.

## L.

- Labor,** qui sit homini praeceptus 744; — ut titulus naturalis acquirendi domini 1081; — per alios exercitus quomodo laedat praeceptum requiei festivae 708; — qui excuset a ieiunio eccles. 1471; — num assumi possit sine necessitate *ib.*; — accessorius in celebranda Missa num sit titulus maioris stipendii 535. — servilis v. **Servilis** labor.
- Lactare** prolem quae sit matris obligatio 93.
- Lacticinia.** Quando prohibita 1460 1467; — indulta *ib.* 1477 1479 1481.
- Lanio** possitne laborare diebus festivis 707; — a quibus iniustitiis cavere debeat 1325.
- Laridum** diebus abstinentiae et ieiunii quando permissum 1458 1479 1481.



- Lateranense Concil.** III, IV, V contra usuras 1302 1297; — de montibus pietatis 1305.
- Laxa conscientia** 138; — pericula et damna quae causet 138 139. — Eam sequens quomodo peccet 138; — eius emendandae obligatio 139. — Remedia *ib.*
- Laxismus** 149; — condemnatus 149 153; — num inducatur per probabilismum 187 190.
- Lectio rerum obscenarum** quale peccatum 1035 1041.
- Legale.** Legalis consensus Superioris in consuetudinem sufficit ad eam reddendam legitimam 272; — praemium num sit titulus fenoris percipiendi iustus 1309 sqq.
- Legatarius.** Legatum. — in testamento quid sit 1404; — ecclesiae relictum non solvere num sit sacrilegium 523; — causae piae subiacet iurisdictioni et legi Ecclesiae 1403.
- Legifera** potestas civilis apud quem resideat 210; — ecclesiastica 211 sqq; — in ordinibus religiosis 214.
- Legislator** quomodo teneatur suis legibus 237 sq; — possitne se eximere 238.
- Legitima consuetudo** quae sit 272 *not.*; — interrogatio iudicis quae sit 975 976 981.
- pars heredum necessariorum 1389 sqq; — possitne tuta conscientia laedi 1389 1392; — quomodo sit computanda 1412.
- Legitimatio filii** per subsequens matrimonium 1056.
- Lenitas vitiosa** 875.
- Lex**, sensu lato 140 sq; — sensu stricto 141 145; — distinguitur a consilio 141; — quomodo a praeecepto 146 sq; — divina et humana 142; — aeterna 278 sqq; sitne lex sensu completo 280; quae cum ea conformitas haberi nequeat 191; quomodo fundamentum omnium legum 281; — divina naturalis aut positiva 142; — naturalis quomodo promulgetur 177 sq; — positiva christiana 295 sqq; quando inceperit esse obligatoria 297; perfectior longe est prioribus legibus 296; — mosaica caerimonialis abrogata et mortifera facta 294; — antemosaica 291; — humana civilis aut eccles. 142; — humana quaelibet ad Deum legislatorem reducitur 144 210 322; — negativa et affirmativa 142 144; — moralis et poenalis 143 239 309 sqq; — directiva 309; — moralis quando obliget sub gravi 240 sq, stricte est sumenda 241 244; — poenalis ligat in conscientia *mediate* 309; unde cognoscatur 312; — affirmativa quomodo sit implenda 244 sq; — irritans 143 314, num sit simul prohibens 316, reddatne actum invalidum an irritandum 315; — favorabilis 144. — Lex quomodo cesset 249 sqq; — non acceptata num obliget 218; — ad quid extendi possit 219 sqq.
- Liberalitas.** Notio 920.
- Libertas. (Liberum arbitrium.)** — physica et moralis 61; intima eius essentia 65; — sitne potius in facultate quam in actu 65; — contradictionis et contrarietatis 61; — solius specificationis *ib.*; — exercitii *ib.*; — non est plena independentia a causis externis 62; — sollicitatur a bonis apparentibus 88; — inclinatur extrinsecus, sed non determinatur *ib.*; — num extingui possit manente integro iudicio rationis 92; — non evertitur per statisticam 63; — est dogma catholicae fidei 62. — pro statu religioso quomodo exploranda 653 666.
- Liberum et voluntarium** num sint eadem 64; — quomodo praedicentur de facultate et de actu 65.
- Libri**, pravos componere, imprimere 821 825; — typos collocare liceatne *ib.*; — remote ad eos cooperari facilius licebit *ib.* De cetero cf. **Typographus**.
- prohibiti num legi possint, cessante legis fine in particulari 277; — legendi facultas detur cum ipsa venia docendi *ib.*
- Licentia**, qua religiosus in usu rerum indigeat 679 sqq; — expressa, tacita, praesumpta 680; — praesumpta quando excuset a laesione paupertatis 681; — religioso data quando sit invalida 679. — praesumpta quoad Communionem paschalem extra parochiam sumendam 1452.
- Licitatione** 1336 sq v. **Venditio** sub hasta.
- Licitatores fictos subornare** 1337.
- Lingua.** Munus a lingua, quod inducere possit reatum simoniae 531.
- Litterae.** Litteras amatorias deferre quale peccatum 828; — alienas intercipere 1442; — abiectas legere num liceat 1442; — testimoniales necessariae ante ingressum in religionem 655.
- Locare domum meretricibus** num et quando liceat 836.
- Locatio** 1340; — obligationes et iura in locante et in locatario *ib.*; — damnae occurrentia a quo portanda 1341 sq; — quoad tributa *ib.*
- operariorum contractus sui generis 1344 sqq.
- filii familias ad laborandum 1061.
- Locum concedere ad peccandum** 837.
- Locupletari** ex re aliena 1130.
- Longanimitas** cum patientia cognata 866.
- Loteria** 1369.
- Lucrum** acquirendum, quod excuset ad laborandum diebus festivis 712, ad omitendum Sacrum 723; — a filio minore ex labore acquisitum et sibi retentum 1061; — in negotiatione cum bonis paternis ac-

quisitum 1062; — cessans ut titulus feneratoris 1308.

**Ludus** 1372 sq. — Num ex eo oriatur obligatio solvendi 1372. — Artes in eo permissae, non permissae *ib.*; — a lege prohibitus quo sensu 1373; — quinam debeat a magistratu prohiberi *ib.*

**Lugdunense Concil. II** contra usuras 1303.

**Luxuria.** Conceptus 1026; — peccaminositas in genere 889; — directe volita non admittit parvitatem materiae 1028; — indirecte tantum volita admittit 1029; — imperfecta quoad specificam distinctionem in confessione 1036. Malitia relativa seu comparata cum aliis peccatis 1494 sq; — species diversae 1495.

— **Luxuriosa tractatio** quando sit sacrilegium personale 528; — quando sacrilegium locale 526.

## M.

**Magia** quae sit 490.

**Magister.** Eius obligationes 990; — quando in confessione conditionem suam declarare debeat *ib.*; — silens ad damnum discipulorum debeat restituere 1207.

**Magnanimitas.** Notio virtutis 861.

**Magnetismus** animalis 499; — usus eius superstitiosus 499 sqq; — iudicium Ecclesiae de eo 500.

**Magnificientia** ut pars fortitudinis 859; — ut virtus specialis 862.

**Maleficium** quid sit 490; — eius malitia 498; — auferre quomodo liceat 498.

**Malitia** peccati sitne aliquid positivum an negativum 323; — radicalis completa est in oppositione contra Dei voluntatem 322; — incompleta adest Dei prohibitione prior *ib.*

— Peccata malitiae quae vocentur 321 sqq; — sintne eo ipso mortalia 339.

— diversa comparative sumpta 1485 sqq.

**Malus** actus moraliter sumptus 53.

— finis, in usu cuiuslibet medii facit actum moraliter malum 99; — mortaliter malus corrumpit totam actionem *ib.* 101; — venialiter malus totalis etiam totam actionem corrumpit 100, partialis non ita 99—101.

— malum medium adhibere ad quoslibet fines moraliter malum est 99.

— **circumstantia** moraliter mala totam actionem corrumpit, non ita leviter mala 100 102.

**Mandans** ad quid teneatur erga mandatarium 1293.

**Mandatarius** quam habeat obligationem restituendi damna illata 1192 sq; — ad quid teneatur erga mandantem 1293; — dolose non aperiens literas revocatorias 1193.

**Mandatum** 1192 1293; — quam secum ferat restitutionem 1192 sq; — revocatum quid efficiat 1193; — quomodo extinguatur 1293.

**Mania** aut extinguit aut minuit libertatem 91.

**Manifestatio** perfectionum Dei quomodo finis creationis 5.

**Mansueta** animalia aberrantia manent in dominio prioris domini 1083.

**Mansuetudo.** Notio 874.

**Manus.** Munus a manu quid vocetur in causa simoniae 531.

**Margarina** quando licite sumitur diebus abstinentiae 1458.

**B. Maria V.** cur praedicetur *prudenterissima* 851; — invocanda qua obligatione 481.

**Maritus** quoad irritationem votorum uxoris 611 614; — quoad mutuum votum castitatis 612; — dissipans bona fortunae communia teneatur ad restitutionem 1069; — quoad administrationem bonorum 1063 sqq.

**Martyrium** praecipuus actus christianae fortitudinis 858; — non necessario est fortitudinis actus formalis *ib.*

**Mater** quoad obligationes ante prolem natam 934; — quoad prolem lactandam 935; — quoad curam prolis generatim 935 sqq 1186 *not.*; — in casu adulterii 1189 sqq et *not.* Cf. **Parentes.**

**Matrimonium.** Obligatio ex seductione orta 1186 1187; — promissio valeatne post extortam copulam 1250; — cum conditione turpi 1282; — subsequens quando inducat legitimatem filiorum 1056.

**Matutinae** preces ex qua obligatione dicendae 484.

**Medicus.** Eius obligationes 1183 sqq; — pravos motus patiens ad quid teneatur 1041; — ab eo experimentum in homine sumi quomodo illicitum 1183; — monere debet aegrotum de vitae periculo 1185; — extorquens salarium a paupere 1324; — a militia aliquem eximens illegitime 1177.

**Meditatio** possitne *praescribi* in sacro recessu sacerdotum 223.

**Medium** malum ad finem bonum facit actionem malam 99.

**Mendacium.** Notio 916; — malitia 917; — damnosum, officiosum, iocosum 917; — mortale peccatum fere non est nisi ex gravi damno *ib.*

**Mendicantes** pauperes quando excusentur a lege abstinentiae 1457; — a lege ieiunii 1470. — **Ordines religiosi** quoad paupertatem 674.

**Mentalia** opera non recensentur inter labores serviles 705.

**Mercatus.** (**Mercator.**) — qui prohibeatur diebus festivis, qui non 704 707; — cooperatio in rebus vendendis 835; — adulteratio rerum 1322 1325; — pretium iniuste actum 1326 sq 1330 1332; — fraudes quomodo reparandae 1214.

— in bursa 1367 sq.

- Mercenarii** num et quando occulta compensatione uti possint 1126.
- Merces** operariorum 1344 1345; — familiaris quae sit 1347; — sitne debita ex iustitia 1346; — ex quibus causis deprimi possit 1347.
- Meretricium. Meretrix.** Malitia ex natura sua et ex adiunctis 1037; — iis domum locare sitne illicitum 836.
- Meritum** in actibus humanis 54 367 sqq; — quid sit generice 365 375; — condignum 365 366 sqq; — eius conditiones 366 sqq; — obiectum 371; — congruum 365 366, eius obiectum 371; — cum impenetratione collatum 371; — num soli caritatis actui competat 369; — num etiam motivis naturalibus 368; — nun. possit transferri in alios 372 376; — quo sensu intret in spem 422 424 428.
- Metus** quid sit 84; — gravis aut levis *ib.*; — ab intrinseco aut ab extrinseco *ib.*; — quomodo influat in voluntarium 85; — excusat saepe a lege humana 85, numquam a lege naturali negativa *ib.*; — reddit aliquando actus invalidos *ib.*  
— in contractu 1265 sqq; — qui positiva lege irritans 1267; — levis quos contractus faciat irritos 1268; — qui solum est occasio contractus 1279.  
— in voto num faciat votum nullum 579.
- Miles** honoris vel conditionis status sui servandae causa non potest duellum committere 1016; — possitne belligerare in dubio belli iusti 1020; — quae damna possit hostibus inferre 1021 1022; — in bello iniusto de quibus damnis teneatur 1023; — aerem verberare debet *ib.*; — desertor ad quid teneatur 1175; — quando a ieiunii lege excusetur 1470.
- Militiam** sequi qui qua lege teneantur 1175; — religiosi si coguntur 656; — eludere quale peccatum 1176.
- Minor** in facultate contrahendi restringitur 1253; — quoad dominium bonorum 1056 sqq; — quoad facultatem testamenti faciendi 1400, — contrahens debita quomodo postea solvere debeat 1253; — protegitur contra praescriptionem 1105.
- Miracula** narrare. Leges Ecclesiae de eo 487; — falsa narrare 491; — petere quando sit Dei tentatio 519.
- Misericordia.** Notio 921; — opera corporalia 765 *not.*; — spiritualia 766.
- Missa** audienda ex praecepto Eccles. 713 sqq; — ex praecepto divino 724; — qua devotione audienda 716; — quibus actibus impediatur aut non impediatur 252 716 717; — parochialis num sit stricti praecepti 713 720; — integra quo sensu sub gravi 718 719; — possitne satisfieri per partes plurium Missarum 719; — ubi audienda 715 720 sq; — materia gravis in omissione 718; — supplerine debeat pars omisa 719. — Rationes excusantes 722 sqq; — sitne omittenda propter scandalum iuvenis 794; — impedita debeatne suppleri precibus privatis 724. — A Missa impedire filium liceat patri ad puniendum 722.
- Mixti** actus lege humana possunt praescribi 224.
- Mobilia.** Eorum praescriptio acquisitiva 1100.
- Moderamen** inculpatae tutelae 995.
- Modestia.** Notio et quanti sit momenti 876.
- Modus** contractui appositus 1278 sqq; — quam gignat obligationem 1280; — in solam utilitatem donatarii appositus non censetur obligare, nisi id exprimatur *ib.*; — impossibilis et turpis quomodo vitium inferat contractui *ib.*
- Mohatra.** Notio 1338.
- Molere. (Molitor.)** — liceatne diebus festis 706; — a quibus fraudibus cavendum 1325.
- Monopolium** 1332 sq; — quando et quale peccatum *ib.*
- Montes pietatis** a Concil. Later. V commendati 1305.
- Moralitas.** Essentia et definitio 93; — conceptus falsi 94; — unde sumatur 95 sqq; — ut sit bona, plus requiritur quam ad malitiam 98 99.
- Morbida** affectio cerebri et nervorum influit in liberas hominis determinationes 90.
- Moribundum** inebriare ne sentiat dolores, illicitum 893.
- Morosa** cogitatio mala 353 368 sq 1033.
- Morositas** vitiosa 920.
- Mortale** peccatum quid sit 321 334 336; — multas in se continet malitias 324 sqq; — unde dignoscatur 341 sqq; — eius criterium fallax 339; — ex genere suo toto, aut non toto 341; — per accidens ex veniali 337.
- Mortem** desiderare, quando liceat, quando non 736 739; — causare v. **Occisio.**
- Mosaica** lex qua talis non ligavit gentes 294; — caerimonialis evasit mortifera *ib.*
- Motivum** supernaturale sitne ad merendum necessarium 367 sqq; — ex fide concipiendum *ib.*  
— in dispensatione impellens et movens 265; — item in contractu 1263.
- Motus** pravus, qui causatur, quale peccatum 74; — quomodo imputetur 1041.
- Mulcta** non imposita a iudice faciatue obnoxium restitutioni 1208.
- Mulier** naturaliter subiecta est viro 928; — quo sensu viro inferior 929; — viri socia *ib.*; — in quibus viro iuribus aequalis 928; — innupta num iuribus viro plane aequalis 929; — non est omnibus officiis apta 930.  
— in decore se ornans 796 802; — respectui iuvenis se obiciens, quomodo peccat 795; — quando excusanda vel etiam prohibenda a ieiunio eccles. 1470 1472. Cf. **Femina. Mater. Uxor.**

**Multiplicatio** exemplarium libri aliusve operis ad vendendum laedatne ius auctoris 1076 sq 1325.  
**Mundus.** Renovatio in fine saeculorum 44.  
**Munus** extorqueri per iudicem quomodo prohibito 968; — per apparitorem 986; — ad turpem amorem oblatum accipere 803, alteri deferre 828.  
 — a manu in causa simoniae 531; — a lingua *ib.*; — ab obsequio *ib.*  
**Mutilatio** possitne fieri ad salvandam vitam 734; — sitne obligatoria 730; — ad fines extraneos 735.  
**Mutuatio. Mutuum.** Notio 1295 1297; — proprio sensu sumptum excludit ius ad usuram 1296; — hodie transit generatim in locationem rei quasi-fructiferae 1314. — Reconciliatio legum Eccl. antiquarum cum hodierna praxi 1313 sqq.  
**Mysteria** fidei quae creditu necessaria 390 sqq.

## N.

**Narrare** crimina aliena v. **Diffamatio.**  
**Nativitas** ut titulus acquirendi dominium in pullos animalium 1093. Cf. **Fructus.**  
**Naturalis actus** ut distinguitur a supernaturali 52.  
 — lex quomodo distinguatur a lege aeterna 282; — quo sensu et limite ignorari possit 283 sq; — quo sensu impressa in corde hominum 283; — immutabilis et indispensabilis 285; — mutato obiecto potest mutari 286; — quomodo promulgetur 177 sq; — quomodo sit fons aliarum legum 144.  
**Naufragium.** In eo tabulam cedere alteri cum periculo propriae vitae 737.  
**Navarchus** incitato cursu navis quomodo peccet 74; — proiciens merces in periculo naufragii 57.  
**Necessitas** medii et praecepti. Notio 389.  
 — quoad opitulationem proximi 757. — Regulae succurrendi 758; — proximi num investiganda 756; — extrema spiritualis quando sublevanda cum extremo damno temporali 758; — extrema temporalis 762; — gravis cum quo incommodo sublevanda 758 762; — ordinaria non obligat ad subeundum grave incommodum *ib.*; — parentum quae impedit filium ab ingressu religionis 669, quam inducat obligationem filio religioso facto 670; — filiorum quae impedit parentes a statu mutando 669.  
 — propria quae excuset a furto 1120 sqq; — num ius det ad magnam summam alteri auferendam 1123; — quae excuset a labore servili diebus festivis faciendo 709 sq 712.  
**Negatio** fidei, quando committatur tacendo 403, verbis 404, actionibus 405; — semper mortalis culpa 403 410.

**Negativa** causa 72; — quando secum ferat imputabilitatem effectus 72 73; — negative voluntarium 58.  
 — cooperatio quando inducat obligationem restituendi 1167 1206 sqq.  
**Negligentia** in repellenda tentatione 83 344 sqq; — in inquirendo domino rei detentae 1144 1146; vel inventae 1089 sqq; — in praecavendo damno 961 1153 1156 1206 sq.  
**Negotiatio**, filii familias cum bonis paternis, quid iuris creet 1062; — in bursa 1367 sq.  
**Negotiorum** extra ord. Congregatio 307.  
**Negotiorum gestio** 1294.  
**Neg. gestor** 1225; — num possit in casu necessitatis confessarius pro eo haberi 1225.  
**Nervorum** mala affectio multum influit in liberas animi determinationes 90 91; — ut causa scrupulorum 127.  
**Neutrale** se habere in pravis motibus sitne peccatum 82; — num id fieri possit in actibus voluntatis 83.  
**Nolitio** actionis melioris sitne moraliter indifferens 109 110.  
**Notarius** eiusque obligationes 985.  
**Novitiatus. (Novitius.)** — qui requiratur ad statum religiosum assumendum 654; — quando interrumpatur *ib.*; — quae vota irritari possint a superiore religioso 610 614.  
**Nudus** contractus qui vocetur 1241.  
**Nullitas** contractus 1262 1267 1274.  
 — lege inducta quo sensu accipiatur 1274 sqq; — nulli contractui quando stare liceat ante rescissionem iudicalem 1276; quando in conscientia plene nullus sit 1277.  
**Numerica** distinctio peccatorum 349 sqq; — non physice sed moraliter sumenda *ib.*; — in eodem actu ex multiplicatis obiectis 352; — ex multiplicatis actibus internis 349 sq, externis 351.  
**Nundinae** quomodo prohibeantur diebus festivis 704.  
**Nuntius** in promissione et donatione quid possit 1287 1290.  
**Nuptiis** acatholicis interesse num liceat 406.  
**Nutrix**, num adhereri possit pro libito 935; — severe providendum est, ut sit bene morigerata *ib.*

## O.

**Obiectum** actionis humanae fons praecipuus moralitatis 95 339; — contractus quale esse debeat 1244.  
**Obligatio legis** v. **Lex.**  
**Oblivio** quae excuset a peccato 77.  
**Oboedientia** 924; — num requirat superioris verum praeceptum *ib.*; — praestati inter virtutes 925.  
 — filiorum erga parentes 945; — quamdiu duret eius obligatio 946; — qua ratione gravitas ob. laesae diiudicanda



- 947; — non debetur in electione status 948.
- Obedientia** discipulorum 991.
- religiosa 688; — sollemniter et simpliciter professi quomodo distinguatur 688 sq; — num reddat obligationem sine licentia superioris praevia irritam 689; — quando obliget sub gravi 690 sq; — vi voti debita in re gravi exigi nequit sub levi 698; — ad quas res extendatur 692 sqq; — num extendatur ad actus internos 693, ad actus heroicis 692; — laesa quale peccatum inducat 695 sqq. Cf. **Inobedientia**.
- Obsequium**. Munus ab obsequio in causa simoniae 531.
- Observantia** qualis sit virtus 923.
- Obsessio** per diabolum. Cautio in ea recognoscenda 574.
- Obstacula** contra statum religiosum assumendum 666 sqq; — voluntarii 75 sqq.
- Occasio** vel **occasionalis causa** 71; — peccati si non auferitur, quando peccetur 797; — si ponitur positive 798; — damni distincta a damni causa 1167 sq.
- Occisio** aggressoris num intendi possit 993; — innocentis directa nunquam licita est 1000; — indirecta aliquando licita *ib.*; — rei ex sola auctoritate publica suprema est licita 998; — num a satellitibus fieri possit *ib.*; — falsi accusatoris est illicita 977.
- sui ipsius directa 732; — possitne imperari aut permitti in poenam criminis 733; — indirecta quando fieri possit 731 736 sqq, illicita est ad fines vanos 738.
- Occulti** actus lege humana exigi possunt 224.
- Occupatio** primitiva titulus acquirendi domini privati 1079 sqq; — non est mere iuris positivi 1080; — universim auferri nequit lege positiva ut titulus acquirendi 1081; — animalium quando etiam nunc acquirit dominium 1083 sqq; — thesauri quid efficiat 1087 sq; — rerum inventarum 1089 sqq; — rerum derelictarum 1092.
- Odiosa** stricte interpretanda 201 317 sq.
- Odiu**, abominationis et inimicitiae 774.
- inimicitiae contra Deum genere suo peccatum omnium gravissimum 456 1488; — abominationis accedit 434; — quale contineatur in desperatione 434.
- S. Officii** Congregatio 300.
- Omissio**. Peccatum omissionis 321; — operis boni propter proximum 742.
- Onanismus** 1044.
- Onerosus** contractus 1240.
- Operantis** aut operis finis 2.
- Operarii**, quoad contractum cum patronis 1344 sq; — quoad mercedem quae ex iustitia debeatur *ib.*; — quoad curam quam patronus debeat 1348; — quoad conventionem inter se de augenda mercede 1334 1344 sqq.
- Operistitium**, in se gravissimum malum 1349; — sub quibus conditionibus non sit iniustum 1349 1350.
- Opifices** quid possint laborare diebus festis in vendendis suis rebus 707; — quando habeant causam aliter laborandi istis diebus 706 sq 709 sqq; — qui excusentur a ieiunio ecclesiastico 1470; — ex fraude restitutioni obnoxii 1325. Cf. **Operarii**.
- Opinio** quae sit 120; — quae eligenda confessario 206 sqq; — quae sequenda a iudice 966 967.
- Opitulatio** proximi v. **Caritas**. **Necessitas**. **Succurrere**.
- Oppressio** mulieris quale peccatum 1048; — detne mulieri ius ciciendi seminis 1013.
- Optare** proximo malum 778; — sibi ipsi mortem 739.
- Orare**. **Oratio**, sensu lato et presso 475; — est essentialiter actus religionis 475; — necessaria ad salutem 476 sq 483; — extenditur ad quaslibet necessitates 480; — est infallibilis efficaciae quo sensu 478, cuius rei 480, num etiam pro aliis 479; — quas habere debeat conditiones 479.
- **Oratio** Dominica qua lege sciri debeat 393 395.
- Oratorium**, publicum 720; — semipublicum *ib.*; — privatum *ib.* 721, quibus sufficiat ad audiendam Missam praeceptam 721; quibus diebus Missam ibi celebrare non liceat *ib.*
- Ordo** caritatis exercendae pro diversa necessitate 757 758; — pro diversa coniunctione eiusque gradu 759 760.
- restitutionis inter creditores 1219 sqq; — inter cooperatores 1210.
- rationis peccato laeditur 324.
- Originale** peccatum 320.
- Originarius** modus acquirendi domini 1079 sqq.
- Ornatus** mulieris num dimittendus propter scandalum 796 802; — eum conficere 831.
- Orphanotrophium**. Prolem propriam eo mittere liceatne 935. — Num illi ex ea causa aliquid restituendum 1191.
- Oscula** quando peccata 1031 1036.
- Otium** quomodo divitibus vitandum 744.
- Ova** quando edi vetitum est lege Eccl. v. **Lacticinia**.

## P.

- Palpo** ad restitutionem quando obligetur 1202.
- Pannifices** a quibus fraudibus cavere debent 1325.
- Papa** v. **Pontifex Romanus**.
- Paraphernalia** bona uxoris 1063.
- Parentes**. Officia erga filios 932 sqq; — mala filiis imprecantes 933 514; — mala

- exempla dantes 940; — quoad educationem filiorum in scholis 937 et *not.*; — sustentare debent filios indigentes 934; — necessitate pressi a filiis debent sustentari 950; — quomodo et quando impediuntur ab ingressu religionis 669; — non possunt filios cogere vel impedire in electione status 948; — num possint vovere pro filiis 590; — filiorum vota quae irritae possint 609 614, num etiam puberum *ib.*; — si silent ad actionem filii damnosam, teneantur ad restitutionem 1207.
- Parochus** in quibus possit dispensare 263; — exigere nequit ut apud se instituat confessio annua 1451; — parochialis ecclesia, ubi sumi debeat Communio paschalis 1452.
- Parsimonialia** bona clericum quae vocentur 1070; — quae iura in ea *ib.* 1071.
- Partialis** causa damni qui exstiterit, ad quid teneatur 1211 sq.
- Participans** in actione iniusta quoad restitutionem 1204; — in praeda *ib.*; — quandomam licite cooperetur 1205.
- Particularis** lex generatim solos territorii incolae obligat 235.
- Partium** studium imprimis iudici cavendum 968.
- Partus** praematurus et immaturus, quid discriminis 1003—1005. Cf. **Abortus**.
- Parvidecentia** vitium magnificentiae oppositum 865.
- Paschalis** Communio 1452 sqq; — in parochia per se sumi debet 1452; — num sub gravi *ib.*; — sacrilega non satisfacit legi 1453, at excusat, quando repetitur, a circumstantia loci *ib.*; — tempus quomodo computetur 1452 1483; — tempus prorogari potest quo sensu a confessario 1452; — num finito tempore obligatio cesset 1453; — severius urget quam praeceptum Missae audiendae 252.
- Pater**. Cf. **Parentes**.
- Paterna** correctio similis est fraternae 766.
- potestas quomodo oriatur 1056; — quando finiatur *ib.*
- Patientia** ut pars fortitudinis 859; — ut virtus specialis 866; — eius gradus diversi *ib.*; — commendatur per Christum D. 867.
- Patrimonialia** bona clericum 1070.
- Pauperes**, quando serviliter laborare possint diebus festis 709 711; — quando servilibus laboribus iuvari ab aliis *ib.*; — possint excusari a Missa praecepta 722; — quando eligi possint in causa restitutionis loco domini laesi 1128 1144 1214 sq; — possint aliis creditoribus praeferrari, ut ipsis solvatur 1220; — quando rem alienam sumere possint sine peccato furti 1120 sqq.
- Paupertas** evangelica non obstat praeepto laborandi 744.
- religiosa in quo consistat 674 sqq; — non respuit necessario dominium radicale 674, neque possessionem in communi *ib.*; — non admittit usum rerum independentem *ib.*; num usum abundantem 675 683; — quam licentiam requirat ad licitum usum rerum 679 sqq; — laesa quale contineat peccatum 682 685; — quibus actibus laedatur 682 683; — num laedatur actibus internis 686.
- Peccaminosam** actionem in alterum concicere 820.
- Peccatum**, definitio 320; — qualem exigat advertentiam 338; — habituale 320; — originale *ib.*; — mortale et veniale 321 334 sqq; — variis generibus distinctum 334; — continet multiplices malitias 321 sqq; — quomodo aestimandum secundum malitiam relativam 1485 sqq; — contra Deum ut talem aliis gravius 1487; — contra Dei bonum extrinsecum 1489; — contra Christum 1490; — contra res Deo sacratas vel promissas 1497 1492; — contra bona humana 1493 sqq; — ignorantiae, infirmitatis, malitiae 321 339; — Distinctio specifica 348; — D. numerica quoad confessionem 349 sqq; — externum quomodo multiplicetur numerice 351, internum 349 sq 353 sqq.
- a statu Beatorum excluditur 38 sqq; — idque etiam veniale 39.
- Peculatus** quid sit 1109; — num mutet speciem furti *ib.*
- Peculium** quodnam repugnet religiosae paupertati 680.
- Pecunia** sitne sterilis an frugifera 1313 sq; — habet ex conditione temporum utilitatem usus 1314; — si accipitur ad taceendum ab eo qui damnum aliis causat 1208; — si confertur ad malos usus 818 819.
- Peptones** num sumi possint diebus abstinentiae 1458.
- Percussio** post acceptam iniuriam quae licita, quae illicita 996 et *not.*; — clericum est sacrilegium personale 528; — — parentum quale peccatum 949.
- Peregrinationes** quae in votis sunt reservatae 626 sq.
- Peregrinus** 233; — tenetur legibus universalibus 233; — num excusetur ob locum mutatum 236; — num teneatur legibus loci particularibus 233 235; — uti potest privilegiis et dispensationibus loci ubi est 234; — quid si in fraudem legis agat *ib.*; — non potest uti favoribus sui domicilii 236; — uti potest favore personali *ib.*; — accipere potest dispensationem personalem ab Episcopo loci 260, etiam a votis *ib.*; — peregre existere num possit, ut legi se subtrahat 252 253.

- Perfectio** christiana in quo consistat 635; — ut status 636 sqq; — St. p. exercendae et acquirendae 636; — quae obligatio ad eam tendendi in religioso 671.
- Perfectionismus** ut systema moralit. 94 *not.*
- Perfectiora** agere num. Beati semper debeat 41.
- Periculum** mortis subire ex qua causa liceat 736—738; — peccati subire ex caritate 742; — quod subitur a mandatario, a quo sustinendum 1293.
- **rei** cui incumbat in venditione 1319; — in commodato 1291; — in deposito 1292 et *not.*; — in mutuo 1295. — Res in per. existens si consumitur, quid sit iuris 1140; — peritura apud dominum si periit apud furem 1141; — e periculo erepta *ib.*
- **sortis** ut titulus fenoris legitimus 1306.
- Perit** res domino 1130.
- Periurium.** Eius malitia 558; — malitia comparativa 1489; — sumptum pro laesione iuramenti promissorii habet malitiam minorem 562 et *not.* 1492; — quando evitetur per restrictionem 559 919.
- Permittere** effectum malum quando liceat, quando non 72—74.
- Perplexa** conscientia. Regulae in ea servandae 124.
- Perseverantia** ut pars fortitudinis 859; — ut virtus specialis 868.
- **finalis** quomodo cadat sub meritum 371.
- Persona** iuridica 904.
- Personalis** contractus 1240.
- Pertinacia**, virtuti perseverantiae contraria 869; — quae efficiat haeresim 415.
- Petere** ab altero aliquid, in quo hic peccaturus est 800.
- Petulantia** ut modestiae contraria 877.
- Pharmacopola**, a quibus fraudibus cavere debeat 1325.
- Pia.** Piarum aurium offensiva quae doctrina dicatur 418.
- **causa**, quando tali fieri possit restitutio, omisso domino 1214 sq; — subiaceat iurisdictioni Eccles. 1403.
- Picturam** turpem aspicere quale sit peccatum 1031 1035; — efficere 827; — exponere 803; — domino vel emptori deferre 827.
- Pietas** ut virtus specialis 922; — respicit ortum *ib.*; — parentum erga filios 932 sqq; filiorum erga parentes 945; — quam late extendatur ad alios cognatos 950; — quae excuset ad laborandum diebus festis 711.
- Pignus.** Iura et onera inde oriunda 1352.
- Pigritia** 879.
- Pingere** diebus festis num. liceat 706.
- Pinguedo** quaenam sit interdixta diebus abstinentiae, quaenam permittatur 1458 1479 1481.
- Piscatio** sitne licita diebus festis 706; — illegitima quando, quibus limitibus laedat iustitiam commutativam 1084 1085.
- Pistores** a quibus fraudibus praecipue debeant cavere 1325; — possintne diebus festis laborare 707.
- Plantatio** in alieno fundo quid iuris efficiat 1093.
- Pluralitas** obiectorum quando inferat numericam distinctionem peccatorum 352.
- Poenae** statuta num. arguat esse praeceptum grave 312; — ferendae sententiae non necessario supponit praeceptum in se grave *ib.*; — latae sententiae aliquando nihilo minus requirit sententiam iudicalem 313; — exorbitans ecclesiastica non incurritur ab ignorante *ib.*; — conventionalis in mutuo quando licita 1307; — in contractibus generatim 1280.
- Poenalis** lex 309 sqq; — non datur in iure naturali 309; — in iure ecclesiastico quando 312; — in iure civili unde dignoscatur *ib.*
- Poenitentia** ad virtutem religionis quomodo pertineat 467.
- Pollutio.** Notio 1038; — directe causata, aut voluntarie acceptata est graviter peccaminosa 1039; — in feminis qualis malitiae *ib.*; — indirecte volita quando et quomodo imputetur 1040 sq; — nocturna quando peccatum 1043; — incepta debeatne supprimi ab evigilante 1044; — hominis coniugati annexam habet malitiam adulterii 1049; — potestne desiderari 358 1043.
- Pontifex** Rom. supremus legislator est pro tota Ecclesia 211; — num. subsit legibus civilibus principis saecularis 231; — dispensare potest in quibuslibet legibus eccles. 258; — possitne dispensare in legibus divinis *ib.*; — quid possit in dispensatione votorum 618 621 sq, quoad votorum irrationem 607 610 621.
- **ciae** leges quando pro promulgatis habeantur 217; — universales omnes ubique christianos ligant 227.
- Pontificalia** insignia ad quem hereditate transeant 1072 *not.*
- «**Pool**», genus quoddam monopolii, quando illicitum aut licitum 1333.
- Populus** quid debeat principi 953; — quomodo partem habeat in gubernatione camque obligatoriam 955 sqq; — possitne legem aut recipere aut non recipere 218.
- Positiva** causa quando secum trahat imputabilitatem effectus 72 73.
- Positivismus** ut systema moralit. 94 *not.*
- Possessio** Dei habetur per visionem intuitivam 26.
- **Possessio** quid valeat in determinandis iuribus et obligationibus 197.
- Possessor** bonae fidei 1132 sqq; — limites restitutionis 1133; — quoad fructus 1134 sqq; — quoad rem alienam gra-

- tuito acceptam 1138; — ab altero emptam 1137.
- Possessor dubiae fidei** 1143 sqq; — qui exorto dubio inquirere neglexerit 1144; — qui cum dubia fide rem acquisivit 1145 sq; — qui ab homine suspecto emit 1146; — dubius de solutione debiti 1147.
- malae fidei 1139 sqq; — ex utraque radice restitutionis obligatur 1139; — quas possit deducere expensas et fructus *ib.*; — quam pretii mensuram attendere debeat quando haec mutata fuerit 1142; — rei periturae 1140; — rei quae re ipsa perierit 1141.
- Potestas dominativa et iurisdictionis** in superiore religioso practice distinguenda 696 698.
- Praeceptum negativum praefertur positivo**, divinum humano 124; — quomodo differat a lege 146 147 *not.*
- Praecipitatio vitium prudentiae contrarium** 854.
- Praeco** in licitatione quomodo peccare possit 1336.
- Praedispositio naturalis ad certas liberi arbitrii determinationes** 89.
- Praegnant** mulieres quoad abstinentiam eccles. 1457; — quoad ieiunium 1470.
- Praelatus religiosus** quis habeat legiferam potestatem 214, potestatem dominativam 696 698; — in quibus legibus dispensare possit 262; — quoad votorum dispensationem 619 620; — circa potestatem irritandi vota 610 sq 615.
- Praelegatum** in testamento 1404.
- Praemium assecurationis** quando iustum 1357.
- Praescrupti** modus acquirendi et extinguendi iura 1094; — acquisitiva *ib.*; — liberativa *ib.* 1103; — ordinaria et extraordinaria 1095; — conditiones ut valeat in conscientia 1095 sqq; — in quibus rebus excludatur 1095; — quod tempus requirat pro mobilibus 1100, pro immobilibus 1099; — qui titulus quando sit necessarius 1098; — quando dicitur dormire 1104; — interrumpi *ib.*; — non procedere *ib.*; — in quorum favorem impediatur 1105.
- in re criminali quid faciat 974; — quam vim habeat in foro eccles. *ib.*
- sitne modus explicandi legis desuetudinem 274.
- Praesumptio iuris** quid sit 199 *not.*; — facit probationem probabilem vel etiam moraliter certam 199; — unde sumatur *ib.* 200; — adest pro superiore in quibus rebus 199; — condonatio in causa restitutionis 1229; — licentiae quid sit 681; — voluntarii 59; — consensus Ecclesiae in emendis rebus eccl. iniuste occupatis 1235 sq.
- ut peccatum quot modis committatur 436 sqq; — num parvitatem materiae admittat 437; — num committatur ab eo qui ad peccatum moveatur ex facilitate consequendae veniae 438.
- Praesumptio** ut vitium magnanimitatis contrarium 863.
- Pravum desiderium.** Eius malitia possitne ignorari invincibiliter 284. Cf. **Desiderium.**
- motum causare, quodnam peccatum 74 1041 sq.
- Precarii contractus** 1291.
- Praes** matutinae et vespertinae sintne obligatoriae 484; — obligatoriae possitne recitari sub Missa praecepta dominicali 716 717.
- Pretium** in venditione 1326 sqq; — legale debeatne observari 1326; — vulgare 1329 sqq; eius latitudo 1329; — conventionale 1335; — possitne augeri ex utilitate quam habeat emptor 1246 1330; — affectionis 1330 1335; — deprimere quando et quale sit peccatum 1331; — itineris faciendi num possit postulari a singulis in quorum favorem iter conficitur 1247.
- pretio aestimabile ut conditio obiecti de qua contrahitur 1244 1247.
- simonia cum quotuplex recenseatur 531; — num et cui restituendum 550.
- Primaria** causa damni quam debeat indemnitate 1213; — num excusetur ex condonatione secundariae causae facta *ib.*
- Princeps** quas habeat obligationes 952; — contumelia affectus 954.
- Prius** petens creditor possitne integram solutionem recipere cum damno aliorum 1221.
- Privatio beneficium**, poena eccles. in simoniam 546—549.
- Privilegium** 317 sqq; — odiosum quod vocetur 317; — personale, reale, locale *ib.*; — remuneratorium et onerosum 319; — ad instar concessum 317; — quando sit latae, quando strictae interpretationis 318; — quando cesset 319. — Eo uti sitne obligatio 320. Cf. **Dispensatio.**
- Probabilis. Probabilitas.** Notio 156; — iuris et facti *ib.* 202; — speculativa et practica 156; — absoluta et relativa *ib.*; — interna et externa 156 157; — externa quando habeatur 158; — cuius sit momenti 157; — quomodo iuret ad dictamen ultimum certum 203; — maior num elidat minorem 167 183; — minor num determinet assensum 184; — num adhiberi possit a medico 160, in sacramentis *ib.*; — quae adhibenda sit a confessario 206 sqq; — num adhiberi possit utraque invicem sibi contraria ab eodem agente 204, idque in eadem causa 204 sq; — in solutione debiti facienda vel deneganda 198 1147; — in aliis legibus implendis 198; — in occulta compensatione facienda 1125; — maior sitne ex obligatione sequenda in dubio 184.
- Probabilismus** ut systema moralit. 149. — Thesis essentialis 159. — Regulae prac-



- ticae 196 sqq 202 sqq; — num a Medina sit noviter inductus 152; — semper habuit suas asseclas 152 162 sqq; — a S. Alphonso defensus 164 166 sqq; — num posteriore aetate ab eo reprobatus 169 sqq; — ut systema *verum* ostenditur argumento externo 161 sqq, argumentis internis 176 sqq; — ab obiectionibus vindicatur 181 sqq; — reddatne dictamen conscientiae certum 181 sqq; — num ferat secum periculum peccandi 186; — num ducat in laxismum 187 190; — num eadem regula obligationem statuere atque negare debeat 189.
- Probabiliorismus** impugnatur 180 sqq.
- Probatio** semiplena quae sit 975 981.
- Prodigalitas** quando peccaminosa 920; — in donatione fraudulenter impedire faciatne obnoxium restitutioni 1163.
- Profanas res** agere in loco sacro quando sit sacrilegium 527.
- Profectitia** bona filiorum 1058. — Quae eorum iura 1059.
- Professio fidei**, quibus quando praescribitur 408 sq.
- religiosa 647 sqq; — sollemnis et simplex 646 656; — tacita non amplius valet 656; — irrita non est ex errore nisi error sit substantialis 578; — ex metu non est irrita nisi sit metus gravis 579; — sine novitiatu integro est invalida 654; — in articulo mortis valida fieri possit ante annum novitatus expletum 654; — extinguere potest omnia vota priora 616 700; — quomodo extinguat omnem reatum poenae temporalis 700; — simplex non excludit dominium radicale professi 656; per se non sufficit ad sacros ordines titulo paupertatis conferendos *ib.*; ab aliis favoribus Ordinis non excludit *ib.*; dimissione ab ordine relig. solvitur *ib.*
- Proles**, ante nativitatem caute custodienda 934; — nata sedulo curanda 935 sqq.
- illegitima a quo educanda 1186 *not.*; — adulterina 1189 et *not.*
- Promissio divina** quomodo necessaria sit ad meritum 370; — ut motivum spei theologiae 422.
- ut contractus 1285 sqq; — realis et personalis 1287.
- matrimonii cum seductione num obliget 1186 1187 1250; — ad quid obliget, puella postea renuente 1188.
- Promissorium iuramentum** 562 sqq; quomodo obliget 562 563; — fidelitatis 568; — servandi statuta, secreta 567. — quando fiat obligatorium, quando corruat 566; — quando dissolvatur 570 sqq; — laesum quale peccatum 562; — metu extortum num obliget ex religione 564; — ex errore factum 566; — quomodo interpretandum 565; — de facienda re mala quale peccatum 561; certe non obligat 563; ex religione velle illud implere novum peccatum est *ib.*
- Promulgatio** quae sit necessaria ut lex eiusque obligatio existat 145 176 sqq 216; — quatenam re adsit quoad legem naturalem 177 sqq; — quae sufficiat in lege civili 216; — in lege eccles. et Pontificia 217.
- De Propaganda Fide**, S. Congregatio Rom. 305.
- Proprius sacerdos** Concilii Later. IV qui intelligatur 1451.
- Proscriptus** possitne occidi ab homine privato 999; — possitne se defendere contra aggressorem *ib.*
- Providentia Dei** quomodo a Beatis cognoscatur 32.
- humana ut virtus 853.
- Provocare** infantes aut amentes ad mala, quale sit peccatum 226.
- Proxena**. Quid ei liceat in venditione 1338.
- Proxima causa** 71; — ut finis 2.
- Prudentia**. Notio 849; — christiana supponit fidem 850; — perfecta non adest sine aliis virtutibus *ib.*; — incohata *ib.*; — personalis et gubernatrix aliaeque subdivisiones 851. — Varias eius functiones 852 sqq; — carnis quae vocetur 855.
- Prurium** abigere liceatne cum periculo pollutionis 1042.
- Publicare scriptum** alienum quatenam sit iniustitia 1076; — lectiones, contiones exceptas 1078.
- Pudicitia** ut virtus 871.
- Puella**. In eius educatione quid imprimis respiciendum 930 944. Cf. Filii.
- Pueri**, ante septennium aetatis teneanturne legibus Eccl. 229; — post septennium 230; — quoad leges divinas 230; — illicite provocantur ante usum rationis ad mala 226; — turpiter agentes quomodo peccent 1039; — quando teneantur ad confessionem 1449, ad S. Communionem *ib.*
- Pugio** possitne reddi occisuro 1205 *not.*
- Pugna** instantanea non est duellum 1017; — studiosorum sitne duellum lege eccles. prohibitum *ib.*
- Pupilli** ad contractus incapaces 1252; — prohibiti a testamento condendo 1400.
- Pusillanimitas** magnanimitati contraria 864.

## Q.

Quasi-contractus 1242.

## R.

**Rapina** specificè distincta a furto 1109 1111.

**Raptus** quid ad malitiam luxuriae addat 1048.

- Rationalis ordo peccato laeditur** 324.
- Realis contractus** ut distinctus a consensuali 1240; — ut distinctus a personali contractu *ib.*
- Rebellio** ut illicita 953; distingui debet a resistentia contra leges iniquas *ib.*
- Receptans** quomodo ad reparanda damna teneatur 1203.
- Receptio legis** quo sensu necessaria 218.
- Receptitia** bona uxoris 1063.
- Reconciliationis** cum inimico necessaria 782 sq; — a quo *primo* offerri debeat 784. — cum Deo non differenda 740.
- Redemptio** per Christum quomodo necessitate medii credi debeat 392.
- Regulares v. Religiosus. Praelatus.**
- Reimprimere** librum cum dispendio auctoris 1076 sqq 1325.
- Relaxatio** religiosae disciplinae qualem involvat culpam 672, in Superiore *ib.*; — consuetudine firmata num et quando aboleri possit 694.
- Religio** ut virtus 460 462 sqq; — notio adulterata modernistarum 460 *not.*; — non est virtus theologica 468; — cum aliis virtutibus collata 460 sqq 469 sq; — quos actus habeat elicitos aut imperatos 463, internos et externos *ib.* 464 465; — est necessario exercenda 462; — varias sub se habet species: gratitudinem, fidelitatem erga Deum etc. 466 sq; — imperare potest actus quoslibet aliarum virtutum 469; — eximie a Christo exercita 470. — ut status evangelicae perfectionis 639; — requirit acceptationem ex parte Eccl. 642; — non requirit vota sollemnia 646 652; — quo sensu sit institutionis divinae 645; — quam requirit libertatem in proficiente 653; — quae habeat obstacula 656 666 sqq; — quas imponat obligationes 671 sqq; — professum liberetne a debitis 1233, qua restrictione *ib.*; — voto promissa ad quid obliget 603, quando constituat votum reservatum 627. Cf. **Professio. Vocatio.**
- Religiosorum negotiis** praeposita S. Congregatio Rom. 304.
- Religiosus** quas suscipiat obligationes 671 sqq; — ut civiliter mortuus 1255; — voveatne valide sine consensu Superioris 611; — quomodo subiaceat Superiori quoad irrationem votorum directam 608 610, in recentioribus Congregationibus religiosis 610 643. Cf. **Professio. Religio. Paupertas** etc.
- Reliquiae** Sanctorum quomodo colendae 485 sqq.
- Remissio** debiti quatenam liberet a restitutione 1213 1229. Cf. **Condonatio.**
- Remota** causa 71.
- Renuntiatio** privilegii 319; — dispensationis quid efficiat 267; — hereditatis 1397.
- Reparationem** post lapsum num apud Deum homo mereri possit 371.
- Repulsa** quae necessaria sit in tentationibus 82 83.
- Requies festiva** lege eccles. obligans 702; — quae opera prohibeantur 704 706, quam severe 708; — quibus actionibus censeatur non laedi 706 sq. — Excusatio quando adsit 709 sqq. Cf. **Servilis labor.**
- Res dominans** et serviens in iuribus servitutum 1054.
- Resalutare** inimicum per se est obligatio 783.
- Rescindibilitas** contractus 1264 1265 1272; — differt a nullitate 1269; — a lege statuta quomodo valeat in conscientia 1272 1274 sqq; — quando invocari possit, quando non possit 1272 sq.
- Reservatio** votorum 626 sqq; — est strictae interpretationis 627; — intelligitur de solis iis votis quae perfecto sensu voverunt *ib.*; — quando episcopus nihilominus dispensare possit 628.
- Resistentia** quatenam requiratur in pravis motibus et tentationibus 82 83. — reo quatenam illicita 978 sq.
- Restitutio.** Ex laesa iustitia commutativa est obligatoria 910 1127; — sitne obligationis negativae an positivae 911; — ex se non obligat ad restitutionem in alio genere rerum 912; — in aliis generibus laesionis imponi iudicialiter potest pecuniaria *ib.*; — qua gravis quando obliget 1128; — dilata quando et cur sit peccatum, quando non sit 911 1127 1228; — ex duabus radicibus oritur, rei alienae sive detentione sive damnificatione 1129; — ex furtulis levibus quatenam obligatio 1129; — in solidum 1209 sqq; — quem ordinem postulet inter cooperatores ad laesionem iniustam 1210, inter creditores 1219 sqq; — cui facienda 1214 sqq; — quando devolvatur faciendi ad pauperes piave causas *ib.*; — quando ratione paupertatis exstinguatur 1217; — quo modo fieri possit vel debeat 1222 sqq; — quas habeat causas excusantes 1228 sqq; — in causa incendii 1359; — in assecuratione fraudulenta 1362 1364. — in integrum contra praescriptionem. 1105.
- Restrictio** mentalis 918; — pure aut late mentalis *ib.*; — pure mentalis illicita est 918 919; — late mentalis licita pro gravitate causae 918; — illicita quando interrogans ius habet ad plenam veritatem 919; — num licita reo in iudicio 975 sqq, vel testi 981; — in iuramento 559 919; — late mentalis permittit alterius deceptionem, non intendit 918.
- Resurrectio** corporum ad accidentalem beatitudinem pertinet 42 43.

- Retractatio** consilii dati 1197; — damnicantem actionis num liberet a restitutione 1157 1197 sq 1200; — diffamationis aliter fieri debet in simplici detractioe, aliter in calumnia 1437 1439; — quae facienda in inculpabili famae laesione 1436.
- Retrovenditio** 1338.
- Reus** quid facere debeat positive circa confessionem 975 sq; — circa fugam 978 sq; — contra testes 977; — fame necandus teneatur cibos clam oblatos sumere 731; — iussus se occidere num possit vel debeat oboedire 733; — innocens at iuridice convictus possitne condemnari 964.
- Revelatio** criminis quae sit licita 977 1424 1426.
- Reverentia** parentibus debita 922 949; — superioribus 923 954; — hero a famulis 989.
- Revocatio** dispensationis quid efficiat 267; — donationis quando fieri possit 1289; — privilegii quomodo fiat 319; — consilii damnosi quae et quando liberet a reparatione damni 1197 sq; — mandati 1193; — testamenti 1410.
- Ridere** ad diffamationem quale peccatum 1428; — ad verba obscuro 1034; — ad res peccaminosas universim propter modum ridiculum aut artificiosum 357.
- S. Rituum** Congregatio 307. — Orientalium Congreg. 305.
- Rixa.** Eius peccaminositas 888.
- Rudes** quomodo in dubio sibi dictamen certum facere possint 203; — quomodo mysteria christiana capere debeant 392; — possintne esse in inculpabili ignorantia circa malitiam pravorum desiderio 284.
- Rusticitas** vitiosa 877.
- S.**
- Sacra nomina** in ira proferre 512; — verba Scripturae abutendo adhibere 524; — N. d. D. sitne blasphemia 513.
- Sacra res** cuius violatio sacrilegium sit, quomodo constituatur 521 523 527.
- Sacramenta** quorum sciendorum sit christiano necessitas 393 396; — nominare ex ira sitne blasphemia 512; — suscipere ex vana gloria 102. Sacramentum naturae 293; quando cessaverit 297.
- De Sacramentorum disciplina,** S. Congregatio Rom. 302.
- Sacrificium.** Notio 472 *not.*; — sitne signum patriae naturale 472 sq; — etiam eucharisticum, propitiatorium, impetratorium essentialiter est actus patriae 473.
- Sacrilegium** 521; eius malitia comparativa 1491; — reale 521 sqq; — personale 528; — locale 521 525 sqq; — reale num semper eiusdem speciei infimae 522; — admittatne parvitatem materiae 521; — in furto malitiam novam addit iniustitiae 1109 1111, in peccatis luxuriae quando 1051; — etiam internis peccatis committitur *ib.*; — quomodo in omni peccato aliquo sensu contineatur 332. — **Sacrilega** confessio non sufficit ad legem Eccl. implendam 246 1454; — **Communio** legi Eccl. non satisfacit *ib.*, est peccato Iudae levius peccatum 1490.
- Sacristia** sitne locus aptus ad audiendam Missam 715.
- Salarium** clericorum a gubernio solvendum quandonam habeat onus bonorum ecclesiasticorum 1075. — famulorum infimum 1126; — num occulta compensatione augeri possit *ib.* — pro nuntio pluribus deferendo possitne integrum sumi a singulis 1247. — **operariorum** iustum 1344 sqq; — familiare quo sensu debitum 1347.
- Salutatio** inimici qualis sit obligatio 783.
- Sanctificatio** diei Dominicae praecepta 701.
- Sartor** a quibus fraudibus maxime cavere debeat 1325.
- Satellites** num in capiendo et detinendo reum possint occidere 998.
- Satisfactio** possitne ab inimico postulari 782; — Satisfactionis vis operum bonorum possitne transferri in alios 372 376; qua augetur meritum proprium *ib.*
- Scandalosa** thesis seu doctrina quae dicatur 418.
- Scandalum.** Notio 787; — passivum et activum 786; — activum non adest in sola excitanda admiratione 792; — collatum cum cooperatione 786; — directum et indirectum 787; — possitne esse peccatum veniale ex parvitate materiae 790; — directum duas habet malitias 788; — diabolicum habet malitiam specialem *ib.*; — indirectum probabiliter solam unam habet malitiam eamque contra caritatem 789; — passivum sine activo 791; — activum sine passivo *ib.*; — pusillorum 787; — quando cavendum 793; — pharisaicum 787, debeatne caveri 787 793; — si timetur, num obliget ad omittendas actiones bonas 794, vel utiles *ib.* 795, vel praecepta 794; — num excuset ab audienda Missa praecepta 722; — a parentibus datum quantae sit malitiae 940; — quod detur proferendo blasphemias 514.
- Schisma** quale peccatum 839.
- Schismatici** num teneantur legibus Eccl. 228.
- Schola** acatholica. Ad eam filios mittere, num parentibus liceat 937 et *not.* 939. — Ad eam aedificandam conferre 818; — superior gravia habet pericula quae quomodo mitiganda 938.
- Scientia** Beatorum quae sit 30 sqq; — eorum infusa 33. — muneris debita, si deest, quomodo peccetur 78 960 1183 sq.
- Scriba** publicus eiusque munera 985.

- Scribere non censetur inter opera servilia** 706.
- Scripta sintne et quo sensu materia paupertatis religiosae** 676.
- prava. **Cooperatio ad ea quale peccatum** 821.
- Scruptores.** **Dominiū et iura** 1076 sqq.
- Scrupulus. Scrupulosus. Scrupulosa conscientia** 125; — eius distinctiones *ib.* — **Notio scrupuli** *ib.*; — **origo** 126 sq; — **damna** 131; — **utilitas per accidens** 131; — **signa** 128 sqq; — **remedia** 131 sqq. — **Obligatio agendi contra** 132. — **Regulae pro scrupulosis** 134 sqq, pro eorum confessorio 133. — **Scrupulum sequi malum est** 134. — **Scrupulosus idemque laxus** 128.
- Scurrilatas.** **Notio vitii** 878.
- Secretum naturale, promissum, commissum quid significet** 1441; — **naturale communicari debet ad legitimam superioris interrogationem** 1442, **promissum similiter, non ita commissum** 1443; — **laedi potest ad evitandum damnum relative grave proprium aut proximi** 1443; — **promissum difficilius laeditur ob damnum proprium** *ib.*; — **commissum pro diverso genere aliis strictius urget** 1444; — **sacramentale plane numquam laedi potest** 1445; — **quasi-sacramentale differt a sacramentali** *ib.*
- Secundaria causa damni;** — **quoad restitutionem** 1213; — **quam habeat recursum ad primariam** *ib.*; — **quomodo excusetur, excusata causa primaria** *ib.*
- Seductio mulieris ad quid seductorem obliget** 1186 sqq.
- Semen exceptum liceatne puellae expellere** 1013.
- Semideliberatum peccatum** 321 335.
- Senex sexagenarius a ieiunio eccles. excusatur** 1470.
- Sensitiva delectatio cum venerea cohaerens** 1027.
- Sententia iudicialis declaratoria et condemnatoria** 1313; — **iusta ut fiat, munera extorquere seu postulare iniustitia est** 969; — **pro lata iniusta mercedem postulare non est iniustitia** 968; **neque tamen meliorem facit conditionem iudicis** *ib.*; — **iudicis, existente culpa iuridica, imponit reo obligationem restituendi in conscientia** 1151 sq; — **sitne ex se titulus exstinguens debitum** 1232.
- Sequestrum** 1292.
- Sermones obsceni quando peccatum grave** 1034. — **Num sit eorum obiectum declarandum in confessione** 789.
- Servilis labor qui sit** 705 sqq, **qui non censeatur inter serviles** 705—707; — **qui sit materia gravis in laedenda requie festiva** 708; — **possitne imponi infidelibus** 702; — **exercetur alicubi a meridie diei festi** 703. — **Dispensatio generalis fieri potest a S. Pontifice** 702.
- Servitus. (Servus.)** **Sensu completo repugnat legi naturali** 908; — **sensu incompleto non repugnat, at minus decet** *ib.*; — **non potest impedire matrimonium** *ib.*; — **sensu spirituali quam subit peccator** 333.
- **ut species iuris** 1054; — **urbana et rustica** *ib.*; — **activa et passiva** *ib.*; — **quam habeat restrictionem iuris et oneris** 1055; — **praescriptione potest acquiri** 1101 1108; — **quomodo possit exstingui** 1102 1103; **sufficiatne bona fides** *negativa* 1103.
- Severitas.** **Notio** 875.
- Sexuales res.** **Quando adulescentes de iis instruendi** 942.
- Sigillum sacramentale in testimonio iudiciali laedi nequit** 981 1445.
- Simonia** 529 sqq; — **iuris divini et eccles.** 529; — **mentalis, realis, confidentialis** 530; — **palliata** 544; — **distinguenda a iusta remuneratione** 540; — **quibus poenis afficiatur** 545 sqq; — **circa beneficia eccles.** 546 547; — **in ingressu religionis** 548.
- Simul implere complures leges quando fieri possit** 247.
- Sobrietas ut virtus** 871.
- Societas prava si in bonis laesa fuerit, cui facienda sit restitutio** 1215.
- Societatis contractus** 1300; — **legitimus modus habendi utilitatem et redditum ex pecunia** *ib.*
- Sodomia in quo consistat** 1045; — **specie perfecta et imperfecta** *ib.*; — **actu perfecta;** — **quomodo explicanda in confessione** 1045 1046. — **Inclinatio ad s. insita vel contracta ad quid obliget** 1046.
- Solatii causa crimina aliena narrare** 1424.
- Solidum.** **In solidum obligari ad restitutionem** 1209 sqq.
- Sollemnis contractus qui vocetur** 1240.
- Sollemnitas festi aliquando in Dominicam transfertur** 1484.
- **votorum in quo consistat** 647 sqq; — **est iuris eccles.** 647 648; — **reddit vota magis firma et irrevocabilia** 649 650; — **non requiritur ad statum religiosum** 646 652.
- Sollertia.** **Notio** 853.
- Sollicitare ad peccatum experiundae fidelitatis causa** 798.
- Sollicitudo vitiosa** 855 sq.
- Solutio debiti dubia relinquatne obligationem** 1147; — **creditoris creditori facta num valeat** 1231.
- Sopire sensus aegroti num liceat** 893.
- Sors.** **Sortis periculum ut titulus percipiendi feneratoris** 1306.
- Sortilegium.** **Species divinationis superstitiosae** 490; — **sensu canonico est maleficium** 490 *not.*



- Specificatio rei** quid efficiat ratione domini 1093. — Specificationis libertas 61.
- Spectacula.** Repraesentare 802 826; — turpia plausu, pecunia adiuvar*e* *ib.*; — iis interesse curiositatis causa *ib.*
- Spes.** Conceptus communis 420 425 sqq; — ut virtus theologica 421 sqq; — quo nitatur ut motivo 422; — num nitatur propriis meritis 428; — indiget gratia divina 423; — quo sensu sit firma, quo sensu infirma 423 sq 426 429; — quae spectet obiecta 421 425; — necessaria est ad salutem 430; — quoties elicienda 431; — quibus peccatis laedatur 433 sqq; — quibus peccatis exstinguatur 439.
- Spiritismus** 503; — plane illicitus *ib.* 504.
- Spiritualis res** quam vendere simonia est 532.
- Sponsio** 1370 sq; — quando licita 1370; — illicita et positive prohibita 1371.
- Spontaneitas** 61.
- Spurius** quoad hereditatem 1393 et *not.* 1 1395 sq.
- Stabilitas.** Ut conditio legis 145; — legem distinguit a praecepto 146.
- Statistica** nihil demonstrat contra libertatem 63.
- Statuum** obscenam exponere 803; — conficere *ib.*; — idololatricam 814.
- Status** perfectionis evangelicae quid requirit 636; — latius patet quam status religiosus 637—639.
- religiosus v. **Religio.**
- vitae eligendus qua obligatione 745; — non pertinet ad res in quibus oboedientia parentibus debetur 948; — conveniens provideri debet filiis a parentibus 936.
- Sterilia** res num sit pecunia 1313.
- Stipendium** Missae sine ulla simonia accipi potest 534; — lege vel consuetudine maius exigere sitne simonia *ib.*
- Studiorum S.** Congregatio Rom. 308.
- Studiositas** ut virtus 879.
- Studiosorum** pugna ut duellum prohibitum 1017.
- Stuprum** 1048; — sensu stricto est iniusta virginis laesio *ib.*
- Suadere** minus malum quando liceat 1196; — iniustum damnum 1194 sqq; — solum modum damnificationis 1195.
- Subdelegatio** quando locum habeat 266.
- Subditus.** Eius obligationes 953 sq.
- Subiectum** legis 225 sqq.
- Sublocatio** quo sensu secundum leges permissa 1340.
- Subreptitia** dispensatio 264 sq.
- peccata 321 335.
- Substitutio** in testamento 1404 1407; — vulgaris, pupillaris, fideicommissaria 1404.
- Successio** hereditaria 1374; — quo sensu iuris naturalis 1375; — partim ab intestato partim per testamentum non ubique admittitur 1388; — a succ. h. qui excludantur 1393 sq.
- Succurrere** proximo quae sit obligatio 754 sqq.
- Sufficiens** sui summa in Deo ratio est cur potuerit nolle creare 4.
- Suffragatio.** **Suffragium.** In damnificatione iniusta causa restitutionis 1199 sqq; — quae obligatio absentium et abstinentium 1200; — quo ordine restitutio obliget 1201; — in electione deputati iniqui 956.
- Suicidium.** Eius malitia 732 sq; — spirituale in quolibet peccato mortali habetur 333.
- Sumptuositas.** Vitium magnificentiae contrarium 865.
- Superbia.** Notio 884; — completa gravissimum peccatum *ib.* 886; — incompleta in se non est peccatum mortale 886, ad ratix multorum peccatorum 884 885 887.
- Superflua** expendere quomodo sit contra religiosam paupertatem 675; — bona clerici quomodo impendi debeant 1072.
- Superior.** Eius voluntas legifera qualis esse debeat 141 145; — silens ad damnum subditi debeat restituere 1207.
- religiosus quamnam habeat potestatem legiferam et iurisdictionis 214, potestatem dominativam 695 sq; — quem titulum debeat ostendere 215.
- orissa monialium non habet potestatem iurisdictionis sed dominativam tantum 214.
- Supernaturalis** finis 17 sqq; — actus quomodo differat a naturali 52. — Sup. bonum negligere seu in eo alterum sibi praeferre quando peccatum mortale, quando non 741 sq.
- Superstitio** 488 sqq; — modi indebiti et rei indebitae 488. — Varia genera 489 490, quae quando *moralis* specie differant 493 sq; — num sit infidelitate peior 492 1489; — rei indebitae essentialem malitiam repetit ex communicatione cum diabolo 494; — unde cognoscatur *ib.* 496; — quando censeatur a peccato mortali immunis 495.
- Surdo-muti** quoad testamentum condendum 1400.
- Suspensio** legis possitne fieri a Praelato inferiore 217 271.
- Suspicio.** Notio generica 120; — haeresis ex quibus criminibus oriatur 417 972; — levis quae vocetur 973; — temeraria 1429; — generatim non est mortalis *ib.*; — mortalis fit ex malevolentia in re gravi 1431; — in re extraordinarie gravi cum plena advertentia retenta *ib.*
- criminis si in alterum transferatur, quale peccatum 1168.
- Ab homine suspecto rem emere vel gratuito accipere num et quando liceat 1146.
- Sustentatio** congrua clerici quid comprehendat 1071; — filiis a parentibus

debetur 934, per accidens parentibus a filiis 950, uxori a marito 1068; — ius dat ad quaedam bona retinenda in cessione bonorum 1230.  
**Sutores** a quibus fraudibus imprimis cavere debeant 1325.  
**Symbolum Apostolicum** quomodo sciri et credi debeat 393 sqq.  
**Sympathia sensualis** satis periculosa 1031.  
**Synesis.** Notio 853.  
**Synteresis.** Notio 111.  
**Systemata moralia** 149 sqq.

## T.

**Tacere** interrogato de fide num liceat 403.  
**Tacitum.** Voluntarium 59. — Tacita licentia 680. — Tacitus contractus 1242.  
**Tactus** obscenus 1031 1041; — graviter peccaminosus 1036. — Eum permittere quale peccatum 1036.  
**Taxa** assecurationis iusta aut iniusta 1357. — legalis in venditione rerum quo modo teneri debeat 1326. — Mutandae taxae praecox cognitio num impediatur a licita emptione vel venditione 1328; — fenoris, num eam excedi liceat 1315. — in dispensationibus ecclesiasticis quandam sine simonia accipiatur 539.  
**Temeritas.** Temerarium iudicium generice sumptum 120; — iudic. contra alterius famam 1429; — quando evadat mortale 1430; — aliis communicatum facilius est mortale *ib.* — Temeraria thesis seu doctrina quae dicatur 416. — Temeritas quae committitur in tenenda doctrina reprobata 417 419; — in expectando singulari Dei auxilio 520; sitne Dei tentatio *ib.*; — in quolibet peccato quae insit 330. — ut vitium fortitudini contrarium 860.  
**Temperantia** ut affectio generalis virtutum moralium 870; — ut specialis virtus cardinalis eaque frequentissimi usus *ib.*; — supernaturalis utitur regulis aliis quam naturalis *ib.*  
**Templa** haeticorum adire quando liceat, quando non 406; — construere 816; — pecunia iuvare 818 *not.*  
**Temporalia bona** v. **Bona.**  
**Tempus** requisitum ad legitimam praescriptionem 1099; — ad confessionem annum 1449 1450; — ad paschalem Communionem 1452 sq.  
**Tendentia** ad conformitatem cum lege aeterna quae sit necessaria 191; — ad perfectionem religioso necessaria 671, quando violetur graviter 672.  
**Tenera conscientia** 125.  
**Tentatio.** Nulla fere superatur sine fide 404; — contra fidem saepe *contemptu* vincenda est 400; — quomodo generatim vincenda a scrupuloso 136 137.

**Tentatio Dei** in quo consistat 517; — formalis aut interpretativa *ib.* 518; — sitne una ab altera specie distincta 520; — sitne contra spem 437 *not.*; — formalis num admittat parvitatem materiae 519; interpretativa num admittat 520; — quam habeat malitiam comparativam 1489. — hominis suspecti num sit licita 798.  
**Testamentum.** Notio 1376; — sitne iuris naturalis 1377 sqq; — a lege positiva regi potest 1376 1381; — quas habere possit formas legitimas 1401 sqq; — holographum ubi admittatur 1402; — privilegiatum quando et pro quibus valere soleat 1403; — clerici 1072 *not.*; — in forme quid valeat 1382—1383; — pro piis causis regitur lege canonica 1403; — quoad singulas dispositiones 1404 sqq; — quomodo implendum 1412 sq; — inefficax quot modis fiat 1408 sqq; — revocandum quomodo sit 1410; — executioni dandum ab exsecutore 1411.  
**Testator.** Quis esse possit 1400; — possitne a sui voti realis obligatione heredem eximere 605.  
**Testis.** Ut talis Deus invocatur in iuramento 552 553; — quod ut fiat implicate, sufficit 553. — iudicialis quomodo teneatur ad dandum testimonium 980 sq; — possitne restrictione uti 981; — falsa testatus ad quid obligetur 982.  
**Theatrum** v. **Spectacula.**  
**Theologia** moralis. Eius munus 377.  
**Theologica culpa** 1148 sq; — perfecta aut imperfecta 1148 1153.  
**Thesaurus** qui vocetur 1087; — quando censetur detegi 1088, seu inveniri *ib.*; — cuius fiat proprius 1087 sq; — si inventus fuerit, liceatne eum obruere et agrum emere 1088.  
**Theses proscriptae** diverso modo qualificantur 416; — quomodo a fidelibus recitandae 417 419; — a S. Congregationibus proscriptae 419.  
**Timoratus** homo distingui debet a scrupuloso 125 135.  
**Titulus** in praescriptione necessarius 1098; — coloratus qui sit *ib.*; — existimatus *ib.*; — praesumptus *ib.*; — vitiosus non sufficit ad praescriptionem, sed nullo est peior 1098. — in perceptione fenoris 1306 sq.  
**Tractus successivus** in lege quid sit et valeat in dispensationibus 268.  
**Transactio** de debito dubio quid efficiat 1232.  
**Transgressio** regularum in religioso ex quo titulo sit peccaminosa 672; — silentio pressa quando sit peccaminosa Superiori *ib.*  
**Trebellianica** pars hereditatis 1405 *not.*  
**Tributa** ex qua virtute debita 1170; — defraudata ad quid obligent 1173 sq; —

iusta et iniusta quomodo discernenda 1171;  
— sintne lege mere poenali imposita 1172;  
— exigi a ministris quamdiu possint 1174.  
**Tributa** in locatione a quo solvenda 1342.  
**Trinitas Ss.** sitne explicite credenda ad salutem 392.  
**Trinus contractus** fueritne semper licitus 1300.  
**Tristitia** de bono, quale peccatum 359; — de bono alieno quando licita 777; — inimicitiae quid sit 776; — invidiae *ib.*  
«**Trust**». Species monopolii 1333; — quae nam peccata quaeve fraudes facile committantur *ib.*  
**Turpe obiectum.** Quid iuris si de eo contractus fiat 1248 sqq. — Turpis conditio in contractu quid iuris facit 1282, in testamento 1406. Cf. **Motus. Sermones.**  
**Tactus.**  
**Tutiora sequi non est tutius** 127.  
**Tutorismus** ut systema moralit., absolutus aut mitigatus 149.  
**Tutor.** Obligationes et peccata specificè distincta 990.  
**Typographus,** a quibus fraudibus ei cavendum 1325; — possitne artem suam exercere diebus festivis 706.

## U.

**Ultimus.** — Ultima voluntas 1376; — cur ita vocetur 1377; — impedita a filio quale peccatum 950. — **Ultimus finis** 2; — ex parte Dei 3 sqq; — ex parte hominis 11 sqq.  
**Unilateralis contractus** 1240.  
**Universalis lex ecclesiastica** omnes ubique fideles obligat 226.  
**Urbanus VIII.** Catalogus festorum 1448.  
**Usura.** Definitio 1297; — exercetur in rebus infructuosis 1296; — natura sua non est in sola oppressione pauperum 1298 1302 et *not.*; — diversis modis exerceri potest 1297; — quomodo reprobetur a S. Scriptura 1301, ab Ecclesia 1302 sqq; — quibus titulis semper permessa 1306 sqq. — Reconciliantur leges antiquae et hodiernae 1313 sqq.  
**Usus ut actus voluntatis** 67; — ut species iuris 1052.  
**Ususfructus** 1053.  
**Utilitarismus** ut systema moralit. 94 *not.*  
**Utilitas aliena** num augeat pretium iustum in contractibus 1246.  
**Uxor** quoad bona fortunae 1063 sqq; — ex bonis communibus sibi usurpans 1068, vel ex bonis mariti *ib.*; — cognatos ex bonis communibus iuvans 1069; — inter heredes legitimos vel necessarios quando versetur 1387 1389; — quoad contractus faciendos 1254; — quoad vota mariti qua potestate utatur 614.

## V.

**Vacantia bona** 1092.  
**Vagus** 233; — num subiaceat legibus loci ubi est 233 235; — potest uti favoribus loci 234; — tenetur legibus universalibus 233; — num excusetur ob locum mutatum 236.  
**Valor rei** unde sumatur 1329 1345; — crescens et decrescens quomodo influat in mensuram restitutionis 1142.  
**Vana observantia** 490; — quale peccatum 490 493; — parvitatem materiae quando admittat 491 495 et *not.* 497.  
**Vasa sacra** in usum profanum adhibere est sacrilegium 524.  
**Vasectomia** num licita 735.  
**Vastare** terram hostilem 74 1021 sq.  
**Vectigalia** immediate lege poenali deberi solent 1172.  
**Velleitas** est voluntas non efficax neque absoluta 353 sq 362. Cf. **Desiderium inefficax.**  
**Venatio** lege positiva restringi vel prohiberi potest 1083; — prohibita quando obstat dominio acquirendo 1084 1085; — prohibita quantam secum ferat obligationem restitutionis *ib.*; — quando censeatur lege mere poenali prohiberi 1084; — sitne licita diebus festivis 706.  
**Venditio.** Definitio et essentia contractus 1317; — est contractus *consensualis* 1318; — quas obligationes imponat venditori 1321 sqq; — rei alienae quid iuris faciat 1323; — rei alteri iam venditae *ib.*; — rei quae malum usum habitura est 817 832; — librorum vel scriptorum haereticorum 821 *not.*  
— sub hasta 1336 sq; — quibus fraudibus patere possit *ib.*  
— per proxenetas 1338; — per circitorem 1339.  
**Venera** delectatio 1026; — directe volita non admittit parvitatem materiae 1028.  
**Venia** danda inimico 780 782; — num sponte offerenda *ib.*; — si paululum differatur 780; — petenda per offensorem quando 780 *not.* 1440.  
— Cum spe veniae peccare sitne speciale peccatum praesumptionis 438.  
**Veniale peccatum.** Notio 321 334 336; — ex imperfectione actus 335 337; — ex ipso obiecto parvo 335; — per accidens in obiecto gravi 337; — ex genere suo quod sit 342; — a mortali peccato non specie tantum sed toto genere distat 336.  
— in damnificatione ex defectu deliberationis quam secum ferat obligationem 1153; — ex plena deliberatione 1154; — cum advertentia ad priora damna possitne existere 1155.  
— Venialia peccata qui sola habet, teneantur ad annum confessionem 1450.  
**Veracitas.** Notio et munus 916.

- Verberare** alterum liceatne homini privato 995 996 *not.* 1434.
- Verecundia** ut pars temperantiae 871.
- Veritas** in iuramento 557 558; — qualis requiratur certitudo 558; — quae restrictio permessa 559 919; — inadiuratione quomodo intelligatur 573; — in iuramento promissorio 558 562 et *not.*
- Vertere** librum in aliam linguam, num reservetur auctori 1078.
- Vespertinae** preces ex qua obligatione fundendae 484.
- Vestes** sacras ad profanum usum adhibere sacrilegium 524; — superstitiosas conficere 814; iis uti sitne contra fidei professionem 405; — inhonestas conficere 831; iis uti 796.
- Vexationem** redimere in re spirituali non est simonia ex parte redimentis 536; — est in vexante *ib.*
- Vidua** cogitans de usu matrimonii praeterito quando peccet 362.
- Vigilantia** quae in parentibus sit debita 940sq.
- Vincibilis** ignorantia 75; — error 79, isque in conscientiae dictamine 117 118; — non aufert voluntarium 77, at generatim minuit *ib.*
- Vindicta** possitne sumi 780 782; — distinguenda est a postulatione satisfactionis post iniuriam acceptam 782.
- Violentia** 86; — inferri nequit voluntati, sed solis actibus externis *ib.* — Violentum stuprum quid vocetur 1048.
- Virtualiter** voluntarium 60; — Virtualis intentio *ib.*
- Virtutes** naturales aut supernaturales 378; — theologicae inter supernaturales eminent *ib.*; — morales: in solis facultatibus superioribus insunt 841; — acquisite et infusae 842; — per se infusae et inf. per accidens *ib.*; — infunduntur cum gratia sanctificante 845; — infusae seu supernaturales distinguuntur obiecto formali 843, attendunt normam divinam *ib.*; — naturales dant facilitatem, supernaturales non ita *ib.*; — operatione nostra augmentur diverso modo 844; — quot numerentur 846; — cardinales quae vocentur *ib.* — Virtutis exercitium pro pecunia facere, sitne simonia 544.
- Vis.** Notio 86. — Vim vi repellere 993.
- Visio** Dei intuitiva est essentia beatitudinis 25 sqq; — non est eadem in omnibus Beatis 31; — non est Dei *comprehensio*; — quid per eam in Deo cognoscatur 30; — accidentalem cognitionem aliarum rerum secum fert 32.
- Vita** propria qua obligatione sit conservanda 729 730 sq; — num eam negligi liceat seu eius interitum permittere 731.
- Vitium** gentis in sermonem inducere quale peccatum 1421.
- «**Vix pervenit**» Encyclica Bened. XIV de usura 1311.
- Voluntarium.** Definitio 55; — a voluto distinctum *ib.*; — formaliter et denominative 56; — perfectum et imperfectum 57; — directum et indirectum 58; — in se et in causa tantum *ib.* 70 sqq; — positive et negative 58; — expressum, tacitum, praesumptum 59; — explicitum et implicitum 60; — actuale, virtuale, habituale, interpretativum *ib.* — Voluntarium et liberum sintne re distincta 64.
- Voluntas** simplex ut actus 66. — Beatorum perfecta est 35 sqq.
- Voluptuariae** expensae 1139.
- Vomitus.** Ad vom. usque edere quale peccatum 891.
- Votum.** Vota. Notio 575; — ut distinctum a proposito 576; — quibus defectibus corruat 576 sqq; — de quo obiecto fieri possit 583 sqq; — de re aliunde iam praecepta 586; — quoad diversa genera 581 sqq; — simplex et sollemne 581; — sollemne in quo consistat 647 sqq; — sollemnitate privari potest per Papam 652 *not.*; — conditionatum 581 598 601 627; — poenale 582 598 602; — disiunctivum 582, quod quomodo obliget 602; — personale et reale 582. — Sanctis factum 580. — Votum non peccandi quo sensu obliget 588.
- baptismalia vota sintne vere vota 587.
- Voti obligatio et laesio: — quando obliget sub gravi, quando sub levi 591 595; — quando ex obiecto grave 595; — quando cum aliis coalescat 597; — sub levi promissum 591 594; — indiscretum quomodo obliget 585. 588 sq; — alienum num obliget 590 605; — religionis substantiale possitne promitti sub levi 594; — laesum quale peccatum 592 sq 604; — comparatum cum sacrilegio 1492; — possitne impleri actione aliena 599; — implendum differre quale peccatum 600.
- Dispensatio votorum 617 sqq; — possitne fieri a votis in favorem tertii factis 622.
- Suspensio quomodo differat a dispensatione 607 616.
- Cessatio 606 sqq.
- Irritatio 607 sqq.
- Vulneratio** quam inducat obligationem restitutionis 1178 sqq; — contra aggressores 995; — sui ipsius 734 sq. Cf. Mutillare.









